DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA








DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN VII EPISTOLAS CANONICAS (B. JOANNIS I, II, III, B. JUDÆ),
ACTUS APOSTOLORUM, ET APOCALYPSIM
IN VII PSALMOS PŒNITENTIALES. MONOPANTON. EPITOME

MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS
MDCCCCI








ENARRATIO

IN EPISTOLAS BEATI JOANNIS

ENARRATIO
IN EPISTOLAM PRIMAM
BEATI JOANNIS

ARTICULUS PRIMUS

ENARRATIO PRIMI CAPITULI : QUOD FUIT AB INITIO, ETC.

SUBLIMIS Evangelista Joannes, multis A et magnis a Christo privilegiis decoratus, atque per aquilam volantem designatus, præ ceteris de Christi divinitate scripsit profundius. Et sicut in principio evangelii sui destruit Ebionis ac Cerinthi, Christum purum hominem esse dicentium, hæresim, Marcionis quoque, Christum verum corpus assumpsisse negantis, perfidiam ; sic et in hujus suæ epistolæ primæ initio, eorumdem perditissimorum hæresiarcharum prosternit vesanias, dicens :

1 *Quod fuit ab initio,* id est Verbum æter- B num, increatum ac genitum, de quo alibi
Joann. i, 1. habetur : In principio erat Verbum. Pa-
Ps. cxlvi, 5. ter enim æternus, cujus sapientiæ non est finis, se ipsum intuendo ac intelligendo, quod de se et in se videt atque intelligit, hoc intra se intellectualiter profert ac gignit, utpote sui ipsius conceptum ac verbum, quod est unigenitus Filius ejus, in quo quidquid Patris est, plenissime splendet. Estque Verbum hoc Patri æquale, quum sit naturalis et perfecta ejus imago. Ex quo consequens est, C quod tota Deitatis plenitudo in ipso consistit : idcirco consubstantiale est Patri. Hoc Verbum est æterna ac genita sapientia Patris, quæ in Proverbiis de sua intellectuali et æternali generatione apertissime protestatur : Dominus possedit me Prov. viii, 22, 23. initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio ; ab æterno ordinata sum.

Quod audivimus. Dupliciter audierunt homines Verbum hoc Dei æternum : Primo, percipiendo auribus sermocinationem loquentem de Verbo ipso. Et ita qui non viderunt Christum in carne, audierunt eum. De quibus loquitur Paulus : Numquid non audierunt? Et rursus : Fides, Rom. x, 18. inquit, est ex auditu. Ibid. 17. Secundo, audiendo verba immediate ex ore Christi. Sicque Joannes iste, ceteri quoque Apostoli cum Christo in terris conversati, audierunt hoc Verbum, non in deitatis suæ natura, sed in humanitate assumpta. Ex cujus ore verba cœlestia audiendo, Verbum æternum audierunt, propter unitatem personæ in Christo, quæ in duabus subsistit naturis, divina scilicet et humana.

Quod vidimus oculis nostris corporalibus per assumptam naturam. Siquidem Verbum hoc caro factum, inter Aposto- Joann. i, 14.

los visibiliter habitavit et conversatum A est, juxta illud Baruch (*Baruch* III, 38) : In terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Unde per Isaiam testatur (*Is.* LII, 6) : Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Apud Zachariam quoque ait (*Zach.* II, 10) : Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui. *Quod perspeximus,* id est, clare inspeximus : quia vidimus gloriam ejus (*Joann.* I, 14), gloriam quasi Unigeniti a Patre. *Et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ,* id est ipsum Verbum æternum, quod est Verbum vitæ, a quo omnis vita naturæ et gratiæ ac gloriæ profluit. Est etiam Verbum vitæ, id est Patris viventis ; vel, Verbum vitæ, id est Verbum quod est vita. Nam ait (*Ibid.* XIV, 6) : Ego sum via, veritas et vita. Hoc Verbum incarnatum Apostoli tractaverunt, quia sensibiliter ipsum tetigerunt, palpaverunt, et osculati sunt. Quibus et post passionem suam ac resurrectionem locutum est (*Luc.* XXIV, 39) : Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere, ut scriptum est apud Lucam. Joannes quoque in Cœna recubuit in sinu Jesu (*Joann.* XIII, 25; XXI, 20), et super pectus ipsius.

Ex quibus verbis vera divinitas Christi et vera incarnatio ejus evidentissime comprobantur, atque hæreticæ pravitates Ebionis, Cerinthi, Photini, Nestorii, Marcionis, Manichæi, Valentini, Apellis, atque similium hæreticorum, penitus confutantur.

2 *Et vita manifestata est,* id est, Verbum istud æternum, quod est vera vita, quæ D secundum suam deitatem incomprehensibilis fuit, et latuit homines, et non nisi perpaucis per explicitam fidem innotuit : hæc vita per naturam (quam assumpsit) humanam manifestavit se ipsam, docendo, miracula faciendo, suos discipulos per totum mundum ad prædicandum mittendo. De qua scriptum habetur (*Ibid.* I, 4, 5) : Vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet. De qua etiam alio loco asseritur (*Ibid.* II, 11) : Hoc fecit initium signorum Jesus, et manifestavit gloriam suam. De quo ab Isaia prædictum est (*Is.* LII, 8) : Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt; itemque (*Ibid.* 10), Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et rursus loquitur Isaias (*Ibid.* XL, 5) : Revelabitur gloria Domini. Atque Psalmista (*Ps.* XCVII, 2) : Notum fecit Dominus salutare suum; et denuo (*Ps.* XVIII, 6), In sole (inquit) posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Et vidimus Verbum hoc interiori exte- B riorique oculo, *et testamur* de eo ea quæ vidimus et cognoscimus. Unde, passione instante, disseruit nobis (*Joann.* XV, 27) : Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. *Et annuntiamus vobis vitam æternam,* id est, Christum vobis prædicamus, qui ait (*Ibid.* XI, 25) : Ego sum resurrectio et vita. Est enim essentialiter vivens et vita, utpote sapientia ipsa increata, immensa. Propter quod ipsemet ait (*Ibid.* V, 26) : Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. *Quæ erat apud Pa-* C *trem,* id est, secundum divinitatem suam fuit æternaliter in Patre et cum ipso, quia personaliter a Patre distinguitur, immanenter ab ipso egreditur, substantialiter idem cum ipso censetur. De quo in Joanne habetur (*Ibid.* I, 1, 18) : Verbum erat apud Deum ; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Et in Psalmo (*Ps.* XXXV, 10) : Apud te est fons vitæ. *Et apparuit nobis* visibiliter per corpus assumptum. Post resurrectionem quoque Apostolis frequenter apparuit (*Act.* I, 3).

Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis : sicut expositum est. Frequenter autem et evidenter hæc repetit, ut nullum hæreticis locum latendi aut effugiendi relinquat. *Ut et vos societatem habeatis nobiscum,* id est communionem in fide, spe et caritate, et sacramentis Ecclesiæ, *et societas vestra sit cum Patre et Filio ejus Jesu Christo,* id est, etiam cum Patre et Filio unionem et assimilationem supernaturalem habeatis per caritatem et gratiam, ceteraque charismata Spi- 3

ritus Sancti, qui nominato Patre et Filio, datur intelligi, quum sit amor et nexus amborum, inseparabilis ab eisdem, et vere Patri ac Filio consubstantialis, æqualis et consempiternus. Pro qua societate Chri-
Joann. xvii, 11. stus post Cœnam oravit, juxta illud : Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos;
Ibid. 20, 21. et rursus : Non pro his (puta Apostolis) rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

Ex præinductis patet certitudo veritatis fidei christianæ, de qua hoc loco scribit Albertus : Una cognitio redditur certior alia, ex quatuor : Primo, ex parte sensus per quem accipitur. Quum enim cognitio intellectiva ex notitia sensitiva dependeat, illa cognitio fit certior, quæ evidentius ex sensu aut ex pluribus sensibus habetur. Ea autem quæ Apostoli prædicaverunt de Christo, per visum, auditum et tactum noverunt. Secundo, ex parte objecti. Quum enim (teste Philosopho, secundo Primæ philosophiæ) unumquodque se habeat ad veritatem sicut et entitatem, constat quod sicut Deus est purissima essentia, et perfectissimum esse, sic est purissima veritas, et ex natura rei de ipso veritas habetur certissima. Tertio, ex parte luminis cui innititur. Quumque veritas fidei increato, infallibili et supernaturali lumini innitatur, certior est omni scientia alia quæ creato innititur lumini. Quarto, ex parte docentis. Quum ergo Apostoli cum Christo sint conversati, tanta sanctitate et sapientia perornati, tam supernaturaliter a Spiritu Sancto edocti, tam præclara miracula, soli omnipotenti Deo possibilia, in attestationem fidei operati, palam quod eorum doctrinæ credendum sit. Propter quod in fine evangelii sui sanctus
Ibid. xxi, 24. ait Joannes de semetipso : Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, et scimus quia verum est testimonium ejus. Paulus quoque ad Gala-
Galat. i, 8. tas fatetur : Licet angelus de cœlo evange-
A lizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Porro quod de fidei certitudine dixi, intelligendum est de certitudine adhærentiæ magis quam de certitudine evidentiæ.

Et quia societas viæ, inchoatio ac præparatio est ad societatem felicitatis et
gloriæ, rite subjungitur : *Et hæc scribi-* 4
mus vobis, ut gaudeatis in Domino gaudio spirituali. De quo loquitur Paulus :
Gaudete in Domino semper; et, Qui glo- Philipp. iv, 4.
riatur, in Domino glorietur. Unde et apud I Cor. i, 31.
B Jeremiam Dominus ait : De hoc glorietur II Cor. x, 17. Jer. ix, 24.
qui gloriatur, scire et nosse me. Est autem et gaudium inordinatum, carnale et sæculare, quo quis gloriatur in actu illicito, et de re prohibita aut non licita eo modo quo de ea gaudetur. De quo in Eccle-
siaste fertur : Cor stultorum, ubi lætitia. Eccle. vii, 5.
Porro, homo naturaliter appetit gaudium, sed ne gaudeat inordinate, diligentia magna est adhibenda. Omnis autem delectatio actui annexa illicito, est inordinata : similiter, si quis de actu in se bono
C vanam concipiat gloriam, in se ipso, non in Domino gloriando, aut de tali actu gaudendo in quantum est aut esse putatur seu potest causa sive occasio propriæ laudis, proprii commodi, seu honoris. Denique omne gaudium ordinatum, utpote actui virtuoso annexum, dici potest spirituale et haberi in Domino : quia, aut est de Deo et in Deo, tanquam de immediato objecto, aut est de objecto creato ad Deum finaliter relato. Sicque dupliciter gaudemus in Deo : primo, tanquam in objecto im-
D mediato, ut quando in ejus contemplatione seu dilectione gaudemus ; secundo, tanquam in fine omnis boni actus, et mediato objecto, hoc est, quando gaudemus in actu virtutis circa creatum objectum versante, secundum beneplacitum Dei, et per relationem ad ipsum : sicut qui gloriatur eleemosynam dando, aut caste et sobrie se habendo, in quantum Deo hoc placet, seu ab ipso præceptum est.

Ut ergo sic gaudeamus in vita præsenti, hæc scripsit Joannes, hoc est, ut virtuose

vivamus, et virtuose vivendo spiritualiter jucundemur. Sed quoniam vitæ præsentis gaudium nec plenum esse potest neque continuum, imo multis tribulationibus, mœroribus, interpolationibusque miscetur et obfuscatur, idcirco subjungitur : *et gaudium vestrum sit plenum*, id est, ad cœlestem jucunditatem æternamque gloriam, plenarie contentantem et quietantem omnis creatæ mentis desiderium, pertingatis : juxta illud Psalmistæ, Ps. xv, 11. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo ; et, Ps. xvi, 15. Satiabor quum apparuerit gloria tua. Sic et Christus fatetur : Joann. xvi, 24. Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Sed quum omnia ad beatitudinem sint ordinanda, et beatitudo essentialiter sita sit, non in gaudio, sed in actu perfecto cui adjungitur gaudium (puta in contemplatione, sicut ait Salvator : Ibid. xvii, 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum) : cur Christus et ejus Apostolus hortantur nos ad opera bona, ut plenarie gaudeamus, et non potius ut beatifice contemplemur, seu plene fruamur? — Et respondendum, quod loquuntur de gaudio pleno secundum quod optimam operationem cui unitur, includit. Sicque loquuntur, quatenus ab inordinatis delectationibus nos avertant, ad bene agendum accendant, atque ut in vitæ præsentis afflictionibus consolemur, audiendo quod ad plenum gaudium perducemur. Præterea, quum gaudium sit diffusio animi in conceptu boni, et oriatur ex unione potentiæ cum objecto convenienti ; tunc gaudium intellectualis creaturæ est plenum, dum summo bono clare et immediate unitur, et eo ad libitum fruitur, ipsumque secure et inamissibiliter possidet. Et ita gaudium civium supernorum est plenum, quoniam Deum in se ipso clare per speciem contemplantur, eo ad libitum perfruuntur, ac tute possident ipsum. Sicque eorum capacitas est repleta, aviditas satiata, affectio contentata, et potentialitas ad actum reducta : quod totum in sanctis animabus post resurrectionem glorificatis resumptis

A corporibus perfecte erit impletum, quando non solum in essentiali, sed in accidentali quoque præmio erunt perfectæ. Idcirco erit in eis tunc omnis potentialitas ad actum perfecte reducta.

Et hæc est annuntiatio, id est prædicatio, *quam audivimus ab eo*, puta a Christo [*et annuntiamus vobis*] *: Quoniam Deus* Trinitas et unaquæque divina ac increata Persona, *lux est*, lux utique spiritualis, et pulchritudo immensa. Deus namque est ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa puritas

B simplicissima, sanctitas infinita. Sapientia autem et veritas lux est mentis. Et sicut solus Deus est essentialiter sapiens, et ipsa sapientia sua ; sic ipse solus substantialiter lucens est et lux sua. Denique in corporalibus lux vocatur, quod alia immediate manifestat atque clarificat : quanto magis Deus lux est, qui cuncta illuminat, et abscondita manifestat ? Hinc alio loco ait idem Joannes de Christo : Erat Joann. i, 9. lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hanc autem

C prædicationem Apostoli audierunt a Christo frequenter, qui ait : Ego sum lux mundi ; Ibid. viii, 12. et rursus, Quamdiu in mundo sum, lux Ibid. ix, 5. sum mundi. Deus ergo est lux superessentialis, pura et infinita, viva, sapientialis, munificentissima et superpulcherrima. Ideo subditur :

Et tenebræ in eo non sunt ullæ. Si per tenebras, errores et ignorantiæ ac vitia intelligantur, quis nesciat nullas in Deo tenebras esse ? De quo ait Psalmista : Quoniam Ps. xci, 16. rectus Dominus Deus noster, et non

D est iniquitas in eo. De quo et Job tricesimo quarto Eliu contestatur : Absit a Deo Job xxxiv, 10. impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Imo hoc modo in Beatis tenebræ non sunt ullæ : nisi quis quamdam nescientiam in eis esse affirmet, quia non omnia sciunt quæ Deus, cujus sapientiæ non est numerus, Ps. cxlvi, 5. loquendo de scientia intelligentiæ simplicis, qua Deus scit penitus infinita quæ nunquam fuerunt nec sunt nec erunt. — Verumtamen potest istud subtilius explanari, ut per tenebras intelligatur quæcum-

que defectuositas seu defectibilitas, aut A imperfectio, a qua nulla creatura invenitur immunis. Propter quod in Ecclesiaste
Eccle. I, 2. asseritur : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. In omni etenim creatura est dependentia, qua indesinenter dependet a Creatore, ejusque conservatione tam incessabiliter eget, quod nec ad momentum sine illius manutenentia queat subsistere aut durare, sed protinus redigeretur in nihilum si relinqueretur a Deo altissimo per momentum. Hæc itaque dependentia est defectuositas quædam. Est item in om- B ni creatura imperfectio aliqua, quia quum
Sap. XI, 21. sit finita, utpote in numero, pondere et mensura constituta, ibi incipit ejus imperfectio, ubi finitur ejus perfectio. Hinc quoque in ea est vanitas, id est quædam commutabilitas et defectibilitas, atque distantia a vero, pleno et incommutabili esse, quod Deo est proprium. Juxta hanc expositionem, Deo proprium perhibetur tenebras in se nullas habere.

6 *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum illo,* puta cum Deo, *et in te-* C *nebris ambulamus,* id est, in peccato quocumque mortali, et ignorantia juris quod scire tenemur, conversamur, et ad inferos gradimur; *mentimur :* qui enim societatem habet cum Deo, caritatem habet et gratiam, quibus caret qui in præfatis ambulat tenebris; *et non facimus veritatem* vitæ, et divina præcepta non adimplemus. De qua veritate loquitur Dominus per Isa-
Is. LXI, 8. iam : Dabo opus eorum in veritate; et
I *Tim.* VI, 17-19. Apostolus : Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, divites fieri in D operibus bonis, ut apprehendant veram vitam.

7 *Si autem in luce ambulamus,* id est, virtuose sapienterque vivimus, perseverando in fide et gratia virtuosaque vita, *sicut et ipse est in luce,* id est, in sui ipsius supersplendidissima veritate atque justitia invariabiliter manet. Ei etenim competit in luce incommutabiliter esse ac permanere, qui in se ipso immobiliter est consistens, et in se ipso prorsus perfectus exsistens, non potest, imo potius non eget, proficere. De quo ait Propheta : Tu *Ps.* CI, 28.
autem idem ipse es. Et Apostolus ad Timotheum contestatur : Qui solus habet I *Tim.* VI, 16.
immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem. Boni vero fideles in luce ambulant, quibus incumbit de virtute in virtutem procedere, in gratiarum donis proficere, meliora et viciniora saluti ex- *Hebr.* VI, 9.
quirere : quibus ait et Paulus, Ut filii lu- *Ephes.* V, 8.
cis ambulate. *Societatem habemus ad invicem,* id est, caritate connectimur, atque per fidem et caritatem concorditer conversamur, in sacramentis Ecclesiæ et virtutum operibus communicamus. Sicque per hæc socialiter invicem vivimus, et Deo uniformiter assimilamur, sumusque cives civitatis Dei, utpote militantis Ecclesiæ.

Quamvis autem hæc de qualibet divina intelligi possint Persona, tamen hoc loco de persona Patris æterni introducuntur. Nam subditur : *Et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato,* id est, dominicæ passionis fructum consequimur, ita quod virtus et meritum passionis Christi operatur in nobis. Siquidem virtute et merito passionis Christi dantur hominibus charismata gratiæ per sacramenta Ecclesiæ, realiter aut affectualiter, seu in voto accepta, per quæ meritum passionis Christi applicatur hominibus tanquam per medicinalia vasa. Unde in Apocalypsi habetur : Qui dilexit nos, et *Apoc.* I, 5.
lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Et in Actibus Judæis loquitur Paulus : Per Jesum remissio peccatorum vo- *Act.* XIII, 38.
bis annuntiatur ab omnibus, a quibus non potuistis in lege Moysis justificari. Ad Hebræos quoque habetur : Si sanguis hirco- *Hebr.* IX, 13, 14.
rum et vitulorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum obtulit semetipsum immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

At vero qualiter fidelibus virtuosis conveniat societatem habere cum Deo, atque

consortes esse divinæ naturæ, diligenter A et diffuse expositum est in elucidatione secundæ Canonicæ beatissimi Petri, super
II Petr. I, 4. illud : Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, etc. Nihilo minus de hac ipsa materia, quia subtilis est ac devota, nunc aliqua addam. Et quia ex creaturis ad Creatoris cognitionem ascendimus, saltem in multis, pensemus quid ad societatem pertineat in rationalibus creaturis, ut sic clarius innotescat qualiter cum Deo societatem habeat Christianus B devotus.

Socii appellantur, qui libenter sunt simul et familiariter colloquuntur, separationis quoque sunt impatientes, atque ad specialem unionem adspirant, qui et secreta sua sibi invicem pandunt, fidelitatem simul conservant, de mutua jucundantur præsentia, et in actibus suis communicant, quoniam eadem libenter efficiunt, imo sibi invicem cooperantur, et mutuo opem impendunt, et unus prosperitatem cupit alterius. C

Ita revera verus et devotus Christianus libentissime est cum Deo, cum Psalmista
Ps. LXXII, 28. protestans : Mihi adhærere Deo bonum
Ps. LXII, 9. est ; et item, Adhæsit anima mea post te. Et inter Deum ac talem Christifidelem est familiare assiduumque colloquium. Ipse siquidem ubertim affatur Deum, orando ac meditando salubria, sciens Christum
Luc. XVIII, 1. dixisse : Oportet semper orare, et non de-
I Thess. V, 17. ficere ; atque apostolum Paulum, Sine intermissione orate. Deus quoque alloquitur eum, per divinos instinctus, per illumi- D nationes et unctiones internas, per sacras Scripturas, et per inspirationes angelicas. Talis demum Christifidelis, separationis a Deo est impatiens. Mallet namque totum mundum amittere et occidi, quam per peccatum a Domino separari, quia incomparabiliter super omnia toto corde diligit Deum. Imo dum gratiosam Dei præsentiam, dum allocutionem internam, et divinæ familiaritatis signa non experitur, ingemiscit, et animo consternatur, ne forte Deum offenderit, et ab ipso relictus sit. Idcirco ad unionem cum Deo adspirat, et ei semper vicinius uniri molitur. Deus quoque multis modis allicit eum sibi. Insuper benignissimus Deus et devotus Christifidelis secretissima sua sibi invicem manifestant. Christianus namque, juxta Jeremiæ oraculum, effundit sicut aquam Thren. II, 19.
cor suum in conspectu Domini Dei sui ; et Deus per unctionem suam de omnibus I Joann. II, 27.
edocet eum, ac sæpe incerta et occulta Ps. L, 8.
sapientiæ suæ ei revelat, quum et Christus discipulis dixerit : Omnia quæcumque Joann. XV, 15.
audivi a Patre meo, nota feci vobis.

Talis quoque Christifidelis Deo fidelitatem conservat, cum apostolo Paulo exclamans : Quis me separabit a caritate Dei ? Rom. VIII, 35.
Vitat enim carnales et mundanas affectiones, et animam suam custodit, ne per mortale peccatum prostituatur diabolo, et ejus fiat adultera, sed cœlestis Sponsi permaneat sponsa ac socia. Deus vero eum nequaquam relinquit, nisi prius relinquatur ab eo. Deus item et talis Christifidelis de mutua gloriantur præsentia. Siquidem deliciæ Dei sunt esse cum tali hominis Prov. VIII, 31.
filio, qui et ipse delectatur in Domino, et Ps. LXXVI, 4, 3.
renuit consolari anima ejus nisi in illo. Insuper, agendo communicant, id est, libenter eadem agunt. Quemadmodum enim Deus se ipsum incessabiliter intuetur ac diligit, justitiam amat, pietatem exercet, bonitatem suam communicat aliis, universos ad salutem hortatur, inimicis beneficia multa largitur ; sic talis Christifidelis summæ et increatæ veritatis contemplationi, et infinitæ bonitatis dilectioni libenter intentus est, justitiamque zelatur, pius ac liberalis consistit, dona gratiæ sibi collata aliis munificenter impertit, omnium cupit salutem, adversarios diligit, et bona rependit pro malis. Amplius, Deus et talis Christifidelis sibi invicem cooperantur. Nam Deus operatur per eum, opem ei impendit, et eum tuetur. Ipse quoque est Deo cooperans dupliciter : primo, in se ipso, quia divinæ inspirationi acquiescens, juxta ejus vivit directionem ; secundo in

aliis, eos ad consentiendum obediendum-
que Deo exhortans. Propter quod asserit
I Cor. III, 9. Paulus : Dei cooperatores sumus. Postremo,
Deus homini christifideli cupit veram
prosperitatem, beatitudinemque perpetuam.
Ipse etiam Deum ab omnibus honorari
atque glorificari totis optat præcordiis.

Ecce quanta est dignitas caritatis infusæ,
quam admirabiles excellentissimosque
effectus causat in anima ! Nec mirum,
quum ipsa sit supernaturalis similitudo
increati amoris, videlicet Spiritus Sancti.
O quanta est rationalis creaturæ ista nobilitas,
habere cum divina natura consortium,
atque cum proprio Creatore societa-
Ps. XLVIII, 13, 21. tem sortiri ac possidere ! Sed heu, homo
quum in honore esset, non intellexit, comparatus
est jumentis insipientibus, et per
spiritualia atque carnalia vitia plurimi se
dæmonibus bestiisque associant et conformant.
Quorum vanitatem, vilitatem et perversitatem
vitantes, studeamus modis prætactis
societatem habere cum Deo : qui
Gen. XXXIII, 12. sicut in Genesi legitur, dixit ad Jacob, Ero
socius itineris tui.

Ceterum, ne quis incaute præsumat se
societatem habere cum Deo, subjungitur :
8 *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus,
ipsi nos seducimus, et veritas in
nobis non est.* Hoc communiter de venialibus
culpis exponitur, sine quibus præsens
vita non agitur, quum in Proverbiis
Prov. XXIV, 16. dicatur : Justus septies in die cadit. Et
Eccle. VII, 21. iterum Salomon contestatur : Non est homo
super terram qui faciat bonum, et
non peccet. Unde et Jacobus ait aposto-
Jacob. III, 2. lus : In multis offendimus omnes. Augustinus
quoque de venialibus exponit hunc
locum.

Aliqui vero exponunt de mortali peccato :
quia et si quis justus exsistat, tamen
sine revelatione divina non valet certitudinaliter
scire se esse absque mortali.
Idcirco si asserat se illo carere, peccatum
incurrit superbiæ atque jactantiæ, imo et
falsitatis, si se asserat scire mortale se
vitium non habere. Sed huic expositioni
contrariari videtur quod loquitur Augu-
A stinus : Excepta Virgine gloriosa, si omnes
Sancti et Sanctæ essent collecti, et
quærerentur an peccatum haberent, quid
responderent, nisi quod ait Joannes, Si
dixerimus quia peccatum non habemus,
etc. ? Hoc autem de mortali non videtur
posse intelligi, quum multi Sanctorum ex
revelatione agnoverint se mortali non subjacere.
Insuper, S. Joannes apostolus per
hæc verba intendit insinuare quod omnes
habemus peccatum. Propter quod post
verba hæc protinus subdit : Si confitea-
B mur peccata nostra, etc. Non autem omnes
habent mortale peccatum, quum in
Ecclesia Dei semper sint aliqui virtuosi.
Item S. Joannes tam generaliter loquitur,
secundum sanctos doctores, ut se ipsum
quoque sub ista comprehendat sententia :
et tamen ipse se noverat esse in caritate.
Postremo, si is qui in caritate est, dicat
simpliciter absque temeraria assertione,
cum probabili confidentia, se esse sine
mortali, non mentitur.

Itaque, qui dicit se esse sine peccato
C omnimode, fallit se, nec veritas est in eo
quantum ad hoc quod id dicit, quamvis
quoad alia multa in eo sit veritas, quia
adhuc potest esse in vera fide informi, et
multa veraciter noscere.

Deinde inducitur contra quotidiana, imo
et contra universa peccata remedium. *Si* 9
confiteamur peccata nostra. In novo enim
Testamento necesse est, si adsit facultas,
confiteri peccata confessione sacramentali
sacerdoti jurisdictionem habenti. Nec sufficit
contritio aut confessio Deo facta, nisi
D cum desiderio atque proposito sacramentaliter
confitendi, si possibilitas suppetat.
Porro, in lege naturæ et lege scripta sufficiebat
contritio et confessio Deo facta. Si
ergo peccata nostra rite confessi fuerimus
Deo, et ejus vicario sacerdoti, *fidelis et
justus est* Deus, *ut remittat nobis peccata
nostra,* id est, in hoc se ostendet fidelem
et justum, quod peccatis nostris ignoscet.
Hoc enim prædixit atque promisit, quod
confitentibus indulgebit : idcirco sic faciet,
juxta illud in Psalmo, Fidelis Domi- Ps. CXLIV, 13.

nus in omnibus verbis suis. Et justum est ut sic agat, quum promissum aliquo modo cadat in debitum. *Et emundet nos ab omni iniquitate* per sacramentum Pœnitentiæ, quod est secunda post naufragium tabula. Omnia enim in confessione lavantur, nec unum mortale dimittitur sine aliis, si adsint. Non enim dimittitur mortale, nec ab illo quis emundatur, nisi per caritatis et gratiæ infusionem, sine qua nullus fit Deo acceptus. Caritas autem cum mortali non potest stare peccato. Ideo dicitur :

> Larga Dei pietas veniam non dimidiabit :
> Aut nihil, aut totum, te lacrimante, dabit.

Hæc itaque Christus denuntiavit, dicendo : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. (*Matth.* IV, 17.) Pœnitentia autem sacramentalis tres partes habet, quæ sunt : contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis. — Unusquisque ergo coram Deo quotidie humiliter se accuset, castiget, despiciat, opportunoque tempore confiteatur. Et dum quis a proximo suo fraterne corripitur, aut a superiori suo caritative increpatur, nequaquam ægre, sed gratanter accipiat, et coram Deo se culpabilem fateatur, ut misericordiam consequatur, juxta illud in Psalmo : Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei. (*Ps.* XXXI, 5.) Propter quod in Proverbiis asseritur : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. (*Prov.* XXVIII, 13.) Hinc sanctus Job : Vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit salvator meus. (*Job* XIII, 15, 16.)

Denique, quam periculosum, superbum, et stultum sit se indebite excusare, constat ex eo quod subditur :
10 *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum,* id est, contradicimus Deo, qui in Scripturis testatur oppositum, et sic, quantum in nobis est, facimus Deum in verbis suis mendosum. Unde, quum Propheta dixisset : Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino (*Ps.* XXXI, 5.), addidit : Pro hac orabit ad te omnis sanctus (*Ibid.* 6.) in tempore opportuno. Et in Job habetur : Si voluerit homo cum Deo contendere, non poterit respondere unum pro mille. (*Job* IX, 3.) Isaias quoque inducit : Facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ (*Is.* LXIV, 6.); et rursus, Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit (*Ibid.* LIII, 6.); itemque, Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. (*Ibidem.*) Ergo omnes peccato sumus obnoxii. Quod etiam Esdras in sua oratione et confessione testatur. (I *Esdr.* IX, 6, 7.)

Quidam vero allegant ad istud Job quintodecimo : Quid est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? (*Job* XV, 14.) Ubi antiqua translatio habet : Nemo mundus a sorde, neque infans cujus est unius diei vita super terram. Sed hanc allegationem reprobat quidam, eo quod verbum illud non est verbum Dei, nec verbum beati Job, sed Eliphaz Themanitis, qui falsam conclusionem intendit, idcirco verbum ejus non videtur Deo attribuendum. Cui objectioni multa objici possunt : Primo, quoniam sancti doctores, Augustinus, Gregorius, et alii, verba ista tanquam authentica et divina allegant. Secundo, quoniam teste Ambrosio, omne verum a quocumque proferatur, a Deo est, et Deo attribuendum est. Tertio, quoniam Eliu Buzites etiam falsam contra Job conclusionem intendebat, nihilo minus Deus verba ipsius Eliu sententiosa esse testabatur, dicendo : Quis est iste qui involvit sententias sermonibus imperitis? (*Ibid.* XXXVIII, 2.) Simili ratione, in quibus Deus seu Scriptura aliorum trium cum Job disputantium verba non reprobat, ea intelligitur approbasse. Quarto, quoniam de philosophis ait apostolus Paulus : Deus illis revelavit. (*Rom.* I, 19.) Non minus ergo et Eliphaz suo modo est revelatum a Deo, quidquid veraciter protulit.

Itaque, Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus Deum, *et verbum ejus non est in nobis,* id est, sacram Scripturam non vere intelligimus, nec sermo Dei effectum salubrem sortitur

in nobis, nec increatum Dei Verbum per A caritatem et gratiam corda nostra inhabitat. Necesse est ergo ut semper nos humiliemus, accusemus, discutiamus, et emendemus. Si tamen alicui culpa notabilis objiciatur de qua sibi conscius non est, potest se humiliter excusare, præsertim ne alii scandalizentur in eo.

Sed præinductis objici potest illud bea-
Job xxvii, 6. ti Job, Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea ; et quod in fine secundi Paralipomenon in Oratione Manas-
Oratio Manassæ. sæ habetur : Tu, Domine, non posuisti B pœnitentiam justis, Abraham, Isaac, et Jacob, his qui tibi non peccaverunt. Denique aliqui ita perfecti sunt, ut evolent, id est, a corpore sine pœna post hanc vitam sequente beatitudinem intrent. Ad quod respondendum, quod sanctus Job non intendit se a venialibus penitus excusare, quum ipsemet Deo loquatur : Si- *Job* xiv, 17.
gnasti quasi in sacculo delicta mea ; et rursus, Peccavi ; itemque, Tu quidem gres- *Ibid.* vii, 20.
sus meos dinumerasti, sed parce peccatis *Ibid.* xiv, 16.
meis. Item dicendum ad verba illa Manassæ, quod scilicet non intendit Patriarchas a venialibus immunes asserere. Ad ultimum respondetur, quod licet viri sancti quotidie venialiter peccent, tamen pro eisdem quotidie satisfaciunt, et cum hoc, in virtutibus valde crescunt, in omni puritate et perfectione miro modo proficiunt, ita quod non solum non desinunt esse sancti, sed et sanctiores redduntur, atque ad horulam possunt omni culpa carere.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : FILIOLI MEI, HÆC SCRIBO VOBIS.

QUAMVIS in hac vita fragili sine quo- C tidianis et venialibus culpis esse non valeamus, saltem per tempus notabile ; nihilo minus diligentiam omnem adhibere debemus, ut auxiliante Domino, peccata mortalia ac venialia, quantum fragilitati nostræ possibile est, evitemus. Nam etsi venialia omnia vitare nequimus, tamen singularia possumus. Ideo S. Joannes nunc ait :

1 *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis,* id est, peccata cum diligentia omni vitetis. Nam, ut asserit Isaias pro- D
Is. xxvii, 9. pheta, Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum. Porro quod ait, Filioli, non ex sui ipsius magnificatione, et discipulorum parvipensione, sed ex caritatis magnitudine atque dulcissima affectione, processit. Ob quam causam etiam nos interdum diminutivis nominibus utimur. Hoc quoque sciendum, quod non peccare, non solum dicit cessationem ab actu illicito seu culpabili omissione, sed etiam exsecutionem operum debitorum, seu observantiam præceptorum quæ sine peccato omitti non valent. Quid ergo est dicere, Hæc scribo vobis, ut non peccetis, nisi, Hæc scribo vobis, ut virtuose vivatis, quatenus nec omittenda committatis, nec committenda omittatis ? Hoc est quod ait
Psalmista : Declina a malo, et fac bonum. *Ps.* xxxvi, 27.
Declinare quippe a malo, est omittenda seu illicita non committere ; et facere bonum, est committenda non omittere.

Sed et si quis peccaverit, non tamen desperet, *advocatum habemus,* id est patronum et oratorem, *apud Patrem,* id est æterni Patris personam ; vel, Apud Patrem, id est Deum Trinitatem, seu Deum unum ac trinum, cui quotidie dicimus :
Pater noster, qui es in cœlis. Christus *Matth.* vi, 9.
secundum quod homo, advocatus et ora-

tor noster est, etiam apud se ipsum in A quantum est Deus : quoniam tota superbenedicta Trinitas, cujus indivisa sunt opera, est unus Deus qui invocatur, qui exaudit, indulget, confortat, et salvat. *Jesum Christum justum*, qui secundum utramque naturam suam justus est : quia ut Deus, essentialiter justus est ; secundum assumptam quoque humanitatem, antonomastice Justus vocatur. De quo apud Isa- *Is.* LIII, 9. iam fertur : Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Imo tanta fuit in eo justitia, quod natura creata B majoris justitiæ non est capax.

2 *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Secundum Bedam, Christus, qui per *Rom.* VIII, 34 ; *Hebr.* VII, 25. humanitatem advocatus noster est, interpellans Patrem pro nobis, ipse secundum divinitatem propitiator est peccatorum nostrorum, quia propitiatur seu ignoscit nobis cum Patre. Et hoc dicit Beda Augustinum sequendo, qui utitur littera ista : Ipse est propitiator peccatorum nostrorum. Sed quoniam textus noster habet, Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, C non potest de Christo exponi secundum divinitatis naturam, sed secundum naturam humanam : secundum quam est propitiatio pro peccatis nostris in quantum obtulit semetipsum pro nostra expiatione, et genus humanum Deo reconciliavit suæ passionis virtute ac merito, juxta il- *Is.* LIII, 5. lud Isaiæ, Cujus livore sanati sumus. Est itaque propitiatio pro peccatis nostris, id est causa remissionis vitiorum nostrorum, causa utique meritoria et instrumentalis, *I Tim.* II, 5. in quantum homo redemptor, Dei ac ho- D minum mediator. Juxta quem sensum lo- *I Cor.* I, 30. quitur Paulus ad Corinthios : Christus factus est nobis a Deo sapientia et justitia, sanctificatio et redemptio ; alibi quo- *II Cor.* V, 19. que : Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, in quantum videlicet per Christum hominem fecit hanc reconciliationem.

Non pro nostris autem tantum, id est, non solum Christus propitiatio est pro peccatis eorum quibus hæc primo scripsit S. Joannes, *sed et pro totius mundi* peccatis, id est pro culpis totius Ecclesiæ, toto orbe terrarum diffusæ, imo pro vitiis universi generis humani sufficienter, quamvis pro solis electis efficienter. Humanitas etenim Christi, ex counita sibi deitate, habuit idoneitatem satisfaciendi quodammodo infinitam. Ex eminentia quoque virtutum quas habuit, ineffabilem habuit efficaciam promerendi ac reconciliandi.

Circa verbum illud præhabitum, *Jesum Christum justum,* ait quidam : Quasi diceret : Non interpellat pro quibuscumque peccatoribus, sed solum pro vere pœnitentibus. Quod stare non potest, quia pro cunctis electis, quamvis adhuc vitiosis et nondum pœnitentibus, Christus ut homo veraciter interpellat. Et tales merito Christi, suæ interpellationis virtute et efficacia, conversionis gratiam consequuntur. Albertus etiam dicit hic, quod Filius Dei est advocatus noster, interpellando pro perfectorum conservatione, et pro offendentium reconciliatione. — Aliqui quoque affirmant, quod Christus orat pro nobis miseratione, non voce, quum tamen ad Hebræos scriptum sit : Christus sempi- *Hebr.* VII, 24, 25. ternum habet sacerdotium : unde et salvare potest in perpetuum, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Vere igitur interpellat pro nobis, sive hoc facere asseratur voce mentali dumtaxat, sive etiam voce oris. Denique Christus electorum salutem desiderat, etiam præ omnibus Sanctis. Oratio autem est desiderii expressio, et voluntatis interpres ac nuntius. Vere igitur orat pro eis, præsertim quum teste Bernardo, sicut Mater ostendit Filio pectus et ubera, sic Filius Patri latus et vulnera. Hinc etiam ad Romanos habetur, quod Christus interpellat pro nobis. *Rom.* VIII, 34.

Quum ergo tot beneficia nobis largitus sit Christus, propter quod omnes Christiani gloriantur se Christum cognoscere, consequenter ostendit sanctus Apostolus, quis vere atque salubriter eum agnoscat.

3 Nam subditur : *Et in hoc scimus quoniam cognoscimus eum;* vel, ut aliqui textus habent, Cognovimus eum ; *si mandata ejus observamus.* Duplex est cognitio Dei : Una informis et nuda, seu speculativa dumtaxat, quæ nec caritati, nec virtuosæ conversationi conjuncta est. Et ita iniqui Deum cognoscunt, quemadmodum ad Ro- *Rom.* I, 21. manos de talibus dicitur : Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis. Alia est cognitio Dei formata seu affectiva approbativaque boni, utpote caritate ornata, de qua nunc fatur Joannes. Et hæc Dei cognitio, actus est doni sa- *Sap.* I, 4. pientiæ, de qua Sapiens ait : In malevolam animam non intrabit sapientia. Talis ergo cognitio malis non inest, quum apud *Mich.* III, 1, 2. Michæam scriptum sit : Numquid vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum ?

Sed quum ista cognitio Dei et caritas sint connexæ, videtur quod aliquis scire possit se esse in caritate, quemadmodum scire potest se Deum cognoscere ista cognitione : quoniam scire potest se Dei præcepta servare, sicut in Evangelio ado- *Marc.* X, 20. lescens loquitur Salvatori, Hæc omnia observavi a juventute mea. Ad hoc quidam respondent, quod B. Joannes hic loquitur de scientia probabilis conjecturæ, non de scientia certitudinis absolutæ.

Potest autem et aliter responderi. Solent enim doctores quæstionem movere, an homo possit præcepta Decalogi ex naturalibus suis implere, videlicet absque auxilio gratiæ gratificantis. Et videtur quod imo, quia præcepta Decalogi sunt de naturalis dictamine rationis, ergo per naturalem rationem possunt servari. Oppositum videtur ex eo quod Dominus lo- *Matth.* XIX, 17. quitur : Si vis intrare ad vitam, serva mandata. Ergo mandatorum observantia sufficit ad salutem. Si ergo ex naturalibus queunt viribus observari mandata, consequens erit ut absque supernaturalibus donis gratiæ ac virtutum possit quis adipisci salutem : quod est hæresis con- A demnati, sacrilegi, et præsumptuosi Pelagii. Ad hoc communiter respondetur, quod præcepta Decalogi, quantum ad substantiam facti seu operis, possunt ex naturalibus viribus adimpleri, non autem quantum ad intentionem legislatoris, id est non eo modo quo Deus summus præceptor ac legislator jussit ea adimpleri, et eorum observationem requirit. Intentio etenim Dei præcipientis fuit et est, ut præcepta Decalogi impleantur ex vera et spirituali dilectione, ad Dei honorem, et B propter æternam salutem, quum nihil sit meritorium nisi taliter fiat. Certumque est, ea ita non posse absque caritate et gratia adimpleri. Idcirco dicendum, quod ex præinductis S. Joannis verbis probari non potest, scire nos posse absque revelatione quod simus in caritate, quum sine revelatione scire non valeamus quod Dei servemus præcepta eo modo quo Deus ea jussit servari.

4 *Qui dicit se nosse Deum* cognitione formata, ut tactum est, *et mandata ejus non* C *custodit* memoria et effectu, juxta illud : Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea ; *Ps.* CII, 18. *mendax est,* hoc ipsum dicendo, et non est in eo veritas vitæ, sed vanitas atque mendacium veritati vitæ contrarium, *et in eo veritas non est,* id est, quantum ad hoc quod sic loquitur, mentitur, nec increata veritas (quæ Deus est) per gratiam eum inhabitat : quamvis in eo sit veritas entis seu naturæ, veritas quoque sententiarum ac propositionum quantum ad alia multa quæ ve- D re potest cognoscere, quamvis in isto sit mendax. De hac Dei formata notitia, ipse ait in Psalmo : Protegam eum, quoniam *Ps.* XC, 14. cognovit nomen meum.

5 *Qui autem servat verbum ejus,* id est, verba Dei custodit et implet, credendo et operando quæ præcipit Deus credi ac fieri, per se et suos vicarios, *vere in hoc caritas Dei perfecta est,* id est, talis Deum perfecte ac spiritualiter diligit.

Ex quo sequi videtur, quod quicumque implet præcepta, perfectam habeat

caritatem : ergo superfluum est evangelica observare consilia, quatenus per eorum observantiam ad caritatem pertingatur perfectam. — Et respondendum, quod Deum perfecte diligere, est eum toto corde amare : ad quod omnes tenentur secundum aliquem gradum. Idcirco secundum aliquem gradum, quicumque servat præcepta, perfecte diligit Deum. Sed advertendum, quod caritas Dei perhibetur perfecta, dupliciter : Uno modo, ex parte objecti, utpote Dei. Et sic perfectam habet caritatem, qui tantum diligit Deum B quantum ex propria bonitate est amabilis. Sicque solus Deus perfecte se diligit, et unaquæque increata divina Persona perfectam seu infinitam habet caritatem ad aliam, et etiam ad se ipsam. Et ita universæ mentis creatæ caritas distat in infinitum a perfectione caritatis Dei, cujus amabilitas est prorsus immensa. Secundo, caritas appellatur perfecta ex parte subjecti, scilicet diligentis. Et hujus perfectionis triplex est gradus : Primus, dum quis tantum diligit Deum quantum C tenetur. Et sic quicumque servat præcepta, perfectam habet ad Deum dilectionem, quia præ universis et singulis, seu super omnia incomparabiliter diligit eum, saltem appretiative, quamvis non intensive. Si enim infusa dilectione diligit Deum, oportet ut plus diligat eum quam totum mundum. Propter quod asserit Augustinus, quod caritas minima est major quam cupiditas maxima. Secundus gradus perfectionis caritatis est, dum in tantum diligitur Deus, quod etiam illa quæ solent D dilectionem Dei minuere, relinquuntur ut in caritate proficiatur. Sicque evangelica consilia observantes, dicuntur in caritate perfecti, quanquam ex speciali auxilio gratiæ, aliqui non observantes consilia illa, possint perfectiores esse in caritate, quam eadem observantes. Tertius gradus est, dum quis totis præcordiis, secundum extremum virium suarum posse, actualiter et indesinenter fertur in Deum. Et ita Beati in patria caritatem A habent perfectam. — Verumtamen gradus caritatis aliter possunt distingui secundum tres status, utpote incipientium, proficientium, perfectorum, ut infra forsan dicetur.

Et in hoc scimus quoniam in ipso sumus. Quibus verbis in aliquibus libris additur, Si in ipso perfecti fuerimus : quod tamen, ut dicitur, non est de textu. Verumtamen Augustinus utitur littera verbum hoc continente. Sed sive sit de textu, sive non, est tamen quasi expositio ejus quod ait, In hoc scimus quoniam in ipso sumus. Jam quippe præmisit : Qui servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est. Protinusque subjunxit : Et in hoc scimus, id est, si caritas Dei in nobis perfecta est, quod non est aliud quam si in ipso, scilicet Deo, perfecti fuerimus, per hoc cognoscimus quod in Deo sumus, quia per caritatem in Deo esse asserimur, prout infra habetur : Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. (I *Joann.* IV, 16.) — Sed ex isto rursus sequi videtur, quod habens caritatem præfato modo perfectam, sciat se esse in Deo, et per consequens in caritate. Ad quod communiter respondetur, quod S. Joannes nunc loquitur de scientia verisimilis atque probabilis conjecturæ, seu probabilitatis præcipuæ.

Insuper, contemplandum quod creatura multipliciter dicitur esse in Deo : Primo, sicut in causa prima efficiente. Secundo, sicut in causa exemplari ac ideali. Tertio, sicut in causa finali. Propter quod loquitur Paulus apostolus : Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. (*Rom.* XI, 36.) Quarto, sicut in causa conservante, quemadmodum in libro Sapientiæ legitur : Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu, Domine, voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur ? (*Sap.* XI, 26.) Quinto, sicut in objecto fidei, spei, et caritatis, seu contemplationis et dilectionis. Sicque boni fideles in Deo sunt, quia ad ipsum sunt mente conversi, et ei inhærent. Impii vero ab ipso aversi sunt. Unde juxta hunc

modum extra ipsum et longe ab eo es- A
se dicuntur. Propter quod in Proverbiis
Prov. xv, 29. fertur : Longe est Dominus ab impiis.

Consequenter docet Apostolus quid ad
6 omnem pertineat Christianum. *Qui dicit
se in Christo manere,* id est christianum
exsistere, et Christo per fidem adhærere,
*debet, sicut ille ambulavit, et ipse am-
bulare,* id est Christi vestigia sequi, ejus
virtutes sectari, ejus legem implere. Alio-
qui inaniter a Christo nomen sortitur,
atque ad graviorem suam damnationem
christianus vocatur. Hinc ipse Salvator B
Joann. xii, 26. ait : Si quis mihi ministrat, me sequa-
Luc. vi, 46. tur; et alibi : Quid vocatis me, Domine,
Domine, et non facitis quæ dico? Item-
Joann. xiii, 15. que : Exemplum dedi vobis, ut quemad-
modum ego feci vobis, ita et vos faciatis.
Itaque, Qui se dicit in Christo manere, qui
gloriatur christianum se esse, discat a
Matth. xi, 29. Christo quoniam mitis est et humilis cor-
de; Christi caritatem sectetur, ut adver-
sarios etiam amet, et pro ipsis cordialiter
deprecetur, injurias et adversa æquani-
I Cor. ix, 27. miter ferat; corpus suum castiget, car- C
Galat. v, 24. nem suam cum vitiis et concupiscentiis
Luc. xiv, 27; crucifigat, quum Christus testetur, Qui
Matth. x, 38. non bajulat crucem suam et venit post
me, non est me dignus; opera quoque
misericordiæ, tam corporalia quam spi-
Luc. xxi, 19. ritualia, totis exerceat viribus; in pati-
entia sua possideat animam suam; et per
arctam incedens viam salutis, Dei et Ec-
clesiæ servans præcepta, perseveret us-
que in finem.

7 *Carissimi, non mandatum novum scri-
bo vobis.* Non est hoc intelligendum quasi D
in evangelica lege non sint a Christo et
ab ejus Apostolis aliqua nova præcepta
fidelibus tradita, quum præcepta de sus-
ceptione Baptismi, et de facienda confes-
sione, ac Communione sacra, de multis
quoque festis jejuniisque servandis, sint
a Christo seu ejus discipulis noviter in-
stituta. Sed S. Joannes jam loquitur de
principali præcepto, in quo cetera virtu-
aliter continentur, et ad quod finaliter
ordinantur, utpote de præcepto caritatis.
Ideo subditur : *sed mandatum vetus, quod
habuistis ab initio,* id est ab exordio quo
christiani estis effecti. Christus enim jus-
sit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto Matth. xxii, 37, 39, 40.
corde tuo, et proximum tuum sicut te
ipsum; in his duobus præceptis tota lex
pendet et Prophetæ. Præceptum autem di-
lectionis proximi, certum est ordinari ad
dilectionem Dei. Istud quoque mandatum
geminæ caritatis, est de naturalis dicta-
mine rationis, et ita fuit a principio gene-
ris humani naturaliter cordibus insitum.
Fuit etiam in lege scripta renovatum, ut-
pote in Deuteronomio, ubi legitur : Diliges Deut. vi, 5.
Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
etc. [et in Levitico]. Naturalis quoque di- Lev. xix, 18.
ctat ratio, ut homo proximum diligat,
quum similitudo sit causa amoris, et om- Eccli. xiii, 19.
ne animal diligat simile sibi. *Mandatum
vetus est verbum quod audistis,* id est,
antiquum præceptum caritatis est verbum
quod evangelizavimus vobis : quia hoc
verbum, Diliges Dominum Deum, etc., præ-
dicavimus vobis primo ac maxime obser-
vandum.

Iterum mandatum novum scribo vobis. 8
Videtur in verbis his contradictio esse.
Siquidem jam præmisit, Non mandatum
novum scribo vobis; nunc vero, Manda-
tum, inquit, novum scribo vobis. Respon-
detur, quod idem mandatum est vetus,
propter causam præhabitam; et novum,
quia in lege evangelica renovatum, et
clarius explanatum, spiritualisque inno-
vationis introductivum, de qua etiam ad
Ephesios præcipitur : Renovamini spiritu Ephes. iv, 23. 24.
mentis vestræ, et induite novum hominem
qui secundum Deum creatus est. Hinc
loquitur et Christus : Mandatum novum Joann. xiii, 34.
do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi
vos. Exposuit quoque Christus præceptum
istud apud Matthæum, dicendo : Audistis Matth. v, 43, 44.
quia dictum est antiquis : Diliges amicum
tuum, et odio habebis inimicum tuum.
Ego autem dico vobis : Diligite inimicos
vestros, etc.

Itaque, Mandatum novum scribo vobis,
quod verum est, id est, vere justum ve-

raciterque impletum est, *et in ipso* Chri- A
sto, qui præceptum caritatis perfectissime
adimplevit, quemadmodum protestatur :
Joann. xv, 13. Majorem hac dilectionem nemo habet,
quam ut animam suam ponat quis pro
Ibid. xiv, 31. amicis suis ; et rursus, Sicut mandatum
dedit mihi Pater, sic facio; *et in vobis,* id
est, vos quoque præceptum hoc caritatis
veraciter adimplestis, Deum totis aman-
do præcordiis, et proximos ut vos ipsos.
Vel quod ait, Quod verum est, et in ipso,
et in vobis, refertur ad illud quod præ-
misit, Mandatum novum, ut sit sensus : B
Mandatum hoc novum est vere, tam in
Christo quam in vobis : quoniam Christus
illud inaudita et incomparabili novitate,
ac recentissimo modo implevit, tam ex
Dei Patris ardentissima dilectione, quam
ex humani generis admirabili atque præ-
fervida caritate, amarissimam mortem fe-
rendo, non solummodo pro amicis, imo
etiam pro inimicis, juxta illud ad Roma-
Rom. v, 8, 9. nos : Commendat autem caritatem suam
in nobis Deus, quoniam quum adhuc ini-
mici essemus, Christus pro nobis mor- C
tuus est. Vos quoque insolita et nova per-
fectione implestis idem præceptum, multa
pro Deo et fide catholica sustinendo, aut
etiam evangelica observando consilia ex
caritate, desiderio obtinendi caritatem per-
Ephes. v, 2. fectam. Sicque implestis illud : Ambula-
te in dilectione, sicut et Christus dilexit
nos. Hinc subditur :

Quoniam tenebræ transierunt, id est,
infidelitatis ignorantia et vitiorum caligo
in vobis multisque aliis sunt exstinctæ :
quemadmodum quibusdam scripsit Pau- D
Ibid. 8. lus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc au-
tem lux in Domino; *et verum lumen jam
lucet,* id est, Christus qui secundum di-
vinitatem suam essentialiter lux est et
Joann. I, 9. veritas ipsa, juxta illud Joannis, Erat lux
vera : Christus, inquam, in mentibus ve-
stris nunc fulget, corda vestra illuminat,
et per Apostolorum ac aliorum discipu-
lorum prædicationem, homines hinc inde
innumerabiles docet, convertit, illustrat,
Act. xvii, 30. juxta illud Actuum : Tempora prioris igno-
rantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat
hominibus ut ubique pœnitentiam agant.
Unde per Isaiam Pater loquitur Christo :
Dedi te in fœdus populi, in lucem gen- *Is.* xlii, 6, 7.
tium, ut aperires oculos cæcorum. Et rur-
sus ab Isaia prædictum est : Populus qui *Ibid.* ix, 2.
sedebat in tenebris, vidit lucem magnam ;
atque in Psalmo, Exortum est in tenebris *Ps.* cxi, 4.
lumen rectis corde. — Vel sic : *Tenebræ
transierunt,* id est, obscuritas figurarum
veteris Testamenti, umbra legis, involu-
tio prophetalium visionum, finem nunc
acceperunt, *et verum lumen jam lucet,* id
est, evangelica veritas publice jam præ-
dicatur, in qua omnia illa exponuntur, et
esse impleta docentur. Propter quod fer-
tur in Joanne : Lex per Moysen data est, *Joann.* i, 17.
gratia et veritas per Jesum Christum facta
est. Paulus quoque apostolus ad Roma-
nos : Nox (inquit) præcessit, dies autem *Rom.* xiii, 12.
appropinquavit. Hinc Christus in cruce
morti jam proximus, dixit : Consumma- *Joann.* xix, 30.
tum est. Quumque inclinato capite spi-
ritum tradidisset, velum templi scissum *Matth.* xxvii, 51.
est. Ideo rursus Vas ait electionis : Quam- *II Cor.* iii, 15, 14.
diu legitur Moyses, velum super cor eo-
rum positum est (id est, obscuritas seu
occultatio veritatis in mentibus perfido-
rum permanet Judæorum), quod non eva-
cuatur, quia in Christo revelatur, id est
elucidatur.

Qui dicit se in luce esse, id est in splen- 9
dore gratiæ gratum facientis consistere,
in fide formata et veritate evangelicæ le-
gis manere ac vivere, *et fratrem suum,*
id est proximum quemcumque, sive ami-
cum sive inimicum, *odit; in tenebris est
usque adhuc.* Est enim in falsitatis cali-
gine, quia mentitur et errat circa notiti-
am veritatis; ac mortali subjacet culpæ,
quum odium sit mortale peccatum, pro-
pter quod cum caritate et gratia stare non
potest. Idcirco qui unum hominem odit,
nec Deum, neque se ipsum, nec aliquem
alium veraciter diligit. Sed impletur in
eo quod scriptum est : Qui diligit iniqui- *Ps.* x, 6.
tatem, odit animam suam.

Qui diligit fratrem suum, id est pro- 10

ximum, spirituali caritatis affectu, *in lumine manet,* id est in Christo ac gratia (A) ejus, secundum quod ipse monet : Dum (Joann. XII, 36.) lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis; *et scandalum in eo non est :* id est, nec alios scandalizat, quantum ad hoc quod diligit luminique inhæret, quum scandalum sit dictum aut factum minus rectum, alteri præbens occasionem ruinæ. Nec scandalizatur ab aliis secundum quod talis, sed constans manet in rectitudine et virtute, estque sollicitus servare unita- (Ephes. IV, 3.) tem spiritus in vinculo pacis, et imple- (B) tur in eo illud Psalmographi : Pax multa (Ps. CXVIII, 165.) diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. Hinc asserit Paulus ad Romanos : Si propter cibum frater tuus con- (Rom. XIV, 15.) tristatur, jam non secundum caritatem ambulas. Verumtamen non est sic intelligendum, quod omnis homo in caritate exsistens, sit tantæ perfectionis ut nec activum neque passivum scandalum in eo habeat locum, aut quod omnis in quo scandalum est, careat caritate, nisi agatur de scandalo illo quod est mortale pecca- (C) tum : sed ideo dicta sunt hæc, ut sciamus quid competat homini, in quantum caritati virtutibusque adhæret; quid item, in quantum inde deficit, aut aliqualiter elongatur, quia secundum hoc, scandalizat et scandalizatur.

Quocirca tangendum, quia ut in secunda secundæ Thomas declarat, scandalum passivum interdum est veniale peccatum, ut dum quis ex alterius dicto vel facto ad venialis peccati motum impingitur; quandoque mortale, ut si inde ad culpam ruat (D) mortalem. Similiter scandalum activum per accidens est veniale peccatum, quando quis actum venialis peccati, vel qui solum habet speciem mali, committit ; quandoque vero est mortale peccatum, vel quia mortale peccatum committit, aut quoniam proximi salutem contemnit, nolens propter eam omittere quod complacet sibi, et sine periculo potest dimittere. Porro scandalum activum per se ex intentione agentis, tunc exstat mortale, quando quis alium ad peccandum mortaliter conatur inducere; si vero ad veniale velit inducere, erit veniale peccatum.

11 *Qui autem odit fratrem suum,* juxta sensum præhabitum, *in tenebris est.* Omne enim peccatum est tenebræ, similiter omnis error et ignorantia, quum sint recessus a lumine sapientiæ ac puritate virtutum. Denique, in Scripturis per tenebras designantur interdum errores et vitia : sicut hoc loco; et secunda ad Corinthios, Quæ societas luci ad tenebras? (II Cor. VI, 14.) Atque in Psalmo, Fiat via illorum tenebræ et lubricum. (Ps. XXXIV, 6.) Interdum, per tenebras significatur temporalis adversitas, seu corporalis afflictio, seu quævis tribulatio magna : ut quum Isaias loquitur de se ipso, Tenebræ (Is. XXI, 4.) obstupefecerunt me; et Sophonias, Dies (Soph. I, 15.) iræ dies illa, dies tenebrarum et caliginis. Quandoque homines vitiosi : sicut in Joanne, Tenebræ eam non comprehenderunt; (Joann. I, 5.) et ad Ephesios, Non est nobis col- (Ephes. VI, 12.) luctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus rectores mundi tenebrarum harum. Aliquando dæmones : et sic accipi potest illud Lucæ, ubi ait Salvator, Hæc (Luc. XXII, 53.) est hora vestra et potestas tenebrarum. Nonnunquam infernus : ut quum de impiis dicitur, Projicientur in tenebras ex- (Matth. VIII, 12.) teriores. Interdum tenebræ accipiuntur in bono, puta pro superabundanti et invisibili abundantia lucis divinæ, juxta illud Psalmistæ : Posuit tenebras latibulum su- (Ps. XVII, 12.) um. Moyses quoque in Exodo legitur in- (Exod. XX, 21.) trasse caliginem in qua erat Deus. Similiter secundo Paralipomenon locutus est Salomon : Dominus dixit ut habitaret in (II Par. VI, 1.) caligine. Frequentius autem tenebræ accipiuntur in malo, videlicet pro erroribus et peccatis. De quibus subjungitur :

Et in tenebris ambulat, id est, vitiose vivit, et per errores ac vitia pergit ad inferni supplicia. Nec tamen rite advertit hoc ipsum, secundum quod subditur : *et nescit quo eat,* id est, quantam damnationem mereatur non pensat, et quantum propinquet gehennæ non intuetur, *quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus,* id

est, intellectum ejus atque memoriam errores et vitia impleverunt, ita quod nihil salubriter videt : sicut de talibus loquitur
Jer. IX, 22. Jeremias, Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. De quibus
Sap. II, 21. et alibi asseritur : Excæcavit eos malitia
Rom. I, 21. eorum ; et ad Romanos, Obscuratum est insipiens cor eorum. Hinc in Proverbiis
Prov. IV, 19. habetur : Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt. Et si objiciatur, quod quidam ex certa scientia peccant, qui peccando sciunt se cadere in foveam perditionis : respondetur, quod quamvis in generali atque informiter sciant hoc, non tamen cognitione formata. Propter quod, omnis peccans fertur ignorans. Et in Pro-
Ibid. XXI, 2. verbiis inducitur : Omnis via viri recta sibi videtur. Non enim malum nisi sub specie boni expetitur, quum bonum sit appetitus objectum.

Consequenter tangit S. Joannes distinctionem eorum quibus scribit, et causas diversas propter quas scripsit diversis.
12 *Scribo vobis, filioli.* Filios suos specialiter nominat, quos personaliter convertit, instruxit seu baptizavit, quemadmodum talibus loquitur Paulus, Galatis scribens :
Galat. IV, 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Corinthiis quo-
I Cor. IV, 15. que : In Christo (inquit) Jesu per Evangelium ego vos genui. Vel filios vocat pueros ac tenellos, in fide recentes. Itaque, Scribo vobis, filioli, *quoniam remittuntur vobis peccata* vestra *propter nomen ejus,* id est, virtute et merito Christi, atque per invocationem ipsius consecuti estis remissionem plenariam peccatorum vestrorum, primitus in Baptismo, deinde (si opus fuit) in Pœnitentiæ sacramento. Etenim ecclesiastica sacramenta, ut sæpe dictum est, virtutem et gratiam suam sortiuntur a merito Salvatoris.

13 *Scribo vobis, patres,* qui estis aliorum prælati, magistri aut superiores, *quoniam cognovistis eum qui ab initio est,* id est, Deum verum æternum, unum ac trinum præ ceteris nostis, ita quod doctiores sa- A pientioresque estis. Propter quod debetis alios informare, dirigere, corripere, castigare, et tanto virtuosiores exemplarioresque esse, quanto ex hoc major consequitur honor Dei, ac copiosior proximorum utilitas, quanto etiam peccata vestra vobis ipsis ac aliis gravius nocent. — *Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum,* id est diabolum, specialiter fornicationis spiritum, qui malo igne, hoc est concupiscentiæ flamma, accendere vos conatur : contra quem adolescentibus spe- B cialior pugna instat. Ideo isti magna laude fuerant digni, qui jam carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt. Galat. V, 24.

Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis Patrem, id est, Deum creatorem 14
jam per fidem aliqualiter cognovistis, cui quotidie dicitis : Pater noster, qui es in Matth. VI, 9.
cœlis. Hoc de infantibus aliqualiter jam adultis, et aliquid rationis participantibus, est intelligendum. Unde per Jeremiam loquitur Deus : Omnes cognoscent me, Jer. XXXI, 34.
a minimo eorum usque ad maximum. Vel C per infantes intelligit humiles : de quibus ait Propheta, Testimonium Domini fide- Ps. XVIII, 8.
le, sapientiam præstans parvulis ; et Salvator, Confiteor tibi, Pater, quia abscon- Matth. XI, 25.
disti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. De quibus Christus ait per Isaiam : Ecce ego et pueri mei. De Is. VIII, 18.
infantibus vero secundum primam expositionem, ait in Evangelio : Sinite parvu- Matth. XIX, 14.
los venire ad me ; talium est enim regnum cœlorum.

Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes D *estis,* id est corpore validi, atque per hoc ad exercitia virtuosa magis dispositi, *et verbum Dei in vobis manet,* id est, præceptorum documentorumque Dei habetis memoriam et affectum. Increatum etiam Verbum Dei, Unigenitus Patris, per caritatem et gratiam corda vestra inhabitat. *Et vicistis malignum,* id est, diabolo efficaciter restitistis ac prævaluistis, vitia illa vincendo ad quæ juvenilis ætas est pronior.

ARTICULUS III

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS HUJUS CAPITULI SECUNDI, AB ILLO LOCO : NOLITE DILIGERE MUNDUM.

POSTQUAM S. Joannes, distinctis per gradus ætatum hominibus, propter distinctas rationes se scripsisse testatus est; nunc ponit documenta moralia, quæ universis et singulis communiter scribit ac præcipit, quia ad cunctos pertinent Christianos.

Itaque ait : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in eo.* Quomodo intelligendum est hoc, quum non solum amicos ac virtuosos, sed etiam inimicos ac vitiosos jubemur diligere? (*Matth.* v, 44.) Et teste Apostolo, Omnis creatura Dei bona est; (I *Tim.* IV, 4.) imo teste Scriptura, Vidit Deus cuncta quæ fecit, et erant valde bona. (*Gen.* I, 31.) Diligit etiam Deus universa quæ condidit, et nihil odit eorum quæ fecit. (*Sap.* XI, 25.) Denique in mundo sunt multi justi, in mundo sunt animæ rationales, et nos omnes in mundo sumus, et omnia ista amare præcipimur. Quomodo igitur ait, Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt?

Est itaque advertendum, quod mundus in Scripturis, præsertim in evangelio S. Joannis, atque in ista ejus epistola variis modis accipitur : Primo, pro toto universo, sicut alibi idem Joannes : Mundus, inquit, per ipsum factus est. (*Joann.* I, 10.) Et Christus loquitur Deo Patri : Dilexisti me ante constitutionem mundi. (*Ibid.* XVII, 24.) Sic et apud Matthæum effatur : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. (*Matth.* XXV, 34.) Secundo accipitur mundus pro cunctis hominibus in terra morantibus, tam bonis quam malis, ut dum ad Corinthios loquitur Paulus : Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. (II *Cor.* V, 19.) Tertio, pro electis et bonis, juxta illud : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. (*Joann.* III, 16.) Quarto pro vitiosis ac reprobis, ut quum ait Deo Patri Salvator : Non pro mundo rogo. (*Ibid.* XVII, 9.) Quinto, pro creatura corporali sub orbe lunæ contenta, hoc est pro regione elementorum atque mixtorum. Juxta quem modum ait Philosophus: Oportet hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, ut tota virtus ejus inde gubernetur. Et isto modo loquuntur theologi de conflagratione mundi per ignem. Et beatissimus princeps Apostolorum asserit mundum diluvio inundatum perisse : (II *Petr.* III, 5, 6.) quamvis diluvium illud sphæram ignis elementaris non attigit. Sed nec ignis conflagrationis eam attinget ; sed ignis ille, ut dictum est, attinget aquam, terram et aerem, elementaque omnia. (*Ibid.* 10.) Sexto, pro habitabili terra, ut quum ait Salvator : Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo mundo. (*Matth.* XXIV, 14.) Sicque dicunt astronomi, quod minima stella visibilis, major est toto mundo. Septimo, pro vanitate et impietate mundana. Et ita nunc accipi potest.

Potest quoque nunc accipi pro carnalibus ac mundanis hominibus, de quibus fertur alio loco : Mundus eum non cognovit. (*Joann.* I, 10.) Qui quamvis sint diligendi quantum ad id quod habent et sunt a Deo, secundum quod etiam diliguntur ab eo; tamen in quantum vitiosi, odiendi sunt, non amandi, juxta illud : Iniquos odio habui ; (*Ps.* CXVIII, 113.) et, Perfecto odio oderam eos. (*Ps* CXXXVIII, 22.) Sic quippe et Deus odit eos, secundum illud Psalmistæ : Odisti omnes qui operantur iniquitatem ; (*Ps.* V, 7.) et illud Sapientiæ, Odio sunt Deo impius et impietas ejus. (*Sap.* XIV, 9.) Odit (inquam) eos

Deus, ut tales, secundum præsentem justitiam, quamvis multi hujusmodi sint electi et dilecti, secundum prædestinationem æternam.

Mundum ergo, id est mundanos et carnales homines, non diligamus ut tales, hoc est in quantum Deo ingrati sunt et rebelles, aliis quoque inexemplares, et nobis in via salutis contrarii, obstaculumque præbentes. Sic namque in Evangelio lo-
Luc. xiv, 26. quitur Christus : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios, etc., non potest meus esse discipulus. Insuper, non diligamus ea quæ in mundo sunt, id est vanitates et vitiositates mundanas, de quibus paulo post
vers. 16. subditur : Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, etc. Certum est autem quod si quis prætacto modo dilexerit mundum, non est caritas Dei Patris in eo. Sic enim diligere mundum, est carnalis, sensualis, vitiosa dilectio : de qua
II *Tim.* iii, 2. ad Timotheum loquitur Paulus, Erunt homines amantes se ipsos, elati, cupidi; quæ cum spirituali dilectione simul stare non valet, sicut per Isaiam asserit Spiritus
Is. xxviii, 20. Sanctus : Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, et duos capere simul non possit. Hoc etenim stratum, est fundus cordis humani, in quo pariter quiescere nequeunt amor mundi et amor Dei, carnalis affectio et spiritualis dilectio, sed alter alterum pellit. Hinc, ut supra jam
Jacob. iv, 4. patuit, Jacobus dixit apostolus : Amicitia hujus mundi, inimica est Deo : quicumque ergo voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur. Ideo ce-
Ps. lii, 6. cinit Psalmista : Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Paulus quoque :
Galat. i, 10. Si hominibus (inquit) placerem, Christi servus non essem. Unusquisque siquidem ei quem amat, cupit placere.

Denique ratio et quasi expositio prædi-
16 ctorum subjungitur. *Quoniam omne quod est in mundo,* id est, tota vitiorum congeries, in carnalibus ac mundanis exsistens hominibus, *concupiscentia carnis est, et* A *concupiscentia oculorum, et superbia vitæ,* id est triplex hæc inordinata affectio essentialiter aut reductive : quia hæc tria sunt quædam generales vitiorum radices, ad quas universa peccata quodammodo reducuntur.

Unde Beda hic scribit : His vitiorum vocabulis omnia vitiorum genera comprehenduntur. Concupiscentia namque carnis, est omne quod ad corporis voluptatem atque delicias pertinet : in quibus præcipua sunt cibus, potus, concubitus.
B De quibus Salomon ait : Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer. (*Prov.* xxx, 15.) Concupiscentia oculorum est omnis curiositas quæ fit in discendis nefariis artibus, in inspiciendis spectaculis turpibus, aut in accipiendis seu conservandis temporalibus rebus superfluis, aut observandis, cognoscendis seu accusandis vitiis proximorum. Superbia vitæ est, quum quis se jactat in honoribus. Per hæc tria homines tantum tentantur. Per hæc tria tentatus est Adam, et victus : per concupiscenti-
C am scilicet carnis, quum hostis cibum ligni vetitum ei monstravit, eumque ad consentiendum persuasit ; per concupiscentiam oculorum, quum dixit, Scientes (*Gen.* iii, 5.) bonum et malum, et, Aperientur oculi vestri; per superbiam vitæ, quum ait, Eritis sicut dii. (*Ibidem.*) Per hæc etiam tria Christus tentatus est, et vicit : per concupiscentiam carnis, quum Satanas dixit, Dic ut (*Matth.* iv, 3.) lapides isti panes fiant; per concupiscentiam oculorum, id est curiositatem, quando hostis suggessit, Mitte te deorsum ; per (*Ibid.* 6.)
D superbiam vitæ, quum dicere ausus est, Hæc omnia (scilicet mundi regna) tibi dabo, si cadens adoraveris me. (*Ibid.* 9.) Nempe, ut asserit Augustinus, ex cujus verbis præinducta Bedæ verba sunt sumpta, curiositas aliquando Dei famulos tentat, ut velint miracula facere et experiri an Deus exaudiat eos.

Itaque, ad concupiscentiam carnis pertinent joci, ludi, risus, dissolutiones, oscula et amplexus, comessationes, potationes, lascivi contactus, et cetera vitia gustus ac

tactus. Ad concupiscentiam oculorum pertinent cupiditas, avaritia, curiositas. Ad superbiam vitæ, ambitio sæculi, desiderium prælationis, excellentiæ appetitus, famæ, laudis, honoris inordinata affectio. Ut autem Gregorius docet, quatuor sunt species superbiæ. Prima est, dum quis bona quæ habet, se a Deo accepisse non recognoscit; secunda, dum credit suis meritis ea sibi esse collata; tertia, dum se jactat habere quod non habet; quarta, quando despectis aliis, singulariter vult videri.

Insuper, circa hunc locum scribit Albertus : Peccata distingui possunt tripliciter : primo, ex parte subjectorum in quibus sunt; secundo, ex parte objectorum circa quæ versantur; tertio, ex parte actionum quæ in eis concurrunt. Peccatum namque nil aliud est quam privatio quædam, aut actio quædam deformis. Quælibet autem actio potest tripliciter considerari : primo, per respectum ad suum subjectum ; secundo, per respectum ad suum objectum; tertio, secundum se, ut est actio habens deformitatem. — Ex parte igitur subjectorum, sunt tres prædictæ radices vitiorum. Nam concupiscentia oculorum videtur esse in appetitu rationali; concupiscentia carnis, in appetitu concupiscibili; superbia vitæ, in irascibili. — Secundo, peccata distinguuntur ex parte objectorum. Omnia enim peccata conveniunt in hoc, quod avertunt nos a summo et incommutabili bono, et convertunt nos ad bonum commutabile et caducum. Secundum hujusmodi autem aversionem et conversionem, possunt peccata distingui dupliciter, scilicet generaliter, et specialiter. Generaliter sic : quia (ut tactum est) omnia peccata conveniunt in hoc, quod a Deo avertunt, et faciunt nos eum contemnere. Et ut sic, accipitur unum vitium
Eccli. x, 15. capitale, quod est superbia, quia initium omnis peccati superbia est, ut dicitur in Ecclesiastico. Prout vero omnia peccata conveniunt in hoc, quod convertunt nos ad temporalia et caduca, accipitur aliud

A vitium capitale, quod est cupiditas, juxta illud primæ ad Timotheum : Radix omnium malorum est cupiditas. Sic superbia et avaritia accipiuntur ut sunt generalia peccata. Specialiter vero ex parte objectorum, distinguuntur peccata hoc modo : quia quicumque peccat, aut peccat commissione, aut omissione. Commissione potest quis peccare quatuor modis : primo, circa bonum honorabile, illud inordinate appetendo, et sic est inanis gloria; secundo, circa bonum utile, et sic est avaritia; B tertio, circa bonum delectabile : et hoc dupliciter : quia vel delectabile spectat ad gustum, et sic est gula; vel ad tactum, et sic est luxuria. Omissione peccatur tripliciter. Nam quilibet Christianus tenetur ad tria, videlicet : ad gratiarum actionem pro beneficiis a Deo receptis, et contra hoc peccat acedia; secundo, ad proximi dilectionem, et contra hanc peccat invidia; tertio, ad injuriæ relaxationem, contra quam peccat ira. Sic ergo accipitur distinctio septem peccatorum mortalium, C quæ et aliorum vitiorum radices vocantur. — Tertio, distinguuntur ex parte actionum, quæ in eis concurrunt. Quicumque etenim peccat, aut ideo peccat quoniam timet amittere aliquod bonum, et propterea inordinate se subjicit aliis, ne illud amittat; aut ideo peccat quia desiderat consequi aliquod bonum quo caret, et inflammatur ut illud obtineat. Hinc super illud in Psalmo, Incensa igne et suffossa, loquitur Augustinus, quod omnia nostra peccata procedunt vel ex timore male hu- D miliante, vel ex amore male inflammante. Hæc Albertus.

(I *Tim.* VI, 10.) (*Ps.* LXXIX, 17.)

Interdum etiam dicitur, quod omnium vitiorum origo et radix est improbus et privatus amor sui : et hoc ideo quoniam omnes affectiones ex amore originaliter profluunt. Sic itaque elucescit, qualiter secundum diversas considerationes sit una radix omnium vitiorum, videlicet amor improbus sui ipsius, et qualiter sint duæ vitiorum radices, puta superbia atque cupiditas; qualiter etiam sint aliæ duæ pec-

catorum radices, utpote amor male inflammans, et timor male humilians; et qualiter tres, videlicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi, sive superbia vitæ; et qualiter septem. Itaque, omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. — Quod etiam intelligi potest per modum hyperbolicæ locutionis, qua aliquid dicitur per excessum absque mendacio, ad insinuandum magnitudinem rei, sicut ad Joseph Pharao dixit : Absque oris tui imperio nullus movebit manum aut pedem in omni terra Ægypti. (Gen. XLI, 44.) Et ita S. Joannes nunc profert hæc verba, ad insinuandum quod hæc tria mala magis abundant in mundo. Et subdit :

Quæ triplex concupiscentia, vel, Quæ superbia vitæ, *non est ex Patre,* quantum ad suam deformitatem seu obliquitatem culpabilem, *sed ex mundo est,* id est ex inordinata voluntate, seu appetitu corrupto hominum mundanorum. Voluntas enim creata, in quantum ex nihilo est et defectiva in se, est prima peccati origo. Sic enim competit sibi ex se ipsa deficere et peccare. Si autem objiciatur quod omne esse et omnis actio sunt a Deo, ergo et vitiosæ actiones et pravæ concupiscentiæ, in quibus sunt reales et positivæ entitates, quæ a primo ente primordialiter manant : respondetur, quod talia sunt a Deo quantum ad entitatem exsistentem in eis, non quoad eorum deformitatem. Unde dici solet, quod sunt a Deo quantum ad substantiam actus, vel quantum ad suum materiale, non quantum ad suum formale, quæ est ipsa deordinatio actus, quæ non est aliquid positivum, sed privatio speciei, modi ac ordinis.

Si itaque cupimus in caritate proficere, et divino amore succendi, a prædicta triplici concupiscentia interiora nostra purgemus. Siquidem, quanto ab ea nos amplius emundamus, tanto in spirituali amore plenius crescimus, salubriusque proficimus. Idcirco ad nullam rem creatam, carnalem, sensibilem, aut caducam inordinate sive superflue afficiamur, sed ordinate dumtaxat et sapienter ac virtuose, utpote in quantum nobis necessaria utilisve consistit ad vitæ sustentaculum, ad Dei obsequium et honorem, ad spiritualem profectum, ad incrementum scientiæ ac virtutum, ad divini inflammationem amoris.

Et mundus transibit, vel, ut alii textus 17
habent, *transit.* Hoc multipliciter potest intelligi : Primo, quod per ignem conflagrationis purgabitur, atque ad meliorem dispositionem perducetur in die judicii, prout hoc diffuse expositum est secunda Petri. (II Petr. III, 10.) Secundo, quod mundus iste inferior, scilicet regio elementorum et mixtorum, in variatione consistit continua, et præterit in multis ejus figura, præsertim in generabilibus et corruptibilibus quoad se tota. Unde prima ad Corinthios dicitur : Qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes; præterit enim figura hujus mundi. (I Cor. VII, 31.) Tertio, quod mundus transit, id est, mundani vitiosique homines incessanter deficiunt, et ad mortem festinant, non solum ad mortem naturæ, sed etiam culpæ ac infernalis miseriæ. Unde et apud Sapientem fatentur : Umbræ transitus est tempus nostrum. (Sap. II, 5.) De quibus habetur in Psalmo : Tanquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident; (Ps. XXXVI, 2.) itemque : Quomodo facti sunt in desolationem? Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. (Ps. LXXII, 19.) *Et concupiscentia ejus,* id est, præfata triplex concupiscentia hominum mundanorum celeriter finem accipiet, quia simul cum impiis peribit, juxta illud Psalmistæ : Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. (Ps. CXLV, 4.) Hinc primo Machabæorum habetur : A verbis peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis; hodie extollitur, et cras non invenitur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. (I Mach. II, 62, 63.) Hinc ait Gregorius : Quia labenti mundo inhære-

mus, cum ipso cadimus, quem labentem tenemus. Et sicut qui rebus labentibus innititur, eis cadentibus labitur; sic qui rebus cœlestibus et æternis inhæret, cum eis perpetuo permanebit. Propter quod subditur : *Qui autem facit voluntatem Dei,* id est, Deo in cunctis obedit, *manet in æternum,* id est, spiritualem vitam nunquam amittet, quamvis corporaliter morietur : quia de vita gratiæ perducetur ad vitam gloriæ, et Deo unietur beatifice sine fine.

Non ergo mente inhæreamus rebus carnalibus, fallacibus et caducis, sed summo et invariabili bono, illud super omnia diligentes, fervide cupientes, reverenter colentes, et semper sperantes in ipso, ut cum Propheta dicere valeamus (*Ps.* LXI, 8.) : In Deo salutare meum et gloria mea, Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est; et iterum (*Ps.* LXXII, 28.), Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Alioqui cum insensatis amatoribus sæculi hujus damnati, sero dicemus illud Sapientiæ (*Sap.* v, 8, 9.) : Quid nobis profuit superbia ? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.

Consequenter armat ac roborat creden-
18 tes contra perfidorum fallacias. *Filioli*
mei, *novissima hora est,* id est ultima mundi ætas, durans a Christi adventu usque ad diem judicii. Quæ quamvis videatur diuturna, tamen comparatione durationis futuri sæculi, quasi brevissima hora est. Unde et Paulus fatetur (*I Cor.* x, 11.) : Nos sumus in quos fines sæculi devenerunt. Hinc in Scripturis veteris Testamenti tempus Christi et evangelicæ legis appellatur dies novissimus, ut quum Jacob patriarcha ait (*Gen.* XLIX, 1.) : Congregamini ut annuntiem vobis quæ ventura sunt vobis in novissimis diebus. Et quæ ibi prædicit, pro maxima parte ad primum Christi spectant adventum. Apud Joelem quoque, secundum antiquam translationem (qua in Actibus beatissimus utitur princeps Apostolorum), habetur (*Joel* II, 28; *Act.* II, 17.) : Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus; effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Quod in die Pentecostes sacratissimus Petrus impletum esse disseruit. Nec moveat quemquam, quod hæc ultima ætas mundi, præcedentibus mundi ætatibus est protractior, quum et ultima unius hominis ætas, frequenter diuturnior sit multis præcedentibus ætatibus ejus. Decentissimum quoque est, et ad præcipuam infinitæ misericordiæ Dei pertinet laudem, quod ætas ad tempus gratiæ legemque Christi pertinens consistat diffusior, ut plures in ea salventur, præsertim quum ætas ista sit præcedentium finis ætatum.

Insuper potest et ita exponi : Novissima hora est, id est, tempus quod circa mundi finem venturum est, persecutione Antichristi durante, nunc est per similitudinem seu conformitatem et æquivalentiam ac mysticam designationem. Juxta quem modum ait in Evangelio Christus (*Matth.* XI, 14.) : Si vultis scire, Joannes ipse est Elias. In Genesi quoque (*Gen.* XLIX, 9.) : Catulus leonis Juda. Tempore namque apostolicæ prædicationis, tanta fuit fidelium ab hæreticis et tyrannis afflictio, quod persecutionem Antichristi præfiguravit. Propter quod ad Thessalonicenses Paulus conscripsit (*II Thess.* II, 7.) : Mysterium jam operatur iniquitatis.

Et sicut audistis quia Antichristus venit. Hoc tripliciter potest intelligi. Primo sic : Sicut audistis a veris evangelicæ legis prædicatoribus, quod Antichristus suo tempore veniet. Habet namque S. Joannes frequenter talem modum loquendi, hoc est ponendi præsens pro futuro, ut quum in evangelio suo ait (*Joann.* XV, 6.) : Colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Secundo sic : Sicut audistis ab aliquibus, quantum ad hoc male opinantibus, quod Antichristus venit. Hoc namque ob causam prætactam aliqui tunc putabant, sicut et interim hoc frequenter putatum est. Tertio sic : Audistis veraciter quia venit Antichristus, jam non in propria persona, sed in figura, hoc est in aliquo impio eum præfigurante. Ac si dicat : Vere sic est. Nam subditur :

Nunc antichristi multi facti sunt, id est, propria libertate tam scelerati effecti sunt, ut rite antichristi, id est Christo valde contrarii, appellentur. Siquidem antichristus dicitur ab *anti,* quod est contra, et *Christus.* Tales fuerunt Ebion et Cerinthus ac Marcion impiissimi hæresiarchæ, qui adhuc vivente S. Joanne evangelista, surrexerunt in Asia ; sed et alii multi in diversis partibus mundi. Tales item fuerunt tyranni. Beda quoque hic ait : Qui catholicam fidem, quam verbis confitentur, perversis commaculant actibus, antichristi, id est Christo contrarii, nuncupantur. Et maxime qui alios scandalizant et trahunt ad vitia, atque salutem impediunt proximorum, antichristi merentur vocari. A quibus, teste Bernardo, graviorem Christus sustinet persecutionem, quam sustinuit a Judæis. *Unde scimus,* id est, ex isto cognoscimus, *quia novissima hora est,* id est, tempus Antichristi in fine mundi futurum, jam per similitudinem et æquivalentiam quamdam mysterialiter advenit, seu ultima mundi præsens est ætas. Unde prima ad Timotheum loquitur Paulus : In novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris. (1 Tim. iv, 1.)

19 *Ex nobis,* id est ex nostra collectione, *prodierunt,* quia ad tempus fuerunt nobiscum, et fideles, ut videbatur, exstiterant ; *sed non erant ex nobis,* id est, ad nostram societatem non pertinebant, secundum divinam prædestinationem, nec secundum fidei veræ constantiam. *Nam si fuissent ex nobis* modo præfato, utpote veri et constantes, ac prædestinati catholici, *permansissent utique nobiscum* in fide et ecclesiastica unitate. *Sed ut manifesti sint quia non sunt omnes ex nobis :* id est, ad hoc Deo disponente, eorum error innotuit, vel, idcirco ego Joannes hæc scribo, seu, ideo exierunt, ut manifestentur, et cognoscantur esse hæretici, non vere catholici, ne latendo diutius plures fallant Catholicos. In præsenti etenim vita bonis mali miscentur : sicut A in corpore animali, mali humores bonis miscentur humoribus. Et sicut corpus naturale purgatur ac relevatur dum mali ab eo expelluntur humores, sic mysticum corpus Ecclesiæ, dum vitiosi et reprobi separantur a veris et vivis membris ipsius. Hinc Christus comparat Ecclesiam sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. (Matth. xiii, 47.) In Cœna quoque novissima, proditore egresso, et filiis lucis secum manentibus, dixit : Nunc clarificatus est Filius hominis. (Joann. xiii, 31.)

B Introducto vituperio hæreticorum, tangit sanctus Apostolus præconium Catholicorum, quatenus opposita juxta se posita, clarius innotescant. 20 *Sed vos,* Catholici et constantes, *unctionem habetis a Sancto,* id est, illuminationem, consolationem, inflammationem accepistis a Deo, seu specialiter a Spiritu paracleto essentialiter sancto : qui varios effectus internos ac secretissimos per fidem et caritatem ac sapientiæ donum, aliaque gratiæ suæ charismata, in suorum operatur cordibus ele- C ctorum, per quæ eos in fideï veritate mirabiliter roborat, atque per gustum occultum, per supernaturales irradiationes, gratiosissimas visitationes, inflammationes cœlestes, admirabiles præventiones, per raptus et mysticas contemplationes, per exuberantissimas divinorum munerum adimpletiones, mentes electorum suorum in fidei sinceritate, in ecclesiastica unitate, immobiles ac certissimas reddit, ita ut per experientias supernaturales clarissime sciant, quod vera et sancta sit ca- D tholicæ militantis Ecclesiæ fides. Propter quod loquitur Christus : Spiritus Sanctus docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. (Ibid. xiv, 26.) Hinc subditur :

Et nostis omnia, non omnifarie omnia, sed omnem articulorum fidei veritatem, et cuncta necessaria ad salutem : juxta illud Joannis, Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. (Ibid. xvi, 13.) Unde et rursus Christus dixit Apostolis : Omnia quæcumque audivi a Patre meo, (Ibid. xv, 15.)

annuntiavi vobis. Porro unusquisque se- A
cundum exigentiam sui status seu gradus
sive officii, debet esse instructus. Hinc
II *Tim.* II, 7. Timotheo Paulus scripsit apostolus : Dabit
tibi Dominus de omnibus intellectum. Et
Jacob. I, 5. Jacobus ait : Si quis indiget sapientia,
postulet a Deo, qui dat omnibus affluen-
ter, et dabitur ei.

21 *Non scripsi vobis quasi ignorantibus*
veritatem Scripturæ et necessariorum sa-
luti, *sed quasi scientibus eam,* ut proficia-
tis in ea, et roboretur cor vestrum magis
ac magis in fidei theoria : quia ut in B
Prov. I, 5. Proverbiis habetur, Audiens sapiens, sa-
Ibid. IX, 9. pientior erit. Et rursus Salomon ait : Da
sapienti occasionem, et addetur ei sapi-
Rom. VII, 1. entia. Sic et Paulus apostolus : Scienti-
Ibid. XV, 15. bus, inquit, legem loquor; et denuo, Tan-
quam in memoriam vos reducens. Hoc
* [*et*] quoque vobis scientibus,* *quoniam omne*
mendacium ex veritate non est, id est,
nulla falsitas a summa Veritate processit :
ideo qui mentitur, quantum ad hoc, non
est ex Deo. Et qui fidei ac Scripturis aut
determinationi Ecclesiæ contradicit, a Deo C
aversus est, et falsitati subjectus, ejus-
Joann. VIII, 44. que filius de quo ait Salvator : Diabolus
in veritate non stetit, quia veritas non
est in eo; quum loquitur mendacium, ex
proprio loquitur, quia mendax est, et pa-
ter ejus, id est pater mendacii. Diabolus
ergo est origo mendacii : qui et angelis
Gen. III, 1-5. in cœlo, et protoplastis hominibus in pa-
radiso, impietatem et falsitatem sugges-
sit. Quemadmodum autem voluntas crea-
ta, in quantum ex nihilo et defectiva, est
peccati origo; sic intellectus creatus, in D
quantum defectivus et ex nihilo pro-
creatus, falsitatis origo censetur. Veritas
autem seu verum, secundum quod tale,
nequaquam mendacii causa seu fons est,
quum agens simile sibi producat.

22 *Quis est mendax,* mendacio superstitio-
nis et veræ religioni fideique contrario,
nisi is qui negat, quoniam Jesus non est
Christus, id est, propositionem hanc ne-
gativam, Jesus Nazarenus non est Christus
in lege et Prophetis prænuntiatus ac pro-
missus, concedit, seu veram esse affir-
mat? Quod autem iste sit sensus, et quod
ita hoc loco accipiatur verbum hoc, Ne-
gat, sequentia verba testantur. *Hic est*
Antichristus, id est infidelis Christo con-
trarius, *qui negat Patrem et Filium,* id
est, qui negat in divinis esse personam
Patris æterni, et personam unigeniti Filii
ejus. Hoc autem negat, qui negat Jesum
esse Christum. Nam Jesus in veritate est
Christus Filius Dei Patris, prout ipse per
Scripturas ac miracula demonstravit. Qui
autem negat Filium Dei, negat et Patrem
ipsius, quoniam Pater et Filius correla-
tiva dicuntur. Relativa autem sunt simul
natura. Nam uno posito, ponitur et al-
terum; et uno ablato, aufertur et alte-
rum. Pater quoque et Filius substantiali-
ter idem sunt. Idcirco uno negato, negatur
et alter. Iterum, Christus dicitur quasi
unctus : ita quod in nomine Christi in-
telligitur persona ungens, scilicet Pater;
persona uncta, videlicet Filius; ipsa quo-
que unctio, quæ est Spiritus Sanctus. Qui
itaque negat Christum unctum, negat et
Patrem ungentem, qui nomine Christi da-
tur intelligi. Hinc subditur :

Omnis qui negat Filium, nec Patrem 23
habet, id est, Deum esse Patrem non ad-
mittit, nec vere Deum habet quem co-
lat, id est, Deum non colit veraciter, sed
maxime derogat ei, cujus æternam genera-
tionem non credit. Idcirco loquitur Chri-
stus : Qui non honorificat Filium, non *Joann.* V, 23.
honorificat Patrem qui misit illum. Et
iterum ait Judæis incredulis : Est Pater *Ibid.* VIII, 54, 55.
meus, quem vos dicitis quia Deus vester
est, et non cognovistis eum. *Qui confi-*
tetur Filium, et Patrem habet, id est,
Patrem etiam confitetur, quum Filius re-
feratur ad Patrem, et talis colit ac fide
cognoscit Patrem.

Vos autem quod ab initio audistis, in 24
vobis permaneat, id est, fides et evan-
gelica doctrina, quam ab exordio vestræ
conversionis a me aliisque Christi præ-
dicatoribus didicistis, perseveret in cor-
dibus vestris. Beati enim qui audiunt ver- *Luc.* XI, 28.

bum Dei, et custodiunt illud. Unde Paulus A
Galat. I, 6. redarguit Galatas, eo quod non perseveraverunt in evangelica veritate, quam docuit eos.
Ibid. 8. Et addit, quod licet angelus eis annuntiaret oppositum, tanquam anathema illud arbitrarentur. *Si in vobis permanserit quod ab initio audistis,* id est, evangelicam doctrinam memoria et effectu servaveritis, credendo ac conversando juxta Christi doctrinam et jussionem, *et vos in Filio et Patre manebitis,* id est, Patri et Filio per fidem et caritatem ac obedientiam stabiliter adhærebitis, et eritis B Patri Filioque uniti, in via per gratiam, atque in patria per gloriam. Propter quod
Matth. VII, 24. Filius protestatur : Omnis qui audit verba mea et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram. Porro, Patre et Filio nominatis, intelligitur superdulcissimus Paracletus, adorandus Spiritus Sanctus, qui est Patris ac Filii nexus, amor et osculum, communeque germen et coæternum profluvium, secundum Didymum in libro de Spiritu Sancto. Quicumque enim ma- C net in una trium æternarum ac supervenerabilium Personarum, manet in omnibus tribus; et qui diligit colitque unam, amat et colit omnes.

Et quasi interrogaremus, quo fructu, quo præmio in Patre Filioque manebimus,
25 subdit : *Et hæc est repromissio,* id est res promissa, *quam ipse* Filius *pollicitus est nobis, vitam æternam,* id est, perpetuam felicitatem nobis pro mercede spopondit,
Ibid. 21. dicens : Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum; et rur- D
Joann. VI, 40. sus, Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam. Sed
Ibid. XVII, 1-3. et alibi clarius loquens ait : Pater, clarifica Filium tuum; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, etc.

26 *Hæc* quæ de antichristis jam natis dixi, *scripsi vobis de his qui seducunt vos,* ut eos vitetis, atque in fide et caritate ac conversatione integri maneatis. Seductores vero sunt, non solum hæretici, sed et omnes qui vitiosis exemplis, pravis suggestionibus, blandis promissionibus, aut comminationibus, seu alio quovis modo proximos suos decipiunt, sive ad perfidiam, sive ad quamcumque culpam, præsertim mortalem, eos trahendo. Quibus non sufficit damnatio propria, sed tanquam membra satellitesque diaboli, alios secum damnationi involvunt. De quibus loquitur Paulus : Impii proficient in pe- II Tim. III, 13.
jus, errantes et in errorem mittentes. Quibus timendum est quod ait Salvator : Væ Matth. XVIII, 7.
homini per quem scandalum venit.

Et vos unctionem quam accepistis ab 27
eo, id est præfata unctio Spiritus Sancti, gratia vobis ab eo infusa, caritas in cordibus vestris per Spiritum Sanctum dif- Rom. V, 5.
fusa, *maneat in vobis :* id est, animas vestras sollicite custodite, ne peccando excidatis a gratia. Propter quod Salomon cohortatur : Omni custodia custodi cor Prov. IV, 23.
tuum. Et propheta Michæas nos admonet ut cum Deo sollicite ambulemus. Paulus Mich. VI, 8.
quoque : Cum metu, inquit, et timore ac Philipp. II, 12.
tremore vestram salutem operamini. Nempe si fecerit homo quod in se est, Deus gratiam ei infundit, infusam custodit, custoditamque perficit. Nec superpiissimus Deus quemquam relinquit, nisi relinquatur prius ab eo. Propter quod in libro Job asseritur : Si direxerit homo ad Deum Job XXXIV, 14.
cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Primoque Regum Samuel monet : Præparate corda vestra Domino. Sa- I Reg. VII, 3.
lomon quoque : Hominis, inquit, est ani- Prov. XVI, 1.
mum præparare.

Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos : id est, tam gratiose Deus vos prævenit, tam copiose illuminat, ut non sit vobis necessaria instructio humana : quod fuit in istis privilegium speciale. Vel si istud intelligatur de cunctis bonis fidelibus dictum, sensus est, quod si fecerint quod in eis est, Deus eos sufficienter informabit, quamvis humana eis desit in-

structio, quæ tamen si adsit, non est despicienda. Nam Deus per angelos sanctos ac homines instruit plebem. *Sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus* pertinentibus ad salutem, *et verum est* quod docet unctio illa, quum sit directio optimi infallibilisque magistri, videlicet Spiritus Sancti, *et non est mendacium* in doctrina ipsius. Unde doctrinæ sacræ Scripturæ nequaquam miscetur mendacium, quemadmodum doctrinis philosophorum. *Et sicut docuit vos* per se ipsum, per angelicam inspirationem, et per nostram prædicationem, *manete in eo* per fidem, caritatem, et opera sancta. Propter quod ad Hebræos dicitur : Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Hoc est quod in Proverbiis scriptum est : Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ ; in omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. Hinc apud Job inducitur : Acquiesce Deo, et habeto pacem, et per hoc habebis fructus optimos. Hoc est quod Tobias docet : Omnibus diebus vitæ tuæ Deum in mente habeto, et cave ne aliquando peccato consentias.

Hebr. XIII, 9. — *Prov.* III, 5, 6. — *Job* XXII, 21. — *Tob.* IV, 6.

28 *Et nunc, filioli, manete in eo* constantes, ut nec prospera, nec adversa, nec mors, nec vita, nec dæmones, nec tyranni, neque carnales amici, sive propinqui aut socii, a Christo vos retrahant ; *ut quum apparuerit,* id est, suo tribunali fuerimus præsentati, sive in particulari, sive in generali judicio, *habeamus fiduciam,* id est conscientiam bonam et confidentiam ex ea nascentem. Conscientia etenim pura, salubrem gignit fiduciam, quemadmodum conscientia prava formidinem, juxta quod in libro Sapientiæ scribitur : Semper præsumit sæva perturbata conscientia. *Et non confundamur ab eo in adventu ejus,* id est, non reprobemur a Christo judice summo in suo ad nos adventu, per exsecutionem judicii : sive in morte, quum particulariter judicat quosque, atque per hoc spiritualiter seu per effectum suæ justitiæ venit ad eos ; sive in die novissimo, quando dictu-rus est reprobis, Ite, maledicti, in ignem æternum. Porro, qui deficit inter adversa, aut transgreditur Dei præcepta, qui adversarios odit, aut se ipsum ulciscitur, hunc Christus in judicio tam particulari quam universali confundet, quemadmodum in Evangelio protestatur : Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet quum venerit in majestate sua.

Sap. XVII, 10. — *Matth.* XXV, 41. — *Luc.* IX, 26.

29 *Si,* pro Quia, *scitis quia justus est, scitote quoniam et omnis qui facit justitiam,* id est actus infusæ justitiæ. Et potest hic sumi justitia, prout est virtus communis, ut justitiam facere asseratur, qui condignos pœnitentiæ fructus exercet, qui Deum cum debita reverentia colit, totoque corde amat, et cetera Dei observat præcepta. Talis *ex ipso natus est,* id est per gratiam gratum facientem spiritualiter generatus, utpote in esse supernaturali ad promerendum vitam æternam idoneo constitutus. Quotiescumque etenim quis peccat mortaliter, spiritualiter moritur, si fuit in gratia, quoniam spirituale esse gratiæ gratum facientis amittit. Et quotiescumque per pœnitentiam ad statum salutis per gratiæ recuperationem reducitur, toties ex Deo seu Christo renascitur. Verumtamen, quoniam quidam præsciti ad tempus per gratiam operantur justitiam, tales quamvis non sint ex Deo nati per prædestinationem, sunt tamen ex eo nati secundum præsentem justitiam. Postremo, justitia hominum quantumlibet perfectorum, in vita præsenti est plurimum imperfecta, et sæpe interrupta, multisque defectuositatibus mixta, variis culpis fuscata, et comparatione honorificentiæ qua Deus superdignissimus est, tam modica, imo magis tam nulla, ut Isaias testetur : Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. In Beatis vero, qui indesinenter totis viribus Deo intenti sunt, honorificentiamque impendunt, nec ulla culpa tanguntur, est suo modo perfecta justitia. Deus vero in infinitum honorabilior est, quam ab universis valeat honorari.

Is. LXIV, 6.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : VIDETE QUALEM CARITATEM, ETC.

SANCTUS Joannes præsenti capitulo Dei A beneficia ac promissa, atque moralia
1 documenta diffusius recitat, dicens : *Videte,* id est, fideliter advertite, acute pensate, *qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Hoc dupliciter potest exponi. Primo sic : Qualem caritatem dedit nobis Pater, id est, quam magnam suam erga nos dilectionem nobis ostendit, seu quantum se diligere nos monstravit, per hoc quod contulit nobis gratiam istam talem ac tantam, ut adoptivi filii ejus vocemur et simus. Est B enim consuetudo Scripturæ, ut aliquid dicatur fieri seu donari, quando ejus factio seu donatio innotescit seu manifestatur, quemadmodum post resurrectionem Christus disseruit, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : quæ utique potestas sibi ab incarnationis exordio fuit collata. (*Matth.* XXVIII, 18.) Sicque Deus Pater magnam caritatem nobis dedit, per hoc quod eximiam suam dilectionem nobis per Christum monstravit, in tantum quod per Christum ejusque discipulos protestatus est C nos esse adoptivos filios suos per fidem et caritatem. (*Rom.* VIII, 15.) Unde Salvator in Evangelio sæpius loquitur : Sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. (*Matth.* V, 45; *Luc.* VI, 35.) Atque ad Galatas fertur : Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. (*Galat.* III, 26.) Et alibi inducitur : Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. (*Joann.* I, 12.) Sicque per Deum Patrem hoc loco rite intelligitur Trinitas Deus, cui assidue dicimus : Pater noster, qui es in cœlis. (*Matth.* VI, 9.) Totius etenim superdignissimæ Trinitatis una est erga nos D dilectio, et una caritatis ad extra effusio, quoniam operatio ejus ad extra, est indivisa, quum trium superessentialium Personarum sit una essentia, eademque potestas.

Secundo exponitur sic : Videte qualem caritatem dedit nobis Deus, id est, quam sublimis, digna et efficax sit caritas ipsa infusa, virtus theologica, quam Deus per creationem nobis largitus est : cujus tanta est virtus ac eminentia, quod per eam potissime adoptivi filii Dei efficimur et vocamur. Propter quod loquitur Paulus : Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V, 5); et rursus : Non accepistis, inquit, spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). (*Ibid.* VIII, 15.) Hinc rursus hortatur : Imitatores Dei estote, sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. (*Ephes.* V, 1, 2.)

Propter hoc mundus non novit nos : id est, quia adoptivi filii Dei sumus per caritatem, per quam contemptis carnalibus ac terrenis, divina et æterna quærimus et amamus : idcirco carnales mundanique homines, per approbationem non noscunt nos ; imo quam vere virtuosa Deoque placita sit conversatio nostra, prorsus ignorant. Nam Paulo teste : Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei ; stultitia enim est illi, et non potest intelligere. (I *Cor.* II, 14.) Hinc tales, pravis et mundanis excæcati affectibus, perverse judicant de spiritualibus et devotis hominibus, eis præsertim quos vident abjecte vestitos, et eos derident, ac fatuos arbitrantur, quemadmodum quarto Regum principes, viso discipulo Elisei, dixerunt ad Jehu : Quid venit insanus iste ad te? (IV *Reg.* IX, 11.) Unde, ut Sapiens asserit, in fine dicturi sunt : Hi sunt quos aliquando habuimus in deri- (*Sap.* V, 3, 4.)

sum et in similitudinem improperii; nos A
insensati, vitam illorum æstimabamus in-
saniam. Idcirco autem mundus iste non
novit nos, *quia non novit eum,* id est
Deum Patrem, cujus filii sumus, quem
formata cognitione non noscit, juxta quod
Joann. XVII, 25. Christus contestatur : Pater juste, mundus
te non cognovit ; ego autem te cogno-
Tit. I, 16. vi. De talibus fertur ad Titum : Confi-
tentur se nosse Deum, factis autem ne-
gant, quum sint abominati et reprobi. Isti
quoque non considerant Deum ut appro-
batorem eorum qui mundo despecti sunt, B
neque ut datorem gratiæ ac virtutum in
præsenti, cœlestisque gloriæ in futuro,
sed carnalibus ac terrenis immersi sunt,
et talia appretiantur.
I Cor. I, 20. Unde, quemadmodum Deus stultam fe-
cit sapientiam hujus mundi ; ita et mun-
dus stultam reputat sapientiam Dei, id est
veram, infusam ac salutarem sapientiam,
qua homini solus Deus dulcescit, cuncta-
que transitoria et mundana vilescunt, sic-
ut nunc allegatum est inde verbum Pau-
Ibid. II, 14. li ad Corinthios dicentis : Animalis homo C
non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei ;
stultitia enim est illi, et non potest in-
Ibid. I, 18. telligere. Et iterum fatetur : Verbum cru-
cis pereuntibus quidem stultitia est. Salo-
Prov. XVIII, 2. mon quoque testatur : Non recipit stultus
verba prudentiæ. Sed et in Ecclesiastico
Eccli. XXI, 17. scriptum est : Cor fatui quasi vas con-
fractum, omnem sapientiam non tenebit.
Porro in Scripturis omnes iniqui vocan-
tur indocti et stulti. Est namque in eis
vitium puerilitatis, quod est stultitia, do-
no sapientiæ contraria : quoniam ista car- D
nalia et caduca summo et invariabili bono
donisque gratiæ ac virtutum præponunt,
et veram sapientiam detestantur. De qui-
Ibid. VI, 21. bus in Ecclesiastico habetur : Quam as-
pera nimis est indoctis hominibus sapi-
entia !
2 *Carissimi, nunc filii Dei sumus* per si-
militudinem caritatis et gratiæ. Filii uti-
que adoptivi, juxta illud ad Ephesios :
Ephes. I, 5. Deus prædestinavit nos in adoptionem fi-
liorum per Jesum Christum. Et denuo ad
Corinthios Paulus Scripturam allegat di-
centem : Immundum ne tetigeritis, et ego *II Cor.* VI, 17, 18.
recipiam vos, et ero vobis in patrem, et
vos eritis mihi in filios et filias, dicit Do-
minus omnipotens. In Deuteronomio quo-
que dicitur : Filii estote Domini Dei vestri. *Deut.* XIV, 1.
Et nondum apparuit quod erimus : id
est, excellentia quam in cœlesti beatitu-
dine adipiscemur, nondum innotuit aut
manifestata est, quia nec oculus vidit, nec *I Cor.* II, 9.
auris audivit, nec in cor hominis ascen-
derunt, quæ præparavit Deus suis electis.
Scimus quoniam quum apparuerit quod
erimus, id est, quum Deus manifeste per
effectum monstraverit illam beatitudinem,
eam nobis coram Sanctis omnibus con-
ferendo, nosque glorificatos monstrando ;
vel, Quum apparuerit, id est, Christus in
secundo adventu se manifestaverit ; *simi-
les ei erimus,* id est, Deo perfecte confor-
mabimur per dona gloriæ, cui et nunc
aliqualiter assimilamur per munera gra-
tiæ. Tunc enim per plenum ardentissi-
mumque amorem erimus in Deum inef-
fabiliter transformati, et quantum fieri
potest, in ipsum absorpti. Tamen et per
beatificam visionem assimilatio illa per-
agitur formaliter et directe. Propter quod
subditur : *quia videbimus eum sicuti est,*
id est clare per speciem, ita quod ipsam
superadorandæ Deitatis supersubstantia-
lem essentiam in se ipsa, per se ipsam,
clare et immediate conspiciemus.
Cognitio autem, secundum philosophos,
fit per assimilationem cognoscentis ad co-
gnitum, in quantum similitudo seu spe-
cies cogniti inest cognoscenti. Quumque
omnis forma creata a clara et immediata
repræsentatione divinæ essentiæ deficiat
infinite, constat quod divina essentia a
mente creata clare et immediate videri
non valeat per formam speciemve crea-
tam. Ideo ipsamet divina essentia unitur
mentibus Beatorum loco speciei et intel-
ligibilis formæ, ita quod ipsa est quod, et
quo, id est, quod videtur, et id quo fit
visio, seu objectum et species, sicut et
ipse Deus videt se per se, sic quod in ejus

æterna et increata sui ipsius intuitione A idem sunt objectum et species. Per hanc ergo beatificam visionem, claram et penitus supernaturalem Beati Deo perfectissime assimilantur, quum ipsa divina essentia eis tam ineffabiliter ac intime uniatur. 1 Cor. xiii, 9, 10, 12. Hinc ad Corinthios scriptum est : Ex parte cognoscimus ; quum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigmate ; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.

Hæc est admiranda, superpiissima, liberalissima communicatio beatitudinis, qua superbonus Deus beatitudinem suam immensam electis suis communicat, et vitam eorum suæ vitæ conformat, eosque plenam societatem secum facit habere : quoniam, sicut Deus clare et incessabiliter, summe et ardentissime contemplatur et amat se ipsum, ita et ipsi indesinenter, clare, ferventissime contemplantur et diligunt eum. Hinc ad Colossenses loquitur Coloss. iii, 3, 4. Paulus : Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo ; quum autem apparuerit Christus vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Nec his obstat Ps. lxxxviii, 7. illud in Psalmo : Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Domino in filiis Dei ? Hoc enim et quædam similia verba Scripturæ de similitudine æqualitatis intelliguntur, prout unigenitus naturalisque Filius Deo Patri similis perhibetur.

3 *Et omnis qui habet hanc spem in eo,* id est, qui auxilio gratiæ Dei confidit se ad prætactam visionem Dei beatificam perventurum, *sanctificat se,* id est, a vitiis se expurgat, ac virtuosis actibus se perornat, sciens se absque interna puritate ad tantam beatitudinem non posse pertin- Matth. v, 8. gere, quum dicat Salvator : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Pro- Hebr. xii, 14. pter quod ad Hebræos scribitur : Sanctimoniam sequimini, sine qua nemo Deum videbit. Itaque, Sanctificat se, *sicut et ille sanctus est,* id est, divinæ sanctitati se aliquo modo conformat, luci sapientiæ, et splendori virtutum, sanctisque actibus insistendo. Hinc in Levitico loquitur Deus : Nolite contaminare animas vestras : ego Lev. xi, 43, 44. enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. — Sed prædictis obviare videtur, quod multi æternam sperant felicitatem acquirere, et tamen vivunt inique. Respondetur, quod secundum Augustinum in Enchiridio, fides et spes possunt esse informes, non caritas. Idcirco S. Joannes nunc loquitur de spe formata. De qua etiam datur defi- B nitio illa communis : Spes est certa exspectatio futuræ felicitatis, ex gratia Dei et meritis propriis proveniens. In qua tamen definitione sumitur spes pro actu spei, non pro habitu. Unde et ipse interior actus spei formatæ est quædam sanctificatio hominis.

Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, id est, legem Dei transgreditur, quum peccatum sit transgressio legis divinæ et cœlestium inobedientia mandatorum : quod de mortali peccato est acci- 4
C piendum. Porro iniquitas, Beda attestante, Græce ἀνομία appellatur : quod designat quasi contra legem vel sine lege factum. Lex autem divina est æquitas ipsa. Sicque mortale peccatum est iniquitas, id est non æquitas, utpote violatio æquitatis. Propter quod ait Psalmista : Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ. Ps. cxviii, 119. Isaias quoque loquitur de injustis : Transgressi sunt Is. xxiv, 5. pactum, violaverunt jus, corruperunt fœdus sempiternum. Hinc subditur : *Et peccatum est iniquitas.*

D *Et scitis* per fidem, *quoniam ille,* utpote Christus, *apparuit,* id est, per assumptam humanitatem venit in mundum, *ut peccata tolleret,* id est, suæ sanctissimæ passionis merito pro peccatis humani generis satisfaceret. Christus quoque docendo atque sanctissime conversando, tulit et tollit peccata, impediendo ne fiant, seu homines a vitiis retrahendo, et formam vivendi ministrando, ac gratiam vitandi peccata nobis largissime promerendo. Per ecclesiastica etiam sacramenta a se insti- 5

tuta quotidie nostra aufert peccata. Idcirco ait de eo beatissimus ejus Baptista : *Joann.* I, 29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. De quo angelus dixit ad Joseph : *Matth.* I, 21. Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Unde apud Isaiam Deus Pater ait *Is.* LIII, 11. de homine Christo : In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Dicit autem Beda hoc loco : Christus tollit peccata, dimittendo quæ facta sunt, et adjuvando ne fiant, ac perducendo ad vitam beatam, ubi peccata nequaquam fieri possunt. *Et peccatum in eo non est,* nec unquam fuit, nec potuit esse : quia secundum quod Deus, essentialiter sanctus est ; secundum naturam vero assumptam, ab exordio incarnationis fuit excellentissime confirmatus in gratia, imo et comprehensor perfectus, quantum ad superiorem suæ animæ portionem, ad increatum objectum relatam.

6 *Omnis qui in eo manet* per fidem formatam seu caritatem, *non peccat :* quia in eo manendo, non peccat ; et in quantum in eo manet, et quamdiu in eo manet, non peccat, sed recedendo ab ipso, utpote ab illo se libere avertendo. Peccatum enim mortale et caritas, simul stare non queunt. *Et omnis qui peccat, non vidit eum nec novit eum,* id est, eo tempore seu momento quo peccat per omissionem debiti, vel commissionem illiciti, non videt Deum per fidem formatam, nec eum per donum sapientiæ intuetur, nec noscit eum formata ac salutari notitia. Hæc etenim simul in eodem esse non valent, quia contraria sunt. Nihilo minus qui in caritate est, potest peccare, et peccando caritatem amittere. Similiter qui nunc peccat, potest fuisse in caritate et gratia. Et ita nil prohibet, eum qui jam peccat, antequam peccat, Deum præfato modo vidisse ac cognovisse, ut patet de David et aliis justis, qui post magnam perfectionem collapsi sunt. Moyses quoque, qui (Augustino testante) Deum vidit per speciem in hac vita, sicut et Paulus, postmodum ad aquas Contradictionis peccavit *Num.* XX, 8-13. non modice.

Filioli, nemo vos seducat suggestione pestifera, argumentatione philosophica, pravo exemplo, blandis ac prosperis sive adversis, ut aliquid fidei contrarium sentiatis, aut quidquam divinæ legi repugnans agatis : sicut et Paulus hortatur, Nemo vos seducat per inanem philosophiam ; *Ephes.* V, 6 ; *Coloss.* II, 8. et rursus, Nolite seduci, Deus non irridetur. *Galat.* VI, 7. *Qui facit justitiam,* id est, opera justa exercet, *justus est :* quia non sufficit ad salutem, solam fidem aut justitiæ habitum solum habere, sed oportet in actum virtutum procedere, si adsit facultas. In actu enim consistunt meritum atque demeritum, actuique virtutis correspondet et redditur præmium. Imo fides sine operibus mortua est in semetipsa. *Jacob.* II, 17, 26. Propter quod sacratissimus Christi Præcursor testatur : Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. *Matth.* III, 10. Talis itaque justus est, *sicut et ille,* videlicet Christus, *justus est,* id est, Christi justitiam in aliquo imitatur, et Christi exemplo obedit divinis præceptis. Et sumitur hic justitia, prout est virtus communis, seu omnis virtus, quia per unamquamque virtutem homo se habet sicut tenetur aut decet. 7

Qui facit peccatum, ex diabolo est. Jam 8
supra dixit : Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. I *Joann.* I, 8. Et Salomon loquitur : Non est homo qui faciat bonum et non peccet ; III *Reg.* VIII, 46. et rursus, Justus septies cadit. *Prov.* XXIV, 16. Omnes ergo ex diabolo sumus, quia omnes peccamus quotidie. Denique multi electi ad tempus vivunt inique, qui tamen non videntur esse ex diabolo, quum sint prædestinati a Deo. — Et respondendum, quod omnis qui peccat, loquendo de mortali peccato, ex diabolo est, non corpus aut animam ab illo habendo, sed ejus pravitatem sequendo, aut ejus tentationi consentiendo, pertinendo quoque ad eum tanquam membrum ipsius atque mancipium. Propter

Sap. II, 24, 25. quod Sapiens asserit : Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum ; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Christus quoque obstinatis loquens Judæis : Vos, inquit, ex patre diabolo estis. Joann. VIII, 44. Itaque, Qui facit peccatum, in quantum hujusmodi, ex diabolo est per imitationem illicitam : et nihilo minus, si de electorum est numero, ex Deo est per prædestinationem æternam. Omnes autem ex Deo sunt per creationem. Præsciti vero qui ad tempus sunt justi, quamdiu in gratia sunt, ex Deo sunt secundum præsentem justitiam.

Cur demum peccans ex diabolo sit, subditur : *quoniam ab initio diabolus peccat* : quia a primo instanti quo fuit diabolus, id est ex angelo in diabolum propria iniquitate sponte mutatus, non cessavit peccare : sed et a principio mundi, et a suæ creationis exordio, peccavit usque in præsens. Non quod creatus sit malus, aut in primo instanti suæ productionis effectus sit malus : non enim peccavit in illo primo suæ creationis instanti. Dicitur tamen ab initio peccasse, quia permodica fuit mora inter creationem ejus et lapsum seu culpam. Imo aliqui dicunt, eum statim post primum instans suæ creationis peccasse. Unde et Salvator apud Joannem ait : Diabolus homicida erat ab initio. Ibidem. Quod exponitur, quoniam primos parentes seduxit, spiritualiterque occidit : quod tamen sexto factum est die. Gen. III, 1 et seq. De hac materia multas utiles quæstiones movet ac solvit Thomas in prima parte Summæ, quæstione 63, utpote : An angelus in primo instanti suæ creationis potuit esse malus; An aliqua mora fuit inter creationem ejus et lapsum, etc. Albertus quoque aliqua scribit inde hoc loco, et plenius super Sententias. Quæ, brevitati studens, dimitto.

In hoc apparuit Filius Dei, id est, ideo factus est homo, et venit in mundum, *ut dissolvat opera diaboli*, id est, vitia tollat, ab operibus tenebrarum homines revocet, tentamenta diaboli auferat, peccatores, secundum quod tales, dissipet, id est, salubriter destruat, exstinguendo in eis culpam, non naturam, ut jam de cetero non sint tales quales exstiterunt, juxta illud Proverbiorum : Verte impios, et non erunt. Prov. XII, 7.

9 *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*. Alio quoque loco habetur : Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Joann. I, 12, 13. Omnes ergo in Christum credentes, omnes regenerati ex aqua et Spiritu Sancto, ex Deo sunt nati, Ibid. III, 5. quoniam esse gratiæ gratum facientis ab ipso sortiti sunt. Ergo nullus eorum peccat, et ita qui habet caritatem, non potest eam amittere : quod stultum est dicere. Quid est ergo quod ait, Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit? Dicendum, juxta præhabita, quod sicut qui manet in Deo, non peccat, in quantum in Deo manet, ita qui ex Deo natus est, non facit peccatum, in quantum talis. Et quod ista sit mens S. Joannis, sequentia verba testantur. Nam subditur : *quoniam semen ipsius in eo manet*. Semen etenim Dei, est gratia ipsius seu caritas, ex qua tanquam ex semine omnis meritoria oritur actio. Caritas namque ceteris virtutibus præcipit, ita quod omnis meritoria actio est a caritate aut elicitive, aut imperative. Nam actus qui directe et immediate manant a caritate, dicuntur ab ea elicitive procedere, ceterarum vero actus virtutum, imperative. Iterum, sicut in semine tota moles fructus virtualiter continetur, ita in caritate ceteræ virtutes virtualiter sunt contentæ. Propter quod, Paulo testante, plenitudo legis est dilectio. Rom. XIII, 10. Ex gratia quoque virtutes et dona, quantum ad actus suos, pullulare dicuntur. Quia ergo hoc semen manet in renato, idcirco non peccat ut talis, neque semine hoc in eo manente, quia hoc semen et mortale peccatum non compatiuntur se mutuo. Hinc subditur :

Et non potest peccare, juxta sensum

præhabitum. Propositio quippe de possibili, potest poni in esse, inconveniente nullo sequente. *Quoniam ex Deo natus est*, id est, caritatem et gratiam, per quam fit spiritualis regeneratio, habet in se. Juxta quem sensum ait Salvator : Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. (*Matth.* vii, 18.) Juxta hunc modum, currens non potest quiescere, nec econtra. Hinc dialectici propositiones hujusmodi distinguunt penes sensum compositum et divisum, secundum quod extrema propositionum accipi possunt materialiter atque formaliter. Imo, et juxta hanc distinctionem necesse est multa in Scripturis et in dictis Sanctorum exponi : sicut quum dicitur, Justus non potest damnari; et, Impius non potest salvari; Qui se humiliat, exaltabitur; qui se exaltat, humiliabitur. (*Luc.* xiv, 11; xviii, 14.)

Verumtamen ea quæ dicta sunt, quidam ita exponunt : Qui natus est ex Deo, non peccat, id est, in peccatis non perseverat; et non potest peccare, id est in vitiis perseverare. Quæ utique expositio esset valde conveniens, si soli prædestinati dicerentur in Scripturis ex Deo renati : quod tamen omnino dici non posse, verba pandunt sequentia, quibus inter filios Dei et filios diaboli distinctio assignatur.

10 *In hoc*, id est, in eo quod sequitur, *manifesti sunt*, id est, evidenter inter se et ab invicem distinguuntur, *filii Dei, et filii diaboli*, id est homines virtuosi, qui sunt adoptivi filii Creatoris, et homines vitiosi, qui per imitationem pravitatis filii sunt diaboli. *Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum :* id est, quicumque injustus est, et quicumque proximos suos universos spirituali amore non diligit, iste non est natus ex Deo. Ex quo innotescit, quod exsistentes in caritate, sunt nati ex Deo; qui autem in mortali est vitio, præsertim in odio, non est natus ex Deo, nec filius Dei, sed est ex diabolo natus, ejusque filius. Et hoc intelligendum est de distinctione inter hos data secundum præsentem ju-

A stitiam, non secundum prædestinationem divinam, secundum quam multi reprobi justi sunt, et multi prædestinati injusti ad tempus.

Itaque, secundum præsentem justitiam, sola caritas inter filios Dei filiosque distinguit diaboli. Unde, secundum Augustinum, duo amores duas constituunt civitates : quoniam amor Dei, crescens usque ad contemptum sui, civitatem constituit Dei ; amor vero sui, utpote amor ad se reflexus, reprobus et privatus, civitatem B efficit Babylonis, et regnum diaboli. Verumtamen durante hac vita, fiunt quotidie de civibus Babylonis filiisque diaboli cives Dei et filii ejus, et econverso. Nullus vero civium filiorumque Dei secundum prædestinationem, fit aut invenitur finaliter civis Babylonis filiusve diaboli. Si enim prædestinatus est, ad tempus quidem errare potest, æternaliter vero perire non valet. Interim tamen ista non sunt ita intelligenda, quasi in vita præsenti possimus absque revelatione divina inter ju- C stos infusa justitia et injustos, hoc est inter exsistentes in caritate et alios, certitudinaliter in particulari discernere. Quum enim quisque de se ipso incertus sit an amore sit dignus an odio, (*Eccle.* ix, 1.) quanto magis de aliis ? præsertim quum dicat apostolus Paulus : Quid agatur in homine, nullus scit, nisi spiritus hominis. (I *Cor.* ii, 11.) Sed in generali manifesta est ista distinctio. In speciali vero manifesta esse potest probabiliter sive conjecturaliter : tantoque probabilius, quanto verisimiliora caritatis ac virtutum D opera sive indicia apparent in aliquo, et quanto probabiliora in aliquo apparent indicia vitiorum. Imo aliquem esse in mortali peccato, in multis casibus, tam ab eo quam ab aliis, certitudinaliter potest agnosci. Sed hoc manet sibi aliisque ignotum, an finaliter convertetur atque salvabitur, hoc est an prædestinatus exsistat.

Porro, quod caritas inter filios Dei filiosque secernat diaboli, docet S. Joannes, dicendo : *Quoniam hæc est annuntiatio*, id 11 est prædicatio, *quam audistis ab initio*,

id est, quam a me et ab aliis prædicato- A ribus evangelicæ legis ab exordio vestræ conversionis sumpsistis et percepistis, *ut diligatis alterutrum,* id est, invicem per infusum diligatis amorem, utpote pure ac spiritualiter, quatenus unus desideret salutem alterius, et cooperetur ei ad illam pro posse, orando, hortando, corripiendo et subveniendo. Hinc enim jussit Salva- (*Joann* XV, 12.) tor : Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Hinc ad (*Rom.* XIII, 8-10.) Romanos dicitur : Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis : qui enim B diligit proximum, legem adimplevit. Nam, (*Exod.* XX, 13-16.) Non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices ; et si quod est aliud mandatum, in hoc ver- (*Lev* XIX, 18.) bo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

Porro, ut verba hæc beatissimi Pauli apostoli clarius intelligantur, pensandum quod inter decem præcepta Decalogi, tria prima pertineant ad caritatem cultumque C Dei, videlicet unum credere ac colere Deum, nec vane aut inordinate jurare per ipsum, et dies celebrare festivos. Et tria hæc in præcepto dilectionis Dei specialiter continebantur. Alia septem præcepta pertinebant ad proximum, scilicet, honorare parentes, non occidere, non furari, etc. Et ita specialiter contenta erant et includebantur in præcepto dilectionis fraternæ. Hinc Christus disseruit, quod in (*Matth.* XXII, 40.) duobus caritatis præceptis tota lex pendet et Prophetæ. Sed quia caritas Dei et di- D lectio proximi inseparabiliter sunt connexæ, sacra Scriptura nunc in dilectione Dei, nunc in dilectione proximi, salutem nostram et summam legis divinæ constituit. Nihilo minus dilectio proximi et cuncta præcepta ad eam spectantia, in Dei dilectione virtualiter includuntur : nempe qui diligit Deum, ejus obedit præceptis, et per consequens diligit proximos, et præcepta ad proximi caritatem pertinentia implet, quia hoc Deus præcipit.

Ista ergo est præcipua annuntiatio seu doctrina, quam ab exordio instructionis ac conversionis vestræ audistis, ut diliga-
tis alterutrum ; *non sicut Cain,* id est, non 12
sitis, nec dolose diligatis, ut impius Cain, *qui ex maligno erat,* id est ex diabolo, quantum ad imitationem iniquitatis. Nam sicut diabolus primos parentes spiritualiter interfecit ex invidia, sic Cain fratrem suum justum Abel ex invidia trucidavit, sicut subjungitur, *et occidit fratrem suum :* sicut in Genesi describitur. *Et propter* (*Gen.* IV, 8.) *quid occidit eum?* id est, quid movit Cain ad fratricidium ? *Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus justa :* id est, opera Cain et opera sancti Abel erant contraria, prout hoc in Genesi plenius recitatur, ubi inter cetera legitur : Factum (*Ibid.* 3, 4.) est ut offerret Cain munera Domino de fructibus terræ, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et adipibus eorum, etc.

Circa quod dicunt expositores, quod Cain obtulit de vilioribus suæ substantiæ, Abel autem de melioribus. Idcirco Deus respe- (*Ibid* 4, 5.) xit ad Abel et ad munera ejus, quia ejus oblationes habebat acceptas ; non autem respexit ad Cain ejusque munera. Illum vero respectum seu acceptationem Deus, ut communiter dicitur, per signum visibile demonstravit : quoniam ipso Abel offerente, ignis de cœlo descendens, incendit atque consumpsit sacrificium ejus, sicut in libro Judicum de sacrificiis Gedeonis (*Judic.* VI, 21; XIII, 20; III *Reg.* XVIII, 38; II *Par.* VII, 1, *Lev* IX, 24.) ac Manue legitur, et tertio Regum de sacrificio Eliæ, atque secundo Paralipomenon de sacrificio Salomonis, in Levitico quoque de sacrificiis Aaron. Unde in Genesi, ubi nostra habet translatio, Respexit Deus ad Abel, etc., Theodotion transtulit, Inflammavit Deus super Abel, super Cain vero non inflammavit. Sacrificia demum quæ in lege naturæ et lege scripta offerebantur, non erant ex se ipsis Deo accepta, sed ex virtutibus ac devotione offerentium. Idcirco præallegato Genesis loco asseritur, quod primo Deus respexit ad Abel, deinde ad munera ejus. Quod autem ita

non adspexit ad Cain ejusque munera, A signum fuit malitiæ Cain. Quod Cain perpendens, et prosperitati sui fratris infeliciter invidens, ex rancore eum in agro peremit. Quemadmodum enim similitudo est, per se et directe loquendo, causa seu ratio unionis et complacentiæ ac amoris, sic dissimilitudo causa et ratio est aversionis, displicentiæ ac rancoris. Hinc sequitur :

13 *Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus,* id est carnalium et mundanorum hominum multitudo : quia justorum et talium mundanorum hominum desideria B et opera ex diametro inter se pugnant; et quæ carnales homines maxime cupiunt, spirituales homines aspernantur, mundanorum quoque hominum vitant consortia, et eorum studia reprehendunt. Non itaque mirum si odio habeantur a mundo. Hinc ait Salvator discipulis, et in eorum persona cunctis vere Christi fidelibus : Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego C elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. In Ecclesiastico quoque fertur : Sicut communicabit lupus cum agno aliquando, sic peccator justo. Quæ communicatio homini sancto ad canem?

Joann xv, 18, 19.

Eccli. xiii, 21, 22.

Verumtamen his objici potest, quod quidam valde mundani, videntur amare religiosos, humiles et abstractos : nam et vitam eorum extollunt, eos ad talis vitæ continuationem hortantur, atque eorum orationibus se commendant. Et respondendum, quod homines sæculares carna- D les, non sunt omnes æque in suis affectionibus judiciisque corrupti. Nunc autem de carnalibus ac mundanis hominibus secundum quod tales sunt, sermo est, non secundum quod aliquid spiritualitatis aut rectæ rationis participant. Quidam quoque mundani, quamvis propinquos suos religiosos aut virtuosos naturali aut sensuali ament affectu, vere tamen et spiritualiter odiunt eos, quoniam vellent eos non esse tales, et pro posse a tali conversatione ipsos avertunt. Porro nonnulli suis vitiis ita sunt involuti, cæcati et obstinati, ut religiosos ac virtuosos absolute odiant, persequantur, derideant, ac oblo-quendo dilanient ac diffament : quod prorsus diabolicum sceleratissimumque censetur.

Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, id est, de statu damnationis traducti sumus ad statum salutis, de morte culpæ ad vitam gratiæ, de filiis iræ facti sumus filii caritatis et pacis ; *quoniam diligimus fratres,* id est proximos universos spirituali amore : de quo asserit Dominus, In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Hæc namque dilectio cum mortali non potest esse peccato. *Qui non diligit* Deum et proximos spirituali dilectione, *manet in morte,* id est, mortali subjacet culpæ, quum careat caritate, quæ vita est animæ. De tali etenim morte ait Salvator in Evangelio : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos ; in Apocalypsi quoque, Nomen habes quod vivis, sed mortuus es. — Ex his jam sequi videtur, quod virtuosi sciant se translatos de morte ad vitam, et per consequens, quod in caritate exsistant. Respondetur, quod Apostoli certitudinaliter noverant se esse in caritate, ex divina revelatione : et quantum ad illos, verbum istud exponitur de certa scientia; quantum vero ad alios, de conjecturali probabilique notitia. 14

Joann. xiii, 35.

Matth. viii, 22.

Apoc. iii, 1.

Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, id est similis homicidæ. Vel homicida est voluntate, si cupit ejus mortem quem odit. Est etiam homicida dispositive, quoniam odium via est ad homicidium. Denique sanctus martyr, doctor et Pontifex summus, B. Clemens refert quemadmodum beatissimus Petrus dixit esse homicidium triplex : Unum corporale, quo esse naturæ aufertur. Aliud dixit esse detractionem, quo esse bonæ famæ tollitur, et homo in corde aliorum quodammodo moritur, dum de eo male sentitur. Ter- 15

tium dixit odium esse. Rursus dicitur aliquis homicida quatuor modis : primo provocatione, ut qui alium ad iram rixasque concitat, et per hoc ad homicidium cadit ; secundo, voluntate, ut qui mortem cupit alterius contra ordinem juris ; tertio, procuratione, ut qui alterius machinatur occisionem ; quarto, opere, ut qui realiter perimit per se ipsum. Iterum : Qui odit fratrem suum, homicida est, se ipsum in primis spiritualiter occidendo. Nam pravitas primo omnium proprium A lædit perimitque subjectum. *Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem*, id est, nullus aliquo præfatorum modorum homicida, habet vitam in se beatam. Imo miser et impius est spiritualiter mortuus, vita gratiæ destitutus, et vita gloriæ prorsus indignus ; nec Deum, qui est vita æterna, increata et superessentialis, habet in se manentem per fidem formatam, sed diabolum habet cor suum excæcantem ac possidentem, atque in eo regnantem.

ARTICULUS V

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI TERTII, AB ILLO LOCO : IN HOC COGNOVIMUS CARITATEM DEI.

QUONIAM, sicut prædictum est, tanta est odii gravitas, inducit S. Joannes ad fraternam dilectionem per caritatis
16 Christi commemorationem. *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille,* scilicet Dei Filius propter nos homo factus, *pro nobis animam suam posuit,* id est, pro nostra salvatione vitam suam corporalem morti exposuit, juxta illud Isaiæ :
Is. LIII, 12. Tradidit in mortem animam suam. Unde
Joann. X, 14, 15. et ipse protestatur : Ego sum pastor bonus, et animam meam pono pro ovibus meis. Porro, quod istud sit præcipuum caritatis opus atque indicium, ipse Chri-
Ibid. XV, 13. stus pandit : Majorem, inquiens, hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Et nos debemus pro fratribus animas ponere, id est, pro salute proximi debet unusquisque suam corporalem vitam exponere morti. Et hoc est de necessitate præcepti in certo casu, præsertim in necessitatis articulo : ut si quis cernat proximum suum periclitari in anima, nec aliunde sibi impendi auxilium, tenetur eum pro posse a periculo peccati mor- B talis eripere, quamvis sibi ex hoc mors corporalis certo immineat ; ut si quis videat quempiam ab infidelibus ad fidei denegationem compelli, et illum se ad iniquum consensum disponere, obligatur illum pro posse confortare in fide, martyriique constantia. Et ad hoc quilibet tenetur Christianus pro viribus suis ex ordine caritatis. Nam quilibet tenetur magis diligere proximum, quam proprium corpus : ideo pro proximi sui salute tenetur corpus suum dare in mortem in C casu præfato. Qui vero animarum curam habent, ad istud sublimius obligantur, ut scilicet gregem suum custodiant, informent, ac tueantur usque ad mortem inclusive, quandocumque imminet credito eis gregi periculum culpæ mortalis, seu corruptionis in fide aut moribus. Sed extra hos casus hæc facere, supererogationis esse censetur. Porro, secundum Augustinum, quatuor sunt diligenda ex caritate : et hoc, ordine quodam, ita quod primo summe et incomparabiliter amandus est D ex toto corde Deus ; deinde diligere debet homo se ipsum ; tertio, animam proxi-

mi ; quarto, proprium corpus. Ideo pro A salute animæ proximi, exponendum est proprium corpus in mortem. Deinde substantia communicanda est proximo, sicut subjungitur.

17 *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere,* id est proximum suum notabilem aut extremam indigentiam sustinere, *et clauserit viscera sua ab eo,* id est, caritatis et pietatis affectum non impendat ei, eleemosynam tribuendo. Sunt enim spiritualia animæ viscera, quæ sunt caritatis et B pietatis affectus : de quibus Philemoni
Philem. 20. scribens Paulus, Ego (inquit) te fruar in Domino, refice viscera mea in Christo. Quæ viscera etiam incommutabili ac supersimplicissimo Deo attribuuntur, juxta
Luc. I, 78. illud : Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. *Quomodo caritas Dei manet in eo?* quasi dicat : Non manet in homine tam immisericordi. Ex quo patet, quod in tali casu eleemosynam non conferre, sit peccatum mortale, et contra præceptum Chri- C
Ibid. VI, 36. sti, dicentis : Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est ; item-
Ibid. XI, 41. que, Quod superest, date eleemosynam.

Quocirca quæri potest, quomodo eleemosynam dare sit de necessitate præcepti, et quomodo de necessario sit eleemosyna facienda. Ad quod Thomas in secunda secundæ respondet : In præcepto largitionis eleemosynæ est aliquid considerandum ex parte dantis, et aliquid ex parte recipientis. Ex parte dantis considerandum est, ut id quod in eleemosynam dan- D dum est, sit ei superfluum, non solum quoad suam personam, sed etiam quantum ad sibi commissos. Ex parte vero recipientis pensandum, ut necessitatem habeat. Verumtamen, quum unus subvenire non valeat omnibus necessitatem habentibus, non omnis necessitas obligat, sed extrema. Sic itaque dare eleemosynam de superfluo ita accepto, est sub præcepto, et dare ei qui est in extrema necessitate. Quamvis autem temporalia bona sint possidentis, quantum ad proprietatem, tamen quoad usum, esse debent eorum qui de eorum superfluo indigent sustentari. Propter quod ait Basilius : Si fateris ea tibi divinitus provenisse, an injustus est Deus, res inæqualiter nobis distribuens? Cur tu abundas, et ille mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille autem patientiæ braviis decoretur ? Famelici panis est, quem tu detines ; nudi tunica, quam in conclavi conservas ; discalceati calceus, qui apud te marcescit ; indigentis pecunia, quam possides inhumatam. Quocirca tot injuriaris, quot dare valeres. — Est autem grande periculum his, qui quotidie variis ac pretiosis ciborum se replent generibus, et modica largiuntur pauperibus. Propter quod subditur :

Filioli mei, non diligamus verbo neque 18
lingua, id est, non verbis dumtaxat pulchris, blandis, dolosis, ostendamus nos diligere proximos nostros : quemadmodum a Jeremia quoque dicitur de quibusdam,
In ore suo pacem cum amico suo loqui- Jer. IX, 8.
tur, et occulte ponit ei insidias ; et in
Psalmo, Qui loquuntur pacem cum pro- Ps. XXVII, 3.
ximo suo, mala autem in cordibus eorum. *Sed opere,* id est, per actus virtuosos, pios et caritativos, demonstremus nos diligere proximos nostros, ut opera misericordiæ, tam corporalia quam spiritualia, eis impendamus pro viribus ; *et veritate,* id est, sincera et recta intentione hoc faciamus, non pro laude humana aut commodo temporali, sed ad Omnipotentis gloriam ac honorem. Propter quod ait Salvator :
Attendite, ne justitiam vestram faciatis Matth. VI, 1.
coram hominibus, ut videamini ab eis ; alioqui mercedem non habebitis apud Pa-
trem. Et rursus : Te, inquit, faciente elee- Ibid. 3.
mosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. — Sit ergo in corde pura et recta intentio, non fraus aut ulla nequitia, quum in Ecclesiastico scriptum
sit : Anima nequam disperdit illum qui Eccli. VI, 4.
habet illam, et in gaudium inimici sui dat illum. Sit quoque in ore sincera, non

fallax aut simulata locutio, quum in Proverbiis scriptum sit (Prov. xvii, 20) : Qui perversi cordis est, non inveniet bona ; et qui vertit linguam suam, incidet in malum. Sit item in opere fidelis subventio, quum ibidem Salomon contestetur (Ibid. 17) : Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur. Quod si quis non queat opere subvenire, debet animo condolere, et affectu supplere quod non potest in effectu peragere.

His itaque verbis hortatur S. Joannes fideles ad opera pietatis : quia ut iterum in Proverbiis habetur (Ibid. xxi, 13), Qui clauserit aures suas ad clamorem pauperum, clamabit et non exaudietur. In Ecclesiastico quoque præcipitur (Eccli. iv, 1, 3, 4) : Eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere ; cor inopis ne afflixeris, et ne protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abjicias, et ne avertas faciem tuam ab ullo egeno. Hinc Salomon ait (Prov. xi, 17) : Benefacit animæ suæ vir misericors ; et rursus (Ibid. xv, 27), Per misericordiam et fidem purgantur peccata. Sed et Dominus ait (Matth. v, 7) : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

19 *In hoc cognoscimus,* id est, per præfata caritatis pietatisque opera probabiliter scimus, *quoniam ex veritate sumus,* id est, ex Deo essentialiter vero ac veritate spiritualiter sumus renati, seu ejus gratiam gratum facientem adepti. Operatio namque arguit formam. Per eadem etiam opera scimus, quod *et in conspectu ejus suademus corda nostra,* id est, mentes nostras rationabiliter secundum doctrinam Scripturæ instruimus, intentionem dirigendo ad Deum, et ea cogitando ac mente revolvendo quæ sunt placita Deo. Sic enim debet unusquisque cor suum secundum Scripturæ doctrinam coram Deo suadere seu informare, ut universa quæ agit, ex rectæ rationis procedant judicio, et taliter fiant quod placeant Deo. De hac salubri suasione in Ecclesiastico inducitur (Eccli. xxxii, 24) : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis ; et Timotheo dicitur (I Tim. v, 21), Sine præjudicio (id est prævio judicio) nihil facias. Sic cor suum suadet, qui in summi Judicis præsentia se omnia agere indesinenterque esse perpendit, cum beatissimo dicens Elia (III Reg. xvii, 1; xviii, 15) : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie ; et cum Psalmista (Ps. xviii, 15), Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Quæ suasio quam fructuosa est, pandit idem dicendo (Ps. cxviii, 168) : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Hoc cordi suo suasit sanctus Job dicens (Job xxxi, 4) : Nonne Deus considerat viam meam, et omnes gressus meos dinumerat ?

20 Cur autem debeamus corda nostra sic suadere, subjungitur. *Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum,* id est, a propria conscientia redarguti fuerimus, eo quod non recta intentione prout Deus requirit, egerimus bona quæ egimus, *major est Deus corde nostro,* id est sapientior, potentior, atque in infinitum perfectior. In spiritualibus quippe idem est, esse majorem et meliorem seu perfectiorem. Hinc Eliu loquitur (Ibid. xxxii, 21) : Deum homini non æquabo ; et iterum (Ibid. xxxiii, 12; xxxv, 5) : Respondebo tibi, quod major sit Deus homine ; suspice æthera, quod altior te sit. *Et novit omnia :* idcirco cordis nostri secreta eum non valent latere. Propter quod debemus corda nostra coram eo sinceriter suadere, informare, dirigere, quum ipse per Jeremiam loquatur (Jer. xxix, 23) : Ego sum testis et judex. Cui Job vir sanctus fatetur (Job xlii, 2) : Scio, Domine, quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.

21 *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos,* id est, de malo, præsertim mortali peccato, sibi non fuerit conscium, post diligentem conscientiæ suæ discussionem : ita quod nunquam peccavimus mortaliter, vel de præteritis peccatis per veram contritionem, confessionem et satisfactionem sumus purgati, instar Pauli dicentis (I Cor. iv, 4) : Nihil mihi conscius sum ; et denuo (II Cor. i, 12), Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ ; *fiduciam habemus ad Deum,* id est, digne et efficaciter

in Deo confidere possumus ac debemus, tanquam adoptivi filii ac fideles ministri ipsius. Talium namque Christianorum spes ad Deum et in Deo, est spes formata ac salutaris, ex gratia Dei et bonis operibus
Is. XL, 31. prodiens. De qua loquitur Isaias : Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient.

22 *Et quidquid petierimus ab eo, accipiemus,* id est, quidquid ad salutem pertinens perseveranter rogaverimus Deum, accipiemus ab eo tempore opportuno. Nempe,
Luc. XVIII, 1. ut loquitur Dominus : Oportet semper ora-
Joann. XVI, 23. re, et non deficere. Et rursus ait : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. In nomine etenim Salvatoris, videlicet Christi, precatur, qui pertinentia ad salutem desuper obtinere conatur. Verumtamen Deus interdum differt petitionis impletionem, ut interim ferventius diutiusque orando, exuberantius exaudiamur tempore suo, et ne ex facilitate exauditionis parvi pendamus divina charismata, eademque perdamus, et per ingratitudinem ac recidivationem damnabiliores reddamur. Si ergo cupimus exaudiri, studeamus in primis vitam Deo placentem
Ibid. IX, 31. habere, quia ut fertur in Joanne : Peccatores Deus non audit ; sed si quis cultor est Dei, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. In Proverbiis quoque asseritur :
Prov. XXVIII, 9. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Hinc subditur : *quoniam mandata ejus custodimus, et,* pro id est, *ea quæ sunt placita coram eo,* id est opera Deo placentia, *facimus.* Ratio igitur exauditionis est virtuositas conversationis, seu observantia præcepto-
Ps. XXXIII, 16. rum. Ideo ait Propheta : Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eo-
Joann. XV, 7. rum. Et Christus loquitur : Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.

Et quasi quæreremus quæ sint Dei man-
23 data, adjecit : *Et hoc est mandatum ejus,* videlicet Dei Patris : *ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi,* id est in Christum Unigenitum Patris. Unde Christus ait Judæis : Hoc est opus Dei, ut cre- Joann. VI, 29.
datis in eum quem misit ille. Et rursus loquens discipulis : Creditis, inquit, in Ibid. XIV, 1.
Deum, et in me credite. Consequens etenim est ut qui credit in Deum, credat in Christum, quoniam Christus est verus Deus. Imo tota superdignissima Trinitas, sicut est una summa et incommutabilis veritas, ita est unum fidei objectum. Hinc alibi legitur : Qui non credit, jam judica- Ibid. III, 18.
tus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. *Et diligamus alterutrum,* puro, spirituali et infuso amore, qui caritas nuncupatur, quo Deus proximusque meritorie ac sincere diligitur : Deus, propter propriam bonitatem ; et proximus, propter Deum, utpote quoniam Deus hoc jussit, et quia ad Dei imaginem est pla- Gen. I, 27.
smatus, et propter adipiscendam beatitudinem, quæ objectaliter sumpta, Deus est, formaliter vero consistit in Deo, et quoniam Christi sanguine est redemptus ; *sicut dedit mandatum nobis,* dicendo : Diliges Matth. XXII, 39.
proximum tuum sicut te ipsum. Et rursus Christus disseruit : Hoc est præce- Joann. XV, 12.
ptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.

Qui servat mandata ejus, id est, caritatis impulsu omnia implet tempore congruo, quantum spectat ad ipsum et sibi possibile est : nempe, ut Jacobus dixit, 24
Quicumque totam legem impleverit, of- Jacob. II, 10.
fendat autem in uno, factus est omnium reus ; *in illo manet,* id est, Deo per caritatem unitus est, et in ipso tanquam in ultimo fine quiescit, atque per obedientiam ei adhæret ; *et ipse in eo,* id est, Deus etiam per fidem formatam et gratiam manet, habitat et quiescit in homine tali tanquam in throno ac templo, dicente apostolo Paulo : Templum Dei san- I Cor. III, 17.
ctum est, quod estis vos. Et iterum ait Scriptura : Anima justi sedes est sapien- Sap. VII, 27.
tiæ. Justus igitur et obediens manet in Deo, tanquam in adjutore et protectore ; Deus vero manet in eo, sicut in adjuto

et protecto, et velut in vase misericordiæ A suæ. Deus ergo sit nobis domus, nosque simus domus Dei ; maneamus in eo, et maneat ipse in nobis ; maneamus in eo ne corruamus, maneat in nobis ut nos
Prov. xviii, 10. conservet. Turris namque fortissima nomen Domini, ad ipsum currit justus, et exaltabitur, prout in Proverbiis habetur.
Ps. xxx, 3. Idcirco oravit Propheta : Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii, ut salvum me facias.

Et in hoc scimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis : id B est, per condonationem et infusionem Spiritus Sancti, quem Deus Pater nobis infudit ac dedit, et per liberalem elargitionem donorum Spiritus Sancti, agnoscimus Deum Patrem, imo et totam superaltissimam Trinitatem, habitare in nobis. Quod sancti Apostoli et alii multi in primitiva Ecclesia certitudinaliter cognoverunt, præsertim qui Spiritum Sanctum in signo Act. ii, 1-4. visibili acceperunt, et simul cum illo genera linguarum et alia diversa ac copiosa sumpserunt charismata. Alii vero fideles virtuosi, per dilectionem spiritualem, et præceptorum observantiam efficacem, probabiliter cognoverunt et noscunt quod in ipsis maneat Deus : quia ut Paulus fatetur, Caritas Dei diffusa est in cordibus Rom. v, 5. nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Qui rursus ad Titum loquitur : Apparuit benignitas Dei per renovationem Tit. iii, 4-6. Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde. Per hoc utique copiosissime et plenissime innotescit caritas increata Dei ad nos, caritasque creata infusa, per quam corda nostra inhabitat Deus.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : CARISSIMI, NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE.

CONSEQUENTER hortatur sanctus apo- C stolus Joannes fideles, ut fidei cognitione sint circumspecti, puri ac stabiles : quia in primitiva Ecclesia abundabant hæretici, Catholicorum fidem evertere multipliciter laborantes.

1 *Carissimi, nolite omni spiritui credere,* id est cunctis hominibus, seu universis spiritibus per eorum ora loquentibus, fidem præbere. Hoc enim periculosum, puerile et fatuum est, quum multi sint versipelles et callidi, majorque hominum pars sit iniqua, fallax ac reproba, per D quos etiam spiritus maligni frequenter loquuntur, inspirando et instigando illos ad verba pravissima. Hinc in Ecclesiasti-
Eccli. xix, 4. co fertur : Qui cito credit, levis est corde,
Ibid. xxxii, 26. et minorabitur ; et rursus, A filiis tuis
Prov. xiv, 15. cave, et a domesticis tuis attende. In Proverbiis quoque legitur : Innocens credit omni verbo ; astutus considerat gressus suos. *Sed probate spiritus si ex Deo sint,* id est, verba et facta eorum qui vobis loquuntur, sapienter discutite an rectæ fidei consonent, virtutibusque concordent, quatenus per hoc agnoscatis an ex Deo sint per imitationem veritatis atque virtutum ; *quoniam multi pseudoprophetæ,* id est hæretici et seductores, *exierunt in mundum,* id est, inter fideles se miscuerunt, et undique sunt diffusi, ac plurimos deceperunt. Propter quod Galatis scripsit Paulus : Miror quod tam cito trans- Galat. i, 6. ferimini in aliud evangelium ; et iterum Corinthiis : Timeo ne sicut serpens se- II Cor. xi, 3. duxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate quæ est in Christo Jesu.

In hoc quod subditur, *cognoscitur spi-* 2
ritus Dei, id est, scitur quod spiritus lo-

quens per hominem, sit spiritus fidelis ac bonus, ex Deo exsistens modo prætacto. *Omnis spiritus qui confitetur* confessione fidei formatæ, *Jesum Christum in carne venisse,* id est Verbum Patris æternum esse veraciter incarnatum, et in carne assumpta inter homines visum ac
Joann. I, 14. conversatum, juxta illud : Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; et Ba-
Baruch. III, 38. ruch, Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus ; *ex Deo est* per fidei veritatem ac gratiam, ita quod est vere fidelis, Deoque placitus, sicut et Pau-
Rom. X, 10. lus testatur : Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Propter quod in Evangelio loquitur Christus :
Matth. X, 32; Luc. XII, 8. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Hæc quippe confessio includit caritatem, et alia necessaria ad salutem. Hujus autem oppositum docuit Marcion hæresiarcha, et postmodum Manichæus, dicentes Christum non esse veraciter, sed phantastice incarnatum.

3 *Et omnis spiritus qui solvit Jesum Christum,* id est, qui aliquid dicit contrarium veræ fidei quæ habetur de Christo, ut Ebion et Cerinthus, Nestorius et Photinus, qui Christi deitatem negabant, *ex Deo non est* per imitationem veritatis, nec placet Deo, nec ex inspiratione divina est loquens. Schismatici quoque et impii Christiani, quantum in ipsis est, Christum solvunt, quoniam ejus justitiæ unitati seu ecclesiasticæ integritati et divinis præceptis repugnant. *Et hic est Antichristus,* id est, talis hæreticus et perversus Christo contrarius, Antichristique typus, dicitur antichristus per similitudinem et typicam præfigurationem, et quantum ad nominis interpretationem ; *de quo* Antichristo *audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est,* id est, Antichristum venisse audistis, et aliquo modo sic est.
In I Joann. II, 18. Istud supra tertio articulo præhabitum est, pleniusque expositum.

4 *Vos ex Deo estis* per spiritualem regenerationem, et veritatis ac bonitatis imitationem atque amorem (ut frequenter expositum est), *filioli, et vicistis eum,* videlicet Antichristum, seu mundum, id est, Antichristi erroribus mundique vitiis per veram fidem et sanctam dilectionem hucusque, Deo vos adjuvante, prævaluistis, *quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo,* id est, Deus seu Spiritus Sanctus per dona gratiæ suæ in vestris cordibus habitans, sapientior est atque potentior spiritu maligno, qui in mundanis regnat hominibus, et hæreticorum possidet corda.

Ipsi de mundo sunt, id est, hæretici ac 5
scelerati et reprobi, sunt de numero hominum mundanorum atque carnalium ; *ideo de mundo loquuntur,* id est de carnalibus deliciis, mundanis divitiis, temporali honore, ac proprio commodo. Sed et sapientium sæculi hujus, videlicet philosophorum et hæresiarcharum, dicta et scripta revolvunt, allegant, et per ea suos probant errores. Delectabilia quoque mundi et carnis concesserunt discipulis suis, ut plures per hoc sibi allicerent. Hinc Augustinus libro de Utilitate credendi : Hæreticus (inquit) est, qui alicujus commodi temporalis intuitu, et maxime gloriæ principatus sui gratia, falsos, recentes, fideique contrarios errores gignit aut sequitur. *Et mundus eos audit,* id est, mundani homines libenter audiunt tales, quia loquuntur eis placentia. De quibus ad Timotheum loquitur Paulus, quod ad II Tim. IV, 3, 4.
sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Unumquodque enim applaudit simili sibi. Ideo, sicut qui ex Deo est, ver- Joann. VIII, 47.
ba Dei audit ; ita qui ex diabolo et de mundo sunt, verba mundana atque vaniloquos hilariter audiunt. Imo et verba hujusmodi vana, erronea et lasciva libenter frequenterque proferunt : quia ut ait Salvator, Ex abundantia cordis os loquitur. Matth. XII, 34.
Juxta hunc modum asserit Dominus : Ego Joann. XVII, 14.
dedi eis (puta discipulis meis) sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia de

mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.

6 *Nos ex Deo sumus*, id est, nos fide et opere Christiani, ex Deo sumus per caritatem gratiamque renati. De quibus princeps Apostolorum locutus est (I *Petr.* II, 9.) : Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. *Qui novit Deum* agnitione formata per fidem vivam et sapientiæ donum, *audit nos,* id est, evangelicæ prædicationi intentus est et obedit. Est autem et quædam informis cognitio Dei, quæ est actus fidei nudæ, seu naturalis vel acquisitæ scientiæ : de qua Veritas protestatur (*Luc.* XII, 47.), Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis; et Paulus ad Titum (*Tit.* I, 16.), Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. *Qui non est ex Deo,* id est, qui non est per gratiam regeneratus ab eo, nec prædestinatus, *non audit nos,* id est, prædicationi nostræ non acquiescit finaliter, quamvis forsitan acquiescere videatur ad tempus. Unde locutus est Christus ad Patrem (*Joann.* XVII, 9, 6.) : Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo; et alibi (*Ibid.* X, 2, 3, 5.) : Qui intrat per ostium, pastor est ovium, et oves vocem ejus audiunt; alienum autem non sequuntur, quia non noverunt vocem alienorum.

In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris, id est, per id quod dixi, scilicet, per audire nos, et per non audire nos, discernimus inter spiritum vera docentem, et inter spiritum falsa docentem ; similiter inter discipulum seu auditorem veritatis, et inter discipulum seu auditores falsitatis : quia qui audit nos, bene docet, bene discit, et bene vivit ; idcirco in ipso est spiritus veritatis, sive per spiritum veritatis intelligatur Spiritus Sanctus, sive anima rationalis veritati inhærens atque obtemperans. Qui autem non audit nos, nec bene docet, nec bene discit, nec bene vivit; ideoque in eo est spiritus erroris, puta diabolus ad errorem instigans, de quo ad Corinthios conscriptum est (II *Cor.* IV, 4.) : Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi. Spiritus quoque erroris accipi potest anima errori subjecta. Denique qui catholice credunt, nec tamen obediunt Christo jubenti ut diligant inimicos, et odientibus benefaciant, injuriantibusque ignoscant (*Matth.* V, 44.), imo dicunt se hæc implere non posse, isti non audiunt Christum nec ejus Apostolos, estque in eis spiritus erroris, et ex diabolo sunt atque de mundo, imo infidelibus deteriores probantur, quoniam Domini sui voluntatem scientes, eam non exsequuntur.

Carissimi, diligamus invicem. Frequenter repetit istud : quia qui proximum diligit, legem implevit (*Rom.* XIII, 8.); et *quia caritas ex Deo est :* est enim virtus theologica, virtutum dignissima, a Deo per creationem infusa, et supernaturalis similitudo increati amoris, qui per appropriationem dicitur Spiritus Sanctus. *Et omnis qui diligit* Deum ac proximos, *ex Deo natus est,* quia per gratiam gratum facientem, in esse spirituali, deiformi, supernaturali, ad promerendum condigno, est constitutus. Caritas quoque est spiritualis et supernaturalis vita animæ, ac participatio admiranda divinæ increatæque vitæ. *Et cognoscit Deum* per fidem formatam et sapientiæ donum, quæ caritati in vita præsenti inseparabiliter sunt connexa. Imo quicumque habet caritatem, habet septem dona Spiritus Sancti secundum aliquem gradum ; et quanto plus crescit in caritate, tanto plus crescit in eis. 7

Qui non diligit spirituali amore, *non novit Deum* agnitione formata, salutari, meritoria jam præfata, *quoniam Deus caritas est.* Non pro eodem accipitur caritas modo, et paulo ante quando dictum est, Caritas ex Deo est. Ibi enim accipitur pro caritate creata infusa, hic vero pro caritate increata, quæ Deus est, qui dicitur caritas, sicut et sapientia. Nec credendum quod caritas qua immediate Deum et proximum diligimus, sit caritas increata, seu Spiritus Sanctus, sicut Magister Sententia- 8

rum putavit, in hoc ipso deceptus. Imo, A
sicut Deus perficit intellectum per habi-
tum fidei, hoc est per fidem habitualem,
sic perficit voluntatem per habitum cari-
tatis, et per habitum illum movet eam ad
meritorios actus.

9 *In hoc apparuit caritas Dei in nobis,*
id est, per beneficium istud inenarrabile
Deus Pater manifestavit increatam dilecti-
onem suam ad nos, seu quam vehementer
dilexerit nos. Deinde exprimitur benefi-
cium istud : *quoniam Filium suum uni-
genitum misit in hunc mundum,* id est, B
Baruch III, 38. incarnari et inter homines conversari vo-
luit, *ut vivamus per eum,* id est, merito
sanctissimæ conversationis ac acerbissi-
mæ passionis Christi mundemur a vitiis,
virtutibus impleamur, sicque per gratiam
in præsenti, et per gloriam in futuro, spi-
ritualiter, feliciter, æternaliterque viva-
Joann. X, 10. mus. Propter quod asserit Christus : Ego
veni, ut vitam habeant, et abundantius
habeant. Venit etiam Christus, ut per ejus
salutarem doctrinam et exemplarissimam
vitam vivamus, juxta eas jugiter conver- C
sando.

10 *In hoc est caritas,* id est, per hoc amor
Dei ad nos innotescit; *non quasi nos di-
lexerimus Deum,* antequam nos dilexit,
quia tunc amor Dei ad homines non vide-
retur pure gratuitus. Imo, quum amor Dei
æternus sit, et causa omnis boni creati,
non potuit amor hominis Dei prævenire
amorem, aut causare eumdem ; sed econ-
tra, æternus Dei amor prævenit nos. Pro-
pter quod subditur : *sed quoniam ipse
prior dilexit nos.* Diligere siquidem est D
alicui bonum velle. Quum ergo omne bo-
num naturæ, omne donum gratiæ, omne
munus gloriæ a divina fluat voluntate li-
bere operante, constat quod amor Dei in-
creatus sit causa effectiva totius boni cre-
ati. *Et misit Filium suum propitiationem
pro peccatis nostris,* id est satisfactorem
pro eis, et salvatorem humani generis.
Ibid. III, 16. Hinc alibi fertur : Sic Deus dilexit mun-
dum, ut Filium suum unigenitum daret,
ut omnis qui credit in ipsum non pereat,

sed habeat vitam æternam. Et Paulus :
Proprio, inquit, Filio non pepercit, sed *Rom.* VIII, 32.
pro omnibus nobis tradidit illum. Hæc est
misericordissima ac gratiosissima præven-
tio Dei, de qua ad Romanos inducitur :
Commendat caritatem suam in nobis Deus, *Ibid.* V, 8, 9.
quoniam quum adhuc peccatores esse-
mus, Christus pro nobis mortuus est.

Carissimi, si, pro quia, *sic Deus dilexit* 11
nos tam eminenter, ut dictum est, *et nos
debemus alterutrum diligere,* id est mu-
tuo caritative amare, conformando nos
Deo in hoc ipso pro posse; et quoniam
Deus id præcepit : cujus præcepto tanto
promptius obedire debemus, quanto gra-
tiosius nos prædilexit, et quo amplius non
pro suo commodo, sed nostra salute id
jussit. Si vero prædictis objiciatur, quod
Salvator testatur, Ipse (inquiens) Pater *Joann.* XVI, 27.
amat vos, quia vos me amatis : respon-
detur, quod conjunctio illa, Quia, dicit
ibi causam a posteriori, seu signum divini
amoris ad nos.

Deum nemo vidit unquam. Hoc idem 12
alio loco Joannes habet. Cui illud Job con- *Ibid.* I, 18.
trariari videtur : Omnes homines vident *Job* XXXVI, 25.
Deum. Christus quoque ait Philippo apo-
stolo : Qui videt me, videt et Patrem. Sed *Joann.* XIV, 9.
Apostoli viderunt Christum, ergo et Pa-
trem. Præterea, secundum Augustinum su-
per Genesim et in libro de Videndo Deum,
Moyses magister Judæorum et Paulus gen- *Exod.* XXXIII, 11 *et seq.*
tium doctor, viderunt Deum in hac vita
per speciem. *II Cor.* XII, 1-4.

Respondetur, quod multiplex est visio,
utpote : corporalis, secundum quam Deus
nequaquam visibilis est in suæ deitatis
natura, quæ est superpurissima et super-
simplicissima in infinitum præ omni men-
te creata. — Secunda est visio imagi-
naria, qua sancti Prophetæ Deum vidisse
leguntur. Non utique in suæ deitatis es-
sentia, quæ omnem imaginem interiorem-
que sensum infinite transcendit, sed in
subjecta creatura, forma seu specie intel-
ligendi sunt Deum vidisse. Nam et Jacob
patriarcha angelo viso dixit : Vidi Domi- *Gen.* XXXII, 30.
num facie ad faciem. — Tertia est visio

intellectualis, et ista est multiplex. Nam A quædam est a posteriori, et cognitio rei quantum ad quia est. Sicque Deum in vita ista intellectu videmus, tam per fidem quoad ea quæ naturalem rationem excedunt, ut est trinitas Personarum, quam per naturalem philosophicamque scientiam, quantum ad ea quæ per naturalem possunt rationem cognosci, ut quod unus est verus et summus Deus, perfectus, æternus, omnium causa, etc. Alia est visio intellectualis a priori, seu cognitio ac intuitio rei in se ipsa, et quantum ad quid B est. Et hæc rursus est duplex :

Una, qua res tam perfecte cognoscitur sicut ex sua natura cognoscibilis exsistit, quæ cognitio proprie comprehensiva vocatur. Sicque a nullo creato intellectu Deus videri potest, etiam nec ab anima Christi. Imo hoc modo sibi soli visibilis ac comprehensibilis est Deus, quum ipse sit infinitæ actualitatis et intelligibilitatis : propter quod a solo intellectu infinitæ capacitatis et perspicacitatis hoc modo visibilis comprehensibilisque consistit. Unde C hoc modo unaquæque divina et increata Persona, se ipsam et aliam quamlibet videt et comprehendit. Infinitum autem, a finito sic videri comprehendique nequit : quia quod ita videtur, totum ac totaliter intra videntis terminos continetur, nec ejus capacitatem transcendit. — Porro alia est visio intellectualis, quantum ad quid est, qua licet res in se ipsa clare ac immediate conspicitur, non tamen plene comprehenditur, quia non tam perfecte cognoscitur sicut ex sua natura cognoscibilis D est. Sicque Beati in patria vident Deum : quæ visio, extensive loquendo, comprehensio appellatur : unde Beati comprehensores dicuntur. Sic autem nullus potest in hac vita Deum videre, vivendo vita sensitiva humana. Propter quod Deus ait ad Moysen : Non videbit me homo, et vivet. *Exod. XXXIII, 20.* Idcirco, hi quibus in sæculo isto datum est supernaturaliter per omnipotentiam Creatoris Deum videre hoc modo per speciem sive essentiam, pro illo tempore seu momento non erant viventes vita sensitiva humana, sed intellectuali dumtaxat atque divina. Erant enim in maxima abstractione ab omni virium inferiorum actu, penitus mente suspensi ad Deum. Nec potest Deus ita videri per intelligibilem formam creatam, quoniam omnis talis forma seu species, a clara et immediata repræsentatione divinæ essentiæ deficit infinite. Propterea in tali visione, divina essentia menti creatæ unitur loco intelligibilis formæ; non tamen per inhæsionem, sed cohæsionem et repræsentationem.

Sic igitur Deum nemo vidit unquam. Nihilo minus *si diligamus invicem* spirituali, non carnali amore, *Deus in nobis manet,* quia per fidem formatam, caritatem infusam, et gratiam gratum facientem, animas nostras inhabitat, *et caritas ejus in nobis perfecta est,* quantum ad ea quæ sunt de necessitate salutis : prout istud supra plenius fuit expositum. In I Joann. II. 5.

13 *In hoc intelligimus* quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* *cognoscimus Hoc est quod in fine præcedentis capituli dictum est atque expositum. Ibi etenim dictum est : In hoc *Ibid.* III, 24. scimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis. Dicitur autem Deus Pater dedisse Apostolis ceterisque fidelibus de Spiritu Sancto, non quod partem Spiritus Sancti, qui simplex et indivisibilis est, eis contulerit, sed quia diversa charismata de Spiritu Sancto manantia, eis largitus est. Juxta quem modum Deus dixit ad Moysen : Auferam de spiritu qui *Num.* XI, 17. in te est, et dabo senioribus, etc. Præterea, si probabiliter cognoscere cupimus an Spiritum Sanctum per gratiam habeamus, interiora nostra examinemus : an divina impleamus præcepta, an universa vitemus peccata mortalia, an inimicos quoque cordialiter diligamus, an coram Deo timorate nos jugiter habeamus, si caritatis accendamur affectibus, et zelo divini honoris atque communis universorum salutis, carnalia et terrena despicientes.

14 *Et nos vidimus et testificamur quoni-*

am Pater misit Filium suum salvatorem A
mundi. Gloriosi namque Apostoli corporalibus oculis Christum Dei Filium inter homines conversantem viderunt, ejusque deitatem per fidem aliquo modo noverunt, sed et per miracula et varios supernaturales effectus. Quibus locutus est
Luc. x, 23. Christus : Beati oculi qui vident quæ vos
Joann. XIX, 35. videtis. Beatissimus quoque Joannes Christi interfuit passioni, idcirco de omnibus istis potuit testimonium ferre. Unde Chri-
Ibid. XV, 27. stus Apostolis loquens : Et vos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio B
mecum estis. Denique Christo secundum utramque naturam competit esse mundi salvatorem : quia secundum deitatem competit ei, tanquam efficienti et principali causæ salutis, qui solus efficienter et per creationem dona gratiæ in præsenti largitur, et dona gloriæ in patria impertitur.
Is. XLV, 21. Idcirco apud Isaiam testatur : Deus justus et salvans non est præter me. In Osee quo-
Osee XIII, 4. que : Ego Dominus Deus tuus, et salvator non est præter me. Secundum humanitatem vero assumptam convenit Christo es- C
se humani generis salvatorem, tanquam mediatori et satisfactori, et tanquam instrumentali ac meritoriæ causæ : quoniam suæ sanctissimæ conversationis passionisque merito, pro peccatis omnium satisfecit, Deum placavit, ei genus reconciliavit humanum, et gratiam ac salutem promeruit nobis. Propter quod scriptum est :
Joann. III, 17. Non misit Deus Filium suum, ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum.

15 *Quisquis confessus fuerit quoniam Je-* D
sus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Simile huic est quod asserit
Marc. XVI, 16. Christus : Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Et sicut illud de fide formata, sic istud de actu hujusmodi fidei est intelligendum. Quemadmodum enim duplex est fides, informis scilicet et formata, sic duplex est confessio fidei. Insuper de triplici confessione fit mentio in Scripturis. Una est actus pœnitentiæ, et vocatur confessio propriæ culpæ : de qua

Jacobus, Confitemini, inquit, alterutrum *Jacob.* v, 16.
peccata vestra. Secunda est actus latriæ, et vocatur confessio laudis divinæ : de qua Christus ait, Confiteor tibi, Pater, Do- *Matth.* XI, 25.
mine cœli et terræ. Tertia est actus fidei : de qua agitur modo, et vocatur confessio credendorum. De qua Paulus ait apostolus : Corde creditur ad justitiam, ore au- *Rom.* x, 10.
tem confessio fit ad salutem. Qui itaque confessione fidei formatæ, seu per dilectionem operantis, confitetur quod Jesus est unigenitus, naturalis æternusque Filius Dei Patris, Patri consubstantialis et coæqualis, Deus Trinitas manet in eo per gratiam, et ipse in Deo per fidem et subjectionem salubrem. Unde ad insinuandum inenarrabilitatem et æqualitatem Filii Dei ac Patris sui æterni, Salomon ait : Quod nomen ejus, et quod nomen filii *Prov.* XXX, 4.
ejus, si nosti ?

Et nos cognovimus quod Pater misit Fi- 16
lium suum salvatorem mundi. Ad quod præfigurandum, Joseph, qui fuit in multis evidens Christi figura, vocatus est a Pha- *Gen.* XLI, 45.
raone Salvator mundi. *Et credimus caritati quam habet Deus in nobis,* id est, verum credimus, quod Deus Pater tantam ad nos habeat caritatem, quod Filium suum propter nos misit in mundum, et tanta nobis per eum beneficia est largitus, tamque copiose et multipliciter dilectionem suam nobis ostendit : per quem et adoptavit nos sibi in filios, juxta illud ad Ephesios, Deus prædestinavit nos in ado- *Ephes.* I, 5.
ptionem filiorum per Jesum Christum ; voluitque unigenitum Filium suum pro adoptivorum filiorum mori salute, quemadmodum ad Hebræos habetur : Decebat *Hebr.* II, 10.
eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passiones consummari.

Amplius, discipulus iste quem diligebat *Joann.* XIX, 26; XXI, 7.
Jesus, caritatis visceribus totus perefflu-
ens et succensus, caritatem in ista epistola non cessat repetitis vicibus commendare, atque ad eam nos exhortari. Unde et consequenter eam in tantum collaudat,

ut dicat : *Deus caritas est* : quod paulo A
vers. 8. ante expositum est. Denique, teste Anselmo, quidquid absolute loquendo melius est inesse seu haberi quam deesse, hoc convenit Deo, et est ipsemet Deus, omni tamen imperfectione, quam habet in rebus creatis, exclusa. Caritas autem, virtus, sanctitas, sapientia, scientia, pulchritudo, dulcedo, felicitas, et consimilia, sunt hujusmodi : ideo competunt Deo, et prædicantur de eo ; non autem fides, spes, opinio, etc., quia in sua ratione imperfectionem includunt. Deus ergo est caritas, B id est pura et superessentialis dilectio. Diligit enim in primis se ipsum, deinde et alia, in quantum aliquid suæ bonitatis par-
Sap. XI, 25. ticipant. Cui Sapiens dicit : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Suntque idem in Deo diligens, dilectio et dilectum, et voluntas, cui dilectio competit. Caritas quoque secundum se, est nomen absolutum et essentiale, toti supergloriosissimæ Trinitati et unicuique increatæ Personæ conveniens, ita quod tota Trinitas adoranda, est una caritas, sicut C
I Cor. I, 24. et una sapientia. Nihilo minus, sicut sapientia appropriatur Filio, quia est emanatio intellectus, id est verbum ab intellectu procedens : propter quod ea quæ ad intellectum pertinent, ei appropriantur aut propria sunt, utpote ars, sapientia, verbum, exemplar, idea, splendor, imago; sic Spiritui Sancto appropriatur caritas, quoniam Spiritus Sanctus est emanatio voluntatis, id est amor spiratus, a voluntate Patris Filiique emanans : propter quod ad voluntatem spectantia, ei appropriantur, aut propria nuncupantur, ut caritas, D nexus, pax, osculum, suavitas, donum, communio, gaudium.

Et qui manet in caritate, in Deo manet. Hoc verum est, sive de increata, sive de creata caritate intelligatur. Quum enim Deus sit substantialiter caritas, constat quod qui manet in caritate increata, ei finaliter adhærendo, manet in Deo, qui est caritas ipsa. Similiter, qui manet in caritate creata, quæ est admirabilis et supernaturalis participatio increatæ caritatis, manet in Deo, quia per eam conjungitur et cohæret ei, ut summo bono finique ultimato. *Et Deus* manet *in eo.* Deus enim est in omnibus, per essentiam, præsentiam et potentiam ; atque in Christo, per hypostaticam unionem quoad personam Filii ; in justis vero, per caritatem et gratiam.

Deinde ponit effectum et signum caritatis istius infusæ. *In hoc perfecta est ca-* 17
ritas Dei nobiscum, id est, caritas Dei exsistens in nobis, perfecta esse cognoscitur per hoc, *ut fiduciam habeamus in die judicii,* id est, diem judicii tam universalis, quam particularis quo statim post mortem judicandi sumus, fiducialiter seu bona conscientia exspectemus, confidentes quod tunc beatitudinem consequamur. Caritas namque contra terrorem judicii confidentiam donat, quoniam amor adventum amati facit optare, et de ejus præsentia gloriari. Ideo loquens Salvator de signis terribilibus judicii præcessuris disseruit : His fieri incipientibus, levate capi- Luc. XXI, 28.
ta vestra, quia appropinquabit redemptio vestra. Verumtamen nullus, quantumlibet justus et fervens, debet esse nimis securus, quum asserat Augustinus : Erunt tunc securi, qui modo non sunt securi ; et iterum tunc timebunt, qui modo timere nolunt. Caritas autem immoderatum et angustiantem timorem judicii tanto plus tollit, quanto ipsa plus crescit, sinceriorque efficitur.

Quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo : id est, per caritatem in tantum Deo assimilamur, quod sicut ipse est in cœlo, ex sua caritate et pietate bonis et malis, gratis et ingratis, in sæculo isto bona multa impendens, videlicet necessaria victui, conservationem vitæ, angelorum custodiam, solis ac lunæ obsequium, elementorum servitutem et usum ; ita et nos in sæculo per caritatem amicos adversariosque diligimus, pro persequentibus deprecamur, et bona pro malis rependimus : quod quum nos experimur imple-

re, possumus horam judicii fiducialiter A præstolari. *Luc.* vi, 27, 35. Hinc monet Salvator : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.

18 *Timor non est in caritate,* id est, timor servilis, in quantum servilis, non est caritati conjunctus. Non enim stant simul timor pure servilis, et caritas : quia qui solum serviliter Deum timet, non amat eum, nec habet justitiæ zelum, sed quantum in se est, habet voluntatem peccandi. Et si a peccato retrahitur, hoc non est B ex Dei intuitu et amore, nec zelo justitiæ, sed formidine pœnæ : quæ formido causatur ex privato amore. Ideo subditur :

Sed perfecta caritas foras mittit timorem, id est, servilem pavorem excludit : quoniam vitat malum, non ut non puniatur, sed ne Deum offendat aut inhonoret. Quælibet autem caritas excludit illum servilem timorem, qui simul cum caritate stare non valet, et damnationem meretur. Nihilo minus aliqui motus minuti illius servilis timoris, cum caritate im- C perfecta possunt misceri, sicut et aliarum passionum mortaliumque culparum primi motus veniales exsistentes, meritoriis actibus sæpe miscentur. Caritas vero perfecta servilem timorem habet omnino excludere. Et tanto integrius eum excludit, quanto est perfectior : imo in viris perfectis non raro sic crescit, fervet et invalescit, ut malint sua peccata puniri, quam Dei offensam manere inultam. Idcirco subjungitur : *quoniam timor pœnam habet,* id est, timor servilis, secundum D quod talis, pœnam et condemnationem meretur, non in quantum malum culpæ devitat, sed quia non facit hoc ex Dei amore et zelo justitiæ, sed dumtaxat punitionis horrore, ex infecta radice, quia videlicet amat malum culpæ. Omnia autem simili ordine divini amoris ponere obligamur, atque ad Dei referre honorem. Idcirco si quis ex solo servili timore pateretur mortem pro fide, nihilo minus damnaretur. Quod et Paulus apostolus aperte insinuans : Si tradidero, inquit, corpus *I Cor.* xiii, 3. meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Si hoc intelligatur de timore servili, aut carnali, seu mundano, difficultatem non habet, quum illi sint timores culpabiles ; et si sint prædominantes, cum caritate non stant. Timor vero pure naturalis, qui et passione instante fuit in *Marc* xiv, 33. Christo, est in se indifferens, sicut et ceteræ affectiones pure naturales. Est autem adhuc duplex timor laudabilis, puta initialis et filialis. Timor initialis est, quo culpa vitatur partim timore pœnæ, partim amore Dei et zelo justitiæ. Potestque timor ille esse cum caritate, non autem in caritate perfecta, ut tali : quia in quantum aliquid servilitatis sortitur, a perfecta caritate ejicitur. Idcirco qui timet initiali timore, non est perfectus in caritate, in quantum initialiter timens. Porro, timor filialis, castus et sanctus est, quo malum culpæ vitatur solum eo respectu, ne piissimus et amantissimus Pater cœlestis offendatur, inhonoretur, ejusque gratia amittatur, aut elongetur a metuente. Hunc sanctum timorem, reverentialem, pudicum, perfecta caritas non solum non ejicit, sed parit, nutrit, conservat : imo quanto quis purius atque ardentius diligit Deum, eo amplius hoc timore metuit eum. De quo in libris Sapientialibus multa conscripta sunt, ut est illud : Ti- *Eccli.* xxv, 14; i, 22; xxv, 15; xxiii, 37; xviii, 27. mor Domini super omnia se posuit ; timor Domini, corona justitiæ ; beatus cui datum est habere timorem Domini ; nihil dulcius quam timere Deum ; sapiens in omnibus metuit ; timor Domini, fons vi- *Prov.* xiv, 27. tæ, ut declinet a ruina mortis.

19 *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* vers. 10. Hoc paulo ante expositum est, et ostensum quod amor Dei ad nos, est causa omnis boni in nobis. Una itaque ratio diligendi Deum est, quoniam ipse primo amavit nos. Quemadmodum enim arduum est odientem diligere, sic præamantem non reamare, prorsus im-

probum ingratissimumque consistit. Est quoque perfacile, eum diligere a quo quis scit se diligi, et in amore esse præventum. Idcirco, quanto hoc facilius adimpletur, tanto iniquius negligitur. Alia atque potissima ratio Deum amandi, est pura et infinita bonitas ejus. Tertia, est collatio beneficiorum ejus. Quarta, promissio ac præparatio futuræ felicitatis.

20 *Si quis dixerit quia diligo Deum, et fratrem suum,* id est proximum quemcumque, sive amicum sive adversarium, *oderit; mendax est* in verbis et factis, quoniam contra veritatem doctrinæ loquitur, et contra veritatem justitiæ operatur. Jam enim frequenter præhabitum est, quod amor Dei et proximi inseparabiliter connectuntur, præsertim quum eadem sit caritas habitualis, qua Deus proximusque diligitur. Iterum, dictum est quod nemo diligat Deum nisi qui ejus observat mandata. Quum ergo Deus præcipiat proximos diligi, qui non diligit proximum, non implet Dei præceptum, ergo nec diligit eum. Rursus, proximus est via et medium diligendi Dominum Deum. Propter quod sequitur : *Qui enim non diligit proximum* suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* quasi dicat, Nemo potest. Sed huic objici potest, quoniam Deus ex se ipso incomparabiliter amabilior est cunctis hominibus, ergo visio proximi non est necessaria ad Dei habendum amorem. Respondetur, quod multæ sunt causæ dilectionis, utpote : bonitas rei, quæ est ratio objectalis amandi ; item similitudo, quæ incitat ad amorem ; beneficentia quoque atque communio ; et item propinquitas. Sed cognitio est causa dilectionis, tanquam via ad eam deducens. Quum igitur proximus sit nobis notior, similior et propinquior quam Deus, et quantum ad hæc, prius ad diligendum nobis occurrat, idcirco S. Joannes prætacto utitur argumento ; et quoniam quantum ad ista, facilius est proximum amare quam Deum. Non autem vult dicere, quod proximus sit amabilior Deo.

* fratrem

21 *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et proximum* suum.* Unde quum Christus dixisset, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc., statim adjecit, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, non quidem æqualiter, quia post Deum debet homo præcipue amare se ipsum, sed similiter, utpote spiritualiter et propter æternam obtinendam salutem. Ecce sæpissime repetit gloriosissimus iste Christi discipulus fraternæ dilectionis præceptum. Idcirco illud tanto diligentius observemus, tanto perfectius impleamus, quanto frequentius ab ipso repetitur, et quanto nobis ab ipso seriosius inculcatur.

* fratrem

Matth. XXII, 37.

Ibid. 39.

ARTICULUS VII

DECLARATIO QUINTI CAPITULI : OMNIS QUI CREDIT.

DUÆ sunt partes legis divinæ, videlicet testimonia et mandata. Testimonia pertinent ad credenda, mandata ad agenda. Postquam ergo jam ante beatus Apostolus disseruit de mandatis, nunc specialiter loquitur de testimoniis seu credendis : quamvis aliqua inserat de præceptis, sicut et ante quædam inseruit de credendis.

1 *Omnis qui credit,* fide formata, id est caritate bonisque actibus decorata, *quoniam Jesus est Christus,* id est, quod Jesus Nazarenus sit Christus in lege Moysis et Prophetis promissus ; *ex Deo natus est*

per regenerationem baptismalem : ut quidam exponunt. Quæ expositio non habet universaliter veritatem, quoniam multi martyres sine Baptismate decesserunt : nisi per regenerationem baptismalem intelligatur Baptismus, non solum fluminis, sed etiam flaminis ac sanguinis. Est itaque taliter credens ex Deo natus, per caritatis et gratiæ infusionem, per veritatis imitationem, et virtutum amorem. Denique, Mahometus infelix in Alcorano suo frequenter fatetur, quod Jesus Nazarenus sit Christus, seu Messias in lege promissus, quod item Judæi dispersi et capti sunt eo quod Jesum pro Christo non acceperunt. Sed contra divinitatem Christi blasphemias evomit multas.

Et omnis qui diligit eum qui genuit, id est Deum Patrem, *diligit eum qui natus est ex eo,* id est unigenitum Filium ejus : quum Pater et Filius sint unum et idem summum et invariabile bonum, nec una Persona divina et increata sine alia infuso amore diligi possit, quum sint unus, verus, simplex et omnipotens Deus. Vel sic : Omnis qui diligit eum qui genuit, id est Creatorem altissimum, qui homines spiritualiter regeneravit per sacramenta et verba cœlestia gratiarumque
Jacob. I, 18. dona (juxta quod scriptum est : Voluntarie genuit nos verbo veritatis), diligit eum qui natus est ex eo, id est quemlibet Christifidelem. Qui enim veraciter diligit Deum, diligit et pertinentes ad eum, membra, ministros ac milites Christi. Huic expositioni sequentia consonant verba :
2 *In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei,* id est proximos nostros a Deo regeneratos, ejusque filios adoptivos, *quum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus :* quia ut dictum est sæpe, amor Dei et proximorum dilectio invicem se includunt, inseparabilesque consistunt ; nec vere diligit Deum nisi qui ei et ejus
Luc. x, 16. obedit vicariis, de quibus ait : Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me
3 spernit. *Hæc est enim caritas Dei,* id est, in hoc consistit, hoc exigit, per hoc quasi

A per effectum et signum manifestatur et innotescit, *ut mandata ejus custodiamus.* Qui enim sincere diligit Deum, honorat eum, et voluntatem suam voluntati ipsius conformat ac subdit, quum amicorum sit eadem velle et nolle. Propter quod Christus loquitur : Si diligitis me, mandata Joann. XIV, 15.
mea servate ; itemque, Si quis diligit me, Ibid. 23.
sermonem meum servabit.

Et mandata ejus gravia non sunt. Videtur quod imo, quum Christus protestetur : Quam angusta porta et arcta via est Matth. VII, 14.
B quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam ! Denique valde difficile est, concupiscentias carnis, passiones et vitia superare. Difficillimum quoque videtur, intellectum in captivitatem redi- II Cor. x, 5.
gere ad credendum incomprehensibilia illa quæ in evangelica lege credi jubentur.

Et respondendum, quod divina præcepta non sunt gravia quadruplici ratione : Primo, quia virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, sunt ex sua natura suaves et convenientes, habentque delecta-
C tiones sinceras actibus suis annexas. Secundo, ex adjutorio Dei, qui per dona gratiæ, præsertim per caritatem, hominem sic confortat, inflammat et consolatur, ut ei dulcescat via salutis, et observantia præceptorum, imo cum ingenti alacritate et gaudio illa adimpleat. Propter quod ait Propheta : In via testimo- Ps. CXVIII, 14.
niorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis ; et, Viam mandatorum Ibid. 32.
tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum. Iterumque hortatur : Servite Domino Ps. XCIX, 2.
D in lætitia. Tertio, ex inæstimabili magnitudine præmii desuper repromissi, cujus respectu omnis labor, et omnis difficultas, et pœna vitæ præsentis, est tanquam momentum. Propter quod dicitur : Consideratio præmii minuit vim flagelli. Paulus quoque ad Corinthios : Id, inquit, II Cor. IV, 17.
quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hinc ait Salvator : Ve- Matth. XI, 28, 30.
nite ad me, omnes qui laboratis et onerati

estis, et ego reficiam vos : jugum enim A
meum suave est, et onus meum leve.
Quarto, mandata evangelicæ legis levia
sunt ob suam paucitatem, comparatione
præceptorum Mosaicæ legis : quæ mul-
titudine sua erant onus tam grave, ut
Act. xv, 10. princeps dicat Apostolorum : Quid tentatis
Deum, imponere jugum super cervices di-
scipulorum, quod neque patres nostri, ne-
que nos portare potuimus ? Nempe, ut
Rabbi Moyses scribit, tot erant in lege
præcepta, quot sunt dies in anno, et quot
sunt ossa in homine, ita quod horum par B
exstitit multitudo. Porro difficultas im-
plendi præcepta consurgit ex nostra in-
fectione, et hostium impugnatione, ac ob-
jectorum valida motione, aliisque causis
diversis.

Consequenter subditur una causa cur
4 præcepta sint levia. *Quoniam omne quod
natum est ex Deo*, id est omnis fidelis
ex Deo per caritatem et gratiam regene-
ratus, *vincit mundum*, id est, auxilio ca-
ritatis et gratiæ, imo et fidei christianæ
(ut statim subjungitur), superat tentatio- C
nes et impugnationes hominum munda-
norum, tyrannorum et philosophorum, qui
Christianos variis modis a fide avertere
conati sunt. Mundum etiam vincit, qui
divitias, delicias, vanitates, pravitates, ho-
nores mundi non affectat, sed omnia talia
aspernatur, cum apostolo Paulo dicens :
Galat. vi, 14. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini
Philipp. iii, 8. nostri Jesu Christi ; et, Omnia arbitror ut
stercora, ut Christum lucrifaciam. *Et hæc
est victoria quæ vincit mundum, fides*
Galat. v, 6. *nostra*, id est, fides catholica per dilecti- D
onem operans, est virtus per quam vin-
cimus mundum : juxta illud ad Hebræ-
Hebr. xi, 33. os, Sancti per fidem vicerunt regna. Per
fidem namque cognoscimus imminentia
nobis bella atque pericula, Dei quoque
præsidia nobis parata, et atrocitatem et
fortitudinem ac multitudinem hostium no-
stræ salutis. Sicque fides nos dirigit in
pugnando, in orando ac resistendo. Nam
et ipsa est fundamentum virtutum, et ef-
Marc. ix, 22. ficaciæ tantæ, ut asserat Veritas : Om-
nia possibilia sunt credenti. Ideo princeps
Apostolorum locutus est : Diabolo resisti- I Petr. v, 9.
te fortes in fide. Et ad Ephesios habe-
tur : Accipite armaturam Dei, ut possitis Ephes. vi, 13-18.
resistere in die malo, induti loricam ju-
stitiæ ; in omnibus sumentes scutum fi-
dei, in quo possitis omnia tela nequissimi
ignea exstinguere, et galeam spem salu-
tis et gladium spiritus, quod est verbum
Dei ; orantes omni tempore in spiritu.

Quis est autem qui vincit mundum, ni- 5
si qui credit, fide formata, *quoniam Jesus
est Filius Dei*, id est naturalis, unicus,
consubstantialisque Filius Patris æterni ?
Talis enim nec philosophicis argumentis,
nec tyrannicis infestationibus cedit aut
vincitur, nec mundi blandimentis, nec ad-
versis dejicitur, quamdiu sic credit. Ait
hoc loco Albertus : Quemadmodum cor-
poraliter pugnans indiget quatuor armo-
rum generibus, scilicet gladio ad percu-
tiendum, scuto ad se defendendum, forti
societate ad præmuniendum, et veritate,
id est justa causa, ad præliandum : sic
Christianus contra mundum ac reliquos
suæ salutis adversarios pugnans, indiget
primo, pro ense habere caritatis fervo-
rem ; secundo, pro scuto fidei conforta-
tionem ; tertio, pro societate divinum an-
gelicumque auxilium ; quarto, pro veritate
seu causa, Christi veram confessionem.

Hic est qui venit per aquam et sangui- 6
nem, Jesus Christus, id est, ad nostram
redemptionem processit, et eam effecit
per aquam Baptismatis, et sanguinem sui
corporis, quem in cruce fudit pro nobis.
Christus namque sacramentum Baptismi
instituit, et Baptismum a Præcursore ac- Matth. iii, 16.
cipiens, tactu suæ sanctissimæ carnis vim
regenerativam præstitit aquis ; atque a
merito suæ passionis omnia sacramen-
ta suas sortiuntur virtutes. Hinc loquitur
Paulus : Christus per sanguinem crucis Coloss. i, 20.
suæ pacificavit, sive quæ in cœlis sunt,
sive quæ in terra ; et rursus : Christus Ephes. v, 25, 26.
dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum
pro ea, mundans illam lavacro aquæ in
verbo vitæ. In Apocalypsi quoque habe-

Apoc. I, 5. tur : Christus dilexit nos, et lavit nos a A
peccatis nostris in sanguine suo. Denique,
Joann. XIX, 34. quum unus militum lancea latus Christi
aperuisset, continuo inde exivit sanguis
et aqua. Unde de latere Christi sacramenta
Ecclesiæ dicuntur fluxisse, quia videlicet
vim sanctificandi inde suscipiunt : et
ita quoad hoc, venit in aqua et sanguine.
Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.
Hoc additur ad differentiam S. Joannis
Baptistæ, qui venit in aqua solum :
quia baptizavit corpora aquis, sed sanguinem
suum pro mundi non fudit peccatis, B
nec animas lavit a vitiis. Vel ideo additur
hoc, quoniam Christus non solum dignatus
est propter nos baptizari, ut suæ carnis
attactu aquis vim regenerativam præstaret,
sed et sanguinem suum pro nostra
fudit salute. Porro, secundum Bernardum
in sermone, istud est additum ad differentiam
Moysis, qui venit in aqua tan-
Exod. II, 10. tum : a qua nomen ei est impositum.

*Et Spiritus est qui testificatur quoniam
Christus est veritas.* Hoc enim Spiritus
Sanctus testatus est ante Christi passio- C
nem et post eam. Ante passionem, scilicet,
quum baptizatus fuisset a beatissimo
Luc III, 21, 22. Joanne Baptista, juxta illud : Factum est,
Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum,
et descendit Spiritus Sanctus corporali
specie sicut columba in ipsum, et
vox de cœlo facta est : Tu es Filius meus
dilectus. Porro Christus secundum quod
Deus, est vere substantialiter verus et ve-
Joann. XIV, 6. ritas. Propter quod ait : Ego sum via, et
veritas, et vita. Et quia per modum intellectualis
emanationis procedit a Patre, D
veritas ei appropriatur, ut dictum est plenius
paulo ante. Rursus, post passionem,
Act. II, 1 *et seq.* in die Pentecostes et deinceps, Spiritus
Sanctus per Apostolos testificabatur id
ipsum, et per tam supernaturalem Apostolorum
illuminationem, inflammationem,
roborationem, aliaque mirabilia quæ apparebant
in eis et fiebant per eos, luce
clarius demonstravit quod Christus sit veritas,
cujus universa promissa tam verissime
et supernaturaliter implebantur.

Hinc post Cœnam dixit in sermone Apostolis
illud : Quum venerit Paracletus, *Joann.* XV, 26.
quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum
veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium
perhibebit de me.

Nec solum Spiritus Sanctus id protestatur :
Quoniam tres sunt qui testimonium 7
*dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus
Sanctus :* id est, tota superessentialis
et superdignissima Trinitas, in cœlo empyreo
specialiter habitans, præstat coram
omni cœlesti militia testimonium, quod
Christus sit veritas : quia declarat Trinitas
adoranda cunctis cœlestibus civibus
semetipsam, et qualiter Verbum procedit
a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque,
juxta illud in Psalmo, In lumine tuo vi- *Ps.* XXXV, 10.
debimus lumen. De quo testimonio loquitur
Christus Patri : Clarifica me tu, Pater, *Joann.* XVII, 5.
apud temetipsum, claritate quam habui
priusquam mundus esset ; et rursus, Pa- *Ibid.* 24.
ter, quos dedisti mihi, volo ut videant
claritatem meam, quam dedisti mihi. *Et
hi tres unum sunt :* quoniam tres superbenedictæ
et supervenerandæ Personæ,
sunt una essentia, unus Deus, unum universorum
principium, et unus omnium
ultimus finis, unum summum bonum,
unum plenæ felicitatis objectum, quo solo
fruendum est. Divinitatis quippe natura
nequaquam potest multiplicari, sed est
numero una in tribus ; et quidquid absolute
competit Deo, toti Trinitati, singulisque
Personis commune est, et unum in tribus.
Propter quod loquitur Christus : Ego *Ibid.* X, 30.
et Pater unum sumus. Superexcellentissimæ
quoque Trinitatis personalem distinctionem
essentialemque unitatem Christus
pandit, dicens : Docete omnes gentes, *Matth.* XXVIII, 19.
baptizantes eos in nomine Patris et Filii
et Spiritus Sancti.

Et tres sunt qui testimonium dant in 8
terra : spiritus, aqua et sanguis : id est,
in militanti Ecclesia, spiritus, utpote rationalis
anima Christi, aqua quoque et
sanguis, quæ de ejus latere profluxerunt *Joann* XIX, 34.
in cruce, contestantur quod Christus sit
verus ac veritas, in eo quod dixit se esse

non solum Dei unicum Filium, sed etiam hominem verum : Palpate, inquiens, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. (Luc. XXIV, 39.) Vel, Tres testimonium dant in terra, quia in sacramento Baptismi est Spiritus vivificans, aqua abluens, et sanguis Christi virtualiter operans et emundans : per quæ patet veritas Christi, de quo Deus dixit Joanni Baptistæ : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. (Joann. I, 33.) *Et hi tres unum sunt,* id est, unum habent effectum, et in ejusdem veritatis manifestatione conveniunt.

9 Deinde ostenditur irrefragabilis certitudo fidei christianæ. *Si,* pro Quia, *testimonium hominum accipimus.* Hoc dupliciter potest intelligi : Primo, quod in rebus et causis humanis testimonium hominum efficax reputatur, quemadmodum scriptum est : In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. (Deut. XIX, 15; Matth. XVIII, 16.) Secundo, quod testimonium sanctorum hominum, utpote Prophetarum, de Christo prænuntiatum, judicatur idoneum. *Testimonium Dei majus est,* id est, testimonium Dei Patris de Christo prolatum, præclarius est, sicut et Deus Pater omni homine consistit sublimior, cujus testimonio falsum subesse non potest ; *quoniam hoc est testimonium [Dei], quod majus est* omni testimonio humano, *quia testificatus est de Filio suo :* id est, testimonium quod Pater perhibuit Filio in baptismo et transfiguratione, dicens, Tu es Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, majus est testimonio hominum. (Matth. III, 17; XVII, 5; Luc. III, 22; IX, 35.) De quo testimonio etiam dictum est a Petro : Accepit a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria : Hic est Filius meus dilectus. (II Petr. I, 17.)

10 *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se,* id est, testimonio Dei Patris assentit, et operatur in eo testimonium illud salubrem credulitatem, dummodo juxta fidei exigentiam conversetur. Credere autem in Filium Dei, est per fidem caritate formatam et actiones virtutum, in Christum Dei Unigenitum tendere. *Qui vero non credit in Filium, mendacem facit eum,* id est, Deum Patrem, quantum in se est, facit seu esse ostendit mendacem et testem fallacem ; *quoniam non credit in testimonio quod testificatus est Deus de Filio suo* dicens : Tu es Filius meus dilectus, etc. Nec possunt se excusare infideles, dicendo quod Pater non dixit hoc : quia per infinita miracula soli omnipotenti Deo possibilia, interim uberrime est ostensum quod evangelica lex, in qua hoc continetur, sit vere a Deo, et ipsum Evangelium recitans hoc, sit omni veritate plenissimum. Testatus est quoque Deus Pater de Filio suo per sanctos Prophetas, David, Isaiam, Jeremiam, Michæam, Danielem, et alios ; deinde per sanctos Apostolos et Evangelistas, quorum doctrinam per copiosissima ac præclarissima confirmavit miracula ; similiter per martyres gloriosos, quos in suis passionibus et ante ac postea magnificis honoravit prodigiis ; deinde per alios innumerabiles sanctos confessores, doctores, prædicatores, prælatos, quorum doctrinam et sanctitatem per signa admiranda ac abundantissima declaravit et approbavit. Sed et per miracula ab ipsomet Christo peracta Pater testimonium præbuit ei. Propter quod loquitur Christus : Opera quæ dedit mihi Pater, quæ facio, testimonium perhibent de me. (Joann. V, 36.) Et denuo : Si non facio opera Dei, nolite credere ; si autem facio, et si mihi non creditis, operibus credite. (Ibid. X, 37, 38.) Ad hæc, magnum, gloriosum et jucundum est, quod etiam istis diebus Deus sublimis et benedictus tot et tanta operatur miracula ad Sanctorum suorum promotionem, ad fidei roborationem, ad consolationem Ecclesiæ, ad confusionem omnis plebis incredulæ, imo ad sui ipsius gloriam et honorem.

11 *Et hoc est testimonium,* id est intentio, fructus et finis testimonii præinducti : quia ad hoc Deus Pater istud de Filio suo testatus est, quatenus hoc creden-

do vitam obtineamus beatam. Ideo subdi-
tur : *quoniam vitam æternam dedit nobis*
Deus, id est, vitam gloriæ præstitit nobis
modo in spe, in causa, præmio et radi-
ce, in inchoatione, prælibatione, ac arrha
seu pignore. Æternam enim beatitudinem
nobis promisit ; vitam gratiæ, quæ pi-
gnus est vitæ gloriæ, communicavit ; ca-
I *Cor.* XIII, 8. ritatem, quæ nunquam excidit, infudit ;
actus meritorios condonavit ; futuræ sua-
vitatis concessit prægustum. Hinc etenim
Matth. v, 3. contestatur : Beati pauperes spiritu, quo-
niam ipsorum est regnum cœlorum. Et
II *Cor.* v, 5. Paulus : Dedit (inquit) nobis pignus Spi-
Rom. VI, 23. ritus ; itemque, Gratia Dei, vita æterna.
Joann. VI, 40. Et rursus loquitur Christus : Hæc est vo-
luntas Patris mei qui misit me, ut omnis
qui videt Filium et credit in eum, ha-
beat vitam æternam. — Vel sic : Hoc est
testimonium, quod scilicet nos Apostoli
perhibemus de Christo, quoniam vitam
æternam dedit nobis Deus per Christum,
quia hanc Christus sua passione prome-
ruit nobis.

Et hæc vita, id est æterna felicitas, *in*
Filio ejus est, id est, per fidem et gra-
tiam Filii Dei acquiritur, quemadmodum
Ibid. XIV, 6. ipse fassus est : Ego sum via, veritas et
vita ; nemo venit ad Patrem, nisi per me.
Unde in Actibus princeps Apostolorum fa-
Act. IV, 12. tetur : Non est nomen aliud sub cœlo
datum hominibus, in quo oporteat nos
salvos fieri. Et rursus asserit Filius Dei :
Joann. XI, 26. Omnis qui credit in me, non morietur in
æternum. Vel, Hæc vita in Filio ejus est,
quia in visione divinitatis Filii Dei vera
beatitudo objective consistit, prout ipse
Ibid. XVII, 3. ait : Hæc est vita æterna, ut cognoscant
te verum Deum, et quem misisti Jesum
Christum. Hinc ipse Unigenitus cultori
Ibid. XIV, 21. suo pro præmio pollicetur : Qui diligit
me, manifestabo ei me ipsum. Et Pater
Ps. XC, 16. in Psalmo : Longitudine, inquit, dierum
replebo eum, et ostendam illi salutare
meum. — Potest et ita exponi : Hæc vita
in Filio ejus est, quia æterna beatitudo
in Filio Dei est secundum plenitudinem
infinitam, in quantum est Deus ; atque

A secundum naturam assumptam, fuit in eo
participative præ omnibus Sanctis ab ex-
ordio incarnationis, quia ex tunc anima
Christi fuit in plenissima fruitione Divi-
nitatis. Hinc idem ait : Sicut Pater habet *Joann.* v, 26.
vitam in semetipso, sic dedit et Filio vi-
tam habere in semetipso.

Qui habet Filium Dei, id est, is in quo 12
Filius Dei per fidem et gratiam habitat,
ita quod habet Filium Dei unigenitum sui
cordis habitatorem, juxta quod Paulus ait
apostolus : Deus Pater det vobis secun- *Ephes.* III, 16, 17.
B dum divitias gloriæ suæ Christum habi-
tare per fidem in cordibus vestris ; *habet*
vitam æternam, id est, beatitudinem sem-
piternam jam habet in spe, prout dictum
est plenius. Unde Filius loquitur Patri :
Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, *Joann.* XVII, 2.
ut omne quod dedisti ei, det eis vitam.
Vel, Habet vitam æternam, quoniam ipse-
met Filius est essentialiter, secundum
quod Deus, vita æterna, sicut profitetur :
Ego sum resurrectio et vita. *Qui non ha-* *Ibid.* XI, 25.
bet Filium modo prætacto, *non habet vi-*
C *tam,* quia nec vitam gratiæ habet in præ-
senti, nec vitam gloriæ habebit in futuro,
nisi convertatur ad Christum.

Hæc scribo vobis, ut sciatis per fidem 13
illuminatam certitudine adhærentiæ et ex-
perientia prælibationis futuræ jucundita-
tis, *quoniam vitam habetis æternam, qui*
creditis in nomine Filii Dei, id est in
Christum Unigenitum Patris æterni, qui
ait : Qui credit in me, etiam si mortuus *Ibidem.*
fuerit, vivet. Itaque nomen Filii Dei su-
mitur hic pro nomine nominato, puta pro
D ipso Dei unico Filio. Et de fide formata
intelligenda sunt ista. Ex hac autem fide
oritur confidentia magna ad Deum. Ideo
subjungitur :

Et hæc est fiducia quam habemus ad 14
eum : quia quodcumque petierimus ab
eo, *secundum voluntatem ejus,* id est se-
cundum beneplacitum Dei, utpote pie et
salubriter ad ipsius honorem et nostram
salutem, *audit nos,* si perseveranter peta-
mus. *Et scimus quoniam audit nos, quid-* 15
quid petierimus, maxime si pro nobis

ipsis oremus, quia non semper exaudiuntur devoti pro aliis.

Hanc spem, imo certitudinem atque scientiam exauditionis divinæ, Christus in Evangelio nobis copiosissime inculcavit.
Marc. XI, 24. Ait namque : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et venient
Matth. VII, 7, 8. vobis. Alibi quoque : Petite, et dabitur vobis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit ; et qui quærit, invenit ; et pulsanti
Ibid. 11. aperietur. Et denuo ait : Si vos quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis da-
Luc. XI, 13. bit spiritum bonum petentibus se? Quum enim ad supernaturalem beatitudinem creaverit nos, et præcepta cœlestia dederit nobis (quam beatitudinem sine donis gratiæ ejus promereri adipiscique non possumus, et quæ præcepta sine eisdem implere nequaquam valemus), nullum relinquitur dubium quin paratissimus sit, quantum in se est, gratiarum charismata nobis tam necessaria, distribuere nobis. Dabitque ea si rite petamus. Præterea,
Matth. VI, 9. quum a nobis pater appellari dignetur, haud dubium quin paterna pietate subvenire et exaudire paratus sit. Insuper, ipse qui ad orandum nos hortatur, seque exauditurum promittit, utique libenter exaudiet, quum tam infinita sit pietas, liberalitas veritasque ipsius. Postremo, ipse superbenignissimus Deus, qui etiam non exoratus, tanta beneficia nobis largitus est, qui tam caritative prævenit nos, qui ingratis ac perfidis tot bona largitur, fidelibus ac devotis ipsum invocantibus ut oportet, non deerit.

Sed tantum regem ac Dominum cum omni humilitate, subjectione et reverentia exorare necesse est. Propter quod Moy-
Deut. IV, 29. ses protestatur : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Et ipsemet Christus :
Luc. XVIII, 1. Oportet, inquit, semper orare, et non deficere. Potissime vero exaudiri cupientes, advertant et impleant quod loquitur Do-
A minus : Quum stabitis ad orandum, di-
Marc. XI, 25, 26. mittite si quid habetis adversus aliquem ; quod si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Scimus quoniam habemus postulationes quas postulamus ab eo id est, certi sumus quod petitionum quas Deo offerimus, effectum seu exauditionem sortiemur ab eo, juxta sensum prætactum. Vel sensus est, quod orationes quas Deo offerimus, non ex proprio sensu, sed ex divina instructione accipimus. Quid enim
B et qualiter debeamus orare, Christus in Evangelio docuit, et inter cetera dixit :
Matth. VI, 9 et seq. Sic ergo orabitis : Pater noster, qui es in cœlis, etc. Ideo loquitur Paulus : Quid
Rom. VIII, 26. oremus sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus orat pro nobis, id est, exorantes nos facit.

Consequenter sanctus Apostolus inter peccata distinguit, et qualiter circa diversos peccatores diversimode nos habere debeamus, exponit. *Qui scit fratrem suum* 16
peccare peccatum non ad mortem, etc. Lo-
C cus iste difficilis est. Qui primo sic potest intelligi : Qui scit proximum suum venialiter peccare, quod non inducit mortem animæ in præsenti, nec mortem æternæ miseriæ in futuro, *petat,* id est, pro illo oret ; *et dabitur ei vita,* id est, ad ejus instantiam dabitur remissio talis culpæ, *peccanti non ad mortem,* id est venialiter peccanti. Quemadmodum enim venialia difficulter vitantur, sic faciliter dimittuntur, utpote Oratione dominica, confessione mutua, correptione et corre-
D ctione fraterna, pœnitentia assidua, adspersione aquæ benedictæ, ingressu ecclesiæ, pectoris tunsione, caritatis fervore, remissione illatæ injuriæ, exercitatione operum misericordiæ. — Secundo exponitur sic : Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, et non continuare peccata usque ad mortem inclusive, petat pro illo, et exaudietur. Nam talis vitam gratiæ obtinet, et vitam gloriæ consequitur : quia non manet in vitiis usque in finem vitæ præsentis, in qua est

tempus, locus ac status merendi ac demerendi. Non tamen potest de aliquo certitudinaliter sciri absque revelatione, an ante mortem vere pœniteat : alioqui sciretur esse in caritate. Sed ideo S. Joannes hæc dicit, ut agnoscamus quod pro illo frustra oramus qui in vita præsenti non pœnitet, sed absque contritione decedit. — Tertio exponitur sic : Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, id est non facere irremissibile peccatum (ut sunt peccata in Spiritum Sanctum, quæ irremissibilia asseruntur, quia difficulter et vix dimittuntur, et finalis impœnitentia nunquam dimittitur), petat pro illo, et exaudietur : non quod semper oratio fusa pro taliter peccante exaudiatur, sed quia spes exauditionis est, et quandoque exauditio fit pro illo.

Sed *est peccatum* usque *ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.* Si hoc de finali impœnitentia, seu de quocumque mortali usque ad mortem continuato et per contritionem non deleto, intelligatur, certum est quod pro defuncto in tali facinore non sit orandum. Si autem de quolibet peccato in Spiritum Sanctum intelligatur, sensus est, quod valde difficulter quis exaudiatur pro ita peccante. Ideo dicitur pro illo non esse rogandum, non ut nequaquam oretur, quum de nullo sit penitus desperandum, sed ad insinuandum quam difficulter impetretur a Deo venia talis peccati. Juxta quem sensum Christus
Marc. III, 29; *Matth.* XII, 32. in Evangelio loquitur : Si quis blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in præsenti sæculo neque in
17 futuro. Hinc subditur : *Omnis iniquitas, peccatum est,* id est culpa mortalis, quum sit transgressio legis divinæ ; *et est peccatum ad mortem :* quod tripliciter accipi potest, sicut jam tactum est. Quasi dicat : Non omnem culpam mortalem voco peccatum ad mortem. Vel sic : Omnis iniquitas, id est omnis non æquitas, seu quantumlibet modicus ab æquitate recessus, peccatum est ad minus veniale ; et est peccatum ad mortem, id est mortale

A peccatum, ad infernalem trahens interitum.

Scimus quia omnis qui natus est ex 18
Deo, non peccat ; sed generatio Dei conservat eum. Hoc est quod supra, tertio hujus epistolæ capitulo, dictum est : Omnis *I Joann.* III, 9. qui natus est ex Deo, non peccat, quoniam semen ipsius in eo manet ; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est : quod ibidem satis reor expositum. Et quod ibi dicitur semen, hic generatio nominatur. Generatio enim Dei, id est spiritu- B alis renovatio in Baptismate seu Pœnitentia facta, seu gratia ibi infusa, conservat eum in bono, et præservat a vitio, quantum ex se est : ipse tamen se potest a Deo propria libertate avertere. *Et malignus non tangit eum,* in quantum ex Deo natus est et per gratiam confortatus : quia ut talem, non potest eum ad peccatum impellere ; sed ut defectibilem, fragilem ac liberi arbitrii exsistentem, potest eum tentare, superare seu tangere.

Scimus quoniam ex Deo sumus. Hoc 19
C supra expositum est. *In I Joann.* IV, 6. Apostoli quippe certitudinaliter se esse in caritate noverunt ; ceteri vero Catholici ac devoti probabiliter sciunt hoc. *Et mundus totus in maligno positus est,* id est, mundani carnalesque homines diabolo sunt subjecti, vitiis involuti, et malæ libidinis igne succensi, quia in talibus abundant peccata. De quibus ait Propheta : Omnes declinaverunt, *Ps.* XIII, 3; LII, 4. simul inutiles facti sunt. Unde in Osee habetur : Non est veritas, et non est mise- *Osee* IV, 1, 2. ricordia, et non est scientia Dei in terra ; D maledictum et homicidium, mendacium et furtum et adulterium inundaverunt.

Et scimus quoniam Filius Dei venit, 20
id est, per incarnationis mysterium in inferiorem hunc mundum ingressus est, sicut ipse ait : Exivi a Patre, et veni in *Joann.* XVI, 28. mundum ; *et dedit nobis sensum,* id est sapientiam salutarem et evangelicæ legis doctrinam, *ut cognoscamus verum Deum :* per quem hoc loco intelligitur Pater æternus. Nam subditur : *et simus* per fidem et caritatem *in vero Filio ejus,* id est in

unigenito, naturali et coæterno ipsius Filio Jesu Christo, qui in unitate personæ est Deus et homo. Venit itaque Filius Dei, ut cognoscamus verum Deum per fidem vivam et illuminatam et per sapientiæ donum in vita præsenti, deinde clare per speciem in regno cœlesti. *Hic* verus Filius Dei, *est verus Deus* veritate naturæ, ita quod vera divinitas est in eo, non participatio quædam, sicut in aliis qui in Scripturis dii vocantur; *et vita æterna :*
Joann. XIV, 6; I *Cor.* I, 24. est enim essentialiter vivens, et vita, veritas, sapientia ac divina essentia. Porro Patre Filioque expressis, intelligitur superbenedictus et adorandus Spiritus Sanctus, Patris ac Filii amor, osculum et amplexus. O quanta fuit infelicium hæreticorum insania, qui contra hanc lucidissimam protestationem tanti Apostoli, divinitatem Christi negare impiissime præsumpserunt! Quanta etiam fuit vesania Mahometi, qui licet in Alcorano testetur Christum fuisse summum sapientissimumque prophetam, non tamen admittit ut Filius Dei aut Deus dicatur, sed purum fuisse hominem reprobus ille mentitur.

Filioli, custodite vos a simulacris, id 21
est idolis ac idololatriis, atque ab omni avaritia, quæ idolorum est servitus, ab *Coloss.* III, 5. hæreticorum quoque figmentis, qui de Deo Patre et Filio ejus ac Spiritu Sancto non id senserunt ac docuerunt quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt, sed quod ipsi maledicti eos esse finxerunt. Simulacra quoque sunt vana phantasmata, cogitationes inutiles, phantasticæ ac stolidæ apprehensiones, somniorumque observationes. A quibus omnibus nos custodire debemus, et sincere atque catholice de Deo uno ac trino sentire, salubria cogitare, sapientialibus meditationibus et considerationibus immorari, ac Dominum majestatis immensæ totis præcordiis jugiter venerari. *Amen,* id est, sic est, et ita fiat. Ad laudem et gloriam Creatoris omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM SECUNDAM

BEATI JOANNIS

ARTICULUS UNICUS

EXPOSITIO UNICI CAPITULI : SENIOR ELECTÆ DOMINÆ.

IN præinducta epistola S. Joannes instruxit fideles in generali, nunc instruit quasdam personas in speciali. Porro sensus hujus compendiosæ epistolæ in præhabita sententiosa epistola pro maxima parte est habitus : ideo immorari non congruit.

1 *Senior Electæ dominæ.* Ut recitat Beda, quidam dixerunt præsentem epistolam et sequentem non esse Joannis apostoli, sed alterius presbyteri, nomine Joannis, ut infra plenius referetur. Sed nunc Ecclesia communiter tenet, quod sit Joannis apostoli : quod etiam ex stilo ac sensu, et simili sermonis charactere satis videtur. Vocat autem B. Joannes se seniorem, quia jam erat provectæ ætatis ; et ratione sui officii, quoniam nomen senioris, episcopis quoque propter gravitatem sapientiæ maturitatisque congruit. Unde tunc rectores Ecclesiarum propter discretionem et morum maturitatem senes appellabantur. Propter quod, ut ante jam patuit, princeps Apostolorum in prima sua Canonica
1 Petr. v, 1. pastoribus loquens : Seniores, inquit, qui in vobis sunt, obsecro.

Itaque, *Senior* iste Joannes apostolus,
A omnium qui in Asia præerant Christianis præcipuus, scribit *Electæ dominæ.* Hæc namque veneranda et sancta matrona, cui tam reverenter scripsit tantus Apostolus, vocabatur, secundum expositores, Electa. Quod nomen illi optime competebat, quoniam utique valde electa erat a Deo, quam in præsenti epistola S. Joannes de multis commendat, sicut patebit. *Et natis ejus,* id est filiis ejus non solum carnis propagatione, sed et virtutum imitatione. Nam et proles ejus atque familia erant ; et ita
B etiam spiritualem matrem se eis exhibuit, et quod parentes suis tenentur impendere filiis, utpote educationem, instructionem, correptionem et castigationem, exhibuit eis. *Quos ego diligo in veritate,* id est vero et spirituali amore. Sciebat siquidem tantus Apostolus se esse in caritate, imo et in caritate perfecta. *Et non ego solus, sed et omnes qui cognoverunt veritatem,* id est, universi fideles, qui evangelicæ legis ac fidei veritatem, Christum quoque
qui summa est veritas, agnoverunt, dili- Joann. XIV, 6.
C gunt istos. Fuit namque domina ista nobilis ac famosa cum sobole sua, et hospitabat ac sustentabat credentes ac ministros

Ecclesiæ. Ideo omnes boni fideles ad quos A
fama ejus pervenit, eam ac sobolem ejus
amabant.

Cur autem amabant eam et natos ejus,
2 subjungitur : *propter veritatem quæ per-
manet in vobis, id est propter veram Dei
notitiam atque justitiæ æquitatem et vitæ
sinceritatem. Fuit enim in istis veritas
triplex, videlicet veritas vitæ, veritas do-
ctrinæ, veritasque justitiæ. *Et vobiscum
erit in æternum :* quia post hanc vitam
fuit in eis veritas ista, et in æternum ma-
nebit in eis multo perfectius quam fuit B
in vita præsenti : nempe quod hic nove-
runt per fidem, in cœlo contemplantur
per speciem. In cœlo quoque est perfecta
justitia, ac veritas vitæ falsitate imper-
mixta, quoniam Sancti secundum extre-
mum posse suum Deo intenti sunt, hono-
rificentiamque impendunt, nec quidpiam
culpæ eorum vitæ miscetur.

3 *Sit vobiscum gratia* gratificans : quæ
est qualitas supernaturalis, essentiam ra-
tionalis creaturæ immediate perficiens, et
eam in esse deiformi ad promerendum C
idoneo ponens, ut magni describunt do-
ctores; *misericordia*, id est pia adsisten-
tia Dei in omnibus, et remissio culpæ, ac
conservatio gratiæ ; *et pax* pectoris in
præsenti, quæ pax est tranquillitas inter-
næ ordinationis, et quies mentis in Deo;
pax quoque æternitatis in futuro, quæ est
pax plena semper in actu, et gaudium
prorsus imperturbatum. Pax etiam tempo-
ris est optanda, ut cum omnibus habeatur
1 *Tim.* II, 2. concordia bona, et quietam ac tranquil-
lam vitam agamus in omni pietate. *A Deo* D
Patre et Jesu Christo Filio Patris. Pa-
ter enim et Filius sunt unum effectivum
principium gratiæ et omnis boni creati.
Joann. V, 19. Propter quod ait Filius : Quæcumque fa-
cit Pater, hæc et Filius similiter facit. Et
ita per verba hæc divinitas Filii insinua-
tur, eo quod dona ista dicuntur esse a Fi-
lio sicut a Patre : et idem intelligendum
est de Spiritu Sancto. Totius etenim su-
perpræstantissimæ Trinitatis est una es-
sentia, una potestas, una indivisaque actio
ad extra. Et tota Trinitas est unus Deus,
unus creator et rector ac Dominus univer-
sorum. Sit itaque vobis pax a Patre et Fi-
lio *in veritate et caritate*, id est, per hoc
quod estis et statis in veritate doctrinæ
ac fidei christianæ, atque in caritate Dei
ac proximorum, et ut proficiatis in istis.

Gavisus sum valde gaudio spirituali in 4
Domino, *quoniam inveni de filiis tuis*, id
est aliquos filiorum tuorum, *ambulantes
in veritate*. Vel, Inveni de filiis tuis, id
est, hoc de eis cognovi, quod sunt ambu-
lantes in veritate, id est, in fide catholi-
ca, morum sinceritate atque justitia con-
versantes ac proficientes, non in tenebris
ignorantiæ ac peccatis, non in simulatio-
ne ac calliditate viventes. De hoc autem
est bonis prælatis consolatio valde præci-
pua, quod eorum subditi virtuose fructuo-
seque vivunt, quum eos tam* spiritualiter * *alias* tamen
ament. *Sicut mandatum accepimus a Pa-
tre*, id est Deo Trinitate omnium creatore.

Et nunc rogo te, domina, non quasi 5
*mandatum novum scribens tibi, sed quod
habuimus ab initio*. Hoc, inquam, rogo,
et hoc est mandatum quod ab initio no-
stræ conversionis ad Christum seu evan-
gelicæ prædicationis a Deo accepimus, *ut
diligamus alterutrum*, id est, spirituali-
ter invicem nos amemus. *Et hæc est cari-* 6
tas, id est, in hoc consistit ac innotescit,
idque requirit, *ut ambulemus secundum
mandata ejus*, id est, secundum Dei præ-
cepta vivamus, proficiamus, atque ad cœ-
lestem patriam properemus. *Hoc est enim
mandatum* Dei, *ut quemadmodum audi-
stis ab initio* vestræ conversionis, *in eo
ambuletis*, id est, secundum Dei benepla-
citum in lege et fide Christi vivatis, per-
severetis, et gratiose crescatis.

Quod vobis nunc scribo, ac necessarium
dico, *quoniam multi seductores exierunt* 7
in mundum, id est, diversi hæresiarchæ
et falsi magistri proruperunt in medium,
*qui non confitentur Jesum Christum ve-
nisse in carne*, id est, Dei Filium non cre-
dunt veraciter incarnatum, et in carne
assumpta inter homines conversatum. Hoc

enim dixerunt Marcionitæ hæretici, asserentes Christum corpus habuisse phantasticum : quorum hæresim secutus est et auxit impius Manichæus. *Hic est seductor et antichristus,* id est, quicumque hoc asserit, fallit se ipsum et alios. Est quoque Christo contrarius, et Antichristi præcursor ac typus.

8 *Videte vosmetipsos,* id est, considerate et custodite vos, *ne perdatis omnia quæ operati estis,* id est, ne cadendo a fide catholica justaque vita, privemini merito et præmio omnium actuum virtuosorum quos peregistis : quia dum justus mortaliter peccat, mortificantur præcedentia meritoria opera ejus, quæ tamen rursus vivificantur dum pœnitet et resurgit. *Sed ut mercedem plenam accipiatis :* id est, idcirco vos custodite, ut perseverando in bonis, beatam in cœlo retributionem plenarie quietantem ac contentantem obti-
Matth. x, 22; xxiv, 13. neatis. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

9 *Scientes quod omnis qui recedit,* vel, ut alii legunt, *præcedit :* id est, quicumque mente a veritate avertitur; vel, Qui præcedit, id est, primo recte incessit et bene vivere cœpit; *et non permanet in doctrina Christi,* juxta illam credendo ac conversando; *Deum non habet* per caritatem et gratiam, nec est ejus servus, sed dæmonis. *Qui permanet in doctrina ejus,* id est, evangelicis Christi documentis obedit, *hic et Patrem et Filium habet,* id est, Pater et Filius, imo et Spiritus Sanctus, sunt inhabitator et Dominus ac possessor cordis illius, quemadmodum loqui-
Joann. xiv, 23. tur Christus : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

10 *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert,* id est, hæreticam falsitatem catholicæ veritati contrariam docet, *nolite recipere eum in domo,* id est, eum non hospitetis, nec habitatione jungamini ei, *nec Ave ei dixeritis,* id est, non communicetis ei in verbo salutationis, nec ullam
cum eo societatem aut familiaritatem ha-
beatis. *Qui enim dixerit ei Ave,* commu- 11
nicando secum in verbis, *communicat operibus ejus malignis,* id est, periculum incidit, et quasi socium pravitatis illius se esse ostendit. Istud de hæreticis excommunicatis, præscitis præsertim, accipitur; atque in primitiva Ecclesia servabatur tam stricte : ne credentes nondum satis roborati et exercitati in evangelica veritate, a talibus seducerentur; ut etiam manifestarent quam vitandi sint adversarii veritatis fidei christianæ. Unde et Pau-
lus : Hæreticum, inquit, hominem, post *Tit.* iii, 10.
unam et secundam correptionem devita;
et rursus, Si quis non obedierit sermoni *II Thess.* iii, 14.
nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo. *Ecce prædixi vobis,* id est, de periculo isto præmonui vos, *ut in die Domini nostri Jesu Christi,* id est in die quo judicabimini a Christo, *non confundamini,* id est, ne interim peccando mereamini tunc ab eo confundi, reprobari, damnari.

12 *Plura habens vobis scribere,* id est, quamvis alia multa salubria vobis scribere possem, *nolui per chartam et atramentum,* id est, litteris scripto digestis nolui vobis ista insinuare. *Spero enim me venturum ad vos, et ore ad os loqui,* id est, spero quod os meum loquetur coram ad os vestrum. Præsentia namque doctoris et viva vox ejus, specialem habent vigorem, et frequenter plus operantur in subditis.
Ut gaudium vestrum sit plenum, id est, *Joann.* xvi, 24.
spirituale gaudium vestrum ex mea præsentia et allocutione perficiatur, atque ad æternæ jucunditatis plenitudinem pertingatis.

13 *Salutant te filii sororis tuæ Electæ.* Habuit ista sancta matrona sororem, quæ (ut asserit Glossa) etiam vocabatur Electa, sicut et ista; et filii ejus erant christiani, ac S. Joannis discipuli, et forsitan apud eum quando hæc scripsit. Porro quod in aliquibus libris subjungitur, Gratia tecum, Amen, non est (ut dicitur) in libris correctis.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM TERTIAM

BEATI JOANNIS

ARTICULUS UNICUS

EXPOSITIO UNICI CAPITULI : SENIOR CAIO CARISSIMO.

1 SENIOR *Caio carissimo, quem ego di-*
ligo in veritate. Sicut refert Hierony-
mus, libro de Viris illustribus, quidam
dixerunt istam ac præcedentem epistolam
non esse S. Joannis apostoli, sed Joannis
presbyteri, quem Papias Hieropolitanus
episcopus, discipulus Joannis apostoli, in
suis opusculis subinde allegat, seniorem-
que vocat, cujus etiam sepulcrum in
Epheso monstrabatur. Sed, quemadmo-
dum tactum est, Ecclesia rationabiliter te-
net, quod hæ duæ epistolæ sint Joannis
apostoli, qui cur senior nuncupetur, in
In II Joann. 1. præcedentis expositione epistolæ est ex-
pressum. Porro Caius iste cui scribit, cre-
ditur fuisse vir ille Corinthius de quo
Rom. xvi, 23. ad Romanos loquitur Paulus : Salutat vos
Caius hospes meus; et prima ad Corin-
I *Cor.* i, 14. thios, Neminem vestrum baptizavi nisi
Crispum et Caium. Sustentavit siquidem
et bene tractavit evangelicæ legis prædi-
catores, virtuosusque fuit : ideo fuit ama-
bilis.

2 *Carissime, de omnibus,* id est pro cun-
ctis ad salutem pertinentibus, *orationem*
facio, ut scilicet in omnibus actibus me-
ritoriis crescas. Ideo subditur : *prospere*
A *te ingredi et valere,* id est, ut feliciter
converseris, proficiendo semper in me-
lius, et valeas mente ac corpore, quatenus
opera misericordiæ copiosius et expedi-
tius prosequaris, *sicut prospere agit ani-*
ma tua, id est, feliciter conversatur, in
virtutibus crescens quotidie. Et ponitur
hic pars pro toto.

Gavisus sum valde in Domino gaudio 3
spirituali, *venientibus fratribus,* id est
Christianis peregrinis et ceteris, *et testi-*
monium perhibentibus veritati tuæ, id
B est conversationi tuæ veraciter virtuosæ,
quam nobis recitaverunt cum certitudine
conjecturali, fiduciali, probabili, *sicut tu*
in veritate ambulas, triplici veritate or-
natus, utpote veritate vitæ, doctrinæ, ju-
stitiæ. Nec est in te hypocritica confi-
ctio, aut vulpina calliditas : quod sanctus
Apostolus potuit, Deo revelante, certitu-
dinaliter scire. *Majorem horum gratiam* 4
non habeo, id est, nihil mihi commodius
vel acceptius reputo inter hæc foris oc-
currentia, *quam ut audiam filios meos*
C spirituales *in veritate ambulare,* id est
in vera et catholica fide, in virtutum sin-
ceritate et justitiæ æqualitate Deo servi-

re. Prælatus enim zelo salutis proximo-
rum potissime sibi commissorum debet
esse omnino accensus, et de eorum spiri-
tuali profectu et conversione magis quam
de omnibus mundi bonis gaudere. Pro-
pter quod Paulus suis scribens discipu-
I *Thess.* III, 8. lis : Tunc, inquit, vivimus, si vos statis
in Domino.
5 *Carissime, fideliter facis,* id est, juxta
exigentiam fidei, quæ requirit ut opera
ei correspondentia fiant, conversaris, quo-
Jacob. II 20. niam sine operibus virtuosis mortua ju-
dicatur. Sic ergo fideliter facis, *quidquid*
operaris in fratres, id est omne opus mi-
sericordiæ quod fidelibus proximis im-
pendis, *et hoc in peregrinos,* quibus mise-
ricordiæ actus impertiri, magis acceptum
est Creatori, de quo in Deuteronomio le-
Deut. X, 18. gitur : Dominus facit judicium pupillo et
6 viduæ, amatque peregrinum. *Qui testimo-*
nium reddiderunt caritati tuæ in con-
spectu Ecclesiæ, id est, coram fidelium
multitudine fassi sunt et dixerunt quod
circa eos caritative et pie te habuisti ;
quos benefaciens deduces digne Deo, id
est, quibus de viatico seu necessariis pro-
videns, deduces seu diriges tam carita-
tive ac reverenter, ut Christi membra ac
servos ad alia loca duci seu dirigi decet.
Quod agens, eris benefaciens seu merito-
Prov. XI, 17. rie operans, quia ut Salomon ait : Bene-
facit animæ suæ vir misericors. Christus
Matth. XXV, 40. quoque in Evangelio : Quod uni (inquit)
ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.
Tit. III, 13. Unde et Paulus scripsit ad Titum : Zenam
legisperitum et Apollo sollicite præmitte,
ut nihil illis desit.
7 *Pro nomine enim ejus profecti sunt,* id
est, pro Dei honore iter peregrinationis
assumpserunt, seu ad prædicandum egres-
si sunt ; vel, ut quidam exponunt, pro
fide Christi a suis concivibus sunt ex-
pulsi ; *nihil accipientes a gentibus,* id est,
ab infidelibus sustentaculum vitæ nec ac-
ceperunt, nec petierunt. Vel hoc ideo di-
citur, quoniam infideles abstulerunt istis
quæ possederunt, quatenus isti pauper-
tate coacti ad idololatriam reverterentur.

A *Nos ergo debemus suscipere hujusmodi,* 8
id est tales bene tractare, *ut cooperatores*
simus veritatis, id est, eis cooperemur
ad exercenda opera fidei ac virtutum, si-
ve ad prædicandum evangelicæ legis do-
ctrinam. Hoc dicit sanctus Apostolus in
persona habentium facultatem faciendi ta-
lia opera misericordiæ. Et quamvis ipse
propria non haberet, tamen ut summus
Asiæ præsul, dispensavit bona Ecclesiæ
pro pauperum sustentatione collata.
Scripsissem forsitan Ecclesiæ, id est 9
B congregationi fidelium in tua civitate mo-
ranti ; *sed is qui amat primatum gerere*
in eis, Diotrephes, non recipit nos, id
est, nostris verbis aut scriptis non acqui-
escit. Diotrephes iste fuit insolens et su-
perbus, hæresiarcha quoque, ut aliqui di-
cunt, et ambitiosus. Et fuit ibi prælatus,
vel ad fratrum præsidentiam adspiravit.
Propter hoc si venero ad vos, *commoneam* 10
(seu, ut aliqui legunt, *commonebo*) *ejus*
opera quæ facit, id est, ea publice repre-
hendam, quoniam publice peccat, præser-
C tim quia salutem impedit aliorum, *verbis*
malignis garriens in nos, id est, impu-
denter detrahens nobis, et nostris contra-
dicens doctrinis. Quocirca loquitur Beda :
Linguas detrahentium sicut nostro vitio
excitare non debemus, ne pereant : ita
ex sua malitia excitatas debemus æqua-
nimiter tolerare, ut nobis meritum cre-
scat ; aliquando autem etiam compescere,
ne dum de nobis mala disseminant, inno-
centium corda, qui bona de nobis audire
poterant, corrumpant. Hinc S. Joannes ob-
D trectatoris sui linguam redarguit, ne alii
a suæ prædicationis audientia impediren-
tur. Hæc Beda. Specialiter vero resisten-
dum est detractori, quempiam de hæreticæ
pravitatis aut infidelitatis vitio mendaci-
ter diffamanti. *Et quasi non ei ista suf-*
ficiant, id est, in tantorum criminum com-
missione non contentatur : sicque quod
ait, Quasi, dicit hic veritatem, non simi-
litudinem tantum ; *nec ipse suscipit fra-*
tres, id est, hospitalitatem non exhibet
peregrinis, atque pauperibus ac prædica-

toribus ; *et eos qui suscipiunt* illos, *prohibet* a tam caritativis ac piis operibus, *et de Ecclesia ejicit,* nisi sibi obediant in præceptis tam vitiosis. Ex quo sequi videtur quod fuit prælatus, et constat quod erat valde perversus.

11 *Carissime, noli imitari malum,* id est prava hujus et consimilium sibi exempla, *sed quod bonum est,* id est aliorum
Ps. xxxvi, 27. opera virtuosa (juxta illud, Declina a ma-
Ps. xvii, 27. lo, et fac bonum), ne cum perverso pervertaris. *Qui bene facit, ex Deo est,* quantum ad hoc quod bene et meritorie agit : quia per Dei gratiam, non propriis viribus, taliter operatur, quemadmodum per Osee
Osee xiii, 9. Dominus loquitur : Perditio tua ex te ; in me tantummodo auxilium tuum. Omnia autem ex Deo sunt, quantum ad id boni quod habent aut sunt, quemadmodum
Rom. xi, 36. Paulus fatetur : Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Electi vero ex Deo sunt, secundum prædestinationem æternam, prout ista superius plenius sunt expressa. *Qui male facit, non videt Deum,* id est, Deum formata et caritativa cognitione non noscit, nec ejus præsentiam efficaciter pensat, neque justitiam ejus rite veretur, sed propria culpa cæcatur : quod de mortali potissime peccato accipitur.

12 *Demetrio testimonium redditur ab omnibus* bonis hominibus eum agnoscentibus, quod scilicet opera virtutum exerceat, et hospitalitati intentus sit, *et ab ipsa veritate,* id est a propria sua justitia, quæ materialiter testimonium perhibet ei, atque a veritate exsistente in aliis formaliter, quos veritas movet ad perhibendum testimonium ei, itemque a judice summo, qui est veritas ipsa. *Sed et nos* Joannes apostolus, ei *testimonium perhibemus,* qui Deo revelante certitudinaliter, aut aliunde probabiliter, scimus justum esse hunc ipsum Demetrium ; *et nosti quoniam testimonium nostrum verum est,* quia a Spiritu Sancto movemur : et quidquid in scriptis redigimus atque asserimus, canonicam habet auctoritatem, et certam ac

A infallibilem veritatem, quia in his a Spiritu Sancto infallibiliter regulamur.

Multa habui scribere tibi ; sed nolui 13
per atramentum et calamum. Spero au- 14
tem protinus te videre, et ore ad os loqui.
Hoc totum in fine præcedentis epistolæ II Joann. 12. habitum est atque expositum. Siquidem, secundum unam considerationem, habuit S. Joannes scribere Caio isti, sed ex alia consideratione, dimisit hoc, quia speravit se in brevi ore tenus locuturum cum illo. *Pax tibi,* id est, tranquillitas mentis B in Deo jugiter tibi insit, etiam in adversis, et tandem in cœlis, ubi nulla erit adversitas. *Salutant te amici* tui et mei qui mecum consistunt. *Saluta amicos nominatim* tuos et meos qui tecum sunt.

Postremo, quoniam in duabus istis compendiosis epistolis frequenter nominata, et variis modis accepta est veritas, pro eorumdem clariori intelligentia obtinenda, sciendum quod in scripturis theologicis ac philosophicis dictis, verum et veritas C multipliciter accipiuntur ac distinguuntur.

Primo itaque dividitur veritas in veritatem increatam, et veritatem creatam. — Veritas increata est ipsemet Deus, seu divina essentia, quæ dicitur vera et veritas. Dicitur enim vera, quoniam summe incommutabilis, uniformis, perfecta, divino intellectui se clarissime repræsentans, pura et omni alieno, omni vano et falso penitus impermixta, omnisque creatæ veritatis origo fontana, exemplaris, æterna, infallibilis regula, invariabilisque D mensura. Et quoniam simplicissima est, idcirco est veritas sua, utpote proprietas divini et omnino necessarii esse. Et quamvis veritas Filio approprietur, propter causam præhabitam, tamen absolute loquendo, cuilibet divinæ Personæ verissime competit, totaque Trinitas adoranda, est veritas una, quemadmodum et una essentia : præsertim quum ens et verum convertantur ; atque ut ait Philosophus, unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem.

Porro veritas creata est multiplex. Est A enim in primis veritas rei, et veritas propositionis. Veritas rei, est veritas naturæ seu entis, non superaddens reale aliquid enti sive essentiæ rei, sed proprietatem quamdam : ita quod res creata dicitur vera duplici ratione. Primo, propter conformitatem suam ad rationem suam causalem ac idealem, quam habet in mente divina : sicque dicitur vera, quia sortita est esse prout Deus per rationem idealem ei dare instituit, seu in quantum imitatur suum esse exemplare, quod habet B in animo Creatoris. Secundo, in quantum apta est facere veram sui apprehensionem in anima intelligentis, seu manifestare se secundum quod est. Veritas autem propositionis, est veritas complexa, quæ est in intellectu formaliter ac subjective, et dicitur adæquatio intellectus ad rem intellectam. Unde, secundum Philosophum, bonum et malum sunt in re, verum et falsum in intellectu. Communiter quoque fertur, quod res dicitur vera per comparationem ad intellectum, et bona in ordi- C ne ad voluntatem ; in propositione autem est tanquam in signo.

Iterum, veritas creata ponitur triplex, videlicet veritas vitæ, veritas doctrinæ, et veritas justitiæ. Veritas vitæ est ipsa rationalis creaturæ conversatio vitalisve actio, secundum divinæ legis rectitudinem regulata, dum agit quæ Deo sunt placita, et ejus jussionibus consona. De qua loquitur Christus : Omnis qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. *Joann.* III, 21. Et Paulus ad Timotheum : Divitibus præcipe non sublime sapere, ut apprehendant veram vitam. *I Tim.* VI, 17, 19. Insuper, veritas doctrinæ est conformitas seu consonantia instructionis mentis creatæ cum sapientia mentis æternæ. Imo hæc veritas est ipsa doctrina, rei de qua agit concordans. De qua asserit Christus, loquens ad Patrem : Sermo tuus veritas est. *Joann.* XVII, 17. Et Paulus ad Galatas : Licet angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. *Galat.* I, 8. At vero veritas justitiæ dupliciter dicitur : primo, secundum quod ipsa justitia est quædam rectitudo ac veritas, increatæ justitiæ sinceritatem et continentiam imitans ; secundo, prout aliquis ex justitia veritatem fatetur, sicut in foro judiciali. De qua veritate fertur in Psalmo : Universæ viæ Domini misericordia et veritas. *Ps.* XXIV, 10. Denique, de hac triplici veritate dixerunt adversarii veritatis ad Veritatem æternam : Magister, scimus quia verax es (in quo tangitur veritas vitæ), et viam Dei in veritate doces (in quo tangitur veritas doctrinæ), et non est tibi cura de aliquo (in quo tangitur veritas justitiæ). *Matth.* XXII, 16. Interdum quoque, sumitur veritas pro virtute morali per quam homo in verbis et factis correspondenter se habet : quod ad veritatem pertinet vitæ, et item aliquo modo ad veritatem justitiæ.

ENARRATIO

IN EPISTOLAM BEATI JUDÆ

ENARRATIO

IN EPISTOLAM BEATI JUDÆ

ARTICULUS PRIMUS

ENARRATIO PRIMI CAPITULI : JUDAS, JESU CHRISTI SERVUS.

1 JUDAS, *Jesu Christi servus, frater autem Jacobi.* Iste est Judas quem evan-
Matth. x, 3; *Marc.* iii, 18. gelistæ Matthæus et Marcus vocant Taddæum, qui Actuum primo Judas Jacobi
Act. i, 13. appellatur; qui etiam, ut in libro de Viris illustribus refert Hieronymus, vocatus est Corculus, id est proprii cordis custos, quia mentis suæ diligentissimus custos
Prov. iv, 23. fuit, juxta illud Proverbiorum : Omni custodia custodi cor tuum. Et quamvis fuit etiam frater Simonis Zelotis apostoli, tamen fratrem Jacobi se appellat, quoniam Jacobus inter eos exstitit principalis, et magis famosus, ac primus Jerosolymitarum antistes. Ad distinctionem quoque Judæ traditoris, vocat se Jacobi fratrem. Cujus humilitas innotescit, quod quamvis fuerit Christi consanguineus tam propinquus atque apostolus, tamen servum se vocat Christi, non apostolum. Fuitque servus Christi servitute filialis timoris ac caritatis, non servilis formidinis.

Hic itaque S. Judas, de quo in Joanne
Joann. xiv, 22. scriptum est : Dixit ei (scilicet Christo) Judas, non ille Iscariotes : Domine, quid factum est quia manifestaturus es nobis te ipsum, et non mundo? Hic, inquam, B. Judas scribit *his qui sunt in Deo Patre dilectis,* id est fidelibus, qui per fidem et caritatem sunt in Patre æterno, et spiritualiter diliguntur a ceteris Christianis in eo, *et* in *Christo Jesu conservatis et vocatis,* id est, qui a Christo sunt conservati in gratia, et vocati ad fidem ac gratiarum charismata, gaudiaque cœlestia.
*Misericordia vobis et pax et caritas ad- 2
impleatur,* id est, gratiosa adsistentia Dei, pax spiritualis, caritasque infusa, perseverent et crescant in vobis in vita præsenti, perficianturque in vobis in patria. Quamvis gratiosa adsistentia Dei non ita habeat locum in Beatis sicut in viatoribus, nihilo minus Beati seu comprehensores indigent indesinenter conservari a Deo in esse, et in bono eis collato, quamvis sint confirmati in bono.

Carissimi, omnem sollicitudinem, id est 3
magnam et perfectam curam seu diligentiam, *faciens scribendi vobis de communi vestra salute,* docendo qualiter impedimenta salutis debeatis vitare, et veram beatitudinem promereri ac obtinere, *necesse habui scribere vobis :* id est, ex parte mei fuit necessarium mihi scribere vobis, quatenus debitum officii mei apostolatus circa vos adimplerem, quia ex injuncto officio habeo vos docere. Fuit item necessarium ex parte vestri, ne ab hæreticis et perversis fallamini (ut infra dicetur). *Deprecans supercertari,* hoc est, rogans ut strenue certetis seu præliemini, *semel traditæ sanctis fidei,* id est pro

defensione ac virtuosa peroratione fidei A catholicæ, quæ semel tradita est sanctis, id est a Deo infusa electis et virtuosis fidelibus, vel, vobis tradita est a sanctis Apostolis semel, utpote in vestra conversione ad Christum. Vult ergo Apostolus ut contra invisibiles atque visibiles hostes pugnent Christiani pro fidei defensione : pugnent, inquam, tentationibus resistendo, orando, lacrimando, sanctis operibus insistendo, martyrium sustinendo. Porro brachio sæculari in certis casibus licitum est, imo incumbit, materiali gla- B dio pro fide pugnare, et perfidos expugnare. Hinc scriptum est in Ecclesiastico :
Eccli. IV, 33. Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te. Et Paulus Timo-
I *Tim.* VI, 12. theum exhortans : Certa, inquit, bonum certamen fidei. Iterumque de se ipso :
II *Tim.* IV, 7. Bonum, ait, certamen certavi.

Consequenter tangit cur eis hæc scripsit, videlicet propter deceptores et hæresiarchas, ne eorum perversis dogmati-
4 bus deciperentur. *Subintroierunt enim,* C id est, astute et sub specie religiositatis introierunt inter conversos, eis se callide admiscendo [*quidam homines*] *qui olim præscripti sunt,* id est denuntiati, et in Scripturis præfigurati, vel, ab æterno prævisi atque præsciti a Deo, *impii,* contra verum Dei cultum peccantes atque docentes : præscripti, inquam, *in hoc judicium,* id est ad condemnationem istam quam reprobis docet Scriptura infligendam. Prædixit enim et præfiguravit Scriptura eos esse venturos, et ad damnationem perpe- D tuam ruituros. Loquitur itaque nunc de judicio reprobationis et condemnationis.
Joann. V, 24. De quo ait Salvator : Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit.
Ibid. 29. Et denuo : Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

Hi itaque subintroierunt, *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam,* id est, Christi pietate abutentes, et ejus occasione ad vitia carnalia corruentes. Ex quo enim lex Christi est lex pietatis, sicut lex Moysis lex rigoris, quia Christus non præcepit transgressores suæ legis statim in hac vita ita puniri, lapidari, incendi aut jugulari, sicut lex Moysis ; ideo isti tanto intimoratius atque liberius peccaverunt carnaliterque vixerunt, quanto minus metuebant se per hoc in hac vita taliter puniendos. Tales sunt omnes qui non intuitu et amore Dei, seu timore divini judicii, retrahuntur a vitiis. — Vel sic : Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, id est, fidei christianæ ac legi evangelicæ admiscentes carnalia oblectamenta. Nam ut plures allicerent sibi discipulos, carnalia opera, crapulosa, lubrica, eis tanquam licita concesserunt, et frequenter talia exercuerunt. De talibus ad Timotheum loquitur Paulus : Erunt ho- II *Tim.* III, 2, 4, 5. mines amantes se ipsos, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes ; et hos devita. Alibi quoque : Quæ in occulto (inquit) fiunt ab eis, turpe *Ephes.* V, 12. est et dicere.

Et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes, id est, de Christo impie sentientes, vel veram ejus divinitatem, aut veram humanitatem negantes, aut ipsum per reprobam fidem abnuentes, juxta illud ad Titum : Confi- *Tit.* I, 16. tentur se nosse Deum, factis autem negant, quum sint abominati et reprobi. Dicitur autem Christus solus Dominator et Dominus, in quantum Deus, non quod Pater, et consimiliter Spiritus Sanctus, non sint Dominator et Dominus, sed quoniam Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Dominator et Dominus, sicut sunt unus Creator et unus Deus, propter unitatem et identitatem naturæ in tribus Personis. Unde in tali propositione ista vox, Solus, excludit aliud seu diversum, non alterum seu alium. Pater autem et Spiritus Sanctus non sunt diversum aut aliud a Filio, quamvis unusquisque eorum sit a Filio alter seu alius, alia scilicet persona. Præ-

terea, qualiter dictio exclusiva possit addi in divinis ex parte subjecti, et quomodo ex parte prædicati, et qualiter trino essentiali cum prædicamento personali, qualiter etiam econverso, primo Sententiarum, distinctione 21, discutitur. Per verba vero hæc præinducta, sanctus apostolus Judas Christi divinitatem clare fatetur : quod item facit per verba textus sequentia.

Hinc Christus est Dominator de quo cantat Ecclesia : Ecce advenit Dominator Dominus, et regnum in manu ejus, et potestas et imperium. De quo Daniel ait : (*Dan.* VII, 13, 14.) Adspiciebam in visione noctis, et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit ; et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum ; et omnes populi, tribus et linguæ servient ei ; potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur. In quibus verbis personalis distinctio Patris et Filii, et duplex Christi natura, divina scilicet et humana, unitasque personæ, evidenter tanguntur. De quo etiam ait (*Ps.* LXXI, 8, 11, 17.) Psalmista : Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum ; et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei ; sit nomen ejus benedictum in sæcula, ante solem permanet nomen ejus. In quibus utique verbis idem ostenditur.

5 *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia :* id est, ad eorum quæ scitis memoriam revocare, et ad eorum fructuosam attentionem incitare vos volo ; scientes semel omnia, id est, qui ex primordiali vestra informatione scitis omnia quæ sunt fidei, atque necessaria sunt saluti : idcirco non indigetis de hoc noviter informari, sed plenius instrui, exhortari, atque ad actualem recordationem eorum quæ habitualiter scitis reduci : sicut et (*Rom.* XV, 15.) Paulus ait, Tanquam in memoriam vos reducens. *Quoniam Jesus populum suum de terra Ægypti salvans,* id est, filios (*Exod.* XIII, XIV.) Israel per Moysen de terra et servitute

A Ægyptiaca liberans : quod verificatur de Jesu secundum suam divinam naturam ac omnipotentiam, et prout supponit increatam hypostasim seu personam, secundum quam Jesus est Deus æternus ubique præsens, et omnia implens. Qui ait : Antequam Abraham fieret, ego sum. (*Joann.* VIII, 58.) Qui etiam Nicodemum corporaliter ac præsentialiter alloquens, dixit : Nemo ascendit (*Ibid.* III, 13.) in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Quamvis ergo tempore Moysis Jesus nondum fuerat B homo, tamen persona Jesu tunc et æternaliter fuit. Idcirco ad commendandam unitatem personæ utriusque naturæ in Christo, ista dicuntur. *Secundo eos qui non crediderunt, perdidit,* id est, altera vice post illam eductionem, incredulos et rebelles filios Israel in deserto prostravit, et variis plagis peremit, ut patet in libris Exodi et Numerorum. (*Exod.* XXXII, 28 ; *Num.* XI, 33 ; XIV, XVI, XXI, XXV.) Eos quoque qui in sua percussione non pœnituerunt, in æternum damnavit. Nec obstat illud Nahum, (*Nahum* I, 9.) Non consurget duplex tribulatio : C ubi Septuaginta transtulerunt, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum. Hoc enim intelligitur, quando una tribulatio est pœna peccati sufficiens, et quando tribulatus suam recognoscit culpam ac pœnitet, prout hoc in Decreto plene exponitur.

Porro de expositione verbi hujus Judæ apostoli, dictum est plenius super illud Petri : (II *Petr.* II, 9.) Novit Dominus pios de tentatione eripere. Quemadmodum ergo Christus filios Israel, quos primo de Ægypto redemit, (*Exod.* XIV.) et per mare Rubrum deduxit, quum D clamassent ad eum, postea incredulos et rebelles perdidit ; ita et nunc eos quos regeneravit Baptismate, si non permanserint in fidei sinceritate et evangelicæ legis observatione, debite puniet. Et hoc consequenter probatur exemplo dejectionis angelorum peccantium.

Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, 6 id est, in choro seu ordine suo quo conditi erant et constituti, non manserunt stantes, *sed dereliquerunt suum domicilium,* id est mansionem cœ-

lestem seu cœli empyrei locum, *in judi-* A
cium magni Dei vinculis æternis sub cali-
gine reservavit. Ordo verborum est : Jesus
angelos illos reservavit sub caligine, id
est in aere caliginoso, in judicium magni
Dei, id est usque ad diem generalis ju-
dicii, in quo Deus Trinitas judicabit per
principalem auctoritatem. Christus vero
secundum naturam assumptam, faciet ju-
dicii exsecutionem per ministerialem po-
testatem, quia per ipsum Deus altissimus
Act. xvii, 31. judicabit, secundum illud Actuum : Deus
judicaturus est orbem in æquitate, in viro B
quem statuit. Porro quod ait, Vinculis
æternis, referri potest ad verbum, Reser-
vavit, in habitudine ablativi casus : ut
sit sensus, quod reservavit eos perpetua
obligatione reatus vinctos et compeditos,
Prov. v, 22 juxta illud Proverbiorum, Iniquitates suæ
capient impium, et funibus peccatorum
suorum constringetur. Potest quoque re-
ferri ad verbum, Reservavit, in habitu-
dine casus dativi : eritque sensus, quod
reservavit eos perpetuæ reclusioni, com-
pedibusque inferni, de quibus Christus C
Matth. xxii, 13. in Evangelio, Ligatis (inquit) manibus et
pedibus, mittite eum in tenebras exte-
Is. xxiv, 21, 22. riores. Unde in Isaia habetur : In illa die
visitabit Dominus super militiam cœli ; et
congregabuntur in congregatione unius fa-
scis in lacum ; et claudentur ibi in car-
cere. De hac re plenius dictum est super
II *Petr.* ii, 4. illud Petri, Si Deus angelis peccantibus
non pepercit : ubi hæc eadem continetur
sententia.

Deinde ponitur tertium exemplum ad
7 idem probandum. *Sicut Sodoma et Go-* D
Gen. xix, 24, 25; *Deut.* xxix, 23. *morrha et finitimæ,* id est eis propinquæ,
civitates, videlicet Adama, Seboim, Segor,
simili modo exfornicatæ, id est easdem
luxurias cum Sodomitis exercentes, *et ab-*
euntes post carnem alteram, id est vitium
contra naturam sequentes, quod agebant
cum carne altera quam natura requirit et
auctor naturæ instituit, masculis in ma-
sculos, et feminis in feminas turpitudi-
nem operantibus ; *facti sunt exemplum*
ignis æterni, pœnam sustinentes, id est,
prædicti Sodomitæ, etc., sustinentes pœ-
nam ignis et sulfuris in Genesi descri-
ptam, facti sunt exemplum ignis æterni, id
est, figura seu typus facti sunt perpetuæ
damnationis ac infernalis incendii, quæ
per illorum punitionem sunt præsignata.
Et istud in secunda Petri habetur, pleni- II *Petr.* ii, 6.
usque est elucidatum.

Similiter et hi carnem quidem macu- 8
lant, id est, præfati hæretici et seductores
lascivi, corpora sua diversis luxuriæ fœ-
ditatibus inquinant : per quod Sodomitis
assimilantur ; *dominationem autem sper-*
nunt, id est, sanctis Apostolis, summis
Ecclesiæ prælatis, obedire et consentire
contemnunt : propter quod conformantur
apostatis angelis, Deo subesse negligenti-
bus, quales sunt subditi impii ac rebel-
les, suis superioribus recalcitrantes ; *maje-*
statem autem blasphemant, id est, Christi
deitatem ac omnipotentiam negant, seu
aliis modis enormiter inhonorant : quod
quam grave sit scelus, consequenter pro-
batur.

Quum Michael archangelus cum dia- 9
bolo disputans, altercaretur de Moysis
corpore, non est ausus judicium inferre
blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Do-
minus. Circa hoc loquitur Beda : De qui-
bus scripturis Judas hoc testimonium as-
sumpserit, non facile patet ; et rursus,
quando de Moysis corpore contentionem
cum diabolo Michael habuerit, incertum
est. Sed quidquid sit de hoc, ad creden-
dum sic contigisse, sufficit sancti Apostoli
hujus auctoritas, qui ex Spiritu Sancto
hæc scripsit. Nec oportuit eum istud de
Scripturis assumere, quia non omnia scri-
pta sunt : sicut et Paulus in Actibus ait,
Oportet meminisse verbi Domini Jesu, Bea- *Act.* xx, 35.
tius est dare quam accipere : quod a nullo
Evangelistarum scriptum est. Probabili-
ter ergo tenendum est, quod altercatio
ista inter archangelum Michaelem et dia-
bolum contigit Moyse sepulto : cujus se-
pulcrum voluit Deus esse et manere igno-
tum, ne filii Israel ad idololatriam proni,
illud effoderent, et divinis honorarent

honoribus, seu adorarent. Quod eos facturos fuisse inde potest ostendi, quod *Num.* xxi, 9. serpenti æneo a Moyse facto adolebant incensum usque ad tempus Ezechiæ regis, IV *Reg.* xviii, 4. qui serpentem illum confregit, ut quarto Regum habetur.

Est igitur sensus : *Quum Michael archangelus cum diabolo disputans,* id est contra diabolum rationabiliter loquens, *altercaretur,* id est, dissentiret a diabolo, *de Moysis corpore :* quoniam tanquam princeps Synagogæ voluit corpus illud manere absconditum, ne plebs sibi commissa peccaret, diabolus vero voluit illud manifestare Judæis, quatenus superstitiose ipsum venerarentur seu adorarent; *non est ausus,* id est, non voluit, *judicium inferre blasphemiæ,* id est, indecentem aut derogatoriam divino honori increpationem diabolo facere : et hoc, propter naturam diaboli bonam, in qua Dei similitudo resplendet : propter quod secundum se contemnenda non fuit; *sed dixit* diabolo, *Imperet tibi Dominus,* id est, modesto verbo coercuit dæmonem, dicens : Jubeat tibi Dominus, ut nec possis, nec audeas corpus Moysis manifestare. Sic et angelus apud Zachariam legitur dixisse diabolo adversanti Jesu sacerdoti filio Josedec : *Zach.* iii, 2. Increpet Dominus in te, Satan, et increpet Dominus in te. Ex quibus patet, quod Christo inferre blasphemiam sit incomparabiliter gravius, in quantum ipse est Deus.

Dicitur autem Michael archangelus, non quia de choro sit Archangelorum, qui chorus in infima hierarchia angelica est medius, quum sit de ordine Principatuum *Dan.* xii, 1. (unde in Daniele vocatur princeps magnus, et nunc præest militanti Ecclesiæ,

A sicut tunc Synagogæ) ; sed archangelus appellatur, quantum ad nominis interpretationem communem, quasi princeps angelicus seu inter angelos plurimos principalis. Nam, sicut angeli uno modo dicuntur omnes angelici spiritus, alio modo soli spiritus de infimo choro; ita archangeli uno modo dicuntur omnes angeli ordinum superiorum, alio modo soli spiritus de medio ordine infimæ angelicæ hierarchiæ.

Hi autem quæcumque quidem ignorant, B *blasphemant,* id est, præfati seductores hæretici incomprehensibilia fidei, quæ intelligere nequeunt, negant et inhonorant, ut quod Deus est unus et trinus, quod Christus est Deus et homo. *Quæcumque autem naturaliter, tanquam bruta animalia, norunt,* id est, quæ sensitiva cognitione brutis conveniente agnoscunt, et sibi quasi delectabilia apprehendunt, *in his corrumpuntur,* id est, talibus male utuntur, et in eis damnabiliter delectantur, eisque inordinate, et magis quam summo bono, ad- C hærent : quod totum est spiritualis corruptio, læsio, divisio, imo interitio animæ, juxta illud in Psalmo, Corrupti sunt, et *Ps.* lii, 2. abominabiles facti sunt in iniquitatibus ; et illud Osee, Divisum est cor eorum, nunc *Osee* x, 2. interibunt. Isti sunt bestiis similes, quoniam instar brutorum, temporalia, sensibilia et terrena, ad spiritualia et divina non referunt, sed eis propter se inhærent, in quantum aliquid habent delectabilitatis, utilitatis, sive decoris, per quæ fiunt amabilia istis carnalibus ac perversis ho- D minibus. Unde Sapiens dicit : Creaturæ *Sap.* xiv, 11. factæ sunt in tentationem animæ hominum, et in muscipulam ac laqueum pedibus insipientium.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : VÆ ILLIS QUI IN VIA CAIN ABIERUNT.

EODEM fervore quo beatissimi apostoli Petrus et Joannes contra insurgentes hæresiarchas ac deceptores carnales et fictos scripserunt, etiam gloriosus iste apostolus Judas contra eosdem scripsit. Contra quos consequenter subjungit :

11 *Væ* æternæ damnationis debetur et im-
Gen. iv, 3 minet *illis qui in via Cain abierunt,* id
et seq. est, invidiam Cain sequentes, recesserunt
Num. xxii- mente a Deo, *et errore Balaam mercede*
xxiii ; xxxi, *effusi sunt,* id est, ex deceptione qua Ba-
16. laam ariolus fuit deceptus, cupiditate ad vitia diversa sunt fusi, seu corde extenti; B vel, Effusi sunt, id est, gratiarum charismata perdiderunt, evacuati corde ab illis. Hæc est vitiosa effusio. Est autem et virtuosa effusio, qua homo cordis sui pia desideria offert Deo, et anxietates ac gemitus suos exponit et recitat coram eo,
Thren. ii, juxta illud Threnorum : Effunde sicut
19. aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Porro, omne peccatum voluntatis, venit ex errore aliquo intellectus, hoc est ex aliqua inconsideratione, inadvertentia, falsa opinione, hæretica pravitate, in- C fidelitate, similive radice. Idcirco notanter ac subtiliter loquitur S. Judas : Errore Balaam mercede effusi sunt. Error vero intellectus Balaam, fuit inconsideratio districtionis divini judicii, et vitium superstitionis. Nam fuit ariolus auguriisque in-
Num. xxii, tentus, prout in Numeris habetur. Ex
5. quibus erroribus ad vitiosum temporalium rerum amorem dilapsus est; voluitque maledicere populo Dei. Et inde a Deo
Ibid. xxxi, prohibitus, dedit regi Balac consilium su-
16. perpravissimum contra populum illum, D ut scilicet per mulieres Madianitas traherentur ad idololatrias ac adulteria. — Væ
Ibid. xvi. etiam illis qui *et in contradictione Core* A *perierunt,* qui rebellionem ipsius sequentes, ad ambitionem dilapsi sunt, jamque perierunt in anima, et æterna damnatione meruerunt perire.

Omnium horum scelera præfati hæretici sunt secuti : quia ex invidia sanctos Apostolos et eorum coadjutores persequebantur; et propter carnalia commoda induxerunt dogmata nova, quibus plurimos deceperunt; desiderio quoque primatus se contra Apostolos erexerunt. Insuper viam Cain sequuntur invidi, viam Balaam avari, viam Core ambitiosi, inobedientes, superbi, præsumptuosi.

Hi sunt in epulis suis maculæ, id est, 12
prædicti hæretici et perversi, in suis epulationibus tam immoderate se habent, ut non solum maculati, sed et maculæ merito nuncupentur, præsertim quia non solum se ipsos contaminant, sed et alios quos ad vitia trahunt, commaculant. Juxta quem modum Paulus scribit Ephesiis :
Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux Ephes. v, 8.
in Domino. *Convivantes sine timore,* id est, absque formidine offensionis divinæ crapulose viventes, ideoque comedendo graviter excedentes : quoniam timor Domini retrahit hominem a peccato, quemad-
modum in Proverbiis legitur : Per timorem Prov. xv,
declinat omnis a malo; et in Ecclesiasti- 27.
co, Timor Domini expellit peccatum. Id- Eccli. i, 27.
circo qui sine timore Dei manducat, aut aliud quidpiam agit, multas incidit culpas. Specialiter quoque indiget homo timore Dei in comedendo, quia in comestione sunt variæ occasiones peccandi, quas absque timore Domini homo non vitat. Ex quo duo eliciuntur. Primum est, ut cum Dei timore sumamus cibum et potum, quemadmodum in libro Tobiæ asse-

Tob. IX, 12. ritur : Cum timore Domini celebraverunt
nuptiarum convivium. Secundum est, ut
in omni quod agimus, Dei præsentiam at-
que judicium perpendamus, sicque uni-
versis actibus nostris timorem Domini
Eccli. I, 22. superponamus. Hinc timor Dei vocatur co-
Job IX, 28. rona justitiæ. Et sanctus Job ait : Verebar
omnia opera mea, sciens quod non par-
ceres delinquenti. In Ecclesiastico quoque
Eccli. I, 28. conscriptum est : Qui sine timore est, ju-
Ibid. XVIII, 27. stificari non potest; et, Sapiens in omni-
bus metuit. [*Semetipsos pascentes.*]

Nubes sine aqua : id est, quemadmodum
virtuosi prædicatores nubibus comparan-
tur, quoniam verba sapientiæ pluunt, vir-
tutibus fulgent, ad sublimia per contem-
plationem levantur, et conversationem
habent in cœlis (de quibus per Isaiam
Is. LX, 8. loquitur Spiritus Sanctus : Qui sunt isti
Ibid. V, 6. qui ut nubes volant ? et rursus, Manda-
bo, inquit, nubibus meis ne pluant super
Ps. XXXV, 6. eam imbrem ; atque in Psalmo, Veritas
tua usque ad nubes); sic isti hæretici et
seductores, nubes sine aqua sapientiæ sa-
lutaris vocantur, quoniam audientium cor-
da salubri doctrina non rigant ; *quæ a
ventis circumferuntur,* quoniam instar le-
vium nubium, a malignis spiritibus et
elationum vanitatumque motibus impel-
Ephes. IV, 14. luntur. Contra quod Paulus hortatur : Non
circumferamini omni vento doctrinæ.

Arbores autumnales : nam sicut arbo-
res in autumno folia habent, non fructus,
præsertim in terra promissionis ; sic isti
apparentiam tantum habent, non exsisten-
tiam, virtutum virtuosorumque actuum.
Ideo subditur : *infructuosæ,* quoniam bo-
na quæ exercere videntur, non sunt vere
fructus virtutum ; *bis mortuæ :* quia pro-
pter peccata omissionis sunt mortui uno
Matth. III, 10; VII, 19. modo, juxta illud, Omnis arbor quæ non
facit fructum bonum, excidetur, et in
ignem mittetur ; et propter peccata com-
missionis sunt mortui alio modo, quum
I Tim. V, 6. dicat Apostolus, Vidua quæ in deliciis vi-
vit, vivens mortua est. Fuerunt etiam se-
mel mortui vitiis ante Baptismum, et al-
tera vice, recidivando atque in hæresim

A ruendo post Baptismum. *Eradicatæ* ab
unitate Ecclesiæ, ac individua caritate. De
quibus secundo Regum loquitur David :
Prævaricatores quasi spinæ evellentur. Et II *Reg.* XXIII, 6.
Paulus ad Romanos : Propter infidelitatem *Rom.* XI, 20.
excisi sunt. Econtra ait de justis : In ca- *Ephes.* III, 17.
ritate radicati et fundati.

Fluctus feri maris, id est similes flu- 13
ctibus maris amari et ferocis seu turbu-
lenti : quod dicitur ferum, non quasi mala
sit ejus natura, sed propter suum effe-
ctum, quoniam multi in eo merguntur, aut
B tribulantur ac spoliantur, suntque diver-
sa ejus pericula. Hujusmodi maris flu-
ctibus isti per suam inquietudinem ama-
ritudinemque consimiles sunt, quoniam
alios inquietant, et pacem turbant Eccle-
siæ, plurimosque amaricant. Hinc in Isaia
legitur : Impii quasi mare fervens, quod *Is.* LVII, 20.
quiescere non potest. *Despumantes suas
confusiones,* id est, confusibiles suos er-
rores ad infernalem confusionem trahen-
tes, per modum spumæ diffundentes et
multiplicantes. Sicque B. Judas servat me-
C taphoram, quia marini fluctus spumant.

Sidera errantia. Sidera errantia dicun-
tur stellæ non fixæ, utpote septem pla-
netæ, quæ præter motum orbium suorum
proprios habent motus, atque quotidie in
alio loco quam pridie oriuntur et occi-
dunt, habentque motus varios et incer-
tos. Quibus comparantur præfati hæretici
et iniqui, quoniam per errores et vitia
fluctuant, nec in uniformi stant regula
veritatis, nec in Ecclesia quasi in orbe
figuntur, sed proprios habent motus er-
D ronei intellectus ac impiæ voluntatis, ir-
refrenatæque sensualitatis. Quibus compe-
tit illud in Psalmo : In circuitu impii *Ps.* XI, 9.
ambulant ; et iterum : Deus meus, pone *Ps.* LXXXII, 14.
illos ut rotam. Quod item fertur in Isaia :
Deus miscuit in medio ejus spiritum ver- *Is.* XIX, 14.
tiginis. *Quibus procella tenebrarum,* id
est tempestas infernalis caliginis, *conser-
vata est in æternum :* quia ut ait Salva-
tor, mittentur in tenebras exteriores. De *Matth* VIII, 12.
quibus Psalmista : Ignis, inquit, sulfur et *Ps.* X, 7.
spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Consequenter dicto prophetico probat A
14 quod dixit. *Prophetavit autem de his
septimus ab Adam Enoch*, qui septimus
fuit ab Adam, eis pariter computatis, ut
patet in Genesi. Unde in exordio primi
Paralipomenon libri legitur : Adam, Seth,
Enos, Cainan, Malalèel, Jared, Enoch. *Ec-
ce venit Dominus in sanctis millibus suis*
15 *facere judicium,* id est, Dei Filius, Deus
veraciter incarnatus, in natura assumpta
in fine mundi venturus est inter om-
nium angelorum supernorumque civium
agmina facere judicium, juxta illud Isaiæ: B
Is. iii, 14. Dominus ad judicium veniet cum senibus
populi sui, et principibus ejus ; *contra
omnes :* non penitus contra omnes, sed
contra reprobos universos. Propter quod
expositorie subditur : *et arguere omnes
impios* qui non pœnituerunt, nec deces-
serunt in gratia ab hac vita, *de omnibus
operibus impietatis eorum, quibus impie
egerunt,* videlicet contra Dei legem et cul-
tum, *et de omnibus duris quæ locuti sunt
contra Deum,* id est contra Dei præcepta
seu monita, vel directe contra Deum, fal- C
se loquendo de eo, aut irreverenter, *pec-*
Matth. xii, 36. *catores impii.* Imo de omni verbo otioso
reddenda est in die judicii ratio, atque
de omni cogitatione mala affectioneque
prava, et omissione culpabili, quoniam
immensa Dei justitia nil indiscussum, nil
irremuneratum relinquet.

Circa hunc locum scribit Beda : Scien-
dum quod liber Enoch, de quo verba hæc
Judas sumpsit, inter apocrypha ab Eccle-
sia reputatur, non quia dicta tanti Patri-
archæ abjicienda sint, sed quoniam liber D
ille, non ab Enoch, sed ab alio sub no-
mine ejus, scriptus videtur. Si enim scri-
ptus esset ab Enoch, non contineret con-
traria fidei sanæ. Nunc autem quoniam
multa incredibilia continet (ex quibus est
illud, quod gigantes non habuerunt ho-
mines, sed angelos, patres), sapientibus
constat librum illum non vere ab Enoch
compositum. Propter quod ista Judæ epi-
stola, quia de libro apocrypho testimonium
sumpsit, primis temporibus a plerisque
rejiciebatur. Nunc tamen auctoritate, ve-
tustate et usu meruit inter sanctas com-
putari Scripturas, maxime quoniam tale
testimonium de apocrypho Judas assum-
psit, quod non apocryphum, sed vera est
luce perspicuum. Hæc Beda. Verumtamen,
si bene pensemus, non videtur sanctus
iste Apostolus Spiritu Sancto repletus, li-
brum Enoch apocryphum, sed verissima
verba Enoch patriarchæ allegare. Quæ ver-
ba assumpsit, non quia in libro continen-
tur apocrypho, sed quoniam Deo revelan-
te, scivit ea ab Enoch esse prolata : sicut
et Moyses aliqua verba Abrahæ recitat,
quæ Deo revelante noverat ab Abraham
esse pronuntiata.

Hi, scilicet prædicti hæretici, seducto-
16 res, carnales et ficti, *sunt murmuratores*
contra divina judicia, et contra veros præ-
dicatores, *querulosi,* id est impatientes :
ideo quando non prospere eis successit,
sed tangebantur adversis, murmurabant
et conquerebantur, ac suas indigentias ex-
posuerunt his quos decipiebant, ut ab eis
temporalia extorquerent. *Secundum desi-
deria sua ambulantes,* proprias affectio-
nes sequendo, carnaliterque vivendo. De
quibus loquitur Paulus : Multi ambulant Philipp. iii, 18, 19.
quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et
flens dico, inimicos crucis Christi, quo-
rum Deus venter est, etc. *Et os illorum
loquitur superbiam,* quoniam jactant et
laudant se ipsos, quum sint magni in ocu-
lis suis. Quibus Isaias ait : Væ qui sapi- Is. v, 21.
entes estis in oculis vestris. *Mirantes,* id
est, magnifice extollentes seu commen-
dantes, *personas,* potissime divites ac po-
tentes, *quæstus causa,* id est desiderio seu
intentione proprii lucri seu commodi :
quia ob hoc divitibus blandiebantur, ut
plura ab eis acquirerent. De quibus in
Isaia scriptum est : Popule meus, qui te Ibid. iii, 12.
beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam
gressuum tuorum dissipant.

Tales erant et pseudoprophetæ in ve-
teri Testamento : contra quos in Jeremia,
Michæa, aliisque Prophetis multa scribun-
tur. Contra quos Ezechiel vaticinatur : Væ Ezech. xiii, 18.

qui consuunt pulvillos sub omni cubito, etc. Quorum impietatem nunc usque multi avari, carnales, injusti sacerdotes, prælati, prædicatores, ac alii imitantur, non Dei honorem, nec animarum salutem, sed propria commoda vitiosissime exquirentes : in quibus regnat affectio commodi, non honesti, amorque sui, non amor Dei. De quibus Paulus : Omnes, ait, quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. — Denique, tanto quis amplius murmurat atque conqueritur de præsentibus vitæ laboribus, quanto minus in se exstinxit desideria carnis. Qui vero spiritualibus desideriis sunt accensi, quanto diligentius sola superna desiderant, tanto libentius transitoria cuncta, adversa, paupertatemque tolerant. De prætactis vero quæstus causa personas mirantibus, loquitur Paulus ad Timotheum : Homines mente corrupti, qui veritate privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem. Et sicut ibidem subjungitur, Quæstus magnus (id est spiritualis et verus) est pietas cum sufficientia.

Philipp. II, 21. — I *Tim.* VI, 5. — *Ibid.* 6.

17 *Vos autem, carissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi.* Ecce quam humiliter loquitur sanctus iste Apostolus, quasi unus Apostolorum non exstitisset.

18 *Qui dicebant vobis, quoniam in novissimis diebus,* præsertim tempore Antichristi, *venient illusores,* id est deceptores simplicium, per fictam religiositatem ac aliis modis illudentes : de quibus in Proverbiis fertur, Illusores Deus deludet ; *secundum desideria sua ambulantes in impietatibus,* id est juxta propria vota viventes, quæ sunt affectiones impietatum, a vero Dei cultu impedientes, de quo juxta antiquam translationem in Job asseritur : Ecce cultus Dei ipsa est pietas. Tales vero ab initio primitivæ Ecclesiæ cœperunt venire. Ideo subditur :

Prov III 34. — *Job* XXVIII, 28.

19 *Hi sunt qui segregant semetipsos* ab ecclesiastica unitate, et devotorum fratrum communione. Cui contrarium ad Hebræos scribitur : Considaremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum, non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam. *Animales,* id est sensuales, carnalitatem sectantes, *spiritum non habentes,* id est caritatem et gratiam Spiritus Sancti, per quam fideles uniuntur in mystico corpore Ecclesiæ, et in Christo ejus capite : idcirco non sapiunt quæ Dei sunt. Tales sunt homines immansueti, pertinaces, indociles, in quibus vitium regnat singularitatis, qui plerumque se reputant aliis spiritualiores, et novitates inducunt. Contra quod ad Philippenses affectuosissime Vas electionis hortatur : Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes.

Hebr. X, 24, 25. — *Philipp.* II, 1, 2.

20 *Vos autem, carissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei,* id est, vos ipsos in fide catholica per virtuosa exercitia stabilite, et fidei fundamento jugiter inhærete. Dicitur autem fides christiana sanctissima, quum sit supernalis radius increatæ veritatis, de supersanctissimo Deo uno ac trino, incarnationeque Verbi mentem illustrans. *In Spiritu Sancto orantes,* id est, vere salubria cum attentione fervida, prece assidua, postulantes secundum instinctum, directionem et inflammationem Spiritus Sancti : juxta illud ad Corinthios, Orabo spiritu, orabo et mente. Idcirco ait Salvator : Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate ; Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Quo constat, quod qui absque attentione et diligentia orat, non proprie orat, quum oratio sit ascensus mentis in Deum, ut asserit Damascenus.

I *Cor.* XIV, 15. — *Joann.* IV, 23, 24.

21 *Vosmetipsos in dilectione Dei servate,* id est, divina præcepta implete, opera caritatis continuate, corda vestra per ardentes affectus ad Deum frequenter erigite. Nempe per hæc caritas Dei conservatur, nutritur, perficitur. Si autem quis negligens sit, et loco ac tempore opportuno actus

caritatis non faciat, caritatem amittit ; A
multoque plus meretur ea privari, si ali-
quid caritati contrarium operetur. Hinc ad
Coloss. III, 14. Colossenses dicitur : Super omnia carita-
tem habete. *Exspectantes misericordiam*
Domini nostri Jesu Christi, id est, gra-
tiosum Christi auxilium, ejus piissimam
conservationem indesinentem, et finem
salubrem, incessabiliter præstolantes ac
invocantes, *in vitam æternam,* id est, ut
per hoc perpetuam obtineatis felicitatem.
22 *Et hos quidem arguite judicatos,* id
est, hæreticos obstinatos, qui ob suam in- B
fidelitatem jam judicati dicuntur, secun-
Joann. III, 18. dum illud, Qui non credit, jam judicatus
est : hos, inquam, arguite, id est redar-
guite, eorum ostendendo errorem, ne de-
cipiant alios, vel eos præsentialiter incre-
pando ac informando, si aliqua de eorum
reductione spes habeatur ; observando ta-
Tit. III, 10, 11. men quod loquitur Paulus : Hæreticum
hominem post unam et secundam corre-
ptionem devita, sciens quia subversus est
qui hujusmodi est, et delinquit, proprio
23 judicio condemnatus. *Illos vero salvate,* C
id est, peccatores non obstinatos hortan-
do, exemplariter conversando, orando, ad
viam salutis reducite, *de igne rapientes,*
id est, de fervore libidinis, aliorumque
vitiorum fervore eos avertentes, atque per
hoc ab infernali incendio quod merue-
runt, eos eripientes : quia ut dicit Jaco-
Jacob. V, 20. bus, Qui converti fecerit peccatorem ab
errore viæ suæ, salvabit animam ejus a
morte. *Aliis autem miseremini,* id est,
quos convertere non potestis, eis condo-
lete, et orate pro illis. *In timore :* id est, D
cum Dei timore hæc omnia agite, non
præsumentes de viribus vestris, neque
inaniter gloriantes, sed de proprio peri-
culo formidolosi ac providi : juxta illud
I Cor. X, 12. ad Corinthios, Qui se existimat stare, vi-
Galat. VI, 1. deat ne cadat ; atque ad Galatas : Si præ-
occupatus fuerit homo in aliquo delicto,
vos qui spirituales estis, hujusmodi in-
struite in spiritu lenitatis, considerans te
ipsum, ne et tu tenteris.
Odientes eam, quæ carnalis est, macu-
latam tunicam. Per maculatam tunicam
et carnalem, intelligi potest conversatio
prava, qua peccator se operit. De qua
Sponsa ait in Canticis : Exui tunicam *Cant.* V, 3.
meam, quomodo induar illam ? Hæc tuni-
ca absolute est odienda, quum sit malum
culpæ, de quo loquitur Paulus : Odientes *Rom.* XII, 9.
malum. Potest quoque per tunicam istam
intelligi corpus istud mortale, variis cul-
pis fœdatum, quum exhibitum fuit arma *Ibid.* VI, 13.
iniquitatis peccato : quod est quasi quod-
dam animæ indumentum. Estque odien-
dum : Primo, quantum ad hoc quod est
maculatum, ut malum culpæ odio habea-
tur, et exstinguatur in eo, secundum illud
ad Romanos : Non regnet peccatum in ve- *Ibid.* 12.
stro mortali corpore. Secundo, ut corpus
salubriter castigetur ac edometur, quasi
odio habeatur : quod tamen ex caritate
procedit. Propter quod loquitur Paulus :
Castigo corpus meum et in servitutem re- *I Cor.* IX, 27.
digo ; itemque, Mortificate membra vestra *Coloss.* III, 5.
quæ sunt super terram. Sic quippe et ani-
mam nostram debemus odire, Christo pro-
testante : Qui odit animam suam in hoc *Joann.* XII, 25.
mundo, in vitam æternam custodit eam.
Non est autem corpus odiendum simpli-
citer, sed spiritualiter diligendum, quate-
nus futuræ glorificationis sit particeps.
Unde ad Ephesios inducitur : Nemo un- *Ephes.* V, 29.
quam carnem suam odio habuit.
Ei autem qui potens est vos conservare 24
sine peccato : Deus enim omnipotens po-
test nos a vitiis præservare, nec sine ejus
ope et gratia possumus ea evadere ; *et*
constituere ante conspectum gloriæ suæ :
id est coram gloriosa et adoranda præsen-
tia sua, seu coram se ipso, *immaculatos*
in exsultatione in adventu Domini nostri
Jesu Christi, id est in die judicii : ita
quod tunc appareamus puri, et jucundi-
tate repleti, stantes inter Sanctos a dextris
Judicis summi : *soli Deo salvatori nostro.* 25
Hoc potest exponi de Patre æterno : qui
qualiter solus Deus dicatur, prætactum *vers.* 4.
est ; qui est salvator per principalem au-
ctoritatem et efficientiam ; qui gratiam in
præsenti, et gloriam in futuro, creando

largitur. Potest quoque exponi, et melius, ut videtur, de tota superbenedicta Trinitate, quæ est unus, solus verusque Deus, et principalis salvator.

Huic igitur soli Deo *per Jesum Christum Dominum nostrum* : qui licet sit una in Trinitate persona, tamen secundum naturam assumptam, per ipsum quasi per mediatorem ministerialemque causam, honor et gloria Deo attribuuntur : in quantum per Christum hominem Deus Trinitas, et ipsemet secundum quod Deus, tot bona nobis exhibuit seu concessit, et tot bona per eumdem Christum peracta sunt. Idcirco subjungitur : *gloria,* id est clara cum laude notitia sublimisque fama, *magnificentia,* id est magna seu præclara efficientia (de qua in Deuteronomio fertur : Magnificentia ejus discurrunt nubes), *imperium,* id est dominatio omnium

Deut. XXXIII, 26.

A rerum, *et potestas,* id est auctoritas ac omnipotentia. Omnia (inquam) hæc per Christum Deo attribuantur, seu convenire noscantur, qui per Christum nos illustravit et docuit, et per eum magnifice egit nobiscum. Per Christum ergo Deo convenire noscantur, quantum est ex parte virtutis Dei, *ante omnia sæcula, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum, Amen,* id est æternaliter, præsentialiter, et infinibiliter. Non quod ante omnia sæcula Deus creaturis actualiter imperavit, aut noscebatur B ab eis, vel magnificentiam in ipsis exercuit, sed quoniam inerat ei virtus atque auctoritas summa ad omnia ista. Unde et dicitur æternus creator, non quod ab æterno creavit. Invariabilis vero in se et prorsus omnipotens, ipse est in se ipso, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN SEPTEM EPISTOLAS CANONICAS

ENARRATIO
IN ACTUS APOSTOLORUM

PROŒMIUM

BEATUS *homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.* Prov. III, 13. Quadripartito exsistente genere librorum veteris Testamenti, quadripartitum quoque est genus librorum novi Testamenti seu evangelicæ legis. Librorum etenim veteris Testamenti alii sunt legales, in quibus lex Dei per Moysen tradita, est digesta, ut Moysis Pentateuchus ; alii sunt historiales, ut liber Josue et Judicum, Regum et Paralipomenon ; alii vero sunt prophetales, ut constat ; alii autem sapientiales, sicut Proverbia. Pariformiter in novo Testamento, libri legales sunt quatuor Evangelia ; sapientiales, Epistolæ Apostolorum ; prophetalis est Apocalypsis ; historialis vero est liber Actuum Apostolorum, nunc Deo agente elucidandus.

Porro evangelicam Christi doctrinam a sacratissimis Evangelistis descriptam, omni sapientia præfulgere certissimum est fideli. Quamvis autem hæc ipsa sapientia in Evangeliis multum compendiose et clare inveniatur conscripta, nihilo minus per ceteras novi Testamenti Scripturas clarius elucidatur, et firma probatur. Et in Epistolis quidem Apostolorum, potissimum Pauli, fit hoc per allegationes Scripturarum veteris Testamenti, et per moralia documenta. In Actibus vero Apostolorum fit hoc per miraculorum recitationem, quibus christianæ fidei veritas divinitus data ostenditur, per allegationes quoque nonnunquam Scripturarum, ac documenta moralia. Denique intuentibus processum libri Apocalypsis clarissime liquet, eodem spiritu locutos veteris legis beatissimos vates, et evangelicæ legis prophetam sanctum evangelistam Joannem, qui in Apocalypsi sua, non sensibus tantum, sed et verbis quoque et modo loquendi et procedendi, veteris Testamenti Prophetis invenitur conformis, præsertim Isaiæ, Ezechieli, et Zachariæ, quemadmodum in expositione Apocalypsis propriis locis monstravi.

Insuper, sapientia libri hujus nunc explanandi, multipliciter commendatur : Primo ac generaliter, ratione objecti, quia de Deo. Secundo, ratione auctoris, quia a sacrosancto Luca evangelista est editus liber iste. Tertio, ratione materiæ, quoniam apostolicos actus describit, imo in primis capitulis cum materia evangelicorum librorum coincidit. Nam primo capitulo de Christi ascensione, in secundo de Spiritus Sancti missione loquitur. Quarto, ratione formæ procedendi, quoniam evidenter, distincte, compendiose, imo magistralissime est procedens : sed et stilus ipse venustus est, et

Græcam eloquentiam resonat. Itaque utilissima prorsus est præsentis theoria voluminis atque historia ejus : in quo exordium et processus primitivæ Ecclesiæ seriatim describitur, et item catholica fides non mediocriter roboratur. Sed et liber ipse sententiosus et jucundus est valde. Propter quod pro illuminatione adorandi paracleti Spiritus Sancti in ejus expositione, singulariter ejusdem almi Pneumatis immensam clementiam ac supermunificentissimam bonitatem exoro, dicens ex corde : Veni, Sancte Spiritus, Et emitte cœlitus Lucis tuæ radium.

ENARRATIO

IN ACTUS APOSTOLORUM

ARTICULUS PRIMUS

ENARRATIO PRIMI CAPITULI : PRIMUM QUIDEM SERMONEM FECI DE OMNIBUS, O THEOPHILE.

IN exordio libri hujus pandit se beatissimus Lucas esse præsentis conscriptorem voluminis, dum ad finem Evangelii a se descripti, se ipsum continuat, atque eidem viro cui evangelium scripsit, hunc quoque codicem scribere manifestat, di-
1 cendo : *Primum quidem,* videlicet in evangelico libro a me descripto, *sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere,* id est de factis documentisque Christi : non quod universa gesta et dogmata Salvatoris ipse aut alius aliquis Evangelista in particulari per singula sit complexus. Nam et quod in hoc ipso volumine S. Paulus Christum
Act. xx, 35. protulisse commemorat, Oportet, inquiens, memorem esse verbi Domini Jesu, quia beatius est magis dare quam accipere, nullus in evangelio suo recitat Evangelista.
Joann. xxi, 25. In Joanne quoque legitur, quia alia multa signa fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum (ait) arbitror mundum posse capere eos, qui scribendi sunt, libros. Denique, quod innumerabilia particulariterque indescriptibilia fuerint Christi miracula, ex Evangelio certissime constat.
Matth. viii, 16. *Ibid.* ix, 35. Scriptum est enim, quod omnes male habentes curavit. Itemque : Circuibat Jesus A omnes civitates, curans omnem languorem et omnem infirmitatem. In Matthæo quoque scriptum est, quod quum venisset *Matth.* xiv, 34-36.
in terram Genesar, viri loci illius miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent; et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. Similiter scriptum est in Marco : Quocumque introibat Jesus, in *Marc.* vi, 56.
vicos, vel in villas, aut in civitates, in plateis ponebant infirmos; et quotquot tanB gebant eum, salvi fiebant.

Itaque distributio ista qua dicitur, Sermonem feci de omnibus, intelligenda est de generibus singulorum, non de singulis generum. Siquidem de omnibus aliqua recitavit. Propter quod asserit Beda : De omnibus elegit unde faceret sermonem, quæ judicavit apta et congrua sufficere officio dispensationis suæ.

Pensandus quoque est ordo verborum in eo quod scriptum est, Quæ cœpit Jesus facere et docere : ita quod primo exorsus C est operari, deinde quod fecit, edocuit. Quo multorum præsumptio atque audacia increpantur, qui proniores sunt docere quam discere, loqui quam audire; vel qui

NOTA. — Secuti sumus Colonienses editiones : s. t. n. ann. 1532, Petri Quentel 1533, item 1536, item 1545, heredum Joannis Quentel cum Gervino Calenio 1565.

ea quæ prædicant, facto non exsequuntur. A In hoc enim ipso suis ipsi doctrinis detrahunt. Neque, quum aliis prælati sint, erubescunt vitiose et inexemplariter conversari coram his quibus præsunt aut verbum Dei annuntiant. Quibus id intuendum quod legitur apud Jacobum (*Jacob.* I, 19) : Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Denique, cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Imo bona docere et impie agere, quid aliud est quam se voce propria condemnare ? juxta illud Ecclesiastici : B Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam (*Eccli.* XXI, 30). Et ad Romanos : Inexcusabilis es, o homo qui judicas : in quo enim alium judicas, te ipsum condemnas ; eadem enim agis (*Rom.* II, 1). Præterea peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ? (*Ps.* XLIX, 16.) Doctor ergo, prædicator et pastor unicum istum sequens magistrum, primo faciat quæ alios docet, ne proprio ore damnetur.

Postremo, Theophilum istum, cui et evangelium et præsentem librum Lucas C conscripsit, quidam affirmant fuisse virum potentem, Achaiæ principem ; alii, episcopum quemdam. Theophilus autem interpretatur, Dei amator, seu, a Deo amatus. Itaque non solum huic personæ, sed et cunctis Deum amantibus, atque ab eo secundum prædestinationem æternam amatis, scriptus est liber iste, evangelicumque volumen.

Itaque, Scripsi de omnibus quæ cœpit
2 Jesus facere et docere, *usque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum San-* D *ctum quos elegit,* id est usque ad diem ascensionis, quo jussit Apostolis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15) ; et quod infra habetur, Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Galilæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ (vers. 8). Quod autem in evangelio suo Lucas usque ad dicta factaque Christi in die ascensionis, narrationem protraxerit, atque ibidem finierit, ex fine evangelii sui ostenditur. Quod ita finitur : Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno ; et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum (*Luc.* XXIV, 50-53). Quod autem Christus Apostolos ad gratiam apostolatus et prædicationis officium elegerit, Marcus sic refert : Ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse ; et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare Evangelium (*Marc.* III, 13, 14). Quibus et in Joanne profatur : Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est ? (*Joann.* VI, 71.) scilicet Judas traditor, quem certum est in die ascensionis defuisse, et loco ejus adfuisse Matthiam. Porro Christus secundum quod homo, in omnibus dirigebatur a Spiritu Sancto, imo a se ipso ut Deus, seu a tota superbeatissima Trinitate. Hæc tamen directio Spiritui Sancto magis adscribitur, sicut et cetera opera benignitatis, quoniam Spiritui Sancto bonitas, benignitas, dilectio, liberalitas appropriatur. Propter quod per Isaiam loquitur Christus ut homo : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me (*Is.* LXI, 1).

Assumptus est, ipse Christus secundum naturam assumptam, de terra in cœlum, juxta id Marci : Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei (*Marc.* XVI, 19). Assumptus est autem, quia divina virtute assumpsit, seu de terra in cœlum levavit, se ipsum : quod et per dotem agilitatis facere potuit, ita quod corpus ejus sua agilitate potuit se levare. Assumptio quoque hæc toti superbenedictæ Trinitati potest adscribi, quæ in cunctis effectibus, potissime Christi, principaliter operatur, cujus et opera sunt indivisa. Præterea assumptus est a nube præstante Domino suo obsequium, non ferente auxilium. Ab universa quoque cœlestis aulæ frequentia cum ingenti susceptus est gaudio, quum diceretur ad eos : Attollite portas, (*Ps.* XXIII, 7, 9.)

principes, vestras; et elevamini, portæ A æternales; et introibit Rex gloriæ. Quod autem secundum divinitatem illocalem, in- *Jer.* xxiii, 24. commutabilem, incircumscriptibilem, cuncta implentem, immensam, non competat Christo locum mutare, ascendere sive descendere, certum est, sed secundum formam servi dumtaxat, per quam terram corporali reliquit præsentia, quemadmo- *Joann.* xvi, 28. dum passione instante prædixit : Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

3 *Quibus et præbuit,* id est, visibiliter, au- B dibiliter, tangibiliter monstravit, *se ipsum vivum* vita corporali humana, *post passionem suam,* videlicet statim post resur- *Marc.* xvi, 9. rectionem : siquidem surgens Jesus mane prima sabbati, eodem die cœpit apparere et loqui Apostolis aliisque credentibus; *in multis argumentis.* Argumentum tripliciter sumitur : Primo, ut est ratio rei dubiæ faciens fidem, id est certitudinem : sic enim in hac definitione sumitur fides. Et hoc modo quæ cadunt sub fide, argumenta non habent, quoniam ex C principiis per se notis probari non queunt. Secundo, accipitur argumentum pro quocumque signo sensibili, ad veritatis declarationem inducto. Tertio, pro effectu hujuscemodi argumentorum, puta pro adhæsione qua mens veritati assentit. Sicque ad Hebræos sumitur, dicente Aposto- *Hebr.* xi, 1. lo : Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Nunc autem argumentum secundo modo accipitur : ut sit sensus, quod Jesus per multa sensibilia signa et gesta seu opera, proba- D vit se vere resuscitatum et resurrexisse.

Per dies quadraginta apparens eis, etsi non quotidie, tamen frequenter, et multo frequentius quam aliquis Evangelistarum, imo quam omnes simul describunt, quum *I Cor.* xv, 5-8. Paulus multas referat factas ejus ad discipulos veras atque sensibiles apparitiones, a nullo illorum descriptas. Quomodo autem et quoties, ubi et quo ordine apparuerit eis, in Evangeliis et verbis Pauli apostoli continetur. *Et loquens de regno Dei,* id est de statu Ecclesiæ militantis ac triumphantis. De utroque enim regno inter hos dies ita locutus est, quomodo scilicet divulgandum esset Evangelium per totum orbem terrarum, et de miraculis per Apostolos exhibendis, de felicitate etiam patriæ Beatorum, quemadmodum Evangelistæ scribunt.

Et convescens, id est, cum discipulis 4 suis Salvator manducans, *præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent.* Frequenter Christus post resurrectionem suam cum discipulis legitur manducasse : Primo, cum duobus in castello Emmaus, juxta illud Lucæ : Factum est, dum recumberet cum *Luc.* xxiv, 30. illis, accepit panem, etc. Secundo, cum undecim Apostolis et præfatis duobus in *Ibid.* 43. cœnaculo seu conclavi Jerusalem, sicut in dicto Lucæ capitulo scriptum est. Et utraque manducatio hæc facta est in die Paschæ. Tertio, cum septem discipulis juxta *Joann.* xxi, 13. mare Tiberiadis, ut habetur in Joanne. Quarto, coram undecim in die ascensionis, prout super Marcum dicunt expositores. Si ergo manducatio de qua nunc sermo, referatur ad eam quæ fuit in die ascensionis, sensus erit, quod die illo jussit Apostolis ne gratia prædicandi quoquam ab Jerusalem proficiscerentur, donec Spiritum Sanctum juxta promissum reciperent. Unde apud Lucam ait eisdem : Vos *Luc.* xxiv, 49. autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Si vero manducatio ista ad secundam seu tertiam referatur (ad primam enim proprie non refertur), poterit esse sensus, quod tunc præcepit eis de Jerusalem timore Judæorum non discedere : alias, sicut verisimile est, discessissent, quia tam pavidi erant.

Sed exspectarent promissionem Patris, id est impletionem promissionis de missione Paracleti, quem Pater per os unigeniti Filii sui promisit. Ideo subditur : *Quam audistis, inquit, per os meum.* Nam passione instante, Christus dixit Apostolis illud Joannis : Paracletus autem Spiritus *Joann.* xiv, 26. Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.

5 *Quia Joannes quidem baptizavit aqua*, id est, corpora aquis abluebat, animas non purgavit : ita quod ejus baptismus non contulit gratiam ; nec fuit unum septem sacramentorum, sed quid sacramentale, dispositivum ad Christi Baptisma. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*, id est intra paucos dies.

Quum apud Joannem dicatur, quod
Joann. IV, 2. disciputi (puta Apostoli) Christi baptizabant de mandato ipsius, credendum est quod ipsi a Christo fuerint baptizati Baptismo evangelicæ legis, gratiam conferente. Illo enim et ipsi baptizabant. Nec mirum si ante passionem Apostolos propriis manibus baptizavit, qui tempore Cœ-
Ibid. XIII, 5. næ pedes eorum lavare dignatus est, præsertim quum jam diu ante hanc Cœnam
Ibid. III, 5. dixerit Nicodemo : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei. Itaque quod ait, Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, sic intelligendum censetur : Spiritu Sancto implebimini, qui et mentes vestras plus quam ante ab omni sorde lavabit. Sicque copiosa illa Spiritus Sancti infusio per signum visibile, baptizatio discipulorum vocatur, quoniam instar gurgitum inundantis aquæ, desuper fluxit in eos. Unde et Spiritus Sanctus et gratia ejus, per aquam exprimitur, quoniam mentem purgat, refrigerat, reficit. Hinc in Joanne
Ibid. VII, 38. loquitur Christus : Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Quod Evangelista ex-
Ibid. 39. ponens, adjecit : Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. In Apocalypsi quoque ait Joannes,
Apoc. XXII, 1. Ostendit mihi flumen aquæ splendidum tanquam crystallum : quod de Spiritu Sancto exponitur. Sicut ergo Spiritus Sancti illustratio, unctio appellatur, juxta illud
I Joann. II, 27. Joannis, Unctio ejus docet vos de omnibus ; sic copiosa ejus susceptio, baptizatio mentis vocatur. Propterea, secundum Rabanum, in quibusdam libris sic habetur : Vos autem ungemini Spiritu Sancto. Et istud intra decem dies, scilicet die Pentecostes, fuit impletum. Act. II, 1-4.

6 *Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes*. Non evidenter apparet in quo loco fuerit ista discipulorum conventio et interrogatio, an scilicet in conclavi, vel in loco ascensionis. In die enim ascensionis Christus bis eis apparuit : primo, in conclavi ; deinde, in monte Oliveti unde ascendit. Marc. XVI, 14, 19; Luc. XXIV, 50. Verumtamen ex verbis sequentibus videtur fuisse conventio et inquisitio ista circa locum ascensionis. Nam paulo post, data sibi responsione, subjungitur : Quum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est.

Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? id est, an statim misso nobis Spiritu Sancto, reparabis majestatem et regiam potestatem Israelitici regni ac populi Judæorum, dando fidelibus tuis temporale regnum in sæculo isto, et temporaliter regnando in eis? Discipuli isti nondum perfecte illustrati, putabant propheticas promissiones de regno Christi, in plebe fidelium corporaliter temporaliterque complendas, quemadmodum excæcati Judæi usque in præsens existimant. Sic enim de matre filiorum Zebedæi dicit Hieronymus, quod mulier illa, quia audivit quod crucifigendus esset et resurrecturus, putavit eum illico regnaturum. Et Matth. XX, 17-21. Cleophas in Luca ait : Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Luc. XXIV, 21. Videbant enim discipuli quod populo Judæorum esset ablatum sceptrum, alienigena eis dominante, et quod subditi essent Romanis. Idcirco quærebant, an Christus recuperaturus esset et sublimaturus mox regnum Israel, prout verba quædam Prophetarum superficie tenus sonare videntur ; an potius in futuro, et diu post, regnum populi sui exaltaret. Et quoniam quæstio ista ex ignorantia et errore processit, Christus eam refellit, ut subditur :

7 *Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate :* id est, restitutio

Israelitici regni spiritualiter intelligenda est, quantum ad bona gloriæ in futuro ; et quo tempore id continget, velle determinate prænoscere, non est vestræ parvitatis. Plenarie enim non fiet nisi in die judicii, quando veri Israelitæ in anima et
Apoc. XXII, 5. corpore glorificabuntur, et æternaliter regnabunt cum Christo. Particulariter autem et partim fit in mortibus singulorum, quando ad patriam regni cœlestis perve-
Marc. XIII, 32, 33, 35. niunt. Sed nec tempus judicii, nec diem mortis vult Deus præsciri, quatenus mortales tanto sint de Judicis adventu mortisque hora sollicitiores, quanto sunt magis incerti ; sicque quotidie vivant, tanquam die eodem aut alio mox sequente sint judicandi. Itaque tempora et momenta mortis atque judicii universorum Pater posuit in sua potestate, quoniam suæ notitiæ ea servavit ; et quum ei placuerit, in eis quæ decrevit, perficiet. Ab hac tamen potestate atque scientia, nec Filius, nec Spiritus Sanctus excluditur, quum trium Personarum sit una potestas, eademque scientia : idcirco quod de una exprimitur, de aliis eadem ratione intelligi datur. Interdum vero ex certa causa aliquibus hora mortis prænuntiatur.

Verumtamen Augustinus in sermone quodam de Ascensione, verba ista aliter allegat, interpretatur et tractat sub hac forma : Domine, si hoc tempore præsentaberis ? et quando regnum Israel ? Et per præsentationem Christi, intelligit revelationem ejus apertam, qua in die judicii
Matth XXV, 31. ab universis videbitur, veniens in majestate et gloria. Per regnum vero Israel, intelligit regnum cœleste, quod quotidie nobis communicari precamur, dicentes :
Ibid. VI, 10. Adveniat regnum tuum, ut scilicet ad societatem in cœlis regnantium perducamur. Sicque juxta Augustini intentionem, Apostoli quæsierunt agnoscere tempus et horam judicii. Quorum curiositatem reprimens Christus, respondit : Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater in sua posuit potestate, etc. Per quæ verba, sicut in libro de Civitate Dei as-

A serit Augustinus, Christus redarguit omnes qui de Antichristi adventu et fine mundi tempus calculare præsumunt, quum omnium horum determinatum tempus ex Dei liberrima potestate dependeat. Idcirco nulli, nisi quantum revelaverit Deus, innotescere valet, quemadmodum determinatum tempus creationis seu exordii mundi ex sola Dei revelatione innotuit.

Quid vero ad discipulos illos, præsertim
Apostolos, pertinuerit, subditur : *sed ac-* 8
cipietis virtutem supervenientis Spiritus B *Sancti in vos,* id est ipsum omnipotentem Spiritum Sanctum vobis in sensibili signo donatum. Vel, Virtutem, id est fortem gratiam et præclara charismata Spiritus Sancti, qui cito desuper descendet in vos. Dicitur autem Spiritus Sanctus eis a Patre et Filio, imo et a se ipso, dari atque infundi, quibus dona ejus ad gratiam gratum facientem pertinentia dantur seu infunduntur. Unde Spiritus Sanctus donum Dei vocatur. Nam a Patre Filioque procedit tanquam donabilis, quum ipse C sit amor, in quo prima ratio doni relucet, et in quo cetera dona donantur. Descendit quoque atque supervenit Spiritus Sanctus in homines, non per loci mutationem (quum incircumscriptibilis invariabilisque consistat), sed per donorum suorum infusionem.

Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ, id est, in locis his, seu ubique terrarum prædicabitis me esse Christum ; et verbis, signis, et sanguinis D vestri effusione, incarnationi, passioni, resurrectioni, ascensioni, et ceteris mysteriis ad me spectantibus, testimonium perhibebitis. Quibus verbis Christus prædixit Evangelium ubique per Apostolos divulgandum, juxta illud Psalmistæ : In omnem terram exivit sonus eorum ; et Isaiæ, *Ps.* XVIII, 5.
A finibus terræ audivimus laudes, gloriam Justi. *Is.* XXIV, 16. Rursusque apud Isaiam Christus de hac re apertissime prænuntiavit : Mittam ex eis qui salvati fuerint, in mare, in Africam et Lydiam, in Græciam et Ita- *Ibid.* LXVI, 19.

liam, ad insulas longe ; et annuntiabunt A
gloriam meam gentibus. Unde Thomas in
India, Jacobus in Hispania, quæ sunt termi-
ni terræ habitabilis, prædicasse leguntur.
9 *Et quum hæc dixisset,* non solum hæc
Marc. XVI, 14-18. utique, sed et alia quædam quæ in Marco
referuntur, *videntibus illis* corporalibus
oculis, *elevatus est,* id est, in cœlum a
terra assumptus modo jam explanato, *et
nubes suscepit eum ab oculis eorum,* ita
quod nube circumcinctum, et in altio-
ra conscendentem, eum amplius non vi-
derunt. O quam intenta acie prosecuti B
sunt ascendentem, et quam ingenti læti-
tia hoc conspexerunt ! Id quoque intuen-
dum, quemadmodum ubique creatura suo
obediat Creatori. Nempe natum Dominum
Luc. II, 9-11; Matth. II, 1, 2; XVII, 5; Marc. I, 13. mox angeli Judæis, stella gentibus nun-
tiarunt ; in transfiguratione quoque nubes
eum lucida obumbravit ; et quum esset
in deserto cum bestiis, angeli ministrave-
runt eidem ; denique patiente ipso, ob-
Matth. XXVII, 45; Luc. XXIII, 45. scuratus est sol, et immutatus est cursus
lunæ ; ascendenti etiam nubes obsequi-
um, non subsidium, præbuit. C
10 *Quumque intuerentur in cœlum eun-
tem illum,* id est, ad summum atque
empyreum cœlum scandentem, avidissi-
ma, devotissima ac jucundissima mente,
corporeoque prosequerentur intuitu, *ecce
duo viri,* id est angeli sancti in forma
virili, *adstiterunt,* id est, subito compa-
ruerunt, *juxta illos in vestibus albis :*
quarum albedo et candor puritatem na-
turæ angelicæ, jucunditatemque hujus ne-
11 gotii monstravit. *Qui et dixerunt : Viri
Luc. I, 26 et seq.; Matth. IV, 12-22; XXVI, 69-73; Joann. VII, 41, 52; etc. Galilæi.* Quemadmodum enim Jesus, sic D
et Apostoli de Galilæa fuerunt, vel omnes,
vel pene omnes. *Quid statis adspicientes
in cœlum?* Nam et quum Dominus nubem
ingressus, atque in alta progressus, oculis
illorum fuisset ablatus, non cessaverunt
sursum adspicere post dilectum, ut moris
est amantium atque mirantium. Ideo ad
declarandam Christi majestatem, et pro
consolatione ac informatione discipulo-
rum, angeli apparuerunt, dicentes : Quid
statis adspicientes in cœlum ? tanquam
dicant : Cur eatenus miramini quod Do-
minus universorum, creator cœlorum,
Unigenitus Dei, ad cœlestia tendit ? Non
inde miremini, sed de hoc potius, quod
ad terras descendere, incarnari, inter vos
conversari et crucifigi dignatus est. *Hic
Jesus qui assumptus est a vobis in cœ-
lum, sic veniet quemadmodum vidistis
eum euntem in cœlum :* id est, sicut cum
nube ascendit, et in vera humanitate glo-
rificata, itemque cum multitudine angelo-
rum ac Sanctorum quos de limbo eduxit ;
ita in nube veniet judicaturus mundum, in
natura humana, cum multitudine civium
supernorum : juxta illud Isaiæ, Dominus Is. III, 14.
ad judicium veniet cum senibus populi
sui et principibus ejus.
Tunc reversi sunt Jerosolymam, secun- 12
dum quod Christus eis præcepit, ut di- Luc. XXIV, 49.
ctum est, *a monte qui vocatur Oliveti,* de
quo loco Christus ascendit, *qui est juxta
Jerusalem,* utpote per unum milliare (quod
est media leuca) distans ab ea. Ideo sub-
ditur, *sabbati habens iter,* id est, per tan-
tum spatium ab illa distans, quantum die
sabbati licuit Judæis secundum legem am-
bulare, seu progredi a propria mansione,
videlicet per mille passus : quæ ambu-
latio quum ad recreationem potius sit
quam ad laborem, quieti sabbati non de-
rogavit. Porro, juxta litteralem intelligen-
tiam, mons iste dictus est Oliveti, quoniam
olivarum arboribus consitus fuit. Per oli-
vam vero pietas, misericordia, caritas, de-
signantur. In hunc ergo montem Christus
discipulos convenienter eduxit, et ab eo
rite ascendit, ubi Spiritus Sancti unctio-
nem et illustrationem eis spopondit, et
benignitatem copiosam impendit. Insuper,
qui cum Apostolis Spiritus Sancti donis
cupit impleri, sabbati iter ingrediatur, id
est, quieti intendat mentali, pacisque lo-
cum introeat, qui per Jerusalem figura-
tur, ut juxta Isaiam, sit ei sabbatum ex Is. LXVI, 23.
sabbato, scilicet quies patriæ merito qui-
etis viæ : quia qui hic cessat ab inquie-
tudine operum perversorum et vitiorum
tumultu, illic in retributione et pace qui-

escit cœlesti. Quamvis autem, secundum A
quosdam, discipuli de Christi ascensione
contristabantur, in quantum eis auferebatur
dilectus ; potius tamen eos puto inde
vehementer gavisos, præsertim quum scri-
Luc. XXIV, 51, 52. ptum sit in Luca : Factum est, dum bene-
diceret eis, recessit ab eis, et ferebatur
in cœlum ; et ipsi adorantes, regressi sunt
in Jerusalem cum gaudio magno.
13 *Et quum introissent in cœnaculum*, in
Ibid. XXII, 12, 19, 20. quo Christus Cœnam celebravit novissi-
mam, primamque Missam, *ascenderunt*,
quia fuit in loco sublimi, puta in monte B
Sion prope templum, *ubi manebant Pe-
trus et Joannes, Jacobus et Andreas, Phi-
lippus et Thomas, Bartholomæus et Mat-
thæus, Jacobus Alphæi*, id est Jacobus
Minor filius Alphæi : qui Jacobus dictus
Galat. I, 19. est frater Christi, tanquam forma, vultu,
gestu et modo conversandi ei præcipue
similis, et quia filius fuit sororis Virginis
sanctæ genitricisque Christi ; *et Simon*
Matth. X, 4. *Zelotes*, qui in Matthæo dicitur Simon Ca-
nanæus, quia de vico Galilææ nomine Ca-
Joann. II, 1-11. na (ubi Salvator aquam convertit in vi- C
num) exstitit oriundus ; *et Judas Jacobi*,
scilicet frater Jacobi Minoris : qui Judas
Judæ 1. in sua Canonica fratrem Jacobi se appel-
lat. Isti itaque, cum ceteris qui sequun-
tur, præfatum locum ingressi sunt, tum
propter loci amorem et sanctitatem, quem
Christus sua sanctificavit præsentia, Cœna
et evangelicæ legis Sacramenti institutio-
ne, tum ut ibi in loco abstracto liberius
orationi intenderent ; et item ut ibi laten-
tes Judæorum vitarent calumniam : non-
I *Joann.* IV, 18. dum enim perfecta caritas exclusit ab eis D
timorem. Convenienter quoque in altum
conscenderant locum, qui terrena sper-
nentes, ad Spiritus Sancti se præparabant
adventum.
14 *Hi omnes erant perseverantes unani-
miter in oratione*. Jam namque per ca-
I *Cor.* I, 10. ritatem fuerunt in Domino adunati, id
ipsum dicentes omnes, et schismata ne-
scientes. Itaque et nos si Spiritu Sancto
impleri optamus, concorditer et instanter
Rom. XV, 6. orationi vacemus, unanimes, uno ore Deum
in omnibus honorantes. *Cum mulieribus*,
utique religiosis, videlicet Maria Magdale- *Matth.* XXVII 55, 56; *Luc.* VIII, 2, 3.
ne et ceteris quæ in Evangelio Christo
ministrasse leguntur, *et Maria Matre Je-
su* : quæ etsi post viros hos nominetur,
omnibus tamen præstantior fuit, et san-
ctior universis ; *et fratribus ejus*, id est
cognatis, quia non tantum quidam Apo- *Matth.* XIII, 55, 56.
stolorum, sed et aliorum discipulorum
quidam erant consanguinei Salvatoris. Est
autem consuetudo Scripturæ, ut qui de
eadem cognatione sunt, fratres vocentur.
Consequenter describitur substitutio
Matthiæ loco Judæ in apostolatum. *In die-* 15
*bus illis exsurgens Petrus in medio fra-
trum* : ecce hic omnes Apostoli fratres
vocantur ; *dixit*. Jam enim et ante pas- *Ibid.* XVI, 18, 19; *Luc.* XXII, 31, 32; *Joann.* XXI, 15-17.
sionem designatus, et post passionem fuit
a Christo princeps Apostolorum constitu-
tus. Ideo tanquam major ac prior, præ
ceteris loquitur quæ sequuntur. Denique
propter tanti collegii dignitatem, potissi-
mum propter Matris Christi præsentiam,
humiliter surgit, reverenter stat, sapien-
terque loquitur. Unde et devotorum ac
religiosorum conventus est honorandus.
*Erat autem turba hominum simul fere
centum viginti* : quorum quidam fuerunt
viri, aliquæ feminæ. Sed quomodo quasi
dubitans ait, Fere, quum per eum Spiri-
tus Sanctus loquatur ? Et respondendum,
quod Fere, non ponitur hic dubitative,
sed potius assertive, ad innuendum quod
a prædicto numero multitudo illa parum
distabat. In magno autem numero, quod
parum deficit seu superfluit, non reputa-
tur seu computatur aliquando in Scriptu-
ris, nec communi modo loquendi. Propter
quod isti electissimi interdum asseruntur
fuisse centum viginti.
Viri fratres, oportet impleri Scriptu- 16
*ram quam prædixit Spiritus Sanctus per
os David*. Quæ autem sit ista Scriptura,
paulo post subditur : *de Juda qui fuit
dux*, id est ductor, *eorum qui comprehen-
derunt Jesum* : juxta illud Lucæ, Judas *Luc.* XXII, 47.
unus de duodecim antecedebat eos ; *qui* 17
connumeratus erat in nobis, id est a Chri-

Matth. x, 4; Luc. vi, 13, 16. sto unus Apostolorum ordinatus, sicque ab aliis appellatus, *et sortitus est sortem ministerii hujus*, id est, partem in officio et gratia apostolatus adeptus a Salvatore, ita quod fuit apostolus, et prædicavit, ac baptizavit. Imo, ut asserit Augustinus, baptizavit Joannes Baptista, et baptizatum non fuit ; baptizavit Judas, et baptizatum fuit. Quod ideo dicitur, quoniam in Joannis baptismo gratia non dabatur : idcirco taliter baptizati, post fidei Christi receptionem rebaptizabantur ; non autem qui a Juda fuerant baptizati.

18 *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis*. Quod tripliciter explanatur : Primo, quod per æternam sceleris ac nominis sui memoriam, agrum hunc possedit in mentibus recordantium ejus et criminis ejus. Ut enim in Matthæo legitur, videns Judas quod damnatus esset, (Matth. xxvii, 3-7.) desperatione fractus, denarios pro quibus vendidit Christum restituens, projecit in templum : pro quibus principes sacerdotum agrum figuli emerunt, pro sepultura peregrinorum. Cujus rei non obliviscuntur fideles. Secundo, a quibusdam exponitur, quod Judas ibi sepultus sit, ideoque corporis sui immoratione agrum istum possideat. Sed hoc certum non est. Ideo tertio exponitur, quod juxta consuetudinem sacri eloquii Judas hunc agrum possedit, id est, possideri fecit. Nam argenteos restituendo, causa fuit quod ager ille emptus fuit atque possessus ab emptoribus, seu in eo sepultis. Juxta quem sensum sanctus Job : Abominabuntur me, (Job ix, 31.) inquit, vestimenta mea, id est, abominabilem intuentibus reddent. *Et suspensus,* utique a se ipso : nam laqueo se suspendit ; (Matth. xxvii, 5. I Tim. ii, 5.) *crepuit medius,* qui Dei et hominum mediatorem tam vili pretio impiissime vendidit, *et diffusa sunt omnia viscera ejus :* sic quod in horrenda illa intestinorum ejus effusione turpissima, monstraretur quam enorme piaculum commisisset. Ita et Arius superbissimus, quoniam Christi divinitatem ore blasphemavit sacrilego, viscerum deprehensus dolore, ad naturæ requisita declinans, intestina sua
turpissime mox effudit. *Et notum factum* 19
est scelus seu genus mortis Judæ, *omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Acheldemach, hoc est ager sanguinis*, id est emptus pretio sanguinis Jesu.

Deinde ponitur scriptura David, Judam
concernens. *Scriptum est enim in libro* 20
Psalmorum : Fiat commoratio ejus deserta, et non sit qui inhabitet in ea ; et episcopatum ejus accipiat alter. (Ps. lxviii, 26; cviii, 8.) Sciendum, quod Christus et Evangelistæ atque Apostoli, allegando Scripturas veteris Testamenti, interdum sensum magis quam verba allegant. Ita et Petrus jam agit. Inducit autem testimonium ex psalmis duobus : cujus testimonii prima pars, quantum ad sensum, eo psalmo habetur cujus exordium est, Salvum me fac, Deus : in quo Judæ eradicatio prophetatur. Verum quod ibi de Judæis Christi persecutoribus pluraliter dicitur, hic de Juda singulariter allegatur. Sic enim in psalmo illo nostra habet translatio : Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit (Ps. lxviii, 26.) qui inhabitet. Horum etenim unus exstitit proditor : quorum omnium civitates et domus, in ultionem sanguinis Christi per Romanos destructæ noscuntur. Secunda vero pars testimonii hujus, de translatione apostolatus Judæ loquens, scripta est psalmo qui incipit : Deus, laudem meam (Ps. cviii.) ne tacueris. Ubi sic legimus : Fiant dies (Ibid. 8.) ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter. Apostolatus autem episcopatus vocatur, et Apostolorum successores exstant episcopi.

Oportet ergo ex his viris qui nobiscum 21
sunt congregati, id est, qui inter nos conversati sunt, nuncque nobiscum collecti : conversati, inquam, *in omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus :* juxta illud Psalmi, Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis (Ps. lxvii, 25.) mei qui est in sancto ; Isaiæ quoque, Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, quum converterit Dominus Sion ; (Is. lii, 8.)

22 *incipiens* publice prædicare atque mira-
cula facere, *a baptismate Joannis,* id est
Marc. I, 9. post baptismum quo fuit a Joanne bapti-
zatus seu lotus, vel post baptisma a Joan-
ne prædicatum et datum. Joannes enim
Ibid. 7, 8. baptizando denuntiavit quod Christus mox
in Spiritu Sancto baptizaret, præsensque
esset in carne : per hoc præparans viam
Ibid. 14 *et seq.* Christo, qui ex tunc orsus est prædicare,
et suam excellentiam declarare usque ad
diem ascensionis. Secundum quod subdi-
tur : *usque in diem qua assumptus est*
a nobis, in ascensione. *Testem resurre-*
ctionis ejus nobiscum fieri, scilicet cum
undecim Apostolis, *unum ex istis.* Ideo
autem resurrectionem specialiter expri-
mit, quia amplius latuit, et de ea Apostoli
in die Pentecostes prædicationem suam
exorsi sunt.
23 *Et statuerunt duos :* id est, Petrus et
alii ei consentientes unanimiter, duos tan-
quam præ ceteris sanctitate conspicuos,
atque ad gratiam apostolatus magis (ut
videbatur) idoneos, elegerunt ac ordina-
verunt : *Joseph qui vocabatur Barsabas,*
qui cognominatus est Justus, quia tam
præclaræ et evidentis fuit justitiæ, quod
proprio nomine quasi amisso, Justus est
appellatus, *et Matthiam.* Prudenti autem
consilio Joseph iste laudatur, ne ex sua
culpa videatur ab apostolatu repulsus ;
non autem Matthias, nam ei pro omni
præconio potest sufficere, quod alio tam
justo in hac parte relicto, ipse ad aposto-
latus apicem est assumptus. In quo etiam
facto divinorum judiciorum altitudo mon-
stratur, quod non is qui hominum ore
plus laudabatur, in Apostolum a Deo eli-
gitur.
24 *Et orantes dixerunt : Tu, Domine, qui*
nosti corda omnium, ostende quem elege-
25 *ris ex his duobus unum, accipere locum,*
id est auctoritatem et gratiam, *ministerii*
hujus, id est prædicationis, *et apostolatus,*
qui est donum gratiæ gratis datæ, sicut et
prophetia, *de quo prævaricatus est Judas,*
id est, quem sua prævaricatione amisit,
ut abiret in locum suum, id est, ut unus

A istorum in locum illius succederet seu
succedat. Sicque dictio, Ut, tenetur hic
concomitanter, non causaliter. Non enim
idcirco transgressus est Judas, ut alter ei
succederet, sed ad transgressionem ejus
id consecutum est : quemadmodum fertur
in Psalmo, Tibi soli peccavi, ut justifice- *Ps.* L, 6.
ris in sermonibus tuis. *Et dederunt sor-* 26
tes eis, et cecidit sors super Matthiam, et
annumeratus est cum undecim Aposto-
lis : ita quod duodecimus fuit.

Circa hoc quæritur, quid hic nomine
B sortis intelligatur, et qualiter sortibus li-
ceat uti. Quocirca sciendum, quod secun-
dum doctrinam B. Dionysii, libro de Ec-
clesiastica hierarchia, sors ista non erat
talis qualis in veteri Testamento, sed qui-
dam splendor divinus, seu radius divinitus
missus super Matthiam, ad ostendendum
quod ipse esset Apostolus assumendus.
Communius tamen fertur, quod sortes his
datæ, fuerunt tales quales illæ quarum
in lege Moysis usus fuit : de quibus in
Proverbiis dicitur, Sortes mittuntur in si- *Prov.* XVI, 33.
C num, sed a Domino temperantur. Quibus
Josue usus est in deprehensione Achan. *Josue* VII, 14-18.
Verumtamen, secundum Hieronymum, hoc
exemplo non est sortibus nunc utendum,
quoniam paucorum privilegia communem
legem non faciunt. Apostoli quoque ex
occulto Spiritus Sancti instinctu, usi sunt
eis : quod non est in consequentiam pas-
sim trahendum. Insuper Beda hic ait, quod
figuram observare licebat, quousque ve-
ritas veniret ac panderetur, vera hostia in
cruce immolata, sed in Pentecoste, veni-
D ente super Apostolos Spiritu Sancto, con-
summata : idcirco in electione Matthiæ
sortibus usi sunt, ne a lege discreparent.
Post Pentecosten vero, veritate jam pro-
palata, septem diaconi, non sorte, sed *Act.* VI, 5, 6.
discipulorum electione, Apostolorumque
oratione, et manuum eorum super illos
impositione, sunt constituti.

De hac autem materia loquitur Thomas
in secunda secundæ, quæstione 95, inter
cetera asserens, quod sortes dicuntur, dum
aliqua fiunt ex quorum vario et incerto

eventu occultum aliquid innotescit, sicut in tractione longioris aut brevioris festucæ. Si ergo per sortes quæratur quid sit alicui exhibendum de re possessa, vel honore, seu pœna, vocatur sors divisoria. Si autem quæratur quid agendum, dicitur sors consultoria. Quod si quæratur quid sit futurum, vocatur sors divinatoria. Quum itaque actus hominum qui requiruntur ad sortes, non subduntur influxui cœlestium corporum aut stellarum : si sortibus quis utatur quasi actus humani ex cœlestium corporum impressione dependeant, ita quod dispositio eventusque sortium ex stellarum influentia exspectatur, superstitiosum et vanum est, neque occulto caret cum dæmonibus pacto. Sed hac causa remota, oportet sortium dispositionem exspectare, vel ex fortuna, vel ex aliqua causa spirituali ac directiva. Et si a fortuna (quod in sorte divisoria tantummodo locum habet), non est vitiosum, nisi ex causa procedat illicita, scilicet cupiditate aut simili : ut dum aliqui nequeunt rem concorditer dividere, sorte utuntur, exponentes fortunæ quis quam partem accipiat. Porro si sortium eventus exspectetur a causa spirituali mala, scilicet dæmone, impium est. Si autem a bona, puta immediate a Deo, vel ab eo per angelos sanctos, talis sors non est secundum se illicita, secundum Augustinum. Quadrupliciter tamen potest id esse illicitum : Primo, si absque necessitate recurratur ad sortes : tunc ad tentationem pertinet Dei. Secundo, si sine debita reverentia. Unde Beda hic ait : Si qui necessitate compulsi, Deum putant sortibus consulendum exemplo Apostolorum, vi-

A deant ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, et precibus ad Deum fusis, id egisse. Tertio, si divina oracula ad terrena convertantur negotia. Quarto, si in ecclesiasticis electionibus, quæ ex Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, sortibus quis utatur. In temporalibus vero dignitatibus, quæ ad terrena instituenda seu disponenda ordinantur, secus est : quia in illarum electione, homines sortibus uti aliquando possunt. Itaque si necessitas alia ab electione ecclesiasticæ
B dignitatis incumbat, licet cum debita reverentia divinum judicium sortibus implorare. Cujus rei exempla Augustinus inducit : ut si inter servos Dei sit disceptatio, qui eorum tempore persecutionis fugere debeat aut manere ; vel si duo æque pauperes alicui obviarent, qui aliquid dare haberet quod dari non posset nisi uni.

Postremo, ut dicitur in Legenda S. Matthiæ apostoli, ipse Matthias et Joseph dictus Barsabas, fuerunt de numero septua-
C ginta duorum discipulorum ; et Joseph præfatus fuit frater Jacobi Minoris, et consanguineus Christi : sicque per hoc quod Christus huic Joseph Matthiam in apostolatum præposuit, docuit quod ex consanguinitate aut carnali affectu non sunt homines ad ecclesiastica beneficia aut officia promovendi. Aliqui tamen dixerunt quod Joseph iste fuit Barnabas, qui etiam ante hoc nomen sibi ab Apostolis inditum, vocatus est Joseph. Sed hoc minus verum *Act.* IV, 36.
censetur. Nam Barsabas interpretatur, fi-
D lius quietis, secundum Hieronymum ; Barnabas autem, filius consolationis, ut infra dicetur.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : ET DUM COMPLERENTUR DIES PENTECOSTES.

PRÆCEDENTI capitulo scriptum est, A
quemadmodum Christus discipulis Spi-
ritum Sanctum promisit; nunc recitatur,
1 qualiter illa promissio sit impleta. *Et dum*
complerentur dies Pentecostes, id est quin-
quagesimo die a Christi resurrectione, ita
quod illa die, quinquaginta dies computa-
bantur et implebantur a die resurrectio-
nis dominicæ. Pentecoste autem dicitur
a πέντε, quod est quinque, et κοστή, quod
est decem, quasi quinquies decem, quæ
faciunt quinquaginta. *Erant omnes* disci-
puli *pariter in eodem loco,* scilicet in cœ- B
Act. i, 13. naculo, in quod præcedenti capitulo as-
cendisse scribuntur.
2 *Et factus est repente de cœlo sonus,*
tanquam advenientis spiritus vehementis,
id est instar grandis tonitrui seu venti
impetuosi, *et replevit totam domum ubi*
erant sedentes, id est manentes seu qui-
escentes Christi discipuli. Itaque fiebat
tunc sonitus grandis et vehemens, ad de-
clarationem majestatis paracleti Spiritus
Sancti desuper venientis, et ut per soni-
tum illum corda discipulorum ad reve- C
rentialem Dei concuterentur timorem, ac
profundiori humilitate ad Spiritus Sancti
disponerentur influxum. Sic et Ezechiel
in visione quatuor animalium et throni
Ezech. i, 24. ac Dei residentis in eo, magnam se au-
disse commotionem testatur. Illa tamen
imaginaria fuit; ista, realis : quam aliqui
dicunt non solum a discipulis, sed a tota
Jerusalem fuisse auditam. Porro quod ait,
Tanquam advenientis spiritus vehemen-
tis, intelligi potest de Spiritu Sancto, ut
sit sensus : Factus est sonus repentinus D
de cœlo, tanquam advenientis Spiritus ve-
hementis, id est, sicut decuit Spiritum San-
ctum, utpote talis qualem fieri condecebat

ad ejus efficaciam majestatemque mon-
strandam. Juxta quem modum scriptum
est in Ezechiele : Audiebam sonum ala- Ezech. i, 24.
rum, quasi sonum aquarum multarum,
quasi sonum sublimis Dei. Appellatur au-
tem Spiritus Sanctus, Spiritus vehemens,
quasi væ adimens, et mentem a terrenis
ad cœlestia vehens.
Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ 3
tanquam ignis, id est igneæ linguæ mul-
tipliciter divisæ atque distinctæ, *sedit-*
que supra singulos eorum, id est, Spiritus
Sanctus in his linguis ignitis super unum-
quemque discipulorum quievit, quemad-
modum super Christum in baptismo de- Matth. iii, 16; Joann. i, 32.
scendit ac mansit in forma columbæ.
Præterea advertendum, quod duplex est
missio Spiritus Sancti, utpote : spiritualis
et invisibilis, qua mentibus puris aut pu-
rificandis infunditur. De qua legitur : Spi- Joann. iii, 8.
ritus ubi vult spirat; et vocem ejus au-
dis, sed non scis unde veniat, aut quo
vadat. Alia est visibilis, quando in aliquo
signo sensibili demonstratur ac datur, ad
insinuandum quod earum rerum in qua-
rum specie apparet, proprietatem opera-
tur in cordibus quibus illabitur. Hinc
nunc in duplici signo visibili demonstra-
tus ac datus est, scilicet in igne et lin-
guis : sic tamen, quod ignis speciem
linguæ habebant, et linguæ igneæ appa-
rebant, ita quod æquivalenter fuit signum
duplex sensibile. In linguarum ergo spe-
cie apparebat, ad innuendum quod om-
nium linguarum notitiam, facultatem et
usum eis infudit; secundo, quia cunctis
gentibus prædicaturi erant; tertio, quo-
niam linguis prædicantium Spiritus San-
cti gratia præcipue necessaria exstat. Hæ
autem linguæ igneæ erant, ad designan-

dum quod verba ferventia proferre et igneam legem docere deberent, itemque intus igne divini amoris succenderentur. Itaque Deus per hoc quod foris exhibuit, ostendit quod interius gessit. Qui enim discipulos caritate succensos, et verbo atque sapientia eruditos, intus constituit, foris igneas linguas monstravit.

Denique convenienter quinquagesimo die a Pascha, datus est ita Spiritus Sanctus : Primo, ad exprimendam veteris ac evangelicæ consonantiam legis. Nam vetus lex per Moysen data est desuper quinquagesimo die ab esu agni paschalis in Ægypto, et egressione filiorum Israel inde, ut dicitur in Exodo. (*Exod.* XIX, 1, 15; XX, 1 *et seq.*) Unde et quinquagesima dies a Pascha illo figurativo apud Judæos celebris fuit, in memoriam lationis legis Mosaicæ : (*Lev.* XXIII, 16-21.) sic et a Pascha nostro infusum est donum Spiritus Sancti cordibus discipulorum, per quod evangelica lex in eis illuminata, inflammata, confirmataque fuit. Secundo, quoniam quinquagesimus numerus remissionem et quietem designat. Quum ergo Spiritus Sanctus peccata remittat, veramque tribuat pacem, et ad æternam perducat quietem, quinquagesimo die datus est congruenter. Ad litteram quoque, discipuli infra hos decem dies ab ascensione convenienter se disponere poterant ad tam copiosissimam Sancti Spiritus susceptionem. Quo etiam numero mystice figuratur, quod per observationem decem præceptorum, ad incrementa charismatum Spiritus Sancti pertingitur.

Præterea, quia in textu nunc dicitur, Apparuerunt illis, etc., quidam opinati sunt quod apparitio illa imaginaria fuit. Unde et secundo de Trinitate, capitulo 6, Augustinus affirmat, quod littera hæc quæstionem habet an igneæ linguæ visæ sint corporaliter eis, an imaginarie tantum. Tenendum est tamen absolute, et communiter pene ab omnibus sic tenetur, quod vere ab extra realiter apparebant, sicut columba super Christum. (*Luc.* III, 22.)

4 *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Quemadmodum enim domus in qua residebant impleta fuit sono et igneis linguis, ita et corda eorum perfusione, fervore et illustratione Spiritus Sancti. Et utique ante horam hanc, gratiam Sancti Spiritus susceperunt, etiam in abundantia quadam, præsertim quum Christus per insufflationem eis Spiritum Sanctum infudit; (*Joann.* XX, 22.) sed nunc in præexcellenti plenitudine Spiritum Sanctum sortiti sunt. Sunt autem plures gradus plenitudinis qua electi Dei Spiritu Sancto pleni aut repleti fuerunt, quum ab hac die usque in finem vitæ suæ, in Spiritus Sancti charismatibus sumpserunt incrementum. Insuper repleti modo dicuntur Spiritu Sancto, non solum quoad dona gratiæ gratum facientis, sed etiam quoad dona gratiæ gratis datæ, quæ ad aliorum præstantur profectum. Jam enim data sunt eis gratia miraculorum magis quam ante, spiritus prophetiæ, donum linguarum, discretio spirituum, sermo sapientiæ, et sermo scientiæ. (I *Cor.* XII, 8-10.) In tanta quoque plenitudine Spiritum Sanctum quoad dona gratiæ gratum facientis susceperunt, quod confirmati fuerunt in gratia, ita quod postea mortaliter non peccarunt.

Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Omnium enim gentium idiomata proferre et intelligere potuerunt : imo, quod mirabilius est, secundum Glossam et expositores communiter, uno eorum aliquam proferente loquelam, omnes qui aderant, quantumlibet idiomatum consisterent diversorum, loquelam illam tanquam proprium idioma audierunt ac intellexerunt, divina id agente potentia : ut sicut per superbiam et rebellionem filiorum Adæ divisæ sunt linguæ, (*Gen.* XI, 6-9.) ita per humilitatem et obedientiam discipulorum Christi, operante Spiritu Sancto, unitæ sint.

Erant autem in Jerusalem habitantes 5 *Judæi, viri religiosi,* id est divino cultui dediti, seu devoti. Religio quippe est virtus, quæ alio nomine latria nuncupatur, per quam Deo cultum cærimoniamque im-

pendimus. Unde dupliciter religiosi di- A
cuntur : Primo, quia divinis intenti sunt :
sicque omnes fideles virtuosi, dicendi sunt
religiosi. Secundo, quia singulariter di-
vinis se manciparunt, se ipsos Deo tota-
liter offerentes, et sæculo abrenuntiantes
per Ordinis ingressum : et sic claustrales
religiosi vocantur. *Ex omni natione quæ
sub cœlo est.* Hoc per hyperbolen dictum
est, quia ex diversis et valde multis pro-
vinciis quidam Judæorum ad Jerusalem
ex devotione confluxerunt, et illic man-
serunt : qui erant ex his Judæis quos B
adversarii eorum Assyrii, Chaldæi, ac Græ-
ci sub Antiocho rege per diversa vendi-
derant et disperserant loca. Unde in libro
Esther refertur, quemadmodum in diver-
Esther III, 8. sis provinciis Assueri regis plurimi mo-
rabantur Judæi ; et quamvis a Cyro rege
I *Esdr.* I, 2-4. Persarum habuerunt redeundi licentiam,
multi tamen non redierunt.

6 *Facta autem hac voce,* id est, locutio-
ne Apostolorum tam mirabiliter resonan-
te, quando cœperunt variis linguis effa-
ri : continuo enim Spiritu Sancto accensi, C
ingressi sunt templum, quod fuit prope
cœnaculum ; *convenit multitudo* homi-
num. Quidam vero per vocem hanc fa-
ctam, intelligunt sonum præfatum, Tan-
quam advenientis spiritus vehementis :
quem dicunt ab habitatoribus Jerusalem
circa templum auditum, propter quod il-
luc concurrerunt. *Et mente confusa est,*
id est plurimum admirata et conturba-
ta, *quoniam audiebat unusquisque lingua
sua illos loquentes.* Ex quo elicitur, quod
singuli unam cujuslibet Apostolorum lo- D
quelam intellexerunt : quod fuit magnum
et inauditum miraculum, omnes illos in
stuporem convertens, quemadmodum sub-
ditur :

7 *Stupebant autem omnes.* Stupor ex ma-
gna admiratione procedit. *Et miraban-
tur, ad invicem dicentes : Nonne ecce isti
omnes qui loquuntur,* puta Apostoli, *Ga-*
8 *lilæi sunt ? Et quomodo nos audivimus
unusquisque linguam nostram, in qua
nati sumus ?*

Deinde audientium diversitas ex parte
locorum natalium, aperitur : *Parthi, et* 9
Medi, et Elamitæ. Elam est regio Persiæ,
contra quam Jeremias prophetabat. *Et qui* *Jer.* XLIX, 34-39.
habitant Mesopotamiam, Judæam, quæ
hoc loco accipitur pro terra duarum tri-
buum, scilicet Juda et Benjamin, ad di-
stinctionem (ut ait Beda) Samariæ, Ga-
lilææ, Decapoleos, et aliarum in eadem
provincia regionum. Quæ licet omnes una
loquerentur lingua Hebræa, domesticam
tamen singulæ dicendi speciem habuerunt
distinctam. Unde Petrus in passione Do-
mini, quod Galilæus sit, propria proditur *Matth.* XXVI, 69, 73.
lingua. *Et Cappadociam, Pontum, et Asi-
am...* Asia regio quæ dicitur minor, ab
orientali parte qua ad Cappadociam Sy-
riamque progreditur, undique circumdata
est mari. Cujus provinciæ sunt Phrygia,
Pamphylia, Cilicia, Lycaonia, Galatia, et
aliæ multæ. Sed specialiter ubi Ephesus
civitas est, Asia dicitur. *Ægyptum, et* 10
partes Libyæ quæ est circa Cyrenen. Ægy-
pti regio, a septentrione mare Magnum, et
sinum Arabicum ab oriente seu Rubrum
mare, a meridie Æthiopiam, ab occasu Li-
byam habet. Cujus inferiorem partem Ni-
lus ad dexteram atque ad sinistram divi-
sus amplexu suo determinat. Propterea
quidam Ægyptum inter insulas compu-
tant. *Et advenæ Romani,* qui de Italia ad
Jerusalem devenerunt. *Judæi quoque* na- 11
tura, *et proselyti.* Sicut in novo Testamen-
to vocantur neophyti, qui de infidelitate
ad evangelicam legem de novo conversi
sunt ; ita in veteri Testamento dicebantur
proselyti, qui de gentilitate ad legem con-
vertebantur Mosaicam. *Cretes et Arabes.*
Arabia regio inter sinum maris Rubri qui
Arabicus, et eum qui Persicus appella-
tur, plurimas habet gentes, videlicet Idu-
mæos, Sarracenos, Sabæos, et alias plu-
res. Arabia autem, sacra interpretatur, eo
quod sit regio in qua thura nascun-
tur, et producens odores. Hinc eam Græci
εὐδαίμονα, Latini beatam vocaverunt.

*Audivimus eos loquentes nostris lin-
guis,* secundum modum prætactum, *ma-*

gnalia Dei, videlicet Christi resurrectio- A
nem, ascensionem, Paracleti missionem.
Verum, uno Apostolorum loquente, aliisque
tacentibus, unus ille non nisi unius idi-
omatis protulit voces ; omnibus tamen
videbatur quod suæ loquelæ verba pro-
ferret : et virtualiter, non formaliter ita
fuit, sicut et manna cunctorum ciborum
saporem continuit, juxta illud Sapientiæ :
Sap. xvi, 20, 21. Panem de cœlo præstitisti eis, omne de-
lectamentum in se habentem, et omnis
saporis suavitatem ; deserviens enim uni-
uscujusque voluntati, ad quod quisque B
volebat, convertebatur. Hoc tamen in bo-
nis Judæis accidisse dumtaxat aliqui as-
Num. xxi, 5. serunt : mali enim dicebant, Anima nostra
nauseat super cibo isto levissimo.
12 *Stupebant autem omnes et mirabantur,*
dicentes : Quidnam vult hoc esse? Ex in-
genti admiratione inter se conferebant, et
Matth. xii, 34; *Luc.* vi, 45. eadem sæpius proferebant, quia ex abun-
dantia cordis os loquitur. *Alii autem ir-*
13 *ridebant, dicentes : Quia musto pleni sunt*
isti. Isti erant omnino perversi, qui tam
evidens Spiritus Sancti miraculum sini- C
stre interpretabantur, et caritate ac donis
Spiritus Sancti tam exuberanter imple-
tos ut internus splendor ac mentis lætitia
relucerent in vultibus eorumdem, ebrio-
sos dixerunt : quasi mustum hoc facere
posset, quod omnem naturalem transcen-
dit potentiam. Verumtamen spiritualiter
Cant. i, 3. ebrii erant hi Sancti, introducti in cellam
Ps. xxxv, 9. vinariam, et torrente voluptatis deificæ
usque ad plenum potati. In quibus illud
Cant. v, 1. ex Canticis fuit impletum : Comedite, ami-
ci, et bibite ; et inebriamini, carissimi. D
Etenim fervor amoris, sapientiæ sapor,
gaudiorum excessus, inebriaverat eos ; bi-
Prov. ix, 5. berantque vinum quod Christus sapientia
Patris miscuit eis.
14 *Stans autem Petrus cum undecim* Apo-
stolis, *elevavit vocem suam, et locutus est*
eis. Jam innotescere incipit, quanta sit
efficacia gratiæ Spiritus Sancti, et quan-
tum inter fragilitatem humanam ac di-
vinam distet virtutem. Ecce qui paulo
Matth. xxvi, 69-72. ante unius vilis muliérculæ voce conter-
ritus, Christum primam summamque ve-
ritatem negavit, nunc inter tot millia præ
ceteris Apostolis imperterrito ac tuba-
li eloquio testimonium perhibet veritati.
Jam nempe in eo perfectus amor servilem I *Joann.* iv, 18.
ejecit timorem. *Viri Judæi, et qui habi-*
tatis Jerusalem universi, hoc vobis no-
tum sit, et auribus percipite verba mea.
Ecce quam auctoritative et secure effatur,
qui paulo ante indoctus et rudis fuerat *Act.* iv, 13.
idiota.
Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii 15
sunt. Ebrii quidem sunt, fateor, sed non
sicut vos æstimatis, qui tanquam carna-
les, carnaliter judicatis, et similes estis
Heli cæcutienti, qui sanctam Annam per- I *Reg.* i, 13.
hibuit temulentam. *Quum sit hora diei*
tertia. Unde tam mane non solent homi-
nes vino impleri. Porro, Spiritus Sanctus,
qui est tertia in superbeatissima Trinitate
persona, majestatem et gloriam indivi-
duæ adorandæque Trinitatis mundo per
Apostolos prædicaturus, tertia hora con-
venienter descendit. Et quia, ut dictum
est, discipuli erant in oratione perseve- *Act.* i, 14.
rantes, recte Spiritum Sanctum in hora
orationis percipiunt, ut monstretur quod
Spiritus Sancti gratia non facile impetra-
tur, nisi mens a carnalibus supernorum
intentione levetur. Tria autem tempora *Dan.* vi, 10.
quibus Daniel genua flectere et adorare
solebat, videlicet tertia, sexta et nona ho-
ra, ab Ecclesia observantur. Nam et Chri-
stus Spiritum Sanctum hora tertia mit-
tens, et crucem sexta hora ascendens, nona *Matth.* xxvii, 45, 46, 50.
spiritum tradens, easdem nobis horas in-
timare et sanctificare dignatus est. *Sed* 16
hoc quod cernitis, *est quod dictum,* id est
prophetice prænuntiatum, *est per prophe-* *Joel.* ii, 28-32.
tam Joel. Cujus verba subduntur.
Et erit in novissimis diebus, id est 17
tempore evangelicæ legis, cui lex alia di-
vinitus non succedet. De quo tempore
sanctus Jacob disseruit : Congregamini, *Gen.* xlix, 1.
ut annuntiem vobis quæ ventura sunt in
novissimis diebus ; et Isaias, Erit in no- *Is.* ii, 2.
vissimis diebus præparatus mons domus
Domini. Unde hoc tempus ultima mundi

I Cor. x, 11. ætas vocatur, sicut ait Apostolus : Nos A
sumus in quos fines sæculorum devene-
runt. *Dicit Dominus,* scilicet Deus Pater,
vel Pater et Filius, qui sunt unus Domi-
nus, unus quoque spirator et dator Spi-
ritus Sancti, sicut et tres Personæ sunt
unus Creator. *Effundam de Spiritu meo*
super omnem carnem, id est cunctis ho-
minibus, scilicet Judæis et gentibus, seu
quibusdam de omni genere hominum, ut
sit distributio pro generibus singulorum.
Itaque omnibus his de donis et gratiis
Spiritus Sancti effundam. Sicque nomine B
partis intelligitur totum, videlicet homo
Joann. i, 14. per carnem : sicut quum ait Joannes, Ver-
Ps. lxiv, 3. bum caro factum est ; et Psalmista, Ad
te omnis caro veniet. Verumtamen S. Pe-
trus hoc loco sensum, non formam ver-
borum inducit. Sic enim in Joele scri-
Joel ii, 28. ptum est : Et erit post hæc : Effundam
Spiritum meum super omnem carnem.

Et prophetabunt, o Judæi, *filii vestri*
et filiæ vestræ, id est discipuli et disci-
pulæ Christi. Multi enim discipulorum,
et aliquæ sanctæ feminæ cum Apostolis C
Spiritum Sanctum receperunt, et gratiam
prophetalem sortiti sunt. *Juvenes vestri*
visiones videbunt, id est, revelationes di-
vinas atque propheticas vere intelligent.
Dan. x, 1. Intelligentia enim est opus in visione. *Et*
seniores vestri somnia somniabunt, id est,
revelationes desuper tempore somni sus-
cipient, quando propter quietem virtutis
imaginativæ ac sensuum exteriorum, ap-
tior est anima ad illuminationes super-
nas. Propter quod in libro Job legitur :
Job xxxiii, 15, 16. Per somnium in visione nocturna aperit D
Deus aures virorum, et instruit discipli-
na. Quod autem Apostolorum discipulo-
rumque Christi, alii seniores, alii fue-
rint juniores, certum est cunctis. Porro
hujuscemodi somnia non sunt vana et so-
lita omnibus, sicut illa de quibus Eccle-
Eccli. xxxiv, 1-3. siasticus : Somnia extollunt impruden-
tes ; et quasi qui apprehendit umbram et
persequitur ventum, secundum hoc visio
18 somniorum. *Et quidem super servos meos*
et ancillas meas in diebus illis, scilicet
in exordio evangelicæ legis, *effundam de*
Spiritu meo, et prophetabunt. Quidam
enim utriusque sexus in primitiva Eccle-
sia prophetarunt, sicut et infra scribitur
Philippus diaconus habuisse quatuor fi- Act. xxi, 9.
lias virgines prophetissas. In nomine vero
effusionis, ostenditur gratiæ copia seu mu-
nerum largitas. De qua effusione scriptum
est : Effundam Spiritum meum super se- Is. xliv, 3.
men tuum, et benedictionem meam super
stirpem tuam.

Et dabo prodigia in cœlo sursum, et 19
signa in terra deorsum. Hoc et verba se-
quentia quidam exponunt de signis præ-
cessuris diem judicii. Sed quum Petrus
totam istam scripturam pro tempore suo,
quasi tunc impletam alleget, aptius ad
præfatum tempus refertur. Dedit ergo
Deus in primo Christi adventu et circiter
prodigia in cœlo, quando eo nato, cœle- Luc. ii, 13 ; Matth. ii, 2.
stis militiæ multitudo Deum laudans ap-
paruit, stella in aere radiavit ; et tempore
passionis, dum luna tempore oppositionis
supernaturaliter rediit, et se soli suppo- Luc. xxiii, 44, 45.
suit, totque horis sub ipso permansit, ita
quod sol stetit immotus. Similiter in as-
censione angeli apparuerunt. Insuper de- Act. i, 10.
dit Dominus signa in terra, quando in ea
Christus tot patravit miracula ; et quando
eo patiente mota est terra, scissæ sunt Matth. xxvii, 51-53.
petræ, aperta sunt monumenta, et multa
corpora Sanctorum resurrexerunt a mor-
tuis, et venientes in sanctam civitatem, ap-
paruerunt multis. Quod autem ista conve-
nienter ad tempus primi adventus Christi
relata sint, innotescit ex eo quod Domi-
nus ait : Adhuc unum modicum, et ego Agg. ii, 7, 8.
movebo cœlum et terram, et mare, et ari-
dam ; et veniet Desideratus cunctis genti-
bus : quod omnes de primo Christi ad-
ventu exponunt, de quo in Genesi loquitur
Jacob : Et ipse erit exspectatio gentium. Gen. xlix, 10.

Consequenter quædam prodigiorum is-
torum specialiter exprimuntur. *Sangui-*
nem, et ignem, et vaporem fumi. Per san-
guinem, intelligitur sanguis qui de Christi
latere fluxit. In cujus emanatione duo mi- Joann. xix, 34.
rabilia contigerunt : primum, quia de

mortuo corpore sanguinem vivaci rivo ef- A
fluere, contra nostrorum naturam est cor-
porum ; secundum, quod simul cum san-
guine aqua profluxit. Potest quoque per
sanguinem accipi sanguis quem pro Chri-
sto martyres cum mira effuderunt con-
stantia. Per ignem, Spiritus Sancti illu-
stratio ac inflammatio designatur : in igne
enim sunt splendor et calor. Per vaporem
fumi, excæcatio Judæorum, vel compun-
ctio et lacrimatio conversorum, qui ad
prædicationem Petri compuncti sunt cor-
de. De quorum piissimo fletu Zacharias B
Zach. XII, 10. dicit : Plangent eum planctu quasi super
unigenitum.
20 *Sol convertetur in tenebras :* nam tem-
Luc. XXIII, 45. pore passionis obscuratus est sol ; *et luna*
in sanguinem, id est, rubea apparebit.
Non tamen planetæ fuerunt in se ipsis ta-
liter se habentes, sed secundum apparen-
tiam fuit sic. Solet autem luna, quum
eclipsim patitur, sanguinea apparere ; sed
quando directe supponitur soli, nigra vi-
detur. Unde si suppositione illa durante
rubea apparebat, mirabiliter factum est. C
Quod, secundum Hieronymum, credi po-
test, quamvis scriptum non sit : non enim
Joann. XXI, 25. scripta sunt omnia. *Antequam veniat dies*
Domini magnus et manifestus. Per diem
hunc, Hieronymus super Joelem intelligit
diem dominicæ resurrectionis, in quo ma-
gna operatus est Deus, et quem omnibus
Ps. CXVII, 24. manifestavit. De quo ait Psalmista : Hæc
est dies quam fecit Dominus. Qui dies per
Joel. II, 31. Joelem appellatur horribilis, quia aeriis
potestatibus impiisque Judæis pavendus.
Potest quoque per diem istum horribilem, D
magnum et manifestum, tempus illius gra-
vissimæ ac finalis captivitatis Judæorum
per Romanos intelligi. De istis hic trans-
eo, quia super duodecim Prophetas suo
loco ea plenius exposui.
21 *Et erit : Omnis quicumque invocaverit*
nomen Domini, id est, Deum intimo cor-
dis affectu, cum fide sincera oraverit, *sal-*
Act. X, 34. *vus erit.* Non enim est personarum acce-
Ps. CXLIV, 18. ptor Deus ; sed prope est Dominus omnibus
invocantibus eum, omnibus invocantibus
eum in veritate : juxta illud Ecclesiastici,
Quis invocavit illum, et despexit eum ? *Eccli.* II, 12.
Consequenter beatissimus Petrus evi-
dentius instruit eos, factis et auctoritati-
bus Jesum esse Messiam declarans. *Viri* 22
Israelitæ, qui estis Israelitæ carnis pro-
pagine, non fidei imitatione, *audite verba*
hæc : Jesum Nazarenum, virum appro-
batum a Deo Trinitate, et a se ipso secun-
dum quod Deus est, *in vobis,* id est inter
vos, *virtutibus,* id est sanctis operibus, *et*
prodigiis, quantum ad majora ejus mira-
cula, *et signis,* quantum ad minora, *quæ*
fecit per illum Deus in medio vestri. Ver-
bum enim seu Trinitas operabatur per
Christi humanitatem : quæ fuit instrumen-
tum seu organum immediatum, conjun-
ctum et proprium Verbi, quemadmodum
corpus nostrum instrumentum est animæ
nostræ in suis operibus, secundum Dama-
scenum. Unde divinus Dionysius Christi
actionem appellat theandricam, id est dei-
virilem. Et Christus homo divina potestate
egit miracula. *Sicut vos scitis :* quibus et
Christus ante passionem dicebat : Multa *Joann.* X, 32.
bona opera ostendi vobis ex Patre meo :
propter quod horum me lapidatis ?
Hunc definito consilio et præscientia 23
Dei traditum. Quamvis enim Judas impie *Matth.* XXVI, 47-49.
eum tradiderit, Deus tamen eum per Pro- *Is* LIII, 12.
phetas tradendum prædixit, prædetermi-
navit, et in sua præscientia sempiterna
pro hominibus moriturum prædefinivit,
quemadmodum ait Apostolus : Proprio Fi- *Rom.* VIII, 32.
lio suo non pepercit, sed pro omnibus
nobis tradidit illum. Deus quoque Pater,
seu Trinitas, animæ Christi voluntatem
moriendi pro hominibus inspiravit. Rur-
susque eidem contulit tam juste conver-
sari et loqui, quod Judæi erant invidia
concitati : ex qua ultra ad Christi occisi-
onem progressi sunt. Sicque traditio Chri-
sti, quantum ad causam atque principium
ejus, fuit directe et effective a Deo : lo-
quendo tamen de causa traditionis hujus
bona, puta justitia spontaneoque princi-
pio, ratione cujus etiam se ipsum tradidit
Christus, juxta illud Isaiæ : Tradidit in *Is.* LIII, 12.

mortem animam suam. *Per manus ini-*
quorum, videlicet militum Pilati, *affigen-*
tes cruci, *interemistis,* mortem ipsius pro-
curando.
24 *Quem Deus suscitavit* a mortuis, imo
et ipse ut Deus, se ipsum, sicut prædixit :
Joann. x, 18. Potestatem habeo ponendi animam meam,
Ibid. II, 19, 21. et iterum sumendi eam. Et item : Solvite
templum hoc, et in tribus diebus excita-
bo illud. Hoc enim dixit de templo cor-
poris sui, ut Evangelista exponit. *Solutis*
doloribus inferni, id est pœnis inferni a
Christo sublatis : ita quod eas non sensit,
Ps. LXXXVII, 5, 6. juxta id Psalmi, Factus sum sicut homo
sine adjutorio, inter mortuos liber. Abla-
tis quoque his pœnis a sanctis quos Chri-
stus de limbo eduxit. Nam mox quum ad
eos anima ejus venisset, beatifica Dei vi-
sione illustravit eosdem. Jam enim cau-
sam dilationis gloriæ, videlicet originalis
peccati reatum, sua passione amovit. San-
cti autem in limbo, etsi pœnam sensus
non habuerunt, nihilo minus pœna damni
fuit in eis. Sicque dilatio gloriæ eos ali-
quo modo afflixit, juxta id Proverbiorum :
Prov. XIII, 12. Spes quæ differtur, affligit animam ; li-
gnum vitæ, desiderium veniens. Propter
Zach. IX, 11. quod de istis Zacharias dicit Christo : Tu
quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti
vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.
Juxta quod impossibile erat teneri illum,
scilicet Christum, *ab eo,* id est ab inferno.
Quum enim omni caruerit culpa, nil pote-
statis aut juris habebat in eo diabolus seu
infernus. Propter quod passione instante
Joann. XIV, 30. disseruit : Venit ad me princeps mundi
hujus, et in me non habet quidquam.
25 *David enim dicit in eum,* id est de
Christo (ita quod verba sequentia ad lit-
Ps. XV, 8-11. teram in Christi persona dicuntur) : *Pro-*
videbam Dominum coram me semper, id
est, ego ut homo, Deum jugiter intuebar,
atque in omnibus provide coram eo con-
versabar. Nam anima Christi a primo suæ
creationis instanti, vidit Deum per spe-
ciem tam clare ac incessanter ut modo.
Quoniam a dextris est mihi, id est, in
omnibus gratiose mihi adsistit : secundum

A illud Isaiæ : Dominus Deus auxiliator me- *Is.* L, 7.
us ; *ne commovear,* id est, a via æquitatis
et veritatis usquam recedam. In tantum
enim adfuit naturæ assumptæ, quod pec-
care nequivit. *Propter hoc lætatum est* 26
cor meum, videlicet de tam incomparabili
beneficio Dei, et de indesinenti adspectu
ipsius, *et exsultavit lingua mea,* id est,
in verba laudis divinæ cum exsultatione
prorupit, dicendo : Gratias ago tibi, Pa- *Joann.* XI, 41.
ter ; et, Honorifico Patrem meum. Et rur- *Ibid.* VIII, 49.
sus dicitur : Exsultavit Jesus Spiritu San- *Luc.* X, 21.
B cto. *Insuper et caro mea requiescet in*
spe, id est, corpore meo ab anima sepa-
rato atque sepulto, de ejus resuscitatione
certus ero. *Quoniam non derelinques ani-* 27
mam meam in inferno, nisi quamdiu ipsa
voluerit, scilicet usque ad instans resur-
rectionis. Et infernus pro limbo patrum
hic sumitur, sicut quum Jacob ait in Ge-
nesi : Descendam lugens in infernum ; at- *Gen.* XXXVII, 35.
que in Symbolo : Sepultus, descendit in
infernum. Porro, in morte Christi fuerunt
corpus et anima ejus ab invicem separa-
C ta ; utrumque tamen mansit Verbo uni-
tum. Ideo corpus ejus resolvi non potuit.
Propter quod subditur : *nec dabis San-*
ctum tuum videre corruptionem, id est,
corpus unigeniti Filii tui non permittes
pati incinerationem seu dissolutionem. Ni-
hilo minus sumendo corruptionem pro oc-
cisione, fuit vere corruptum seu mortu-
um. *Notas mihi fecisti vias vitæ,* id est, 28
semitas justitiæ quibus ad vitam beatam
transitur, me docuisti, et per acceleratam
resuscitationem iter ad vitam gloriæ as-
D cendere me fecisti, ita quod tunc per ex-
perientiam illud novi ; *replebis me jucun-*
ditate cum facie tua, id est, quum in
conspectu tuo in cœlesti apparuero re-
gno, plenissime glorificabor. Quamvis enim
Christus ab exordio incarnationis, quan-
tum ad superiorem animæ partem ad Ver-
bum relatam, fuerit comprehensor, et om-
ni essentialis præmii gaudio plenus ; nihilo
minus quoad inferiores animæ vires, imo
et quantum ad superiores vires ad essen-
tiam animæ comparatas, et quantum ad

Joann. XI, 33, 35 ; Matth. XXVI, 37, 38. Luc. XXIV, 26. carnem passibilem, fuit viator, et tristi- A
tiam aliquando habens et dolores. In as-
censione autem plenissimam glorificatio-
nem sortitus est, imo et ab omni tristitia
in puncto mortis exstitit liberatus.
Præterea, quod verba inducta, non de
se ipso, sed de Christo protulit David, con-
29 sequenter probatur. *Viri fratres, liceat
audenter dicere ad vos de patriarcha Da-
vid, quoniam defunctus est et sepultus,
et sepulcrum ejus apud nos est usque in
III Reg. II, 10. *hodiernum diem :* sicut tertio Regum de-
scribitur. Ex quibus patet, quod corpus B
30 ejus in sepulcro sit dissolutum. *Propheta
ergo quum esset :* nam præclarissimus fuit
propheta David ; *et sciret quia jurejuran-
do jurasset illi Deus, de fructu,* id est
semine, *lumbi ejus, sedere super sedem
ejus,* id est post eum vere spiritualiterque
regnare ceteris cunctis sublimius, juxta
Ps. CXXXI, 11. illud in Psalmo : Juravit Dominus David
veritatem, et non frustrabitur eum, De
fructu ventris tui ponam super sedem tu-
am, scilicet Christum de semine tuo na-
Is. IX, 7. sciturum. De quo loquitur Isaias : Super C
solium David et super regnum ejus sede-
31 bit. *Providens,* id est, in futurum procul
præintuens, *locutus est de resurrectione
Christi, quia neque derelictus est in in-
* vidit *ferno, neque caro ejus sensit* corruptio-
vers. 27. *nem :* juxta expositionem inductam. *Hunc
32 Jesum suscitavit Deus, cujus nos omnes
testes sumus,* quod vidimus protestantes,
et prophetice prænuntiatum nuncque im-
pletum monstrantes.
33 *Dextera ergo Dei exaltatus,* id est, divi-
na virtute de limbo, de sepulcro, de terra D
ad cœlos levatus, *et promissione Spiritus
Sancti accepta a Patre,* id est, omni glo-
rificatione quam ei per Spiritum Sanctum
Pater in Scripturis promisit, adepta, *effu-
dit hoc donum quod vos videtis et audi-
tis,* id est, magnam hanc gratiam, sapien-
tiam, linguarum notitiam, quam in nobis
jam experimini, largitus est nobis. Pro-
missionem autem Spiritus Sancti accipe-
re, competit Christo secundum naturam
humanam ; sed Spiritum Sanctum dare,

secundum naturam divinam : quamvis in
ipso secundum humanitatem sit gratia ca-
pitis, per quam suis influit membris :
quod agit ut causa gratiæ instrumentalis
ac meritoria et conjuncta.
Porro, quod Christus dextera Patris sit
exaltatus, testimonio probat Psalmistæ.
Non enim David ascendit in cœlum, quia 34
quoad corpus mansit in monumento, et
quantum ad animam in limbo. *Dixit au-
tem ipse* in Psalmo : *Dixit Dominus Domi-* Ps. CIX, 1.
no meo, id est Pater Filio, *Sede a dextris
meis,* id est in bonis potioribus, secun-
dum naturam assumptam, ita quod omni
sis creaturæ prælatus, plenarie glorifica-
tus, et divinitate præ cunctis abundantius
fruens. Istud dixit Christo homini Deus
Pater in ascensione. Secundum divinita-
tem vero, Pater ab æterno dixit Filio, Sede
a dextris meis, id est, mihi esto æqualis,
et in ea reside majestate qua ego. *Donec* 35
*ponam inimicos tuos scabellum pedum tu-
orum,* id est, omnes reprobos tibi plene
subjiciam, et subjectos ostendam : quod
maxime erit in die judicii. De expositione
autem versuum istorum nunc pertranseo,
quum in libro Psalmorum prolixe expo-
siti sint. Quod autem hæc dictio, Donec,
sumatur hic non finite, sed indefinite,
constat, sicut et apud Matthæum : Non Matth. I,
cognovit eam, donec peperit filium suum. 25.
Certissime ergo sciat, per fidei cogni- 36
tionem, non per rationem aut scientiam
naturalem : juxta quem modum sanctus
Job ait, Scio quod Redemptor meus vivit, Job XIX, 25.
et in novissimo die de terra surrecturus
sum ; *omnis domus Israel,* id est tota
plebs Judæorum seu duodecim tribuum,
*quia et Dominum eum et Christum fecit
Deus hunc Jesum :* id est, Pater seu Tri-
nitas superdignissima Jesu Nazareno se-
cundum naturam humanam contulit prin-
cipatum universorum, et unctionem gratiæ
singularem ac summam, juxta illud : Un- Ps. XLIV, 8.
xit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ
consortibus tuis. Et item Christus fatetur
in Psalmo, ratione naturæ assumptæ et
gratiæ ei collatæ : Ego autem constitutus Ps. II, 6.

sum rex ab eo super Sion montem san- A
ctum ejus. *Quem vos crucifixistis,* non
vestris, sed militum manibus ; et magis
peccastis quam illi, quia prima causa plus
37 influit. *His auditis, compuncti sunt cor-*
de, de suis dolendo peccatis : non omnes
tamen, sed multi. In quibus impletum
est quod ante passionem Christus eis præ-
Joann. VIII, 28. dixit : Quum exaltaveritis, inquiens, Fi-
lium hominis, tunc cognoscetis quia ego
sum. Tot itaque Scripturarum allegatio-
nibus et tantis prodigiis sunt convicti. *Et*
dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apo- B
stolos : Quid faciemus, viri fratres ?
38 *Petrus vero dixit ad illos : Pœniten-*
tiam agite, nec parvam, sed maximam,
quantum ad interiorem dolorem, ut magni-
tudini criminis correspondeat magnitudo
doloris. Oportet enim, secundum Hiero-
nymum, ut dolor contritionis adæquet gra-
vitatem peccati, quatenus de majoribus
vitiis major habeatur contritio. *Et bapti-*
zetur unusquisque vestrum in nomine
Jesu Christi in remissionem peccatorum
vestrorum, videlicet quilibet in remissio- C
nem peccatorum suorum. Quamvis autem
Christus formam Baptismi docuerit, di-
Matth. XXVIII, 19. cens, Baptizantes in nomine Patris et Filii
et Spiritus Sancti ; Apostoli tamen et eo-
rum disciputi in primitiva Ecclesia, sub
alia forma baptizaverunt, ex familiari con-
silio atque instinctu Spiritus Sancti uten-
tes hac forma verborum, Baptizo te in
nomine Jesu Christi : ut scilicet nomen
Christi amplius dilataretur, et honorabi-
lius ac amabilius redderetur hominibus,
quod a Judæis incredulis blasphemabatur. D
Quo facto, cœpit Ecclesia uti forma Bapti-
smi instituta a Christo. Tamen, quoniam
in nomine Christi dabatur Baptismus, for-
ma a Christo præfixa implicite ac virtua-
liter servabatur, quia in nomine Christi
tota supersancta Trinitas intelligi datur.
Nam Christus dicitur unctus : sicque in
nomine ejus intelligitur Pater ungens, Fi-
lius unctus, Spiritus Sanctus unctionis
causa, seu unctio effectiva, qui per præ-
dicationem causalem unctio appellatur. *Et*
accipietis donum Spiritus Sancti, id est,
non solum peccatorum remissionem, sed
et donum sapientiæ et linguarum, quod in
nobis miramini. Tunc namque baptizatis
dabatur communiter Spiritus Sanctus in
signo sensibili per impositionem manu-
um Apostolorum, sicut et infra habetur. *Act.* VIII, 17.
Unde in Scholastica historia sic habetur :
Accipietis donum Spiritus Sancti, scilicet,
ut loquamini variis linguis, sicut et nos.
Et hoc erat signum familiare in primitiva
Ecclesia, quia omnes fere ascendentes de
lavacro, loquebantur variis linguis.
Vobis enim facta est repromissio, et 39
filiis vestris, id est, præfata promissio de vers. 17-21.
effusione Spiritus Sancti per Joelem præ-
nuntiata, vos et filios vestros concernit,
ita quod in vobis implebitur. Nec solum
in vobis Judæis, sed *et omnibus qui longe*
sunt a vobis, seu loco, seu dispari cultu
et dissimili ritu, puta in gentibus, *quos-*
cumque advocaverit Dominus Deus no-
ster, id est, per evangelicam prædicatio-
nem seu inspirationem divinam, ad fidem
et caritatem seu ecclesiasticam unitatem
perduxerit, hoc est in omnibus prædesti-
natis. Propter quod apud Joannem scri-
ptum est : Jesus moriturus erat pro gen- *Joann.* XI, 51, 52.
te ; et non solum pro gente, sed ut filios
Dei, qui dispersi erant, congregaret in
unum. Hinc gentibus scribens Apostolus :
Vos, inquit, qui aliquando longe fuistis, *Ephes.* II, 13.
nunc prope facti estis in sanguine Christi.
Quod etiam in epistola ad Romanos ab *Rom.* XV, 11, 21; *Is.* XI, 10; LII, 15.
Isaia prophetatum declarat.
Aliis etiam verbis plurimis testificatus 40
est, et hortabatur eos, dicens : Salvamini
a generatione ista prava, id est, ab incre-
dulis istis Judæis dividamini corde, ut fi-
dem et gratiam suscipientes, illis pereun-
tibus, vos salvemini. *Qui ergo receperunt* 41
sermonem ejus, id est, verbis Petri acquie-
verunt, *baptizati sunt* ab Apostolis, aliis-
que forsan discipulis. *Et appositæ sunt*
numero credentium *animæ,* id est homi-
nes, *circiter tria millia,* ad gloriam sum-
mæ Trinitatis, totius gratiæ superditissimi
fontis, *in illa die,* videlicet Pentecostes.

42 *Erant autem perseverantes in doctrina*
Apostolorum, illam mansuete ac sedulo
audiendo ac prompte implendo, juxta il-
Jacob. I,21. lud Jacobi : Abjicientes omnem immun-
ditiam, in mansuetudine suscipite insitum
verbum, quod potest salvare animas ve-
stras. Sic et subditi, in doctrina pastorum
suorum debent stabiles permanere. *Et*
communicatione fractionis panis, id est
perceptione Sacramenti. Secundum quod
I Cor. x,16. Paulus ait : Panis quem frangimus, nonne
participatio corporis Domini est? In pri-
mitiva autem Ecclesia crebro, et multi
quotidie communicabant. *Et orationibus,*
nec dubium quin et in laudibus Dei, quum
et majus atque divinius sit Dei laudibus
quam orationibus esse intentum. Nam
Deum laudando, magis simplificamur in
ipso, et minus ad nos ipsos reflectimur.
Eccli. xv, 9. Sed quum non sit speciosa laus in ore
peccatoris, qui divinæ laudationi cupit in-
sistere, primo in orationibus perseveret, ut
purificetur, et corde mundato agat quod
Ps. xxxiii,2. scriptum est : Benedicam Dominum in om-
ni tempore, semper laus ejus in ore meo.
43 *Fiebat autem omni animæ timor,* id
est, universis Judæis et ceteris ista viden-
tibus timor quidam incutiebatur, propter
rei novitatem, totque mirabilium eminen-
tiam, ex prædicatione quoque Apostolo-
rum, qua incredulis damnationem commi-
nabantur æternam. *Multa quoque prodigia*
et signa, id est miracula majora et mino-
ra, *per Apostolos fiebant in Jerusalem :*
quæ S. Lucas, brevitati studens, non reci-
tat. *Et metus erat magnus in universis,*
propter causas prætactas. In quo divina
potentia evidenter ostenditur, quod scili-
cet discipuli ante Paracleti missionem tre-
pidi, nunc erant intrepidi, et adversarii
eorum tam pavidi. Tantus enim gratiæ
fulgor, potestatisque vigor, ac Divinitatis
operatio in eis splendebant, quod æmuli
veritatis formidare coacti sunt : qui illos
paulo ante non modo non metuebant, sed
et occidere disponebant.
44 *Omnes etiam qui credebant, erant pa-*
riter mente et corpore, *et habebant om-*
nia communia. Possessiones et substantias 45
vendebant, scilicet immobilia et mobilia
bona, *et dividebant illa omnibus, prout*
cuique opus erat. Quo enim spiritualibus
divitiis fuerunt pleniores, eo minus cu-
raverunt opes carnales ; et quo in Dei ac
proximi dilectione magis ardebant, eo li-
beralius sua sibi invicem communicabant.
Caritas enim omnia facit esse communia,
nec sua dumtaxat, sed et se ipsam im-
pendit. Ex quibus elicitur, tanto quemque
minus habere de divino amore, quo exstat
avarior ; et quo amplius quærit terrena,
eo animam habet pauperiorem.
Quotidie quoque perdurantes unanimi- 46
ter in templo, et frangentes circa domos
in reditu suo a templo *panem, sumebant*
cibum cum exsultatione spirituali, non
carnali, *et simplicitate cordis,* tanquam
ab omni simulatione et vanitate dolosa
immunes. Tantus fuit in eis caritatis fer-
vor et devotionis instantia, quod in ex-
teriori occupatione et necessaria corpori
refectione, manserunt mente ad Deum
suspensi, et gloriantes in contemplatione
ipsius. In quibus illud Psalmistæ impletum
est : Justi epulentur et exsultent in con- Ps. lxvii,4.
spectu Dei, et delectentur in lætitia. In
quibus et aliæ multæ propheticæ promis-
siones vere spiritualiterque impletæ sunt,
quas carnales et obstinati Judæi nondum
putant impletas, et corporaliter præsto-
lantur implendas. *Collaudantes Deum, et* 47
habentes gratiam ad omnem plebem, ita
quod omnibus erant accepti ac honorati,
propter tam evidentissimam gratiæ afflu-
entiam in ipsis splendentem, quemadmo-
dum legitur de S. Sebastiano : Necesse
erat ut quem Deus tanta perfuderat gra-
tia, ab omnibus amaretur. *Dominus au-*
tem augebat qui salvi fierent, id est,
quosdam convertit, et fidelium numero
copulavit, *quotidie in id ipsum* collegium
credentium, vel in ipsomet Deo incom-
mutabili bono, in quod mente tendebant
et quiescebant : de quo fertur in Psalmo,
Tu autem idem ipse es ; et rursus, In pace Ps. ci,28.
in id ipsum dormiam et requiescam. Ps. iv,9.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : PETRUS AUTEM ET JOANNES ASCENDEBANT IN TEMPLUM.

QUUM evangelica doctrina sit superna-
turalis, necesse fuit eam supernatu-
ralibus argumentis probari. Hinc Christus
et ejus discipuli, talia operabantur mira-
cula quæ sola divina virtute fieri queunt.
Idcirco, quam certum est Deum falsitatis
non esse approbatorem aut confirmato-
rem, tam certum est fidem catholicam
esse a Deo. Nunc ergo grande narratur
miraculum, quo fidei veritas roborabatur,
et plurimi convertebantur.
1 *Petrus autem et Joannes ascendebant*
in templum, videlicet ad quemdam lo-
cum ejus : qui ut dicitur, fuit atrium
mundorum, ubi Judæi secundum legem
mundi orabant; *ad horam orationis no-*
nam. Quocirca aliqui dicunt quod Judæi
Dan. vi, 10. ter orabant in die, sicut jam ante ex Da-
niele est allegatum. Verumtamen in Ne-
II Esdr. ix, 3. hemia habetur, quod quater in die et
quater in nocte confitebantur Judæi, et
adorabant Dominum Deum suum. Præter-
ea hi duo Apostoli, et Apostolorum exi-
mii, in multis associati leguntur, tanquam
familiari singularitate conjuncti, quamvis
uterque eorum carnalem fratrem haberet
apostolum. Nam in Christi ministris plus
valet gratia quam natura, seu amor in-
fusus quam naturalis.
2 *Et quidam vir qui erat claudus ex*
utero matris suæ, bajulabatur in lecto.
Nam secundum Glossam, etiam paralyticus
fuit. *Quem ponebant quotidie ad portam*
templi quæ dicitur Speciosa. Secundum
quod in Scholastica historia legitur, idcir-
co sic dicta est, quia Alexander Hyrca-
nus ornamentum quoddam in ea appo-
suit, in qua et Herodes auream posuit
aquilam, fuitque porta atrii mundorum.
Palam est autem quod non fuit ea quam
A Joathan rex Juda ædificavit, quæ subli- IV Reg. xv, 35; II Par. xxvii, 3.
missima dicebatur, quum illa fuerit per
Chaldæos destructa. *Ut peteret eleemosy-*
nam, forte non solum pro se, sed et pro
ministrantibus sibi, *ab introeuntibus in*
templum. Is quum vidisset Petrum et Jo- 3
annem incipientes introire in templum,
rogabat ut eleemosynam acciperet. Intu- 4
ens autem in eum Petrus cum Joanne,
dixit : Respice in nos. Quod Petrus ideo
dixit, ut claudus iste et alii scirent a qui-
bus reciperet quod mox fuerat susceptu-
B rus : quatenus per hoc, non ipsi Aposto-
li, sed Christus glorificaretur, et ad eum
alii converterentur. *At ille intendebat in* 5
eos oculis mentis et corporis, tanquam
eleemosynæ avidus, et forte ex verbis Pe-
tri insolito modo concussus, *sperans se*
aliquid accepturum ab eis. Nec fefellit
eum fiducia, quoniam plus quam spera-
vit, accepit.
Petrus autem dixit : Argentum et au- 6
rum non est mihi. Omnia enim propter Matth. xix, 27.
Christum reliquit, nec pecunias a conver-
C sis Apostolorum ad pedes positas, in suum
usum convertit secumque detulit : quia
audierat a Christo, Nihil tuleritis in via, Luc. ix, 3.
neque pecuniam; et, Nolite possidere au- Matth. x, 9.
rum et argentum. *Quod autem habeo,* id
est sanitatis beneficium, quod in mea est
potestate instrumentaliter, *hoc tibi do,* tan-
quam instrumentum omnipotentiæ Dei, a
quo gratiam sanitatum et virtutem mira-
culorum sortitus sum. *In nomine,* id est
in virtute et gratia, *Jesu Christi Naza-*
reni, surge de lecto, *et ambula :* quorum
D nullum potuisti hucusque, saltem expedi-
te. *Et apprehensa manu ejus dextera, al-* 7
levavit eum. Circa quod dicit Beda : Quem
verbo erigit, dextera confortat, quia ser-

mo docentis in corde audientium minus A
valet, nisi propriæ actionis commendetur
exemplis. *Et protinus consolidatæ sunt
bases ejus et plantæ*, id est crura et pe-
8 des. *Et exsiliens, stetit, et ambulabat :* in
quo patet quod subito sit sanatus. Virtus
enim divina quum sit infinita, agit in
instanti. Et in claudo hoc etiam illud Isaiæ
Is. xxxv, 6. impletum est : Tunc saliet sicut cervus
claudus. Quemadmodum autem qui diu
in lecto ægritudinis jacuerunt, quum sa-
natos se sentiunt, præ gaudio (ambulare
incipientes) quasi exsiliunt : sic fecit et
iste, de sua sanatione ineffabiliter exhila-
ratus. *Et intravit cum illis in templum*,
in testimonium veritatis, *ambulans et ex-
siliens, et laudans Deum* pro beneficio
tanto.

9 *Et vidit omnis populus eum ambulan-
10 tem et laudantem Deum. Cognoscebant
autem illum*, id est, universi qui aderant,
noverunt hunc esse qui paulo ante fuerat
claudus, et *quod ipse erat qui ad eleemo-
synam sedebat ad Speciosam portam tem-
pli. Et impleti sunt stupore et ecstasi*.
Ecstasis dicitur, quasi positio extra se
ipsum, seu alienatio mentis a se : quod
fit interdum pavore, interdum admirati-
one, interdum contemplatione seu reve-
latione. In istis autem ex pavore et ad-
miratione processit. *In eo quod contigerat
11 illi. Quum teneret autem Petrum et Jo-
annem, cucurrit omnis populus ad eos :*
vel quia jam noverant eos hoc fecisse pro-
digium, vel quia ex fama et apparatu eo-
rum id suspicabantur, etiam antequam
aliunde audirent ; *ad porticum quæ ap-
pellatur Salomonis*, id est in ea parte qua
III *Reg.* viii, stabat Salomon dum oraret, ut in Scho-
22 *et seq.*; II *Par.* vi, lastica explanatur historia : non tamen
12, 13 *et seq.* fuit eadem numero, sicut nec idem tem-
plum. Vel ideo sic vocatur, quia constru-
cta fuit in eodem loco, in quo et illa quam
in primo templo Salomon ædificavit.

12 *Videns autem Petrus* concursum, *re-
spondit ad populum : Viri Israelitæ, quid
miramini in hoc, aut nos quid intuemi-
ni, quasi nostra virtute aut pietate fece-
rimus hunc ambulare?* Ad opus bonum,
præsertim ad beneficii impensionem et
misericordiæ actum, requiritur, non so-
lum potestas, sed etiam pietas seu beni-
gna voluntas, vel quædam compassio aut
misericordia, quæ nunc per pietatem ex-
primitur. Quamvis autem virtute et pieta-
te Apostolorum fuerit signum hoc factum
instrumentaliter, non tamen principali-
ter. Et ipsi Apostoli hanc virtutem et pie-
tatem non a se, sed divinitus suscepe-
runt : ideo non sua virtute aut pietate
B dicunt se istud egisse. Itaque Petrus non
arguit eos quod de tanto miraculo mira-
bantur, sed quia eorum admiratio non
fuit ordinata. Adspiciebant enim ad ser-
vos et ad instrumentum, magis quam ad
Dominum ac principalem agentem. Ideo
Petrus erigit eos ad principalis opificis
contemplationem, et ad considerationem
causæ finalis hujus miraculi, quæ fuit ut
per illud Jesus ostenderetur esse Filius
Dei, et sic alii converterentur ad ipsum.
Hinc subditur :

C *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus* 13
Jacob. In hoc inæstimabilis dignatio, ca-
ritas et misericordia Dei ad homines de-
signantur, quod Deus ille altissimus et
immensus, Deus utique universorum, qui
digne nominari non potest, dignatur se
hominum Deum vocare, quasi principa-
lem habens dilectionem et curam ad eos.
Hinc in Exodo ait ad Moysen : Hæc dices *Exod.* iii,
ad filios Israel : Dominus Deus patrum 15.
vestrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac,
et Deus Jacob, misit me ad vos. Hoc no-
D men mihi est in æternum, et hoc est me-
moriale meum in generationem et gene-
rationem. Unde quia Petrus loquebatur
Judæis, conformat se modo loquendi pa-
trum veteris Testamenti. *Deus patrum
nostrorum glorificavit Filium suum* uni-
genitum, naturalem, æternum, non ado-
ptivum, scilicet *Jesum*, id est, per hoc
miraculum ostendit veritatem et gloriam
Jesu Christi. Hoc enim faciendo miracu-
lum in nomine Jesu, ostendit quod vera
sit ejus doctrina et prædicatio nostra de

ipso. *Quem vos quidem tradidistis* judici, *et negastis* esse regem vestrum aut Filium Dei, *ante faciem Pilati,* dicentes : Non habemus regem nisi Cæsarem ; et rursus : Tolle, tolle, crucifige eum. *Judicante illo,* puta Pilato, *dimitti* hunc Jesum tanquam innocentem. Nam dixit : Nil causæ invenio in eo ; et item, Corripiam illum et dimittam. Hoc tamen non protulit sententialiter et ultimate, sed interloquendo dimittendum asseruit.

Joann. xix, 15. — *Ibidem.* — *Luc.* xxiii, 4, 22.

14 *Vos autem Sanctum et Justum negastis,* videlicet Jesum, qui secundum divinitatem suam est essentialiter sanctus et justus, secundum humanitatem vero, per virtutes et actus earum, justior ac sanctior universis ; *et petistis virum homicidam donari vobis,* id est ad vestram instantiam liberari a morte, videlicet Ba-
15 rabbam, qui fuit seditiosus et latro. *Auctorem vero vitæ interfecistis,* utpote Unigenitum Dei : qui est totius vitæ fontale principium secundum naturam divinam, a quo derivatur vita naturæ, vita gratiæ, vitaque gloriæ ; qui secundum naturam assumptam, sua occisione vitam gratiæ et gloriæ instrumentaliter reparavit, imo et vitam naturæ restituit his, quos a morte corporea suscitavit. *Quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus.*

Matth. xxvii, 20, 21 ; *Joann.* xviii, 40.

16 *Et in fide nominis ejus,* id est Christi, *hunc quem vos videtis et nostis, confirmavit nomen ejus,* id est, invocatio nominis Christi facta in fide quam nos de ipso habemus, consolidavit crura et pedes istius, qui fuerat natus claudus ; *et fides quæ per eum est,* id est, fides nostra nobis a Christo collata, et de ipso habita, *dedit,* per modum causæ instrumentalis ac meritoriæ, *integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Omnia enim possibilia sunt credenti ; et virtute ac merito fidei summa fiunt prodigia, secundum quod Salvator testatus est : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, Jacta te in mare, et obediet vobis. Itaque merito fidei Apostolorum, non claudi hujus, præstitit Deus hanc sanitatem. Miracula autem fiunt quandoque fide facientium ea, quandoque fide eorum quibus fiunt.

Marc. ix, 22. — *Matth.* xvii, 19 ; xxi, 21.

Ecce qualis artifex est Spiritus Sanctus, qui huic pauperi piscatori infudit tantam constantiam ut tot millibus hominum non vereretur improperare tam incomprehensibile scelus, videlicet occisionem injustissimam unigeniti Filii Dei, quod solo auditu horrendum est. Verumtamen, quoniam discretio exigit ut rigori pietas misceatur, quia et nostra perfectio est Deo assimilari, qui in omni effectu justitiæ misericordiam miscet, hinc Petrus post asperam invectionem blanda verba inducit, et territos consolatur.

Sap. vii, 21.

Et nunc, fratres, scio quod per igno- 17
rantiam fecistis, sicut et principes vestri, id est pontifices ceterique majores. Et hæc ignorantia excusavit crimen eorum aliqualiter, non totaliter, imo nec multum, præsertim quantum ad principes. Tanta enim miracula fecit Jesus, et tot Scripturarum auctoritatibus demonstravit se esse Messiam in lege promissum, quod merito debuissent credidisse in eum. Sed excæcavit eos malitia sua. Quomodo autem pro tempore aliquanto principes et alii quidam noverunt Jesum esse Messiam, et quomodo non, qualiter etiam ad tantam cæcitatem inducti sunt ex impatientia sua propter prædicationem Christi contra eos, nunc omitto, quia super Matthæum dixi hoc plenius, et si Spiritus Sanctus concesserit, super Lucam aliquid inde dicturus sum, ex verbis Augustini in
libro de Civitate Dei. *Deus autem qui* 18
prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic, sicut prædixit : quia divina ordinatione passus est Christus, et eo modo Deus illud implevit, quo sensu nunc dictum est quod tradidit Christum. In tantum enim illud implevit, ut per Isaiam protestetur : Propter scelus populi mei percussi eum. Non tamen induxit Judæos ad faciendum hoc scelus, sed Christo inspiravit promptissimum animum patiendi, et malis actibus

Ibid. ii, 21. — In Matth. xxi, 46. — In Luc. iv, 3. — *Is.* liii, 8.

impiorum usus est Deus ad bonum. Ex A
hac autem auctoritate elicitur, quod uni-
versi Prophetæ verbo vel scripto aut my-
stico facto Christum prænuntiaverunt pas-
Luc. I, 68, 70. surum, sicut et Zacharias fatetur : Visitavit
et fecit redemptionem plebis suæ, sicut
locutus est per os sanctorum, qui a sæ-
culo sunt, Prophetarum ejus.
19 *Pœnitemini igitur* de vestris peccatis,
præsertim de Christi occisione dolete, *et*
convertimini ad Dominum Salvatorem, *ut*
20 *deleantur peccata vestra : ut quum ve-*
nerint tempora refrigerii, id est dies ju- B
dicii, in quo electis plenaria quies præ-
stabitur (unde et justis appetendus est
dies ille, secundum quod ait Salvator :
Ibid. XXI, 28. His fieri incipientibus, levate capita ve-
stra, quia appropinquat redemptio ve-
stra), *a conspectu Domini,* id est ab ipso
Deo, et clementissimo ejus in suos electos
adspectu : ab ipso enim tempus illud pro-
veniet ; *et miserit eum qui prædicatus*
est vobis, Jesum Christum, ad judican-
dum de omnibus, in forma humana vi-
Joann. XIV, 28. sibili, glorificata : secundum quam minor C
21 est Patre, et ab ipso mittetur ; *quem opor-*
tet quidem cœlum suscipere, id est sus-
ceptum interim tenere, ita quod interim
sedebit in cœlo ad dextram Patris, *usque*
in tempora restitutionis omnium, id est
usque in tempus finalis judicii, in quo
Apoc. XXII, 12. unicuique quod promeruit, retribuetur,
et quidquid inordinatum fuit per culpam,
ordinabitur per pœnam, ita quod singula
debitis locis ac præmiis constituentur,
quæ locutus est Deus per os sanctorum
suorum a sæculo Prophetarum : quia de D
hac omnium restitutione pene a principio
mundi locuti sunt vates sancti. Propter
Judæ 14, 15. quod Judas in sua Canonica introducit te-
stimonium Enoch de futuro judicio.

Consequenter docet quod legislator Ju-
dæorum Moyses, de Christo sit vaticinatus.
22 *Moyses quidem dixit* in Deuteronomio :
Deut. XVIII, 15, 18, 19. *Quoniam Prophetam suscitabit vobis Do-*
minus Deus vester de fratribus vestris, id
est, de semine Judæorum Christum se-
cundum carnem producet, et gratia pro-
phetiæ eminenter implebit, *tanquam me*
ipsum. Tanquam, notat hic aliqualem mul-
tumque defectivam similitudinem, quum
Christus incomparabiliter major sit Moy-
se ; sed in hoc est similitudo, quod sic-
ut Moyses fuit lator legis scriptæ, sic
Christus legis evangelicæ. Christo autem,
in quantum fuit aliquo modo viator, com-
petit nomen et ratio Prophetæ, quia ut
sic, claræ visionis non fuit ut comprehen-
sores. Verum, sicut ipse est angelus, et Do- *Is.* IX, 6, juxta LXX.
minus atque creator angelorum ; sic ipse
Propheta, et Dominus ac impletor Prophe-
tarum. *Ipsum audietis juxta omnia quæ*
locutus fuerit vobis. Hoc Moyses ait hor-
tando, non affirmando : nam pro majore
parte Judæi Christum audire spreverunt.
Insuper, juxta morem Scripturæ, Moyses
Judæos sui temporis in persona eorum
qui tempore Christi erant futuri, alloque-
batur. De toto enim populo solet loqui
Scriptura quasi de aliquo uno : idcirco
ad unam partem sub persona alterius par-
tis sæpe dirigitur sermo. *Erit autem : om-* 23
nis anima quæ non audierit Prophetam
illum, id est, omnis homo tempore evan-
gelicæ legis et prædicationis ac promul-
gationis ejus exsistens, qui in Christum
non crediderit, nec verba ejus ab ipso vel
prædicatoribus ejus susceperit, *extermi-*
nabitur de plebe, id est, de electis populi
sui tolletur, atque damnabitur.

Et omnes Prophetæ a Samuel et dein- 24
ceps qui locuti sunt, annuntiaverunt dies
istos, id est, de tempore primi adventus
Christi, et passionis resurrectionisque ejus
prophetaverunt. Christus enim est finis *Rom.* X, 4.
legis et omnium opus Prophetarum, ad
quem omnia tunc ordinabantur : et de
ipso ac ejus mysteriis loqui, fuit princi-
palis Prophetarum intentio. Hinc et Ju-
dæorum magistri fatentur, quod omnes
Prophetæ non sunt locuti nisi super dies
Messiæ. Sed quum a principio mundi et
tempore Patriarcharum non defuerit pro-
phetia de Christo, dicente Virgine glori-
osa, Sicut locutus est ad patres nostros, *Luc* I, 55.
Abraham et semini ejus in sæcula : cur

de Prophetis qui a tempore Samuelis fu-
erunt, loquitur Petrus, præsertim quum
Gen. XLIX, 10. in Genesi patriarcha Jacob tam evidenter
et copiose vaticinetur de Christo? Et re-
spondendum, quod tempore Samuelis cœ-
pit cursus regum in duodecim tribubus
Israel, et ex tunc fuerunt Prophetæ, qui
manifeste scripserunt de Christo, scilicet,
David, Isaias, Osee, etc. Præcedentes au-
tem tam evidenter locuti non sunt, saltem
communiter; vel prophetias suas non con-
scripserunt.
25 *Vos estis filii Prophetarum,* id est di-
sciputi et sequaces seu posteri : et aliqui
vestrum de illorum sunt semine nati; *et
testamenti quod disposuit Deus ad patres
nostros* per Moysen in deserto, id est, ve-
teris Testamenti imitatores seu filii estis,
Ibid. XII, 3; XXII, 18. *dicens ad Abraham,* in Genesi : *In semi-
ne tuo,* id est Christo a te secundum car-
nem nascituro, *benedicentur,* id est, dona
gratiæ in præsenti et bona gloriæ in pa-
tria consequentur, *omnes familiæ terræ,*
id est universæ tribus, linguæ et gentes,
videlicet quædam de omnibus : juxta id
Ps. XXI, 28. in Psalmo, Reminiscentur et convertentur
26 ad Dominum universi fines terræ. *Vobis
primum Deus suscitans,* id est proponens,
vel secundum naturam assumptam pro-
creans, *Filium suum* incarnatum : qui
Matth. XV, 24. dixit, Non sum missus nisi ad oves quæ
perierunt domus Israel; *misit illum be-
nedicentem,* id est multa beneficia im-
Baruch III, 38. pendentem, *vobis,* inter quos visus et con-
versatus est. Vel, Suscitans eum a morte
ad vestram salutem, misit illum nunc vo-
bis per nostram prædicationem, benedi-
centem vobis, id est, dona gratiæ confe-
rentem aliquibus vestrum. *Ut convertat
se unusquisque a nequitia sua,* illam de
cetero abhorrendo, præteritamque deflen-
do. Omne autem peccatum ex habitu vi-
tioso, seu deliberatione ac certa scientia

A oriens, dici potest nequitia, non autem quod ex infirmitate aut ignorantia excusante prodit.

Præterea, juxta mysticum intellectum, per hunc claudum a nativitate, intelligitur populus Judæorum a principio legis datæ rebellis, nec in via Dei recte incedens : quem sancti patres ac Prophetæ ante portam templi Speciosam, id est ad Christum, deferebant ut salvaretur per eum, qui ait : Per me si quis introierit, salvabitur. Joann. X, 9.
Ab ingredientibus autem templum, puta B a sanctis fidelibus, populus iste salutis subsidia quærere debet. Petrus vero, id est quicumque firmus et fortis in fide, talis potest juvare, et templo inducere seu Christo incorporare. Similiter per claudum istum signatur quilibet Christianus vitiis jugiter assuetus : quem devoti ad Christi misericordiam ferre conantur, et ponunt ante portam clementiæ, hortantes ut ab universis ingredientibus domum Dei, id est terrena spernentibus, amantibusque divina, animæ suæ quærat cibaC ria. Cui dicunt devoti : Respice in nos, id est, conversationem nostram sectare. Qui quum fuerit radio illustrationis supernæ perfusus, animoque a claudicatione sui obliqui incessus sanatus, mox exsilit, stat, ambulat, atque cum illis ecclesiam intrat. Surgit a vitiis, exsilit, gratias referendo quod de tenebris suis eductus, lucem conspicit veritatis, in qua sapide intuetur quam aspernanda sint omnia quibus mens impeditur a Deo. Stat quoque, perseverando in bono incepto; ambulat, profiD ciendo; intrat ecclesiam, cœlestis regni beatitudinem contemplando. Quibus visis, multi tantam mutationem dextræ Excel- Ps. LXXVI, 11.
si vehementer mirantur, confluuntque ad eum per quem tanta est facta conversio, qui admonet non se, sed Dei laudare virtutem.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : LOQUENTIBUS AUTEM ILLIS AD POPULUM.

NON cessat adversarius veritatis et æmu-
lus æquitatis, veritati et æquitati re-
sistere. Hinc a principio evangelicæ legis
invisibiles atque visibiles hostes adver-
sati sunt Ecclesiæ sanctæ, sicut nunc re-
1 citari incipitur. *Loquentibus autem illis,*
videlicet Petro et Joanne, *ad populum,*
supervenerunt sacerdotes, et magistratus
templi, id est judices et doctores, *et Sad-*
ducæi : qui specialem sectam habebant,
quia nec angelum nec spiritum, nec re-
surrectionem esse dicebant, animam quo-
que humanam asserebant mortalem ; et
quoniam omnium horum oppositum do-
cebant Apostoli, tristabantur de eorum
prædicatione hi Sadducæi. Ideo subditur :
2 *dolentes quod docerent populum, et an-*
nuntiarent in Jesu resurrectionem ex
mortuis, id est per Christi virtutem om-
nes mortuos suscitandos ; vel, In Jesu, id
3 est in ejus doctrina ac fide. *Et injecerunt*
in eos manus violentas ac sacrilegas, *et*
posuerunt illos in custodiam usque in
crastinum. Ideo tunc eos incarceraverunt,
nam vespera fuit, sicque hora judicandi
transierat. Hinc subditur : *Erat autem*
jam vespera.

4 *Multi autem eorum qui audierant ver-*
bum Dei a Petro, sicut præcedenti capitulo
scriptum est, *crediderunt ; et factus est*
numerus virorum quinque millia, qui
hoc die crediderunt, et baptizati sunt for-
sitan diebus sequentibus. Credibile quo-
que est quod multæ mulieres et pueri,
præsertim virorum istorum, tunc conversi
sint. Sed consuetudo Scripturæ est femi-
narum et puerorum numerum non taxa-
re. Pueri autem vocantur seu parvuli, qui
Num. I, 3. infra vicesimum annum sunt ; viri, qui
illum sortiti sunt.

A *Factum est autem in crastinum, ut con-* 5
gregarentur principes eorum et seniores
et Scribæ in Jerusalem. Et Annas prin- 6
ceps sacerdotum. Tempore autem passio-
nis Caiphas fuit princeps sacerdotum, sed Joann. XI, 49.
omni pene anno, principatus sacerdotii
transferebatur ad alium. *Et Caiphas, et*
Joannes, et Alexander, et quotquot erant
de genere sacerdotali. Itaque conglobati
sunt, ut sua auctoritate, multitudine et
excellentia, Apostolos tanquam idiotas et
pauperes confutarent, terrerent, obrue-
B rent. *Et statuentes eos in medio, inter-* 7
rogabant : In qua virtute, aut in quo
nomine, id est per cujus invocationem,
fecistis hoc vos, scilicet claudum a nativita-
te, optime ambulantem ? Opera enim gra-
tiæ, perfectiora sunt operibus naturæ. Unde
sicut vinum quod Christus fecit de aqua, Ibid. II, 7-10.
fuit prævalidum ; ita et claudus iste Chri-
sti virtute sanatus, eminenter convaluit.

Tunc Petrus repletus Spiritu Sancto, 8
dixit ad eos : Principes populi et senio-
res Israel, audite : Si nos hodie dijudi- 9
C *camur in benefacto hominis infirmi,* id
est, si nunc ad judicium trahimur, repro-
bamur, damnamur pro beneficio curatio-
nis huic collato, *in quo* beneficio *iste*
salvus factus est ab impedimentis ambu-
landi, *notum sit vobis omnibus et omni* 10
plebi Israel, quia in nomine Domini no-
stri Jesu Christi Nazareni, quem vos cru-
cifixistis, quia id procurastis,* *iste adstat* * [quem
coram vobis sanus, id est, virtute et in- Deus suscitavit a mor-
vocatione Jesu Christi curatus est. *Hic,* tuis, in hoc] 11
scilicet Christus, *est lapis* angularis, *qui* Ephes. II,
D *reprobatus est a vobis ædificantibus,* id 20 ; Ps.
est populum Judæorum instruentibus, *qui* CXVII, 22, 23.
factus est in caput anguli, id est, a Deo
factus est conjunctor et princeps popu-

lorum duorum. Nam sicut in lapide an- A
gulari concurrunt et connectuntur duo
parietes ; ita in Christo conjuncti sunt
electi ex Judæis atque gentibus, et ipse
Ephes. II, 14, 15. est caput illorum, ut duos condat in se-
metipso, qui est pax nostra, utraque fa-
ciens unum, ut ait Apostolus. De quo per
Is. XXVIII, 16. Isaiam Dominus ait : Ponam in Sion la-
pidem angularem, summum, probatum.
12 *Et non est in alio aliquo salus.* Vera nam-
que salus seu beatitudo non consistit ni-
si in Christo objectaliter, secundum suam
divinitatem ; nec per hoc excluduntur B
Pater et Spiritus Sanctus, sed includun-
tur, quum tres supersanctæ Personæ sint
unum veræ ac totius beatitudinis essen-
tialis objectum. Rursus, in solo Christo
secundum humanitatem, est salus tan-
quam in mediatore per quem facta est
Ibid. XXXIII, 22. salvatio. De quo apud Isaiam legitur : Do-
minus judex noster, Dominus legifer no-
ster, Dominus rex noster, ipse veniet et
salvabit nos. *Nec enim aliud nomen est,*
id est alia res nomine designata, *sub cœ-*
lo, id est in terra, *datum hominibus* a C
Patre, seu Trinitate altissima, *in quo,* id
est cujus virtute, fide et gratia, *oporteat*
nos salvos fieri. Ideo omnes a principio
mundi salvati, aliquo modo per Christi
fidem et gratiam sunt salvati. Nam et pas-
sio Christi id fecit futura, quod facit præ-
terita, mediantibus fide et sacramento, ut
Augustinus declarat.
13 *Videntes autem Petri constantiam et*
Joannis, quod scilicet tanto nobilium et
potentum agmine cincti, steterunt intre-
pidi, et tam ordinate ac sine timore Pe- D
Prov. XXVIII, 1. trus respondit (justus quippe quasi leo
confidens, absque terrore erit), *comperto,*
id est certive invento et cognito, *quod*
homines essent sine litteris, id est abs-
que scientiis humano studio acquisitis, *et*
idiotæ, ante missionem Spiritus Sancti.
Per tales enim voluit Deus evangelicam
legem denuntiari, ne ejus divulgatio hu-
manæ industriæ, scientiæ, aut eloquentiæ
I Cor. I, 17; II, 4. adscriberetur. Nam Paulus asserit se præ-
dicasse, non in sapientia verbi, sed in

ostensione signorum, ne crux Christi eva-
cuetur. *Admirabantur,* videntes effectum
insolitum, et causam ejus, scilicet Spi-
ritus Sancti infusionem Apostolis datam,
ignorantes. Quum enim sapientis sit uni-
formiter se habere, constantia sapientiæ
signum est, juxta illud Ecclesiastici : Ho- *Eccli.* XXVII, 12.
mo sanctus in sapientia manet ut sol ;
nam stultus mutatur ut luna. *Et cogno-*
scebant eos, quoniam cum Jesu fuerant
ante ipsius passionem. Joannes nempe se
scribit notum fuisse pontifici. Frequenter *Joann.* XVIII, 15.
quoque Judæi viderunt Apostolos ambu-
lantes cum Jesu, et secum in Jerusalem
exsistentes. *Hominem quoque videntes* 14
stantem cum eis, scilicet Petro et Joanne,
qui fuerat curatus, nil poterant contradi-
cere verbis Petri, nec magicis artibus tan-
tum deputare miraculum. Ex quo Porphy-
rii innotescit insania, qui Petrum asserit
magum fuisse, et signum istud non vere,
sed ludificatorie exhibuisse, sicut in libro
de Civitate Dei plenius recitat Augustinus.
Jusserunt autem eos foras extra conci- 15
lium secedere, ut inter se, quid acturi es-
sent, liberius pertractarent. *Et confere-*
bant ad invicem, dicentes : Quid faciemus 16
hominibus istis ? quoniam quidem notum
signum, id est famosum evidensque mi-
raculum, *factum est per eos omnibus ha-*
bitantibus Jerusalem : manifestum est, et
non possumus negare. In quo declaratur
istorum excæcatio maxima, quod tot visis
prodigiis conversi non sunt, excæcante *Sap.* II, 21.
eos sua malitia. Corruptio namque in af-
fectu, parit corruptionem in intellectu seu
rationis judicio. *Sed ne amplius divulge-* 17
tur in populum istud miraculum, *commi-*
nemur eis sub gravi pœna *ne ultra lo-*
quantur in nomine hoc, id est de Jesu
Nazareno, *ulli hominum.* In hoc isti Ju-
dæi egerunt contra id quod apud Tobiam
Raphael ait : Opera Dei revelare et con- *Tob.* XII, 7.
fiteri, honorificum est. *Et vocantes eos,* 18
denuntiaverunt eis *ne omnino loqueren-*
tur neque docerent in nomine Jesu. Non
enim audebant eos incarcerare aut occi-
dere, ne concitarent contra se populum.

19 *Petrus vero et Joannes dixerunt : Si*
justum est in conspectu Dei vos potius
audire per obedientiam *quam Deum, ju-*
dicate. Quasi dicant : Certissimum est
quod non. Creatori enim magis quam cre-
aturæ est obediendum, potissime quum
illa jubet quæ prohibet ille, vel prohibet
quæ ille jubet. Ubi enim superior præci-
pit, et inferior contradicit, non est audi-
20 endus inferior. *Non enim possumus quæ*
audivimus et vidimus, scilicet Christi my-
steria, passionem, suscitationem, ascen-
sionem, Paracleti missionem, *non loqui,*
quum Deus nobis præcepit hæc prædica-
Joann. I, 14. re. Unde apud Joannem habetur : Verbum
caro factum est, et habitavit in nobis, et
vidimus gloriam ejus.
21 *At illi comminantes dimiserunt eos,*
non invenientes quomodo punirent eos,
propter populum, qui magnificavit Apo-
stolos in tanto miraculo, *quia omnes cla-*
rificabant id quod factum fuerat, id est,
prodigium istud præclarum esse confessi
22 sunt. *Annorum enim erat homo amplius*
quadraginta, in quo factum fuerat si-
gnum istud sanitatis. Idcirco persona ejus
et innata debilitas cunctis innotuit, nec
fuit tergiversatio adversus tam sensibilem
veritatem.
23 *Dimissi autem* Petrus et Joannes, *vene-*
runt ad suos coapostolos et condiscipu-
los, *et annuntiaverunt eis quanta ad eos*
principes sacerdotum et seniores dixis-
sent. Hoc namque fuit eis utile scire. Ami-
ci autem secreta sua et accidentia sibi fa-
miliaribus suis revelant. Quod tamen cum
grandi agendum est discretione, ne audi-
24 entis animus incidat culpam. *Qui quum*
audissent, unanimiter levaverunt vocem
ad Dominum, et dixerunt, scilicet, verba
sequentia omnes pariter inceperunt, ita
quod nemo eorum alios ad proferenda
hæc verba induxit primitus incipiendo,
aut simili modo. Magnum fuit miraculum,
et evidens signum quod a Spiritu Sancto
omnes similiter inspirabantur. *Domine,*
qui fecisti cœlum et terram et mare, et
omnia quæ in eis sunt. Per Dominum, hoc

A loco intelligitur Deus Pater, sicut verba
pandunt sequentia. *Qui Spiritu Sancto* 25
per os patris nostri David pueri tui di-
xisti. Aliqui autem Apostolorum ac disci-
pulorum de semine David orti fuerunt :
omnes tamen Patriarcham suum spiritua-
lem patrem esse professi sunt.

Quare fremuerunt gentes, et populi *Ps.* II, 1.
meditati sunt inania? Gentes contra Chri-
stum frementes, fuerunt crudelissimi ser-
vi Pilati et Herodis, a quibus illusus, fla-
gellatus, spinis coronatus, et crucifixus
B est Dominus majestatis. Populi vero qui
contra Filium Dei meditabantur inania,
fuerunt Scribæ et Pharisæi cum aliis mul-
tis Judæis, qui vana consilia contra Chri-
stum cogitaverunt, et fine optato frustrati
sunt. Voluerunt enim occidere Jesum, ne
locum et gentem perderent, ne scilicet *Joann.* XI,
a Romanis vastarentur, et ut per tam 48.
turpem mortem memoriam Jesu exstin-
guerent, juxta illud Jeremiæ : Super me *Jer.* XI, 19.
cogitaverunt consilia, dicentes : Venite,
mittamus lignum in panem ejus, et era-
C damus eum de terra viventium, et nomen
ejus non memoretur ultra. Rursus, ina-
niter meditati sunt, dicentes : Tanquam *Sap.* II, 16-
nugaces æstimati sumus ab illo, et glo- 18.
riatur se Deum patrem habere. Videamus
ergo si sermones illius veri sint, et ten-
temus quæ ventura sint illi. Si enim est
verus Filius Dei, liberabit eum de mani-
bus contrariorum. Hæc fuit infinita cæci-
tas Judæorum, Christum in primo adven-
tu temporaliter regnaturum putantium,
quia intra se cogitaverunt quod si vere
D esset Filius Dei, Pater non permitteret
eum occidi. Propter quod crucifixo in-
sultaverunt, dicentes : Si rex Israel est *Matth.*
(vel, Si hic est Christus Dei electus), de- XXVII, 42 ;
scendat nunc de cruce, et credimus ei : *Luc.* XXIII, 35.
quasi Prophetæ non prædixissent Chri-
stum pro mundi salute passurum. Hinc
evenit eis oppositum. Nam quoniam Fi-
lium Dei crucifixerunt, a Romanis vastati
sunt, et Christus per suam passionem am-
plius glorificatus est, totique mundo no-
tificatus.

26 *Adstiterunt reges terræ,* scilicet Hero-
Ps. II, 2. des rex, et Pilatus judex, qui a regendo,
non a regia potestate dictus est rex. *Et
principes convenerunt in unum,* scilicet
Annas et Caiphas, *adversus Dominum et
adversus Christum ejus,* id est contra Pa-
trem et Filium incarnatum, totius gratiæ
plenitudine unctum secundum naturam
assumptam. Qui enim contra unam divi-
nam agit Personam, etiam contra alias
duas peccat : quamvis aliqua peccata per
appropriationem quamdam dicantur con-
tra Patrem, aliqua contra Filium, aliqua
contra Spiritum Sanctum. Hinc Filius ait :
Joann. v, 23. Qui non honorificat Filium, non honori-
ficat Patrem qui misit illum ; et alibi,
Ibid. xv, 24, 25. Odio habuerunt me et Patrem meum gra-
tis. In prima quoque Canonica sua ait
I Joann. v, 10. Joannes : Qui non credit in Filium, men-
dacem facit Patrem.

Consequenter sancti isti inductam au-
ctoritatem ad propositum applicant et ex-
27 ponunt. *Convenerunt enim vere,* veritate
rei, et etiam veritate sermonis, quantum
ad historicam recitationem ; non autem
convenerunt vere, veritate justitiæ, et ve-
ritate verborum inter se habitorum, sed
injuste atque mendose; *in civitate ista* Je-
rusalem, *adversus sanctum puerum tuum
Jesum,* scilicet unigenitum Filium, *quem
unxisti* unctione spirituali, videlicet om-
nium gratiarum charismate, quantum ad
animam, a primo incarnationis momento :
Ps. XLIV, 8. juxta illud, Unxit te Deus, Deus tuus. Pro-
Joann. III, 34. pter quod Evangelista dicit : Non ad men-
suram dat Deus Spiritum, scilicet homini
Christo. *Herodes et Pontius Pilatus cum
gentibus et populis Israel.* Herodes autem
et Pilatus quantum ad hoc convenerunt,
quod in Christi persecutione unanimes fu-
28 erunt. *Facere,* id est Christum persequi
et occidere, *quæ manus tua et consilium
tuum,* id est potentia et sapientia tua, *de-
creverunt fieri.* Quid illi igitur peccave-
Esther XIII, 9. runt, quum potestati Dei nullus queat re-
sistere, et bonum videtur id facere quod
Deus vult fieri ? Sed Deus non voluit illud
fieri eo modo quo impii hoc fecerunt, nisi

A permissive ; voluit vero id fieri eo modo
quo id passus est Christus. Quomodo au-
tem intelligendum sit istud, in præceden- Cf. Act. II,
tibus duobus capitulis dictum est plenius. 23; III, 18.

Et nunc, Domine, respice in minas eo- 29
rum, illas compescendo, ne aliorum salu-
tem impediant. Et hoc ex caritate et zelo
justitiæ oraverunt. *Et da servis tuis cum
omni fiducia loqui verbum tuum, in eo* 30
quod manum, id est potestatem, *tuam
extendas ad sanitates, et signa, et pro-
digia fieri per nomen sancti Filii tui Je-
B su,* id est per virtutem et invocationem
ipsius, per quod prædicantium fiducia
augeatur, et audientium corda fidem am-
plectantur.

Et quum orassent, motus est locus in 31
quo erant congregati. Per hunc terræ su-
pernaturalem motum significavit Deus,
quod sua potestas eis in cunctis adsiste-
ret, et quod eorum oratio esset audita,
itemque quod corda principum terreno-
rum Christi virtute essent vincenda. *Et
repleti sunt omnes Spiritu Sancto,* id est,
C in gratia et fervore tunc vehementer cre-
verunt, mirabilemque Spiritus Sancti sen-
serunt contactum, roborationem et exhi-
larationem, *et loquebantur verbum Dei
cum fiducia,* quia et se fructificaturos in
aliorum conversione sperabant, et eos qui Matth. x,
corpus occidunt, non formidabant. 28.

Multitudinis autem credentium erat 32
cor unum et anima una, id est voluntatis
concors affectio, et mens per caritatem
eximiam coadunata. Quo enim pleniores
fuerunt in gratia, caritate et ceteris donis
D Spiritus Sancti, eo in omnibus concordio-
res exstiterunt. Quemadmodum namque
ex humanæ mentis imperfectione genera-
tur opinionum diversitas et affectionum
discordia, ita ex gratiæ et caritatis con-
fortatione procedit assertionum et deside-
riorum parilitas. Pro hac unitate suorum
per caritatem (cujus est unire) oravit Sal-
vator ante passionem : Pater sancte, serva Joann. XVII,
eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut 11, 23.
sint unum sicut et nos, et sint consum-
mati in unum. In quibus impletum est

quod per Jeremiam Dominus pollicetur : A
Jer. xxxii, 39, 41. Dabo eis cor unum et animam unam,
et lætabor super eis, quum benefecero
eis. *Nec quisquam eorum quæ possidebat,*
quidquam suum esse dicebat, sed erant
illis omnia communia. Caritas nempe quo
perfectior, eo liberalius se communicat et
1 Cor. xiii, 5. effundit, nec quæ sua sunt quærit. Et
quanto quis spiritualia dona futuraque
bona sincerius appetit et exquirit, eo minus
curat terrena. In hac autem primitivæ
Ecclesiæ sacratissima conversatione,
cœnobitarum vita fundatur, quæ et vitam B
Beatorum in patria imitatur, in qua omnia
sunt communia.

33 *Et virtute magna,* id est forti et efficaci
prædicatione atque potenti miraculorum
operatione, *reddebant Apostoli*
testimonium resurrectionis Jesu Christi
Domini nostri. Idcirco de resurrectione
specialem fecerunt mentionem, quia illa
incredibilior videbatur, et in ea cetera includebantur,
scilicet passio et ascensio ;
et gratia magna erat in omnibus illis,
tam in Apostolis quam ceteris discipulis. C
34 *Neque enim quisquam egens erat inter*
illos : quia sufficientiam, non superfluitatem
habebant, juxta illud Proverbiorum
Prov. xxx, 8. : Mendicitatem et divitias ne dederis
mihi ; tribue tantum victui meo necessaria.
Quotquot enim possessores agrorum
aut domorum erant, vendentes afferebant
35 *pretia eorum quæ vendebant, et ponebant*
ante pedes Apostolorum. Per quod monstrabant
se despicere ista terrena, atque
plenissima fide cœlestia inquirere. *Dividebatur
autem singulis, prout cuique* D
opus erat, id est necesse et utile. Hujus
vitæ figura in filiis Rechab præcessisse
videtur : de quibus in Jeremia habetur
quemadmodum Jonadab filius Rechab pater
Jer. xxxv, 6, 7. Rechabitarum præceperit filiis suis
non bibere vinum, nec ædificare domum,
nec serere agrum, nec plantare vineas,
sed habitare in tabernaculis. Denique in
hac electissima plebe primitivæ Ecclesiæ
vere impletum est quod in Christi adventu
futurum Deus per Isaiam prædixit :
Sedebit populus meus in pulchritudine Is. xxxii, 18.
pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie
opulenta. Sophonias quoque : Reliquiæ, Soph. iii, 13.
inquit, Israel non facient iniquitatem,
nec loquentur mendacium : quoniam
ipsi pascentur et accubabunt, et non erit
qui exterreat.

Joseph autem, qui cognominatus est 36
*Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum
filius consolationis :* quem ita
cognominaverunt sancti Apostoli, quia et
ipsi, et ceteri credentes, de conversione
et maxima gratia hujus Joseph plurimum
consolati fuerunt. Erat namque persona
notabilis, et ad aliorum instructionem bene
disposita : ideo subditur, *Levites,* quia
de genere sacerdotali. *Cyprius genere,* id
est in insula Cypro natus. Cujus parentes
per captivitatem et dispersionem ad illum
deducti sunt locum. *Quum haberet* 37
agrum. Quamvis enim non licuit Levitis Deut. xviii, 1.
habere hereditaria bona in propria terra,
tamen in aliena id licuit eis. In propria
namque terra de sacrificiis sustentabantur.
Vendidit eum, et attulit pretium, et
posuit ante pedes Apostolorum, proprietati
resignans et Apostolorum voluntati
dispensationem commendans. Iste est Barnabas Act. xiii, 2.
comes Pauli, non ille qui supra Ibid. i, 23.
dictus, cum Matthia statutus.

Postremo, quod dictum est, Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, quamvis ab omnibus considerandum, et imitandum, atque implendum sit Christianis, potissime tamen a religiosis, qui apostolicæ perfectionis vestigia sectari professi sunt. Cœnobia equidem, sicut ait Hieronymus, si pacis concordia caritatisque unitas adsint, sunt paradisus Dei in terra ; et habitantes in eis, sunt angeli. Si vero defuerint, sunt infernus ; et habitatores, diaboli.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTI : VIR AUTEM QUIDAM NOMINE ANANIAS.

SICUT in veteri Testamento quidam in A
principio lationis legis Mosaicæ, ob
ejus transgressionem dire puniti legun-
Lev. x, 1, 2. tur, ut filii Aaron, qui combusti sunt eo
quod ignem alienum offerrent, et alter
Num. xv, 32, 36. qui ligna collegit sabbato, quatenus præ-
cipientis auctoritas monstraretur, et alii
ad observantiam diligentiorem inducerен-
tur, pateretque quam salubre esset le-
gi obtemperare divinæ, quam impium et
damnabile non parere ; ita et in evange-
lica accidit lege, quandoquidem evange-
licæ legis derogantes sinceritati, terribi- B
liter sunt plagati : quod in principio hujus
capituli exemplo ostenditur.
1 *Vir autem quidam nomine Ananias,*
cum Saphira uxore sua, vendidit agrum,
2 *et fraudavit de pretio agri,* partem pe-
cuniæ sibi fraudulenter servando, quam
totam tenebatur in communem usum pro-
ferre, *conscia uxore sua :* nam ea sciente
et consentiente factum est hoc ; *et affe-*
rens partem pretii, *ad pedes Apostolo-*
3 *rum posuit. Dixit autem Petrus,* cui istud
per revelationem divinam innotuit : *Ana-* C
nia, cur tentavit, id est, in tentationem
induxit ac superavit, *Satanas cor tuum,*
vel, Cur tentavit, id est, cur ita peccasti
quod Deus sic te dereliquit vinci ? (exi-
gentibus enim præcedentibus nostris pec-
catis frequenter dure tentamur, et in ten-
tatione a Deo juste relinquimur), *mentiri*
te Spiritui Sancto, id est nec fidelitatem
nec veritatem ei servare, sed ad ejus men-
tiri injuriam ? Sic omnis qui frangit vo-
tum, Spiritui Sancto mentitur. Qui autem
societatem illius primitivæ Ecclesiæ in- D
grediebantur, vivere in communi vove-
4 bant. [*Et fraudare de pretio agri.*] *Nonne*
manens manebat tibi? id est, nonne ager
nondum venditus tuus erat ? *et venunda-*
tum erat in tua potestate ? id est, spa-
tium seu hereditarium bonum agri istius
post venditionem fuit in tua voluntate,
quantum ad pretium venditi. Et hoc re-
ferendum ad tempus præcedens votum
præfatum. *Quare posuisti in corde tuo*
hanc rem tam impiam per consensum ?
Non es mentitus hominibus, sed Deo.

Ananias iste eo ipso quo partem pre-
tii ante Apostolos posuit, facto asseruit
agrum non nisi tanti venditum esse, sic-
que mentiebatur hominibus. Probabile
quoque est quod uxori suæ, forte et em-
ptori et testibus, commisit ut dicerent
idem. Verum consuetudo Scripturæ est,
ut quum aliquid fit a duobus notabili-
ter in dignitate seu qualitate distinctis, a
majori tantum factum dicatur, sicut et
Moyses ait Judæis : Non contra nos est *Exod.* xvi, 8.
murmuratio vestra, sed contra Dominum ;
itemque Apostolus, Non est nobis collu- *Ephes.* vi, 12.
ctatio adversus carnem et sanguinem, sed
adversus principes et potestates. Simili-
ter Ananias nunc dicitur non mentitus
hominibus, sed Deo, quia illis non so-
lum, sed Deo principaliter est mentitus.
Sed quomodo aliquis potest Deo mentiri,
quem nemo fallere potest ? Et respon-
dendum, quod Deo mentiri, est ad suæ
æternæ veritatis injuriam, coram illo fal-
sum proferre. Præterea notandus est hic
ordo verborum. Primo enim locutus est
Petrus : Cur tentavit Satanas cor tuum
mentiri te Spiritui Sancto ? Deinde sub-
intulit : Non es mentitus hominibus, sed
Deo. Ex qua auctoritate Thomas in Sum-
ma contra gentiles probat, quod Spiritus
Sanctus sit Deus.
Audiens autem Ananias hæc verba, ce- 5

cidit et exspiravit. Non magica arte id A
fecit Petrus, ut fingit Porphyrius; sed ex
Spiritu Sancto locutus est, et angelo Dei
transgressorem intus cædente, exstinctus
est impius. Nec fuit hoc crudelitatis, sed
æquitatis, ad aliorum emendationem, sicut
et unum membrum abscinditur ne totum
corpus inficiatur. Sperarique potest quod
Petrus sua prece transgressori huic gra-
tiam pœnitendi obtinuit, quem foris tam
districte correxit. Verumtamen in Scho-
lastica historia fertur, quod justorum so-
cietatem intravit ut necessaria vitæ ha- B
beret sine labore. Et sic aliunde malus
et simulator fuisset. [*Et factus est timor*
6 *magnus super omnes qui audierunt.*] *Sur-*
gentes autem juvenes, qui erant christi-
ani, *amoverunt eum,* id est cadaver de-
functi, *et efferentes sepelierunt.*
7 *Factum est autem quasi horarum trium*
spatium, et uxor ejus nesciens quod fa-
8 *ctum fuerat, introiit. Respondit autem ei*
Petrus : Dic mihi, mulier. Quomodo mu-
lieri huic Petrus respondet, a qua inter-
rogatus non fuit, imo quam ipse inter- C
rogavit? Sed respondet ei ad opus, non
ad quæstionem. Respondet enim, id est,
correspondenter seu convenienter locutus
est ei ad factum ipsius, prout factum il-
lud exegit. *Si tanti agrum vendidistis,*
sicut est pretium ante Apostolos positum?
9 *At illa dixit : Etiam tanti* præcise. *Pe-*
trus autem ait ad eam : Quid utique
convenit vobis tentare Spiritum Domini,
id est Spiritum Sanctum, seu ipsum Do-
minum Deum qui spiritus est? Hæc vero
fraudatio fuit æquivalenter tentatio Dei, D
qui tam fraudulenter partem pretii occul-
taverunt, tamque audenter mentiti sunt,
quasi de divina providentia et Dei scientia
dubitassent. *Ecce pedes eorum qui sepeli-*
erunt virum tuum, ad ostium sunt. Forte
enim Petrus audivit redeuntium sonitum.
Vel, in spiritu vidit quo essent : quem-
IV *Reg.* V, 26. admodum Eliseus vidit Giezi currentem
post Naaman; quemadmodum etiam ait
Coloss. II, 5. Apostolus, Etsi corpore absens sum, ta-
men spiritu præsens sum, gaudens et vi-
dens ordinem vestrum. *Et efferent te :*
quasi diceret, Protinus morieris, et ad
sepulcrum duceris. *Confestim cecidit an-* 10
te pedes ejus percussa ab angelo, *et ex-*
spiravit. Intrantes autem juvenes, [*inve-*
nerunt illam mortuam, et extulerunt, et]
sepelierunt illam *ad virum suum,* id est
prope corpus viri defuncti. Fuit enim con-
suetudo Judæis, viros et conjuges in eo-
dem tumulo poni, ut conjunctionem car-
nis sequeretur conjunctio pulveris, et quia
de costa viri facta est mulier. *Gen.* II, 21, 22.
Et factus est timor magnus in univer- 11
sa Ecclesia, et in omnes qui audierunt
hæc, id est in omnibus, scilicet creden-
tibus, qui et extra Jerusalem erant. Per-
fectis autem incutiebatur timor reveren-
tialis ac filialis. Omnes vero cognita Dei
vindicta, apostolicæ conversationis since-
ritatem diligentius imitari conati sunt.
Nam et ideo Deus fecit hanc ultionem, ne
et alii tale aliquid attentarent. Timor nam-
que retrahit a peccato, quemadmodum in
Proverbiis scriptum est : Per timorem *Prov.* XV, 27.
unusquisque declinat a malo.

Denique, sicut verorum monachorum
vita et institutio, a conversatione et pau-
pertate primitivæ Ecclesiæ sumpsit exor-
dium, ita ex Anania et Saphira, fictorum
monachorum, qui dicti sunt Sarabaitæ,
teterrimum genus, Cassiano testante, ex-
ortum est. Qui magnam coram hominibus
devotionem et paupertatem simulantes,
inter se clam delicate vixerunt. — Postre-
mo, circa hunc locum scribit Beda : Nul-
la re hos duos pœnitentia curari passus
est Petrus, sed ad timorem posteris incu-
tiendum, noxium gramen radicitus ampu-
tare curavit. Ex quo patet quam detesta-
bile ac horrendum sit vitium proprietatis
in religiosis, qui utique evangelicam pau-
pertatem professi sunt.

Per manus autem Apostolorum fiebant 12
signa et prodigia multa in plebe. Quod
ait, Per manus Apostolorum, intelligi po-
test dupliciter : Primo, quod per impo-
sitionem manuum eorum sanabantur in-
firmi, juxta illud : Super ægros manus *Marc.* XVI, 18.

imponent, et bene habebunt. Secundo, A
Per manus, id est per potestatem et gratiam concessam Apostolis, fiebant in vulgo miracula multa. *Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.* Ibi enim prædicabant Apostoli, et alii orationibus
Act. III, 11. insistebant. De porticu hac dictum est
Luc. XXIV, 53. supra. Hinc scriptum est : Erant semper in templo, laudantes et benedicentes
13 Deum. *Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis* ficte, ne quod Ananiæ et conjugi ejus contigerat, eis quoque accideret ; *sed magnificabat eos populus,* B tanquam Dei electos, in quibus divina charismata præclarissime emicabant, et in vultu, et in vita atque miraculis, interior virtus et gratia resplendebat. Ita et multi usque in præsens vere religiosos atque devotos commendant : nihilo minus in suis carnalitatibus et vanitatibus perseverant, vitiosis victi affectibus. Itaque in illis primitivæ Ecclesiæ personis
Is. LXI, 9. constat impletum illud Isaiæ : Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. C
14 *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum.* Visis enim tantis prodigiis, et tam evidentibus indiciis sanctitatis ac gratiæ Spiritus Sancti, multi quotidie utriusque sexus convertebantur ad Christum. Quo-
15 rum fidei magnitudo subjungitur : *ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis et grabatis.* Grabata autem, sicut in Scholastica historia dicitur, proprie dicuntur lectisternia pauperum, in quibus nil corpori substernitur, sed tan- D tum supponitur capiti substramentum. *Ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et libera-*
Ps. LXVII, 36. *rentur ab infirmitatibus suis.* Mirabilis Deus in Sanctis suis, qui dedit virtutem et fortitudinem tantam Apostolis, potissime Petro, qui fuit in miraculis privilegiatus, quoniam princeps erat apostolici agminis, sicut Paulus in sapientiæ dono. Propter quod Petrus ad prædicandum Judæis specialiter missus est, Paulus vero

ad Græcos : nam Judæi signa, Græci sa- *I Cor.* I, 22.
pientiam quærunt. Unde et Paulus testatur : Qui operatus est Petro in circumci- *Galat.* II, 8.
sionem, operatus est et mihi inter gentes. Et ut dicunt expositores, Petrus majora fecit miracula quam Christus : nec hoc derogat Christo, quia non sua, sed Christi virtute Petrus operatus est ea. Hinc passione instante dixerat Christus : Qui *Joann.* XIV, 12.
credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Christus autem non evidenter legitur sua umbra curasse infirmos, sed vestimenti sui contactu. Dicitur *Matth.* XIV, 36.
autem unum miraculum majus alio, tam ex parte rei gestæ, ut suscitatio mortui majus exstat miraculum quam illuminatio cæci, quam ex parte modi agendi : et sic Petrus majora fertur fecisse quam Christus miracula.

Concurrebat autem multitudo vicina- 16
rum civitatum in Jerusalem, afferentes ægros et vexatos a spiritibus immundis : qui curabantur omnes. Unde certissimum est innumerabilia fuisse Apostolorum miracula, et de pluribus non nisi paucissima esse conscripta. Nec hoc aliquis sic esse discredat, quum et aliis quibusdam Sanctis data sit tanta gratia operandi miracula, quod eorum numerus describi non potuit.

Verum quem Deus spernit, nullus cor- *Eccle.* VII, 14.
rigere potest. Hinc reprobi, unde corrigi deberent, deteriorantur : quemadmodum perversi Judæi ex Apostolorum operibus tam divinis invidia sunt succensi, secun-
dum quod subditur : *Exsurgens autem* 17
princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, concordes in eadem persecutione justorum, *quæ est hæresis Sadducæorum,* id est, qui cum illo exsistentes fuerunt hæretici dicti Sadducæi. Sicut enim in nova lege vocantur hæretici, qui non totam sacram Scripturam recipiunt, ut Manichæi et Montanistæ vetus Testamentum negantes; ita in lege Moysis erant quidam hæretici, quinque libros Moysis tantum recipientes, non autem Prophe-

tarum scripturas, qui Sadducæi vocantur,
qui interpretantur justi. Nam justos se
nominaverunt, quia in judicando et pu-
niendo fuerunt acerrimi. Sed quia non
justi, sed valde injusti fuerunt, dici pos-
sunt Sadducæi, quasi seducti. Dicuntur
tamen Sadducæi, a SEDECH, verbo Hebræo,
quod Latine dicitur justus. Unde Melchi-
sedech, rex justitiæ interpretatur. Vel Sad-
II *Reg.* VIII, 17; III *Reg.* I, 8; I *Par.* VI, 8. ducæi vocati sunt a Sadoc sacerdote, de
cujus semine se natos gloriabantur. Por-
ro, hæresis Græce, secundum Bedam, ab
electione vocatur, qua quisque sibi, spre-
tis aliorum dictis, quod sequendum puta-
verit, eligit. *Repleti sunt zelo,* id est invi-
dia. Nam veritas parit odium in cordibus
incorrigibilium, quemadmodum scriptum
Prov. XV, 12. est : Non amat pestilens eum qui se cor-
ripit. Apostoli enim prædicabant animam
esse immortalem, et resurrectionem fu-
turam, esse quoque et angelos, atque Pro-
phetas divinitus inspiratos : quæ omnia
18 Sadducæi negabant. *Et injecerunt manus*
Act. IV, 3. *in Apostolos,* utique omnes, sicut ante in
Petrum et Joannem dumtaxat, *et posu-
erunt eos in custodia publica,* id est in
carcere ubi et manifeste rei concludeban-
tur, ut talibus similes putarentur.
19 *Angelus autem Domini per noctem,* id
est proxima nocte, *aperiens januas car-
ceris, et educens eos, dixit.* Beda evidenter
hic asserit, quod Apostoli januis clausis
educti sunt. Unde in Scholastica historia
dicitur : Non est intelligendum quod an-
gelus aperuit januas carceris, sed quod
ita eduxit Apostolos ac si januæ fuissent
apertæ. Et quædam glossa hic asserit,
quod angelus aperuit januas carceris, non
realiter, sed apparenter, quia eduxit eos
tam libere per ostia clausa ac si fuissent
aperta. Quod per omnipotentiam Dei fieri
potuit, non autem naturali virtute ange-
lica, quæ se ad hoc non extendit quod
duo corpora simul sint in eodem loco per
penetrationem dimensionum. Quod autem
januæ non fuerunt apertæ realiter, ver-
ba paulo post subdita insinuare videntur,
20 sicut patebit. *Ite, et stantes in templo,*
loquimini plebi omnia verba vitæ hujus,
id est christianæ conversationis, seu Chri-
sti, qui ait : Ego sum via, veritas et vita. *Joann.* XIV, 6.
Qui quum audissent, intraverunt diluculo 21
in templum, et docebant.

*Adveniens autem princeps sacerdotum,
et omnes qui cum eo erant, convocave-
runt concilium, et omnes seniores filio-
rum Israel, et miserunt ad carcerem ut
adducerentur* Apostoli. Quia enim prin-
ceps et pontifex consideravit factum Apo-
stolorum quotidie prosperari, et plurimos
a Judaismo ad novam legem converti, se-
riosissime intendebat quomodo universos
Apostolos auferret de medio. Hinc ma-
gnum et celebrem fecit conventum, quasi
rem magnam acturus. Verum, ut Salomon
ait, non est sapientia, non est scientia, *Prov.* XXI, 30.
non est consilium contra Dominum. Et
quanto divinæ præordinationi cor huma-
num impudentius præsumptuosiusque re-
sistere nititur, tanto omnipotens Deus,
quod decrevit, gloriosius operatur. *Quum* 22
*autem venissent ministri, et aperto car-
cere* ab ipsis ministris seu custodibus :
non enim carcerem invenerunt apertum,
ut statim dicetur ; *non invenissent illos;
reversi nuntiaverunt, dicentes : Carce-* 23
*rem quidem invenimus clausum cum om-
ni diligentia, et custodes* carceris *stantes
ad januas.* Quia enim videbant Judæi in-
creduli Apostolos tot mirabilia operari,
cautissime eos clauserunt, ne aliquo modo
effugerent. *Aperientes autem* carcerem,
neminem intus invenimus. Ex quo elici-
tur, quod clausis januis egressi fuerunt
Apostoli. Si enim angelus januas aperuis-
set, cur denuo eas clausisset ?

Ut autem audierunt hos sermones ma- 24
gistratus templi, videlicet doctores legis
et judices, *et principes sacerdotum, am-
bigebant de illis quidnam fieret,* id est,
dubitabant quem exitum res haberet, et
quid de Apostolis essent acturi. Circa hunc
locum ait Beda : Quid, profane Judæe,
cæca stimularis insania ? Furantibus Apo-
stolis dicis Christum de monumento sub- *Matth.* XXVIII, 13.
latum : dic, rogo, eosdem Apostolos de

carcere tuo clauso, cujus furto credis abla-
tos? Verum ingenita malitia cor perfidum
25 in signis manifestis obdurat. *Adveniens
autem quidam* de Judæis incredulis, *nun-
tiavit illis : Quia ecce viri quos posuistis
in carcerem, sunt in templo stantes, et
docentes populum.* Si Apostoli adversarios
26 timuissent, non in templo stetissent. *Tunc
abiit magistratus cum ministris,* id est
multitudo superiorum cum subditis, *et
adduxit illos,* puta Apostolos, *sine vi* ad
principem sacerdotum. *Timebant enim
populum, ne lapidarentur,* si violentiam
aliquam inferrent Apostolis, quos vulgus
devote audivit.
27 *Et quum adduxissent illos, statuerunt
in concilio. Et interrogavit eos princeps
28 sacerdotum, dicens : Præcipiendo præce-
pimus vobis, ne doceretis in nomine isto,*
videlicet in nomine Jesu Nazareni; *et ecce
replestis Jerusalem doctrina vestra,* quod
Jesus iste sit rex Messias, Filius Dei, mun-
di salvator, judex universorum; *et vultis
inducere super nos sanguinem hominis
istius.* Hoc dupliciter intelligi potest : pri-
mo, Vultis ostendere quod rei simus ho-
micidii, hominem innocentem perducendo
ad mortem; secundo, Vultis inducere su-
per nos vindictam sanguinis istius, quem
a nobis nocenter fusum asseritis. Primo
modo Augustinus intelligit : ita quod Ju-
dæi volebant quasi immunes videri a mor-
te Christi. Ideo obtulerunt eum judici Pi-
Joann. XVIII, 31. lato, atque dixerunt : Nobis non licet
interficere quemquam. Sicque princeps
hic sacerdotum nunc quasi oblitus fuit
quod ad pontificum instigationem totus
Matth. XXVII, 25. populus Judæorum clamavit: Sanguis ejus
super nos, et super filios nostros.
29 *Respondens autem Petrus et Apostoli,
dixerunt : Obedire oportet Deo magis
Act. IV, 19. quam hominibus.* Hoc supra expositum
est. Porro, ut ait hic glossa quædam et
Scholastica historia, omnes Apostoli ver-
ba ista unanimiter proferebant, ex fervore
et zelo non patientes unum pro omnibus
loqui. Quibusdam tamen apparet, quod
solus Petrus verba hæc protulit, quibus

A prolatis, alii verbis et signis annuerunt :
alias videretur ibi fuisse vocum confu-
sio. Verumtamen istud non cogit, imo pro-
babile est quod Petro responsionem in-
choante et prosequente, alii ex fervore
aliqua verba miscebant, eadem affirman-
do : quod et in judiciis accidere solet. Non
tamen inordinate, sed valde modeste id
fecerunt.
*Deus patrum nostrorum suscitavit Je- 30
sum, quem vos interemistis, suspendentes
in ligno* manibus militum. O quam pa-
B rati fuerunt isti nunc mori pro Jesu, qui
tempore suæ captionis omnes simul fu- *Marc.* XIV, 50.
gerunt ab eo! *Hunc Deus principem et* 31
salvatorem exaltavit in resurrectione et
ascensione, *dextera sua,* id est sua gra-
tiosa potentia, ac pia adsistentia; vel, in
dextera sua eum ponendo. Est autem Chri-
stus princeps totius militantis ac trium-
phantis Ecclesiæ. De quo Isaias prædixit :
Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Con- *Is.* IX, 6.
siliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi,
Princeps pacis. De quo in Apocalypsi
C habetur : Qui est testis fidelis, primoge- *Apoc.* I, 5.
nitus mortuorum, et princeps regum ter-
ræ. Itaque, Exaltavit illum, ut sit caput
Ecclesiæ, *ad dandam pœnitentiam,* id est
locum, tempus, et gratiam pœnitendi, seu
Pœnitentiæ sacramentum atque virtutem,
Israel, id est populo Israel, imo et cun-
ctis hominibus, *in remissionem peccato-
rum,* quæ per pœnitentiam impetratur.
Propter quod post resurrectionem Christus
perhibuit : Oportebat pati Christum, et *Luc.* XXIV, 46, 47.
resurgere a mortuis tertia die, et prædi-
D cari in nomine ejus pœnitentiam et re-
missionem peccatorum in omnes gentes.
Et nos testes sumus horum verborum, id 32
est rerum significatarum per verba hæc,
scilicet resurrectionis ascensionisque Chri-
sti. Verbum autem quandoque accipitur
pro interiori mentis conceptu, sicut et
ibi, In principio erat Verbum; quando- *Joann.* I, 1.
que pro imaginaria similitudine rei; in-
terdum pro verbo vocali; vicissim pro re
verbis expressa, quemadmodum quarto IV *Reg.* XX, 13, 15; *Is.* XXXIX, 2, 4.
Regum loquitur Ezechias, Non fuit ver-

bum in domo mea quod non ostenderim A
eis. *Et Spiritus Sanctus* est testis horum,
per nos loquendo et mirabilia operando
in testimonium evangelicæ prædicationis.
Joann. xv, 26. Propter quod Christus prædixit : Quum
venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi,* scilicet nobis et condiscipulis nostris, in signo visibili. Nullus tamen Deo virtuose obedit nisi per prævenientem gratiam Spiritus Sancti ; sed obedientibus B Deo datur Spiritus Sanctus per incrementa suorum charismatum.

33 *Hæc quum audissent* præfati principes Judæorum, *dissecabantur,* vehementer frementes ac indignantes contra Apostolos tam auctoritative et sine pavore loquen-
Sap. I, 4. tes, *et cogitabant interficere illos.* In malevolam quippe eorum animam non introierunt sapientiæ verba. Et contumaces suam reprehensionem non sustinent, sed
Amos v, 10. odiunt corripientem.

34 *Surgens autem quidam in concilio Pha-* C *risæus,* eo modo quo et Paulus infra te-
Act. XXIII, 6. statur, Ego Pharisæus sum. Nam ambo antequam Christi fidem susciperent, erant de secta hac quantum ad observantias
Ibid. XXII, 3. ejus. *Nomine Gamaliel :* ad cujus pedes instructus est Paulus ; *legis doctor, vir honorabilis universæ plebi,* quia jam dudum honestæ fuit conversationis, et vita concordabat doctrinæ in ipso. *Jussit foras ad breve homines fieri,* id est, Apostolos jussit ad modicum tempus egredi, et extra manere. Hoc eis præcepit, quamvis D in corde suo sibi eos præponeret, seque eorum servum ac discipulum reputaret. Verumtamen instar jubentis locutus est. De quo refert Clemens in quadam epistola, quod fuit Apostolorum discipulus,
Joann. XIX, 38. sed occultus sicut et Nicodemus, et de consilio Apostolorum mansit inter Judæos, ut eorum contra fideles mitigaret furorem.

35 *Dixitque illis : Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis,* id est, nolite præcipitare sententiam, nec inconsulte istos opprimere, neque ex passionis impetu quidquam peragere. Ad quod inducit duo exempla.
— *Ante hos enim dies exstitit Theodas,* 36
dicens se esse aliquem, scilicet virum magnum ac vatem, *cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum : qui occisus est ; et omnes quicumque credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum :* non absolute ad nihilum, quum animæ sint immortales, et prima materia incorruptibilis ; sed ad nihilum sunt redacti quantum ad id quod attentarant, et de terra seu vita præsenti sublati sunt. Iste Theodas, sicut in Scholastica historia ex verbis Josephi recitatur, dixit se esse prophetam : ad cujus persuasionem multi Judæorum venditis omnibus suis, et sublatis ex urbe, præsertim Jerusalem, facultatibus, venerunt ad ripas Jordanis ; et promisit se post triduum divisurum Jordanem, ut transirent per arentem alveum sicco pede, ut tempore Josue ; et infra hoc triduum venientes milites missi a præside Syriæ, ipsum occiderunt et multos eorum quos seduxit, caputque ejus tulerunt Jerusalem. Fuit autem Theodas magus.

Post hunc exstitit Judas Galilæus in 37
diebus professionis, id est generalis descriptionis, quando imperante Augusto descriptus est orbis, ibantque singuli ut profi- Luc. II, 1, 3.
terentur in sua civitate subjectos se esse Romano imperio, et capitis solverent censum, ut apud Lucam habetur. *Et avertit populum post se.* Nam docuit populum Israel, quod quum esset populus Dei, non deberet subdi Romanis, nec eis dare tributa, quia in templo decimas solveret atque primitias, et quia in lege conscriptum est : Dominum Deum tuum adora- Deut. VI, 13; Matth. IV, 10.
bis, et illi soli servies. Sed erravit, quum hoc de servitute latriæ intelligatur, et spirituali libertati corporalis subjectio non repugnet, militantibus quoque pro bono rei publicæ stipendium seu tributum debeatur. Propter quod dixit Salvator : Red- Matth. XXII, 21.

dite quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ A
sunt Dei, Deo. *Et ipse periit, et quotquot*
consenserant ei, dispersi sunt. Non enim
divina virtute contra Romanos roborabantur,
tur, sed pro suo errore succubuerunt.
38 *Et nunc itaque dico vobis : Discedite*
ab hominibus istis, et sinite illos : quoniam
niam si ex hominibus est consilium hoc
aut opus, dissolvetur, id est, si negotium
um Apostolorum humana calliditate confictum
ctum est, et doctrina eorum mendosa est,
magicisque artibus innituntur, cito totum
39 peribit, sicut illorum duorum ; *si vero ex* B
Deo est, non poteritis dissolvere illud.
Abstinete ergo ab eis, *ne forte et Deo repugnare*
pugnare videamini. Rationabilis prorsus
fuit ista instructio, præsertim quum probabilia
babilia valde, imo et certa omnino signa
apparerent quod Apostolorum opus esset
a Deo.

Consenserunt autem illi, scilicet Gamalieli,
lieli, non tamen in toto : quia in hoc consenserunt,
senserunt, quod dimiserunt Apostolos, non
autem in hoc, quod eos flagellaverunt et
40 prædicare prohibuerunt. *Et convocantes* C
Apostolos, cæsis, id est a se flagellatis,
denuntiaverunt, ne [*omnino*] *loquerentur*
in nomine Jesu ad populum aliqua laude
digna, *et dimiserunt eos.*
41 *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu*
spectu concilii, quoniam digni habiti sunt
pro nomine Jesu contumeliam pati, reputantes
putantes persecutionem hanc esse præcipuum
puum donum Dei, quemadmodum Paulus
Philipp. I, 29. Philippensibus scribit : Vobis datum est
pro Christo, non solum ut credatis in
eum, verum etiam ut patiamini pro illo. D
Sic ergo impleverunt Apostoli quod audierunt
Matth. V, 12; *Luc.* VI, 23. dierunt a Christo : Gaudete in illa hora
et exsultate, quoniam merces vestra copiosa
piosa est in cœlis. Hinc in Jacobo habetur
tur : Omne gaudium existimate, fratres *Jacob.* I, 2.
mei, quum in diversas tentationes incideritis.
ritis. Præterea quum quælibet virtus habeat
beat proprium gaudium sibi annexum,
perfectam patientiam habens in adversitatum
tatum perpessione, secundum superiorem
animæ partem lætatur : ita quod sicut
gaudium est justo justitiam facere, et humili
mili subdi, sic patienti gaudium est tribulari.
bulari. Et utique si Christum pure diligimus,
ligimus, gaudere debemus quod ei per
adversitatum molestias conformamur, quia
et per hoc a peccatis purgamur, ad gratiam
tiam abundantiorem disponimur, ad regnum
gnum cœleste compendiosius pervenimus.
Ideo scriptum est : Communicantes Christi I *Petr.* IV, 13.
passionibus gaudete, ut et in revelatione
gloriæ ejus gaudeatis. In omni ergo adversitate
versitate inordinatam tristitiam repellamus,
mus, et Christi passionem ac multiplicem
patientiæ fructum oculis cordis stabiliter
proponamus : scientes quod omnes qui
placuerunt Deo, per multas tribulationes *Judith* VIII, 23-25.
transierunt fideles ; qui autem tentationes
non susceperunt in timore Dei et in patientia
tientia sua, exterminati sunt.

Omni autem die non cessabant, in templo 42
plo et circa domos docentes publice et
privatim, *et evangelizantes Christum Jesum.*
sum. In quo patet maxima fortitudo fidei
caritatisque fervor istorum, qui in regia
pontificalique urbe, nec verbis nec ictibus
bus poterant a Dei opere cohiberi. Et utique
que nisi divina potestate totum opus eorum
rum fuisset fulcitum, mirum et incredibile
videretur quod principes Judæorum vel
uno die permisissent eos in vita aut civitate
vitate sua metropolitana. Sed ut dictum
est, non est consilium contra Dominum. *Prov.* XXI, 30.

ARTICULUS VI

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : IN DIEBUS AUTEM ILLIS.

Quia hoc libro S. Lucas primitivæ sta- A tum Ecclesiæ proposuit scribere, non solum Apostolorum facta et verba enarrat, sed et ceterorum fidelium post Apostolos præcipuorum. Et quoniam in Ecclesia post sacerdotes constituuntur et sequuntur diaconi, nunc de ordinatione septem primorum diaconorum texit historiam.

1 *In diebus autem illis, crescente numero discipulorum,* eorum videlicet qui per Apostolos convertebantur ad Christum. Christiani vero tunc generaliter vocabantur discipuli, ut infra habetur. Quotidie B autem plurimi convertebantur. *Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos.* Per Græcos hic intelliguntur, vel Judæi in dispersione inter Græcos nati et educati, vel Græci et advenæ ex gentilitate conversi et in Jerusalem commanentes. *Eo quod despicerentur in ministerio quotidiano,* scilicet dispensatione seu administratione victualium et temporalium, *viduæ eorum,* puta Græcorum. Quod tripliciter intelligi potest : Primo, quod Hebræi in ministerio quotidiano viduas suas tan- C quam eruditiores, Græcorum viduis præferebant : et sic Beda exponit. Secundo, quod viduæ Græcorum in ministerio isto nimium gravabantur, seu ad viliora agenda deputabantur. Tertio, quod viduis Græcorum non tam bene ministrabantur necessaria ut viduis Hebræorum. Sed quum superius dictum sit, quod multitudinis (Act. iv, 32, 35.) credentium erat cor unum et anima una, et singulis ministrabatur sicut indiguerunt, quomodo in tam sancto collegio inventa est ista dissensio? Et responden- D dum, quod numero discipulorum crescente orta est murmuratio ista : non enim omnes æque perfecti fuerunt; et in tanta multitudine fuisse aliquos imperfectos, mirum non est : imo ut Climacus refert, quidam illorum facti fuerunt hæretici.

Convocantes autem duodecim, scilicet 2 Apostoli, *multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei,* id est a prædicatione cessare, *et ministrare mensis,* id est in victualium corporis administratione occupari. Spiritualia enim in tantum sunt temporalibus præponenda, quanto anima corpore exstat præstantior; et qui sunt ad sublimiora officia diviniores que actus instituti, non debent immoderanter sine necessitate circa viliora intendere, ne a principalioribus impediantur. Denique meliora sunt fercula mentis quam ventris. Et ut Rabanus ait, his verbis ostendunt Apostoli, episcopos et doctores non debere corporalibus implicari, dicente Apostolo : Nemo militans Deo, implicat se negotiis (II Tim. ii, 4.) sæcularibus. Hinc etiam Jethro consuluit Moysi ut præesset populo in his quæ sunt (Exod. xviii, 19-22.) ad Deum, et majora dumtaxat judicaret negotia, minora vero substitutis principibus judicibusque committeret, prout in Exodo habetur.

Considerate ergo, fratres, viros ex vobis, id est de vestro collegio, *boni testimonii,* scilicet famæ honestæ, *plenos Spiritu Sancto et sapientia,* id est evidenter virtuosos et sufficienter eruditos, quantum humano modo conjici potest aut sciri. Tunc enim fuerunt ibi quamplures tanta gratia decorati, quod certum fuit eos Spiritu Sancto impletos. *Septem.* Tot enim ad litteram probabiliter videbantur ad opus administrationis sufficere. Per quod mystice figuratur, quod in diaconatum promovendi, debent septemplici 3

dono Spiritus Sancti ornari. *Quos constituamus super hoc opus* administrationis
corporalium, ut ipsi ea ministrent, vel mi-
4 nistrantibus præsint. *Nos vero orationi et ministerio verbi insistentes erimus.* Per ministerium verbi, prædicatio designatur. O utinam prælati ista attenderent, quorum jam plures, plus quam oportet, decet aut licet, circa temporalia occupantur, in exterioribusque versantur, quia mente sunt frigidi, nec in spiritualibus exercitiis habent saporem. Hinc effunduntur, negligentes se ipsos et sibi commissos.

Præterea in verbis præfatis notatur ordo in electione servandus. Electio enim primo fieri debet cum discretione atque concordia : quod notatur quum dicitur, Considerate. Secundo, ex caritate : ideo subditur, Fratres. Tertio, unus de gremio Ecclesiæ eligi debet : hinc sequitur, Ex vobis. Quarto, qui eligitur, debet esse bonæ famæ, propter proximorum ædificationem : idcirco subjungitur, Boni testimonii. Quinto, erit virtuosæ conversationis quoad Deum : ideo additur, Plenos Spiritu Sancto. Sexto, erit in Scripturis instructus : propter quod sequitur, Et sapientia. Postremo, talis debet esse, ut magis cupiat prodesse quam præesse, perpendens se potius vocatum ad onus quam honorem : idcirco annectitur, Quos constituamus super hoc opus.

5 *Et placuit sermo coram omni multitudine,* qui malum murmurationis optabant exstingui, et ut boni filii, patrum suorum consilio tam rationabili celeriter acquieverunt. Quod et cunctis subditis est pensandum ac imitandum. *Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide,* quæ est virtus theologica, seu fidelitate, quæ ad justitiam pertinet, *et Spiritu Sancto,* per quod insinuatur cunctis fuisse plenus virtutibus. Sed in primitiva Ecclesia fides fuit specialiter commendanda, tanquam fundamentum virtutum, et quia tunc valde necessaria fuit fidei fortitudo, propter persecutores, itemque ob difficultatem subdendi intellectum articulis fidei, quod

A est rationem in captivitatem redigere. (II Cor. x, 5.) *Et Philippum.* (Act. viii.) De isto Philippo diacono infra scribuntur sublimia. Unde et ipse et ceteri qui sequuntur, pleni fuerunt fide et Spiritu Sancto. *Et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam. Et Nicolaum advenam Antiochenum,* qui ut fertur, de gentilitate fuit conversus ad Judaismum, vel forte immediate ad Christianismum, et de Antiochia fuit. De quo occasionem erroris sumpserunt quidam, in Apocalypsi Nicolaitæ vocati, asserentes (Apoc. ii, 6, 15.) B mulieres debere esse communes. Quod et Thomas in Summa contra gentiles affirmat hunc Nicolaum dixisse. Alii tamen dicunt, quod ipse non dixit hoc; sed quum haberet mulierem pulcherrimam, et accusaretur de immoderato amore ad eam, volens se excusare, ait coram Apostolis : Ecce conjux mea, qui vult, ea utatur. Quod ut isti asserunt, ipse non dixit ea mente quasi sentiret usum feminarum debere esse communem, sed ut per hujuscemodi modum loquendi se plenius ex- C cusaret. Verum quidam perversi ad mala proclives, ejusque verba juxta suam concupiscentiam interpretantes, sumpserunt ex eis occasionem erroris. — Puto autem quod et hi septem electi etiam elegerunt, sicut in electionibus collegiorum ac cœnobiorum, qui eliguntur et eligunt.

6 *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum ; et orantes* ipsi Apostoli, *imposuerunt eis manus.* Secundum Rabanum, hic ordo servandus est, ut scilicet populus eligat, episcopus ordinet. Et quia Apostoli D cum oratione et manus impositione ordinaverunt istos diaconos, in Ordinibus dandis fiunt orationes, et in quibusdam Ecclesiis manus tempore ordinationis imponuntur diaconis. In Scholastica quoque fertur historia, quod horum septem primorum diaconorum vicem gerunt archidiaconi, propterea instituti ut portent pondus negotiorum, quatenus prædicationi ac doctrinæ liberius vacent episcopi.

7 *Et verbum Domini crescebat,* id est, prædicatio Apostolorum fructificabat, *et*

multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde, quia plurimi convertebantur. *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei*, rationem suam subjiciendo fidei. In quo elucescit infinita misericordia Christi, quod illos convertere dignatus est, a quibus tam importune atque crudeliter fuit expetitus ad mortem. In quibus specialiter est impletum quod ante passionem Christus prædixit : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. [*Joann.* VIII, 28.]

Insuper advertendum, quod sicut in libro hoc B. Lucas duorum præcipuorum Apostolorum actus et verba specialiter prosequitur ac describit, videlicet Petri et Pauli, ita et prædictorum septem diaconorum duorum præcipuorum verba actusque prosequitur, scilicet Stephani et Philippi : non enim omnia scribere potuit.

8 *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine*. Paulo ante dixit eum plenum fide et Spiritu Sancto, nunc gratia et fortitudine, ut monstretur S. Stephanus fuisse vir apostolicæ perfectionis. Et quia jam ejus martyrium descripturus est, apte præmittit quod fortitudine plenus fuit, tam illa quæ est virtus moralis et cardinalis, cujus est in periculis mortis esse constantem, quam illa quæ est donum, cujus est operibus perfectionis constanter insistere. *Faciebat prodigia et signa magna in populo* : quæ S. Lucas brevitati studens, non prosequitur.

9 *Surrexerunt autem quidam de synagoga quæ appellatur Libertinorum*. Isti Judæi increduli dicti sunt libertini, quia manu missi, id est libertate donati fuerunt, quum prius servi fuissent. Sicque conditionis fuerunt servilis, qui fidei restiterunt. *Et Cyrenensium*, id est a Cyrene, quæ est civitas Libyæ, secundum Bedam ; *et Alexandrinorum*, id est de Alexandria urbe Ægypti ; *et eorum qui erant a Cilicia et Asia*, quæ sunt regiones vicinæ ad invicem. *Disputantes cum Stephano*, volentes probare quod Jesus
10 non esset Christus in lege promissus. *Et non poterant resistere sapientiæ* Stephani, *et Spiritui*, id est Spiritui Sancto, *qui loquebatur* per Stephanum : sicut ait Salvator, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. [*Matth.* X, 20.] Vel, Spiritui, id est animæ Stephani qui loquebatur : sicque implebatur in Stephano illa Christi promissio, Ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii [*Luc.* XXI, 15.]
vestri. *Tunc submiserunt viros*, id est fal- 11
sos testes, *qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen et in Deum*. Sicut fecerunt regi, ita et militi. Nam et contra Christum produxerunt falsos testes Judæi. [*Matth.* XXVI, 59, 60; *Marc.* XIV, 55-59.] Est autem proprium perversorum, ut quum ratione prævalere non valent, seque rationabiliter convinci prospiciunt, ad calliditates et violentias convertantur. Sic egerunt et isti.

Commoverunt itaque, id est, ad iram et 12
zelum indiscretum provocaverunt, *plebem et seniores et Scribas*, id est judices et doctores; *et concurrentes, rapuerunt eum* cum impetu violento tanquam maleficum,
et adduxerunt in concilium; et statu- 13
erunt falsos testes dicentes : Homo iste non cessat loqui adversus locum sanctum et legem, id est, templo et legi Moysis per
verba blasphemiæ detrahit. *Audivimus* 14
enim eum dicentem : Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, id est leges seu ordinationes et observantias, *quas tradidit nobis Moyses*. Etiam si Stephanus hæc verba dixisset, non fuisset blasphemia secundum veritatem, sed secundum Judæorum istorum æstimationem. Romani enim Christi potestate destruxerunt urbem et templum Jerusalem. Cærimonialia quoque legis Christus mutavit in melius, et alias dedit institutiones vivendi ac Deum colendi quam Moyses. Vere excæcati Judæi putabant cærimonialia et judicialia legis præcepta post Christi adventum semper servanda, sicut moralia. Nihilo minus testes isti mentiti sunt, [quia] vel Stephanus ista verba non dixit, vel ea non dixit eo

sensu quo ipsi ea proposuerunt. Sic enim A ea proposuerunt, quasi Jesus asseruisset se legalia mutaturum quasi simpliciter reprobans ea, vel quasi omnia mutans. Christus vero ita non dixit, nec Stepha-
Matth. V, 17. nus. Imo Christus testatus est : Non veni legem solvere, sed adimplere, id est perficere. Cærimonialia enim figurativa fuerunt, quæ in Christo impleta sunt atque in Ecclesia. Præcepta quoque moralia evangelicis perfecit consiliis.

15 *Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli,* id est splendidissima claritate ac miro decore perfusam : per quod internæ perfectionis magnitudo, puritas et innocentia monstrabatur. In quo Moysi parificatus est Stephanus. Nam et Moysis vultus præ splendore a Judæis ad- II *Cor.* III, 7; *Exod.* XXXIV, 29-35.
spici non valebat. In tali autem et tanta majestate ostendit Deus Judæis Stephani vultum, ut converterentur ad veritatem, si vellent ; aut si nollent, de sua obstinatione inexcusabiliores ac damnabiliores redderentur. Porro in Scripturis canonicis non legitur homo vultum hujuscemodi habuisse in terra coram hominibus, nisi B Christus in transfiguratione, et Moyses et *Matth.* XVII, 2; *Luc* IX, 29.
Stephanus : in quo magna valde Stephani excellentia innotescit.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMI : DIXIT AUTEM PRINCEPS SACERDOTUM.

1 **D**IXIT *autem princeps sacerdotum : Si hæc ita se habent?* Quoniam accusato dandus est locus excusationis et responsionis, princeps sacerdotum tanquam judex sciscitatus est Stephanum, an
2 in sibi objectis esset culpabilis. *Qui ait : Viri fratres et patres, audite.* S. Stephanus responsurus, verbis modestis ac blandis in exordio usus est, quia ut scribitur
Prov XV, 1. in Proverbiis, Responsio mollis frangit iram. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham.* Quatuor objecta fuerunt Stephano, scilicet blasphemia in Deum, in Moysen, in legem, in templum. Ideo de his quatuor se excusat. Et primo, de blasphemia contra Deum : quem Deum gloriæ nuncupat, quia in ipso est beatitudo et gloria infinita, et ab ipso vita gloriæ profluit. Ipse quoque est majestatis immensæ. Apparuit autem Abraham per subjectam creaturam, scilicet angelum. *Quum esset in Mesopotamia :* quæ est regio sic dicta, quia media inter aquas sita est, inter fluvios videlicet Euphraten et Tigrim ; C *priusquam moraretur in Charan :* quæ secundum Bedam, est urbs regionis Mesopotamiæ, et in Genesi dicitur Haran. *Et* *Gen.* XI, 31.
dixit ad illum : Exi de terra tua et de 3
cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi, scilicet in terram Chanaan.

Circa hoc dubia oriuntur. Abraham namque oriundus fuit de Chaldæa, et in- *Ibidem.*
de venit in provinciam Mesopotamiæ, deinde in civitatem illius, nomine Charan : quomodo ergo ei de terra sua jam egresso D atque in aliena posito, dicitur, Exi de terra tua? Iterum in Geneseos libro legitur, quod Abraham cum patre suo Thare ha- *Ibid.* 31, 32; XII, 1.
bitavit in Haran, quæ alio nomine dicitur Charan, et mortuo ibi ipso Thare patre Abrahæ, Dominus illi præcepit, Egredere de terra tua, etc. — Ad primum respondetur tripliciter. Primo, secundum Bedam et Scholasticam historiam, quod licet jam egressus fuerat de Chaldæa corpore, non tamen mente, quia adhuc tenebatur spe et desiderio redeundi. Idcirco præcipitur

ei ut etiam mente egrediatur de ea, ut
scilicet non proponat in eam reverti. Se-
cundo, juxta Augustinum, quod Mesopo-
tamia est pars Chaldææ, et ita non fuit de
tota Chaldæa egressus, sed de una ejus
parte introiit aliam. Nunc ergo jubetur
totam relinquere. Tertio, ut quod dicitur
ei, Exi de terra tua, sic exponatur, id est,
longius discede ab ea. — Ad aliud respon-
detur, quod vel bis jussum est Abrahæ
exire de terra cognationeque sua, videli-
cet : semel ante mortem patris sui, et
tunc ex causa rationabili distulit, forte ut
patri suo tanquam seni pro solatio et ex-
hibendo obsequio maneret conjunctus ;
secundo post patris sui dormitionem. Vel,
ut aliqui dicunt, hoc quod dicitur, Exi de
terra tua, per anticipationem est dictum.

Denique in hoc præcepto Abrahæ facto,
mysterialiter præfigurabatur quod Chri-
stus postea per se ipsum consuluit, ut
Matth. XIX, 29. *Luc.* XIV, 26. scilicet propter ipsum omnia relinquan-
tur, etiam parentes, fratres, sorores, etc.
4 *Tunc exiit de terra Chaldæorum :* se-
cundum varium sensum nunc tactum, sci-
licet longius discedendo ab ea, vel partem
ejus deserendo ; *et habitavit in Charan.*
Et inde, postquam mortuus est pater ejus
Gen. XI, 32. Thare in Charan, quum esset ducentorum
quinque annorum, ut dicitur in Genesi,
transtulit, id est, ire præcepit *illum in*
terram istam, in qua nunc vos habitatis,
5 quæ dicitur terra promissionis. *Et non*
dedit illi hereditatem in ea, nec passum
pedis, id est nec minimam partem. Nec
Ibid. XXIII, 3-18. obest quod in Genesi scribitur Abraham
emisse speluncam cum agro : nam hanc
partem habuit in titulo emptionis pro
sepultura, non hereditate possedit ad co-
lendum aut habitandum. *Sed repromisit*
dare eam illi in possessionem, et, pro id
est, *semini ejus post ipsum,* illis videlicet
qui cum Josue terram istam ingressi sunt,
quum non haberet filium, id est ante na-
tivitatem Isaac, imo et Ismaelis, et hoc,
quantum ad promissionem primo factam.
Ibid. XII, 1-3. Sæpius enim ei istud promisit, sed prima,
ut scribitur in Genesi, fuit longe ante

A Ismaelis generationem. Ubicumque autem
in Genesi legitur Deus promisisse Abrahæ,
vel Isaac aut Jacob, quod eis hanc terram
daret, referendum est ad posteritatem ip-
sorum.

Locutus est autem ei Deus per ange- 6
lum : *Quia erit semen tuum accola,* id
est filii tui peregrini erunt et advenæ, *in*
terra aliena, scilicet in regione Chanaan
et Ægypti, *et servituti eos subjicient, et*
male tractabunt annis quadringentis tri-
ginta. Unde legitur Dominus locutus ad
B Abraham : Scito prænoscens, quod pe- *Gen.* XV, 13.
regrinum futurum sit semen tuum, et
servituti eos subjicient et affligent qua-
dringentis annis. Porro, hos quadringentos
triginta annos computat Rabanus a die
quo facta est ista promissio Abrahæ us-
que ad exitum de Ægypto. Quadringentos
vero annos nonnulli incipiunt a nativitate
Isaac usque ad egressum Israel de Ægy-
pto. Aliqui vero, quia dictum est Abrahæ,
In Isaac vocabitur tibi semen, computant *Ibid.* XXI, 12.
istos quadringentos annos a nativitate
C Isaac usque ad mortem Sehon regis Amor-
rhæorum et Og regis Basan. Præterea,
quamvis dictum sit quod filii Israel ad-
venæ forent in terra aliena, et servituti
subjiciendi ac male tractandi, non tamen
sensus est quod toto hoc tempore fuerint
in hujusmodi afflictione, sed pars pro toto
est posita, aut econverso. Nam pro parte
quadam hujus temporis fuerunt afflicti *Exod.* I, V, etc.
in terra Ægypti. *Et gentem cui servie-* 7
rint, puta Ægyptios, *judicabo ego* judicio
punitionis et condemnationis, *dicit Domi-*
D *nus.* Nam submersit eos in mari Rubro, *Ibid.* XIV, 27, 28.
et statuit in inferno. *Et post hæc exibunt*
de Ægypto seu eremo, *et deservient mihi*
in loco isto, scilicet in Judæa : quod tem-
pore Josue inceperunt.

Et dedit illi, videlicet Abrahæ, *testa-* 8
mentum, id est pactum, *circumcisionis,*
dicens : Hoc est pactum meum quod ob- *Gen.* XVII, 10.
servabitis : Circumcidetur ex vobis omne
masculinum. *Et sic genuit Isaac,* quum *Ibid.* XXI, 4, 5.
esset centum annorum, ut scribitur in
Genesi. Erat autem nonaginta novem an- *Ibid.* XVII, 1.

norum quum pactum circumcisionis acce- A
Gen. xxi. 4. pit. *Et circumcidit eum die octavo,* sicut
in Genesi habetur. *Et Isaac* genuit *Jacob,*
et Jacob duodecim Patriarchas.
9 *Et patriarchæ æmulantes,* id est invi-
Ibid. xxxvii. dentes, ipsi *Joseph* quia a patre plus ama-
batur, et somnia quædam eis displicentia
vidisse se eis narravit, *vendiderunt eum*
in Ægyptum, id est Ismaelitis negotiato-
ribus in Ægyptum pergentibus, secumque
ducentibus atque ibidem vendentibus Jo-
seph. Non tamen omnes Patriarchæ duo-
decim id fecerunt, quia nec Benjamin ad- B
fuit neque Ruben. *Et erat Deus cum eo,*
per gratiam magnam, et providentiam
10 singularem ac gratiosam. *Et eripuit eum*
ex omnibus tribulationibus suis, scilicet
de manibus fratrum, et Ægyptii qui eum
incarceravit. Unde in Sapientiæ libro le-
Sap. x, 13. gitur : Hæc (scilicet sapientia divina) ven-
ditum justum non dereliquit, sed a pecca-
toribus liberavit eum. *Et dedit ei gratiam*
et sapientiam in conspectu Pharaonis re-
gis Ægypti. Nam ex divina revelatione
Gen. xli. exposuit somnia Pharaonis, sicut Daniel C
Dan. ii, iv. somnia regis Babylonis. *Et constituit eum*
præpositum super Ægyptum, et super
omnem domum suam, id est familiam at-
Gen. xli, 40. que substantiam, dicens ad eum : Uno
tantum regni solio te præcedam.
11 *Venit autem fames in universam Ægy-*
ptum et Chanaan, et tribulatio magna.
Ibid. 56 ; xlii, 5. Nam has duas regiones fames illa maxime
opprimebat : quæ omnia in Genesi ple-
nius scripta sunt. *Et non inveniebant ci-*
bos patres nostri in terra qua habitabant.
12 *Quum autem audisset Jacob frumentum* D
Ibid. xlii, 1 *et seq.* *esse in Ægypto, misit patres nostros,* id
est decem Patriarchas, Benjamin secum
13 retento, *primum,* id est prima vice ; *et in*
Ibid. xliii, xliv. *secundo,* id est secunda eorum missione
in Ægyptum pro victualibus emendis, *co-*
gnitus est Joseph a fratribus suis : quia
Ibid. xlv, 3. tunc dixit eis, Ego sum Joseph ; *et ma-*
nifestatum est Pharaoni genus ejus, id
est cognatio. Tunc enim in aula regis ce-
Ibid. 16. lebri dictum est sermone, Venerunt fra-
14 tres Joseph. *Mittens autem Joseph* fratres

suos cum plaustris et asinis multisque *Gen.* xlv, 17 *et seq.*
divitiis, *accersivit patrem suum,* per is-
tos denuntians ut veniret ad se, *et omnem*
cognationem suam in animabus, id est
hominibus, *septuaginta quinque.* In Ge-
nesi habetur : Cunctæ animæ quæ in- *Ibid.* xlvi, 26.
gressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, et
egressæ ex femore illius, absque uxoribus
filiorum, sexaginta sex. Et in Exodo :
Erant omnes animæ eorum qui egressi *Exod.* i, 5.
sunt de femore Jacob, septuaginta. Sed
Lucas sequens interpretationem Septua-
ginta interpretum, ponit *septuaginta quin-*
que, per anticipationem, connumerans
quinque nepotes Joseph. Quibus omnibus
si addantur ipsemet Jacob et filius ejus
Joseph cum duobus filiis ejus Ephraim
et Manasse, habentur septuaginta quinque.
Et defunctus est ipse Jacob in Ægypto, 15
et patres nostri, id est duodecim Patri-
archæ ibidem. *Et translati sunt in Si-* 16
chem, et positi sunt in sepulcro quod emit
Abraham pretio argenti, a filiis Hemor
filii Sichem. In Genesi scriptum est, quod *Gen.* xxxiii, 19, 18.
Jacob emit partem agri a filiis Hemor
patris Sichem centum agnis, fuitque ager
iste juxta Salem urbem Sichimorum. Por-
ro alio loco in Genesi legitur, quomodo *Ibid.* xxiii, 3-18.
Abraham emit ab Ephron filio Seor He-
thæo speluncam duplicem, una cum agro
in quo fuit, juxta Hebron, quadringentis
argenti siclis. Quomodo ergo nunc dici-
tur, quod Abraham emit sepulcrum a fi-
liis Hemor ? et quomodo Hemor vocatur
hic filius Sichem, quum in Genesi appel-
letur pater ipsius Sichem ? Itaque intu-
endum, quod Jacob (sicut in Genesi scri-
bitur) fuit cito post mortem suam in *Ibid.* l, 13.
spelunca duplici positus. Joseph vero tem- *Josue* xxiv, 32.
pore Josue in Sichem, et in eodem loco,
secundum Hieronymum, sepulti fuerunt
alii Patriarchæ, delatis eorum ossibus ex
Ægypto, quamvis in Genesi non legatur.
Postea autem positi sunt in sepulcro quod
emit Abraham. Verum quod in littera di-
citur, A filiis Hemor filii Sichem, refer-
tur ad verba præcedentia, scilicet, Trans-
lati sunt in Sichem : ut sit sensus, quod

translati sunt in Sichem emptam a filiis A
Hemor, a quibus Jacob emit hunc agrum
Sichem. Quod autem Hemor dicitur hic
filius Sichem, et in Genesi, pater Si-
chem, concordatur, quia frequenter con-
tingit quod aliquis habeat patrem et fi-
lium eodem nomine appellatos. Hæc in
Scholastica historia plenius scripta sunt.
17 *Quum autem appropinquaret tempus re-
promissionis, quam confessus,* id est pro-
testatus, *fuit Deus Abrahæ,* id est, proxi-
mante tempore quo implendum fuit quod
Deus Abrahæ prænuntiavit de eductione B
posteritatis suæ ex Ægypto et introducti-
one in terram promissionis, *crevit po-
pulus* Israel, *et multiplicatus est in Ægy-*
Exod. I, 7. *pto,* juxta id Exodi : Filii Israel creverunt,
et quasi germinantes multiplicati sunt; et
18 roborati nimis, impleverunt terram; *quo-
adusque rex alius surrexit in Ægypto
qui non sciebat Joseph,* id est, quanta bo-
na Ægyptiorum regi populoque præstite-
rit. Rex iste, sub quo natus est Moyses,
non fuit de semine regis Ægypti qui con-
stituit Joseph super Ægyptum, ut Josephus C
scribit. Et ut aliqui dicunt, octavus fuit
19 post illum. *Hic circumveniens genus no-
strum,* id est, populum Israel callide op-
Ibid. 10. primens, juxta quod ait in Exodo : Veni-
te, sapienter opprimamus eum; *afflixit
patres nostros* crudeli præcepto *ut expo-
nerent infantes suos,* id est, ab obstetri-
cibus eos occidi permitterent, vel in flu-
men projicerent, aut projici sinerent, *ne
vivificarentur,* id est, ne infantes isti ma-
nerent viventes, et per hoc populus Israel
Ibid. 15-22. invalesceret. Primo quippe præcepit ob- D
stetricibus ut infantes masculos Hebræ-
orum necarent. Quibus id ex timore Dei
non exsequentibus, jussit Pharao omni
populo suo ut quidquid masculini sexus
gignerent conjuges Hebræorum, in flumi-
na projicerent, ut in Exodi libro habetur.

Et quoniam S. Stephanus accusabatur
quasi obloquens Moysi, consequenter ad
20 ejus commendationem descendit. *Eodem
tempore natus est Moyses,* durante scili-
cet præcepto occidendi parvulos Hebræo-
rum, *et fuit gratus Deo,* id est acceptus,
non ex propriis meritis, sed ex Dei boni-
tate, tanquam æternaliter prædestinatus,
atque ad plurima opera bona agenda
præordinatus. *Qui nutritus est in domo
patris sui tribus mensibus.* Videntes enim
parentes ejus pulchrum et elegantem eum *Exod.* II, 2.
esse infantem, miserti ipsius, cum peri-
culo contra regis edictum conservaverunt
eum in vita et absconderunt. *Exposito* 21
autem illo, id est in flumen projecto, et
posito in vasculo quodam, juxta id Exo-
di : Quumque jam celare non posset (sci- *Ibid.* 3.
licet mater ejus) eum, sumpsit fiscellam
scirpeam, et linivit eam bitumine ac pi-
ce, posuitque intus infantulum, et posuit
eum in carecto ripæ fluminis; *sustulit
eum filia Pharaonis :* visa enim fiscella, *Ibid.* 5, 6.
jussit uni ancillarum, ut illam sibi affer-
ret. Qua aperta, et reperto infantulo, mi-
serta ejus, dixit : De infantibus Hebræo-
rum hic est. *Et enutrivit eum sibi in
filium.* Commisit enim matri Moysis ut *Ibid.* 8-10.
eum nutriret, et adultum sibi (scilicet fi-
liæ Pharaonis) referret : quo facto, ad-
optavit eum in filium. Hæc autem in Exo-
do plenius recitantur.

Et eruditus est Moyses omni sapientia 22
Ægyptiorum, scilicet in naturali philo-
sophia et astronomia. Studium autem phi-
losophiæ primo viguit in Ægypto. *Et erat
potens in verbis et in operibus suis,* id
est sapiens in loquendo, et fortis in ope-
rando. Et quia hic dicitur quod erat po-
tens in verbis, Origenes asserit quod elo-
quens fuit; et quod in Exodo Moyses *Ibid.* IV, 10.
impeditioris linguæ se esse testatur, sol-
vit per hoc, quod tunc ineloquentem se
dixit, quum Deum audivit sibi loquen-
tem, cujus comparatione omnis rationalis
creatura consistit ineloquens. Alii proba-
bilius aiunt, quod fuit linguæ impeditæ;
tunc tamen potens in verbis fuisse asse-
ritur, non ob promptitudinem expressi-
væ, sed ob discretionem in disserendo.

Quum autem impleretur ei quadragin- 23
ta annorum tempus, ascendit in cor ejus *Ibid.* II, 11, 12.
ut visitaret fratres suos filios Israel in

terra Gessen, ut in molestissima servitu-
te positos consolaretur. Condoluit enim
24 eis tanquam piissimus. *Et quum vidisset
quemdam Hebræum injuriam patientem*
ab Ægyptio, *vindicavit illum, et fecit ul-
tionem ei qui injuriam sustinebat, per-
cusso Ægyptio,* id est, injuriam Hebræi
ultus est, interficiendo injuriantem Ægy-
ptium. In quo facto aliqui dicunt eum
peccasse. Alii vero affirmant quod non,
quia jam Deo revelante cognovit quod li-
beraturus esset filios Israel de Ægypto,
sicque cognovit se constitutum a Deo de-
fensorem populi Israel, secundum quod
25 subditur : *Existimabat autem intelligere
fratres,* puta Hebræos, *quoniam Deus per
manum,* id est ministerium et virtutem,
ipsius daret salutem, id est, liberationem
de manibus Ægyptiorum præstiturus esset,
illis, scilicet Hebræis. *At illi non intelle-
xerunt,* id est, non consideraverunt hoc.
26 *Sequenti vero die,* vel immediate vel
Exod. II, 13, 14. mediate post diem quo occidit Ægyptium,
apparuit illis litigantibus, id est duobus
Hebræis inter se rixantibus, *et reconcilia-
bat eos,* id est, pacificare conatus est eos,
in pace, dicens : Viri, fratres estis, quia
de eodem semine Abrahæ, Isaac et Jacob,
ut quid nocetis alterutrum ? quasi dicat :
Quum fratres sitis, unus alteri benefacere
obligatur : injustum est ergo quod unus
alium lædit. Hoc et Christianis quibus-
libet, præsertim religiosis et clericis, in-
27 ter se contendentibus est dicendum. *Qui
autem injuriam faciebat proximo suo* He-
bræo, *repulit eum, dicens : Quis te con-
stituit principem aut judicem super nos ?*
tanquam dicat : Cur quod ad te non
spectat, præsumis, atque indebitam tibi
auctoritatem usurpas ? Ecce quam pervers-
sus fuit hic homo, qui caritativam incre-
pationem tam graviter tulit, et pie ar-
guentem redarguit impie. Similis utique
Sodomitis, qui Lot eos leniter increpan-
Gen. XIX, 9. ti locuti sunt : Ingressus es ut advena,
28 numquid ut judices? *Numquid interficere
tu me vis, quemadmodum interfecisti he-
ri Ægyptium ?* Huic pravissimo homini

A assimilantur, qui secreta alicujus propa-
lant ex passione, quum admonentur, re-
prehenduntur, seu juste puniuntur ab eo.
Fugit autem Moyses in verbo isto, id est, 29
audito hoc verbo, et cognito quod Pharao *Exod* II, 15.
id percepisset, qui et voluit occidere Moy-
sen, fugit, *et factus est advena in terra
Madian,* habitans ibi cum Jethro sacer-
dote Madian, *ubi generavit duos filios,* *Ibid.* 21, 22.
scilicet Gersam et Eliezer, de Sephora filia
Jethro.
Et expletis annis quadraginta a tem- 30
B pore fugæ præfatæ, *apparuit illi in de-
serto montis Sinai,* quia in illa solitudine
situs est mons Sinai. Quum enim minas- *Ibid.* III, 1.
set Moyses gregem quem pavit, ad inte-
riora deserti, et venisset ad montem Dei
Horeb (videlicet Sinai : nam pes montis
dicitur Horeb, summitas vero Sinai, et
interdum unum pro alio ponitur), appa-
ruit ei *angelus,* tamen in persona Dei, et
in ejus persona loquens ad Moysen : id-
circo in Exodo scribitur, quod Dominus *Ibid.* 2.
ei apparuit; *in igne flammæ rubi :* quia
C de medio ignis quo rubus videbatur oper-
tus, angelus Moysi loquebatur. Ideo quo-
que in igne apparuit, quia ut divinus
Dionysius edocet, ignis maximam habet
convenientiam cum spiritualibus rebus.
Unde suo splendore ac simplicitate, an-
gelicæ naturæ puritatem et sapientiam
signat. Et rursus, ob id in igne splenden-
te, non nocente nec comburente rubum, *Ibid.* 3.
apparuit, ad insinuandum quod filii Is-
rael in igne tribulationis quem in Ægypto
patiebantur, purgarentur, non consume-
D rentur.
Moyses autem videns rubum igne oper- 31
tum, *admiratus est visum,* id est rem
visam, cur scilicet rubus igne non læde-
retur, qui faciliter inflammatur. *Et acce-
dente illo ut consideraret, facta est ad
eum vox Domini* per angelum loquentis, *Ibid.* 6.
dicens : Ego sum Deus patrum tuorum, 32
*Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Ja-
cob. Tremefactus autem Moyses* ex allo-
cutione insolita, tubali, angelica, et ex
præsentia majestatis divinæ : tales enim

visiones et allocutiones maximam pariunt A
alterationem in mente et corpore : *non audebat considerare,* id est rubum seu ignem illum adspicere, tanquam stupidus factus. Nam et tales alterationes primo impediunt usum rationis, donec gratia
Dan. x, 7-11. confortetur, quemadmodum patet in Daniele. Propter quod Ezechieli Dominus ait :
Ezech. II, 1. Sta supra pedes tuos, et loquar tecum.

33 *Dixit autem illi Dominus : Solve,* id
Exod. III, 5. est, exue et depone, *calceamenta pedum tuorum.* Cujus ratio subditur : *locus enim in quo stas, terra sancta est,* id est sancti- B
ficata, seu ad aliquid sanctum deputata, propter præsentiam Dei seu angeli, et quia in loco isto aliqua sanctissima opera erant paulo post divinitus peragenda, quando scilicet in monte Sinai data est lex. Et usque in præsens est ibi locus cultus divini et religiosorum cœnobium. Fuit autem (ut dicitur) antiquis, et præsertim Hebræis, consuetudo non ingredi loca sancta, nisi pedibus nudis : quod nunc usque Sarraceni observare dicuntur.
34 Insuper Dominus ait : *Videns vidi* oculo C
Ibid. 7 et seq. misericordiæ *afflictionem populi mei qui est in Ægypto :* qui fuit populus Dei non solum per creationem ut ceteri, sed et per electionem. Ista vero ingeminatio in loquendo qua dicitur, Videns vidi, consueta et frequens est in Scripturis veteris Testamenti. *Et gemitum eorum audivi,* id est cognovi, *et descendi liberare eos.* Angelus autem hæc proferens, vere localiterque descendit. Deo autem, quum incircumscriptibilis invariabilisque consistat, non competit localiter descendere, D
nec moveri secundum se; sed ratione sui effectus, hæc atque similia ei attribuuntur. Nam quamvis ubique sit, ibi tamen specialiter esse dicitur, ubi specialiter operatur. *Et nunc veni* mentali accessu, per obedientiam te mihi subdendo, *mittam te in Ægyptum,* ad educendum inde filios Israel. Hæc in Exodo plenius enarrantur.

35 *Hunc Moysen, quem negaverunt dicentes, Quis te constituit principem aut judicem super nos?* Supra jam dixit, quod vers. 27.
unus eum negavit ; nunc vero pluraliter ait, Quem negaverunt. Aut ergo nunc ponitur singularis numerus pro plurali, sicut frequenter fit in Scripturis ; aut unus ille complices habuit et fautores, qui idem cum ipso verbis, signis seu factis dixerunt. *Hunc Deus principem* Israeliticæ plebis, *et redemptorem* eorum de servitute Ægypti *misit, cum manu,* id est potestate et cooperatione, *angeli qui apparuit illi in rubo.* Itaque angelus ille in omnibus adfuit Moysi : et forte fuit Michael, qui princeps exstitit Synagogæ, vel alius angelus ejus repræsentans personam.

Hic Moyses *eduxit illos,* videlicet filios 36
Israel de Ægypto, *faciens signa et prodigia in terra Ægypti, in mari Rubro, et in deserto annis quadraginta :* quæ in libris Exodi, Levitici et Numerorum copiose conscripta sunt. *Hic est Moyses qui* 37
dixit filiis Israel : Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquam me; ipsum audietis. Deut XVIII, 15.
Hanc auctoritatem supra S. Petrus induxit, estque Act. III, 22.
ibidem exposita. *Hic* Moyses *est qui fuit* 38
in ecclesia, id est collectione populi Israel Deum colentis (quamvis autem communiter ecclesia a synagoga distinguatur, ita ut Christianorum collectio nuncupetur Ecclesia, vicissim tamen etiam Judæorum congregatio appellatur ecclesia, ut tertio Regum : Benedixit Salomon omni ecclesiæ III Reg. VIII, 14.
Israel), *in solitudine,* quæ est inter Ægyptum et terram promissionis *, *cum angelo qui loquebatur ei in monte Sinai,* tam ante eductionem Israel ex Ægypto, quam postea in legislatione, *et cum patribus nostris. Qui accepit verba vitæ,* id est sacram Scripturam, *dare nobis.* Vel verba vitæ sunt legis præcepta. Per observantiam autem verborum Scripturæ ac præceptorum, vita gratiæ continuatur, et vita gloriæ obtinetur, juxta illud Deuteronomii : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. Deut. VIII, 3.

* *alias* quam perambulaverunt filii Israel quadraginta annis.

39 *Cui noluerunt obedire patres nostri,* A
pro majori parte eorum ac temporis : nam
pene omnes et frequenter rebelles fue-
runt. *Sed repulerunt eum,* verba ejus
spernendo, *et aversi sunt cordibus suis*
a Deo et Moyse, redeuntes mente *in Ægy-*
Num. xiv, 4. *ptum :* juxta illud in Numeris, Consti-
tuamus nobis ducem, et revertamur in
40 Ægyptum ; *dicentes ad Aaron : Fac nobis*
Exod. xxxii, 1. *deos qui præcedant nos.* Putabant nam-
que in idolis esse aliquid vitale ac intel-
lectuale. Et tamen, quam stultum fuit hoc
verbum ! Si enim Aaron eis non suffecit B
pro duce, quomodo ipse potuit facere deos
se ad ducendum efficaciores ? Numquid
sua causa est effectus præstantior ? *Moysi*
enim huic qui eduxit nos de terra Ægy-
pti, nescimus quid factum sit ei, id est,
quid sibi contigerit. Hoc dicebant, quando
Ibidem ; Deut. ix, 9-11. Moyses insolitam moram fecit in sum-
mitate montis Sinai cum angelo, quando
quadraginta diebus jejunavit et legem
41 suscepit. *Et vitulum fecerunt in illis die-*
Exod. xxxii, 1-4, 22, 23. *bus.* Nam ad importunam eorum instan-
tiam et quasi coactionem, Aaron projecit C
aurum in ignem, et opere fusorio egres-
sa est vituli similitudo. *Et obtulerunt ho-*
stiam simulacro : sicut in Exodo habetur,
Ibid. 6. Surgentes mane obtulerunt holocausta et
victimas pacificas. *Et lætabantur in ope-*
ribus manuum suarum, id est in idolo-
latriis vel sacrilegiis et præfato simulacro,
dicentes : Isti sunt dii tui, Israel, qui te
eduxerunt de terra Ægypti. Unde præal-
Ibidem. legato fertur capitulo : Sedit populus man-
ducare et bibere, et surrexerunt ludere.
42 *Convertit autem Deus,* id est, in ma- D
lum verti permisit : quemadmodum fer-
Ps. civ, 25. tur in Psalmo, Convertit cor eorum ut
odirent populum ejus ; *et tradidit eos*
permissive *servire militiæ cœli,* videlicet
stellis et duodecim signis atque planetis :
IV Reg. xxi, 3. quod quarto Regum potissime sub rege
Manasse fecisse leguntur ; *sicut scriptum*
est de Judæorum idololatria *in libro Pro-*
Amos v, 25-27. *phetarum,* scilicet Amos quinto, cujus li-
ber pertinet ad totalem librum duodecim
Prophetarum de quo Stephanus loquitur.

Numquid victimas et hostias obtulistis
mihi in deserto quadraginta annis, do-
mus Israel ? Circa hoc dicunt Hierony-
mus, Beda et Glossa super Amos, quod
ex eo tempore quo filii Israel adoraverunt
vitulum aureum, ultra non obtulerunt ho-
stias Deo, sed idolis. Et quæ Deo obtu-
lisse leguntur, non voluntate, sed metu
pœnarum ei obtulerunt : idcirco Deus vo-
luntatem magis quam opus adspiciens,
non reputat illa sibi oblata. Alii dicunt,
quod imo utique post id tempus aliqua
Deo devote sacrificia obtulerunt, videlicet
in dedicatione tabernaculi, et consecrati- Num. vii; Lev. viii, ix.
one Aaron filiorumque ejus ; pauca ta-
men Deo sacrificia (ut isti asserunt) ob-
tulerunt, quia super sacrificiis offerendis
Deus per Moysen dispensavit cum eis, sic-
ut et de circumcisionis dilatione, propter
incertum motum nubis. Et quia quod mo-
dicum est pro nihilo computatur, nunc
dicuntur non obtulisse Deo victimas infra
tempus quo in deserto fuerunt. De his
opinionibus plenius dixi super Amos. *Et* 43
suscepistis tabernaculum Moloch, id est,
fanum idoli nomine Moloch amplexati es-
tis affectu, et illud idolum coluistis : quod
post ingressum terræ Chanaan fecisse le- III Reg. xi, 5, 7.
guntur ; *et sidus dei vestri Rempham,* id
est, stellam matutinam, puta Luciferum,
coluistis pro deo, ita quod sidus nomine
Rempham, fuit a vobis deus reputatus.
Sicque, Sidus dei vestri, sumitur hic in-
transitive : ut idem designet, sidus dei
vestri, et, sidus quod est deus vester.
Hanc autem stellam multi idololatrarum
ob ejus venustatem adorant, secundum
Hieronymum. *Figuras quas fecistis ad-*
orare eas, id est, istorum deorum ve-
strorum imagines suscepistis, quas vobis
intentione adorandi eas fecistis. *Et trans-*
feram vos per captivitatem, in ultionem
tanti facinoris, *trans Babylonem.* Quod
fuit dum decem tribus ductæ sunt in IV Reg. xv, 29; xvii, 6;
terras Assyriorum, et duæ in terram Chal- xxiv, 14;
dæorum. Quia vero ad illas terras ducti xxv, 11.
sunt, per, seu circa Damascum et Syriam,
cujus metropolis est Damascus, ideo Amos

Amos v, 27. quinto scribitur : Transmigrare vos fa-
ciam trans Damascum. Itaque Stephanus,
quoad hoc, sensum magis quam verba
allegat.

Itaque in his verbis loquitur Stephanus
partim de idololatria in deserto commis-
sa, et partim de ea quæ facta est in terra
promissionis.

Consequenter S. Stephanus templum
volens laudare, a tabernaculo Moysis su-
44 mit exordium. *Tabernaculum testimonii :*
Exod. xxxvi. quod Moyses per manus Beseleel et Ooliab
fecit, in quo veritatis testimonia et divi-
na suscepit oracula, in quo fuit arca te-
stamenti, et ante cujus fores causæ sub
testibus determinabantur, propter quod
merito dictum est tabernaculum testimo-
nii ; *fuit cum patribus nostris in deser-*
Ibid. xl, 34-36. *to :* nam illud secum tulerunt, postquam
completum fuit et dedicatum, *sicut dis-*
posuit illis Deus, jubens ut inter eos ma-
neret; *loquens ad Moysen ut faceret illud,*
id est fieri juberet, *secundum formam*
quam viderat in monte Sinai, juxta id
Ibid. xxv, 40. Exodi : Inspice, et fac secundum exem-
plar quod tibi in monte monstratum est.
45 *Quod et induxerunt, suscipientes patres*
Josue iii, 14. *nostri,* id est, tabernaculum istud secum
sumentes, *cum Jesu,* videlicet Josue (qui
Num. xiii, 17 ; Eccli. xlvi, 1. dictus est Osee, Josue et Jesus), *in pos-*
sessionem gentium, id est in terram Cha-
nanæorum, *quas expulit Deus* per occisio-
nem et fugam, *a facie patrum nostrorum,*
tempore Josue, *usque in diebus David*
mansit et fuit tabernaculum istud in ter-
II Reg. vi, 2 et seq. ra præfata. David vero transtulit arcam
in civitatem Jerusalem. Ad tempus tamen
I Reg. iv, 11; v, vi. fuit arca in terra Philistiim ; sed hoc bre-
46 ve fuit. *Qui invenit gratiam ante Deum,*
Ibid. xvi, 13. quia Deo acceptus fuit beatissimus Da-
vid, *et petiit ut inveniret tabernaculum*
Deo Jacob, id est, Deo Israel templum
II Reg. vii, 2 et seq. constituere posset, in quo arca Dei pone-
retur, ut patet secundo Regum. Unde quod
ait, Inveniret, intelligi potest, inveniri fa-
ceret, vel licentiam ædificandi inveniret.
47 *Salomon autem ædificavit illi domum,*
id est templum, a cujus ædificatione fuit

A David a Deo prohibitus, quoniam multum I Par. xxii, 8.
effuderat sanguinem. *Sed non Excelsus in* 48
manufactis habitat, id est, Deus sublimis
in ædificiis manufactis aut corporalibus
non habitat per aliquam circumscriptio-
nem seu continentiam corporalem, quum
sit spiritus simplicissimus et immensus : Joann. iv, 24.
habitat tamen ibi per misericordiæ suæ
operationem, et suæ potentiæ ostensio-
nem. In ecclesiis vero materialibus Chri-
stus, quantum ad naturam assumptam,
veraciter continetur. *Sicut per Prophe-*
B *tam dicit,* scilicet Isaiam : *Cœlum mihi* 49
sedes est, terra autem scabellum pedum Is. lxvi, 1.
meorum, id est, adeo magnus sum, imo
immensus, ut hac metaphorica locutione
id manifestem, me nullo loco concludi.
Quam domum ædificabitis mihi ? id est,
nullam dignam habitationem corporalem
majestatis contentivam per circumscri-
ptionem, mihi parare valetis. *Aut quis*
locus requietionis meæ est? id est, in nul-
la re extra me contineor, quiesco et cir-
cumscribor. Et si in aliis quiescere dici-
C tur Deus, hoc est per effectum, ipse vero
in se ipso quiescit, quia ipse sibi est fi-
nis, nulliusque eget, et in se ipso plene
beatus est. Hoc et Salomon, templo suo
constructo, professus est, dicens : Si cœ- II Par. vi, 18.
lum, inquit, et cœli cœlorum te capere
nequeunt, quanto magis domus hæc quam
ædificavi ? *Nonne manus,* id est omnipo- 50
tentia, *mea fecit hæc omnia ?* Ideo om-
nibus exstat sublimior, nec indiget lo-
co, sicut nec ante omnium creationem.
Et nunc est ubi et tunc, quemadmodum
D tunc ubi et nunc ; nec in se aliquo modo
est variata, sed prædicationum diversitas
est ex parte effectuum.

Consequenter zelo æquitatis invehitur
contra iniquos, et legem fuisse divinitus
datam fatetur. *Dura cervice,* id est mente 51
indurata : sicut et Moyses in Deuterono-
mio ait, Durissimæ cervicis es populus ; Deut. ix, 6.
et rursus, Ego scio contentionem tuam, et Ibid. xxxi, 27.
cervicem tuam durissimam ; *et incircum-*
cisis cordibus a vitiis, ita quod vitiis ple-
ni estis, *et auribus* a verbis perfidiæ. Pro-

Jer. IX, 26. pter quod Jeremias inquit : Omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde; itemque :
Ibid. IV, 4. Circumcidimini, et auferte præputia cordium vestrorum. *Vos semper restitistis Spiritui Sancto,* ejus instinctum non prosequendo, et verbis Sanctorum ab ipso unctorum contradicendo, *sicut et patres vestri,* quorum non solum carnis propagatione, sed et pravitatis imitatione filii estis.

52 *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* quasi dicat : Omnes, vel pene omnes, sunt persecuti. *Et occiderunt eos qui prænuntiaverunt de adventu Justi,* videlicet Christi : qui per excellentiam Justus vocatur, quippe in quo
I Petr. II, 22. nulla unquam injustitia fuit, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Essentialiter quoque justus fonsque justitiæ secundum divinam exstat naturam. Omne autem peccatum injustitia quædam est, secundum quod injustitia opponitur justitiæ quæ est virtus communis, et omnis virtus. Non tamen universos Prophetas interfecerunt, sed quosdam, ut Isaiam, Ezechielem, Jeremiam,
II Par. XXIV, 20. Amos, Zachariam filium Barachiæ seu Joiadæ. *Cujus vos nunc proditores et ho-*
Matth. XXVI, 14, 15. *micidæ fuistis,* quia cum traditore ejus fraudulenter de ejus morte turpissima
Joann. XIX, 18. tractastis, et per manus militum fecistis crucifigi eumdem. O quanta fuit hujus sancti viri constantia, quanta fidei fortitudo, quantus ardor amoris, quanta promptitudo ad moriendum pro Christo, quantus zelus justitiæ, quanta securitas atque tranquillitas mentis ! Sed in his omnibus glorificetur Artifex summus, paracletus
53 Spiritus Sanctus. *Qui accepistis* per Moysen *legem* datam in Sinai, *in dispositione angelorum,* id est, per eorum obsequium Deo principaliter conferente, *et non custodistis* eam. Ex hoc elicitur, quod in datione legis plures angeli visi et obsecuti
Exod. XIX et seq. passim. sunt, quamvis de uno tanquam de principali faciat Moyses mentionem. Unde ad
Galat. III, 19. Galatas ait Apostolus : Lex ordinata est per angelos in manu mediatoris.

A *Audientes autem hæc* verba justæ in- 54
crepationis, et rationabilis excusationis, victoriosæque informationis, *dissecabantur cordibus suis,* id est, variis modis secabantur, et intra se quasi dividebantur ac rumpebantur, quemadmodum mala olla in igne posita crepit et exsilit, quia superbi, impatientes et incorrigibiles erant. Quorum perversitatem atque insaniam multi sequuntur, qui dura cervice arguentem Prov. XXIX, 1.
corripiunt, et quo rationabilius convincuntur, eo plus irascuntur et indignantur.
B *Et stridebant dentibus in eum,* ita quod instar rabidi canis, mentis furorem forinsecus ostendebant.

Quum autem esset Stephanus plenus 55
Spiritu Sancto : in cujus donis et sancto fervore in toto isto conflictu mirabiliter crevit : et gratiæ plenitudo in martyrio (quod est actus caritatis) specialiter augmentatur; *intendens in cœlum* oculis mentis et corporis, tanquam ad desideratissimam patriam, quam fuit mox ingressurus, *vidit gloriam Dei,* ita quod bea-
C titudinem et mercedem sibi paratam Deus sibi ostendit, prægustareque fecit, *et Jesum stantem a dextris virtutis Dei.* Verba ista pensando, videor mihi audire tonitruum. Quis enim hujus beatissimi martyris excellentiam digne miretur ? Quis hujus visionis magnificæ exprimat qualitatem? Quis demum in hac re divinæ majestatis pietatem satis collaudet?

Itaque, Vidit gloriam Dei, id est Deum gloriosum, seu felicitatem, majestatem et excellentiam ejus. Sed quomodo vidit ?
D Per fidem, an per speciem ? Et dicunt nonnulli, quod pro morula illa vidit Deum per speciem seu divinam essentiam clare, sicut Beati in patria : quemadmodum datum est Moysi et Paulo videre Deum per Num. XII, 8; II Cor. XII, 2-4.
speciem in hac vita, secundum Augustinum. Verum contra hoc alii satis apparenter objiciunt quod Deus ait ad Moysen : Non videbit me homo, et vivet. Circa Exod. XXXIII, 20.
quod dicunt doctores communiter, quod nullus in vita præsenti vivens vita humana, utpote sensibus utens corporeis, pos-

sit videre Deum per speciem, sed ab om-
nium organicarum virium operatione et
usu suspenditur. Stephanus autem hæc vi-
dens, sensibus actualiter utebatur, loquens
Judæis. Hinc alii dicunt, quod gloriam Dei
vidit visione imaginaria, quemadmodum
Is. VI, 1; Isaias, Ezechiel, et Michæas, Joannes quo-
Ezech. I; que in Apocalypsi, et Daniel : in quorum
III *Reg.* XXII, 19; omnium imaginaria virtute, fuit per an-
Apoc. I, 13-16; IV, 2 *et* gelum effigies quædam formata, divinæ
seq.; *Dan.* VII, 9, 10. majestatis repræsentativa. Ceteri dicunt,
quod effigies hujuscemodi corporalibus
oculis S. Stephani fuit objecta, sicut Jo-
Joann. I, 32. annes Baptista vidit Spiritum Sanctum in
forma columbæ. Divina autem virtute po-
tuit tale quid extra formari, et in cœlo
consistens, visum Stephani immutare.

Sed quoniam, juxta sancti et divini
Dionysii documenta, visio Dei anagogica
exstat sublimior quam symbolica, imagi-
naria autem visio ad symbolicam perti-
net; potius reor quod visio Stephani fuit
anagogica, pura, et intellectualis sine ad-
mixtione phantasmatum : quomodo etiam
sanctus David divinas habuit visiones, se-
cundum doctores. Visio quoque Stephani
medio modo se habuit inter visionem viæ
per fidem, et patriæ per speciem; erat-
que per splendidissimam quamdam irra-
diationem increatæ æternæ lucis in su-
periori parte animæ ejus, imo in apice
intellectus, sicut in contemplatione my-
sticæ theologiæ seu unitivæ sapientiæ fi-
eri solet.

Insuper, qualiter Jesum in forma hu-
mana vidit? Dicunt quidam quod visus
Stephani divina potentia sic fuit confor-
tatus, quod sua acie cœlos penetrans, vi-
dit Jesum in cœlo empyreo. Sed quum
visio fiat intus suscipiendo magis quam
extra mittendo, alii adstruunt quod cor-
pus Christi visum Stephani immutavit. In
potestate etenim Christi est ut corpus su-
um faciat videri a longe sicut de prope.
Imo quum corpus glorificatum plene sub-
jectum sit animæ suæ, in potestate animæ
gloriosæ est ut ad libitum ejus corpus
suum aliorum visum immutet, vel non

A immutet. Visus est autem Jesus stare a
dextris virtutis Dei, qui est sua virtus ac
fortitudo, seu omnipotentia. Et quia sedere
est regnantis ac imperantis, stare autem
pugnantis ac adjuvantis, Marcus evange-
lista scribit Christum a dextris Dei seden- *Marc.* XVI, 19.
tem, et Stephanus vidit hunc stantem.
Nam Jesus pro milite suo pugnavit, eum-
que adjuvit.

Et ait : Ecce video cœlos apertos. Hoc 56
intelligendum est eo modo quo in Christi
baptismo cœli leguntur aperti : non uti- *Matth.* III, 16.
B que quod incorruptibilia illa corpora sint
fracta sive divisa, sed quoniam intuentis
oculum ab adspectu habitantis in cœlo
non impediebant. Et forsitan S. Stephano
aperti apparuerunt, ob lucis cujusdam
corporeæ emicationem desuper a corpore
Christi radiantem, sicut in magnis coru-
scationibus cœli aperiri videntur. *Et Fi-
lium hominis stantem a dextris virtutis
Dei :* in quo omnium martyrum animata
et roborata sunt corda, omniumque fide-
lium fortificata est fides non parum.

C *Exclamantes autem voce magna, conti-* 57
nuerunt aures suas, ne verba sua æsti-
matione blasphema audirent, zelum Dei se
habere simulantes, ejusque injuriam qua-
si perpeti non valentes ; sed ipsi tan-
quam filii falsitatis obstruxerunt eas ve-
ritati tam sublimi ac sanctæ. *Et impetum
fecerunt unanimiter in eum,* id est pari
malitia. Non enim ex caritate, sed ex in-
fidelitate unanimitas illa processit. *Et eji-* 58
cientes eum extra civitatem, lapidabant :
in quo se legem servare putabant, se-
D cundum quam blasphemi lapidandi erant *Lev.* XXIV, 14, 16.
extra castra. *Et testes deposuerunt vesti-
menta sua secus pedes adolescentis qui
vocabatur Saulus.* Isti fuerunt testes men-
dosi, qui Stephanum de blasphemia ac-
cusaverunt, et primi contra eum lapides
jactaverunt. Nam per Moysen Dominus
jussit, ut manus testium prima esset su- *Deut.* XVII, 7.
per eum qui fuerat lapidandus. Denique
vestes suas exuerunt, ne tactu illius inqui-
narentur, et item ut expeditiores essent
ad fortiter projiciendum atque celeriter

occidendum. Adolescens vero hic, postea A
Act. xxii, 20. dictus est Paulus, qui aliorum vestes cu-
stodiens, quasi omnium manibus lapidabat.
59 *Et lapidabant Stephanum invocantem*
et dicentem : Domine Jesu, suscipe spiri-
Luc. xxiii, 46. *tum meum.* Sic et Christus dicebat : Pa-
ter, in manus tuas commendo spiritum
60 meum. *Positis autem,* id est flexis, *geni-*
bus, clamavit voce magna, quia ex magno
et intimo caritatis affectu, et ex compas-
sione errantium, *dicens : Domine, ne sta-*
tuas, id est ignosce, *illis hoc peccatum.*
Ecce pro se stans, pro interfectoribus suis B
et interfectoribus tam crudelibus genua
flectens, oravit. In quo mira ipsius patien-
tia et perfecta caritas declaratur, et quod
superiora verba non ex aliqua inordinata
aversione, sed ex zelo justitiæ atque amo-
ris magnitudine protulit. Secutus est au-
tem Stephanus documenta et opera Chri-
sti, tam sublimiter quam conformiter im-
plens quod docuit Christus, Orate pro Matth. v, 44.
persequentibus et calumniantibus vos; et
sequens quod egit in cruce, Pater, inqui- Luc. xxiii, 34.
ens, ignosce illis. Sed numquid tam san-
ctissima oratio Stephani poterat esse in-
fructuosa? Nequaquam. Imo ejus virtute
Paulus creditur illustratus. *Et quum hoc*
dixisset, obdormivit in Domino. Nam de
corporis occisione perrexit ad quietem
dulcissimam patriæ, et feliciter prorsus
obdormivit in Domino, qui eum in suæ
immensæ claritatis assumpsit, demersit,
absorbuitque abyssum.

Saulus autem erat consentiens neci il-
lius, tanquam persecutor Ecclesiæ, idcir-
co particeps culpæ, secundum quod ipse
postea docuit, quia morte digni sunt, non Rom. i, 32.
solum qui faciunt, sed etiam qui consen-
tiunt facientibus.

ARTICULUS VIII

EXPLANATIO CAPITULI OCTAVI : FACTA EST AUTEM IN ILLA DIE PERSECUTIO MAGNA IN ECCLESIA.

1 F*ACTA est autem in illa die,* qua la- C
pidatus est Stephanus, *persecutio ma-*
gna in Ecclesia quæ erat Jerosolymis.
Stephano namque, qui post Apostolos fuit
unus de primis in fratribus, tanquam bla-
sphemo exstincto, succensus est furor per-
fidorum Judæorum contra conversos ex
Judaismo, cœperuntque persequi eos atro-
citer. *Et omnes* discipuli, vel pene om-
nes, seu notabiliores et famosiores, *di-*
spersi sunt, egrediendo Jerusalem, *per*
regiones JudϾ, scilicet duarum tribu-
um, *et Samariæ,* id est decem tribuum, D
præter Apostolos : qui tanquam dominici
gregis arietes, fuerunt constantiores. Imo
in hoc Christi doctrinam sunt imitati, di-
Matth. x, 23. centis : Quum persecuti vos fuerint in
una civitate, fugite in aliam. Denique di-
spersio ista occasio fuit salutis multorum,
dilatationisque fidei inter eos ad quos
pervenerunt dispersi. Propter quod Beda
fatetur : Dei nutu id gerebatur, ut tribu-
lationis occasio fieret Evangelii semina-
rium. Constat quoque quod ab exordio
primitivæ Ecclesiæ, fides persecutionibus
non est minorata, sed aucta, Deo fidei ve-
ritatem tuente, monstrante et glorifican-
te : alias millies fuisset exstincta.

Curaverunt, id est, cum diligentia et 2
cura sepelierunt, *autem Stephanum viri*
timorati, qui fuerunt ex Judaismo con-
versi, filialem habentes timorem ad Deum,
et coram eo sollicite et cum metu et re- Mich. vi, 8; Hebr. xii, 28.
verentia ambulantes (quos imitari debe-
mus) : inter quos Gamaliel fertur fuisse.
Unde patescit quod non penitus omnes

Christiani a Jerusalem tunc fugerunt præter Apostolos. *Et fecerunt planctum magnum super eum :* non propter damnum occisi, imo triumpho et glorificationi ejus congratulari noscuntur; sed ex desiderio martyrizati, tam dulcis et optimi fratris desiderantes habere præsentiam, maxime quando primitiva Ecclesia adhuc erat tam parva. Fuit quoque consuetudo Judæis defunctos suos, præsertim spectabiles, vehementer deplangere. Circa hunc locum Scholastica habet historia : Tunc Apostoli videntes quod ad gentes essent postmodum transituri, ordinaverunt Jacobum Alphæi filium, episcopum Jerosolymorum, et imposuerunt ei manus Petrus, Jacobus et Joannes. Ideo non a paucioribus quam a tribus episcopis, episcopus hodie consecratur.

3 *Saulus autem devastabat Ecclesiam,* id
est, Christianos persequebatur, *per domos*
eorum *intrans* ad quærendum eos, *et tra-*
hens viros ac mulieres fideles, *tradebat*
in custodiam, id est in carcerem. In quo
crudelitas ejus ostenditur, quod nec ætati
pepercit, nec sexui. Verum ignorans in
Galat. I, 14. incredulitate fecit, paternarum suarum
traditionum abundantius æmulator exsi-
4 stens. — *Igitur qui dispersi erant, per-*
transibant per loca Judææ atque Samariæ, *evangelizantes,* id est prædicantes, *verbum Dei.*

Consequenter S. Lucas describit secundi
diaconi inter septem prædicationes et ope-
5 ra. *Philippus autem,* qui supra legitur
Act. VI, 5. statim post Stephanum in diaconatum ele-
ctus, *descendens in civitatem Samariæ.*
Samaria nunc accipitur, non pro tota regione decem tribuum, sed pro civitate
ejus metropoli. *Prædicabat illis Chri-*
6 *stum. Intendebant autem turbæ* habitan-
tes Samariam, *his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quæ faciebat.* Ex hoc loco, et item ex his quæ apud Joannem leguntur, monstratur quod Samaritani hi prompti fuerunt ad suscipiendam evangelicæ legis do-
Joann. IV, 40-42. ctrinam. Nam ibi habetur quemadmodum
rogaverunt Christum ut apud eos maneret, et quod multi eorum crediderunt in
ipsum, dicentes, quia hic est vere Salva-
tor mundi. *Multi enim eorum qui habe-* 7
bant spiritus immundos, puta obsessi, *clamantes voce magna, exibant* ab obsessis diaboli invite, Christi potestate compulsi.
Multi autem paralytici et claudi curati
sunt a Philippo. *Factum est ergo gaudi-* 8
um magnum in illa civitate, quia de sua illuminatione, conversione, infirmorum curatione, ceterisque Dei beneficiis magnifice sunt gavisi.

Vir autem quidam nomine Simon, qui 9
ante fuerat in civitate Samariæ *magus,*
seducens gentem Samariæ, dicens se esse
aliquem magnum, scilicet aut vatem, seu
Filium Dei, vel Christum. *Cui ausculta-* 10
bant omnes a minimo ratione utente, *us-*
que ad maximum, dicentes : Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Nam propter mira quæ arte magica fecit, putabant quod esset Filius Dei et virtus ejus, quemad-
modum de Christo ait Apostolus : Prædi- I Cor. I, 23, 24.
camus Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Imo, ut scribit Hieronymus, Simon hic in tantam prorupit superbiam, ut di-
ceret : Ego sum sermo Dei, ego virtus Dei,
ego omnipotens. *Attendebant autem eum,* 11
propter quod multo tempore magicis suis dementasset, id est mentis recto judicio privasset, *eos,* ut falsa pro veris susciperent.

Quum autem credidissent Philippo, 12
[*evangelizanti de regno Dei*], qui ante crediderant Simoni, *et in nomine Jesu Chri-*
sti baptizarentur viri ac mulieres, tunc 13
Simon et ipse credidit. Aliqui dicunt, quod ad tempus vere credidit, sed post ad vomitum rediit. In Scholastica vero historia fertur, quod ficte credidit, et ficte Baptisma suscepit, ut Philippo familiariter adhærendo, ab ipso disceret artem talia signa agendi qualia fecit Philippus. Unde Beda hic ait : Vel B. Philippi verbis et virtute devictus veraciter Domino credidit, vel (quod magis credibile est) credere se quousque Baptisma susciperet,

simulavit : ut quoniam laudis erat avidis-
simus, ita ut Christum se credi vellet (ut
narrant historiæ), artes ab eo quibus mi-
racula faceret, disceret. Quod etiam suc-
cessores ejus fecerunt, qui auctoris sui
malignis artibus instituti, Ecclesiam qua-
libet arte ingredi, et Baptisma furari so-
liti erant. *Et quum baptizatus esset, ad-
hærebat Philippo,* modo prædicto. Est
autem consuetudo Scripturæ, rem gestam
narrare eo modo quo, quum fieret, ab
omnibus fieri putabatur, ut ait Hierony-
mus. *Videns etiam signa et virtutes ma-
ximas,* id est præclara valde miracula,
fieri per Philippum, qualia ipse nunquam
facere quivit, *stupens admirabatur* ma-
jora fieri vere, quam ipse fecerat ficte.
14 *Quum autem audissent Apostoli qui
erant Jerosolymis, quia recepisset Sama-
ria verbum Dei.* Hoc enim, ut dicitur,
Philippus iste eis insinuavit, rogans ut
quidam eorum venirent Samariam ad im-
ponendum manum baptizatis, quatenus
in signo visibili reciperent Spiritum San-
ctum. Nam manus imponere baptizatis,
fuit officium Apostolorum, sicut et nunc
episcoporum, qui sunt successores illo-
rum. Ex quibus constat quod Philippus
iste non fuit apostolus. *Miserunt ad eos
Petrum et Joannem.* Si alii Apostoli mi-
serunt hos duos principales Apostolos,
cur Arius finxit unigenitum Dei Filium
Patre esse minorem, quia a Patre est mis-
15 sus? *Qui quum venissent, oraverunt pro
ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum*
cum signo sensibili et cum dono lingua-
16 rum. *Nondum enim in quemquam illo-
rum venerat* cum signo visibili. Invisibi-
liter tamen venit in eos, quia in Baptismo
receperunt remissionem et gratiam justi-
ficantem, sicut nunc baptizati recipiunt.
*Sed baptizati tantum erant in nomine
Domini Jesu.* Quod ait, Tantum, refertur
ad nomen, Baptizati : ut sit sensus, quod
sic erant baptizati quod nondum cum
signo sensibili Spiritum Sanctum erant
sortiti, id est cum signo sensibiliter de-
monstrante Spiritus Sancti infusionem.

A Quare autem et quo sensu in primitiva
Ecclesia fiebat Baptismus in nomine Jesu Cf. *Act.* II, 38.
Christi, dictum est supra. *Tunc impone-* 17
*bant manus super illos, et accipiebant
Spiritum Sanctum* cum signo visibili,
sicut nunc dictum est, et cum plenitudi-
ne gratiæ amplioris, secundum quod ma-
jus aut minus ad hoc per mentis devo-
tionem se disposuerunt.
Quum vidisset autem Simon, quia per 18
*impositionem manus Apostolorum dare-
tur Spiritus Sanctus* cum hujusmodi si-
B gno visibili, *obtulit eis,* videlicet Petro et
Joanni, *pecuniam, dicens : Date et mihi* 19
*hanc potestatem, ut cuicumque imposu-
ero manus, accipiat Spiritum Sanctum.*
In hoc multipliciter Simon peccavit. Nam
et cupiditate lucri voluit hanc potestatem
mercari, quatenus impie emptam potesta-
tem, aliis quoque venundaret, et propter
lucrum manus imponeret; item, quod pro
temporali spirituale bonum emere affe-
ctavit. Hinc a Simone isto, simoniaci no-
minantur, qui pro temporali spirituale
C emunt et vendunt. Qui venditores, etiam
dici possunt Giezitæ, a Giezi ministro Eli-
sei, qui a Naaman Syro sumpsit pecuniam IV *Reg.* V, 20-23.
pro beneficio curationis a lepra.
Petrus autem dixit ad eum zelo justi-
tiæ, et ut futuris obviaret periculis : *Pe-* 20
cunia tua tecum sit in perditionem, id
est, eam nolo, sed justum est te cum ea
perire. Porro sancti viri, quum maledi-
ctionis sententiam proferunt, non affectu
ultionis, sed æquitatis id agunt. *Quoniam
donum Dei* spirituale quod in Baptismo
D confertur, *existimasti pecunia possideri,*
quasi esset tam vile ut corporalibus com-
pararetur. Hinc ait Salvator : Gratis acce- *Matth.* X, 8.
pistis, gratis date. *Non est tibi pars, neque* 21
sors, id est salubris eventus, *in sermone
isto,* ut scilicet ad manuum tuarum im-
positionem detur Spiritus Sanctus; vel, In
sermone isto, id est in potestate hac dan-
di Spiritum Sanctum. *Cor enim tuum non
est rectum coram Deo,* sed perversum et
cupidum : quod Deo revelante Petrus co-
gnovit, et ex opere Simonis id pensavit.

22 *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia* A
tua; et roga Deum, si forte remittatur
tibi hæc cogitatio cordis tui, quia cogi-
tasti eum consensu pecuniam sic offerre.
Quod ait Petrus, Si forte, non ideo ait
quia peccatum Simonis fuit irremissibile,
vel quia pœnitere non potuit, sed ad in-
nuendum quod gravissimum fuit; vel, ut
aliqui dicunt, quia in spiritu vidit Simo-
nem pœnitentiam non acturum. Admo-
nuit tamen eum ad hoc, sicut sui officii
23 fuit. *In felle enim amaritudinis,* id est
obliqua atque nequissima intentione ad B
gehennalem amaritudinem deducente, *et*
* *iniquitatis* *obligatione peccati**, id est reatu damna-
tionis seu pravitate ad inferos obligante,
video, id est considero, *te esse.* Hinc Spiri-
Luc. III, 22. tus Sanctus in specie columbæ descendit,
ut eos qui se accipere volunt, simplices
et suaves esse debere doceret. Nempe qui
fel amaritudinis in corde reservat, quan-
tumlibet baptizatus sit, non est iniquitatis
suæ vinculis absolutus; sed quasi ad pun-
ctum hora baptizandi purgatus, mox acri-
Matth. XII, 45. ore dæmone septempliciter est oppressus. C
Frustra igitur Spiritus Sancti gratiam ten-
tat acquirere, qui sese mente corvina non
Eccli. XXI, 15. curat exuere. Hinc scriptum est : Non est
sensus ubi abundat amaritudo. Et ad He-
Hebr. XII, 15. bræos Paulus : Ne qua radix amaritudinis
sursum germinans, impediat, et per illam
inquinentur multi.
24 *Respondens autem Simon, dixit : Pre-*
camini vos pro me ad Dominum, ut nihil
veniat super me horum quæ dixistis, id
est, ne peccata hæc mihi ad damnationem
imputentur. Interdum impii verba hu- D
militatem prætendentia mente proferunt
vitiosa, et pro se orari ac sibi ignosci pre-
cantur, non Dei amore aut zelo justitiæ,
Eccli. XIX, 23. sed timore pœnarum. Est enim qui ne-
quiter se humiliat, et interiora ejus plena
Is. VII, 12. sunt dolo. Sic Achaz dixit ad Isaiam : Non
II *Mach.* IX, 17. tentabo Dominum. Et Antiochus se Judæ-
um futurum spopondit.
25 *Et illi quidem,* videlicet Petrus et Jo-
annes, *testificati,* id est verbis et miracu-
lis verum esse testati, *et locuti verbum*

Dei, redibant Jerosolymam, et multis ci-
*vitatibus * Samaritanorum evangeliza-* * *regionibus*
bant, prædicando in urbibus per quas
revertebantur.
Angelus autem Domini locutus est ad 26
Philippum diaconum, *dicens.* An appa-
ritio ista atque locutio fuerit intus, an fo-
ris exhibita, certum non reor. *Surge, et*
vade contra meridianum, id est versus
plagam australem, *ad viam quæ descendit*
ab Jerusalem in Gazam, hæc, scilicet Ga-
za de qua loquor, *est deserta,* id est de- *Soph.* II, 4.
structa. Hoc dicitur ad differentiam alte-
rius Gazæ, quæ fuit alio loco, post prioris *Judic.* XVI, 1.
Gazæ destructionem, ædificata in terra
Philistiim. *Et surgens abiit,* prompte obe- 27
diens, nec causam jussionis inquirens.
Quo informamur, ut subditi superioribus
sine superflua inquisitione statim obedi-
ant. Imo olim sancti subditi, patribus suis
etiam in his quæ vel irrationabilia vel
inutilia videbantur, obedierunt celeriter.
Et ecce vir Æthiops, eunuchus potens
Candacis reginæ Æthiopum. Merito ho-
mo iste vir vocatur ab animi vigore et
virtute, qui tam studiosus in divinis fuit
codicibus, tantumque religionis divinæ
amorem possedit ut aula regali deaurata
relicta, a finibus terræ ad templum Jeru-
salem properaret. Eunuchus quoque vo-
catur, vel quia castratus, vel ob probita-
tem morum et castitatem, quemadmodum
ait Salvator : Sunt eunuchi qui se castra- *Matth.* XIX, 12.
verunt propter regnum Dei. Fuit autem
custos thesaurorum reginæ Æthiopum :
et ut in Scholastica fertur historia, con-
suetudo fuit eunuchorum, custodire the-
sauros potentium. Beda quoque affirmat,
quod moris fuit huic Æthiopum nationi, a
feminis gubernari, easque Candaces vo-
cari. Ex his patet intellectus ejus quod
subditur : *qui erat super omnes gazas*
ejus, id est thesauros. *Venerat* in curru
adorare in Jerusalem. Erat enim unius
veri Dei cultor; et ad Judaismum videtur
fuisse conversus, quia ut subditur, le-
git Isaiam prophetam. Unde perpenditur
quod et alios libros legis ac Prophetarum

habuerit. Judæi autem per mundum di-
spersi, quosdam gentilium hinc inde con-
verterunt, qui certis temporibus venerunt
ad templum Jerusalem adorare Deum :
quemadmodum etiam in Joanne legitur,
Joann xii, 20. quod quidam gentilium venerunt ad diem
festum. Et secundo Machabæorum narra-
II *Mach.* ii, 23. tur, quod templum Jerusalem fuit per
28 totum orbem venerabile et famosum. *Et*
revertebatur de templo ad propria, *sedens*
super currum suum, legensque Isaiam
prophetam.

29 *Dixit autem Spiritus Philippo.* Hoc
de locutione interna accipit Beda. Potest-
que per spiritum hoc loco intelligi ange-
lus qui paulo ante locutus fuit Philippo ;
et item Spiritus Sanctus, cujus instinctu
agebatur Philippus. *Accede, et adjunge te*
30 *ad currum istum. Accurrens autem Phi-*
lippus, audivit eum legentem Isaiam pro-
phetam, et dixit : Putasne intelligis quæ
31 *legis ? Qui ait : Et quomodo possum, nisi*
aliquis ostenderit mihi ? Quæritur, qua
lingua loquebantur isti ad invicem. Et de
Philippo non dubium est quin donum
Act. ii, 4. linguarum acceperit sicut Apostoli : id-
circo potuit affari eunuchum in lingua
illius. De eunucho autem incertum est
an scivit linguam Hebræam, et an textus
Isaiæ quem legit, fuit verbis Hebraicis
scriptus, an Græcis. Nam eo tempore trans-
latio Septuaginta interpretum fuit famosa.
Solent autem officiales regum et regina-
rum diversas discere linguas. *Rogavitque*
Philippum ut ascenderet et sederet se-
cum. Ex apparatu nempe Philippi, consi-
deravit quod vir esset religiosus.

32 *Locus autem Scripturæ quam legebat,*
Is. liii, 7. *erat hic : Tanquam ovis ad occisionem*
ductus est, et sicut agnus coram tondente
se est *sine voce, sic non aperuit os suum.*
Ista ad litteram de Christo in Isaia scripta
sunt. Christus enim cum mansuetudine
summa, mititate et taciturnitate, ad lo-
cum ivit supplicii : quamvis paucissima
Luc. xxiii, 28-31. quædam verba in via ad mulieres protu-
lerit. Ipse est agnus de quo dixit Præcur-
Joann. i, 29. sor : Ecce Agnus Dei qui tollit peccata

A mundi. Qui per Jeremiam profitetur : Ego *Jer.* xi, 19.
quasi agnus innocens qui portatur ad vi-
ctimam ; atque in Psalmo, Quasi lugens *Ps.* xxxiv, 14.
et contristatus, sic humiliabar. *In humi-* 33
litate judicium ejus sublatum est, id est,
Christus ob humilitatem, paupertatem et
abjectionem quam pro nobis accepit, con-
temptus est, et injuste dijudicatus, seu
justo judicio spoliatus. Allegat autem Lu-
cas scripturam hanc secundum translatio-
nem Septuaginta interpretum. Nostra vero
translatio habet sic : De angustia et de *Is.* liii, 8.
B judicio sublatus est : id est, de anxietate
pœnaque mortis, et de judicio quo ab im-
piis adjudicatus est morti, vel de judicio
quo ceteri sancti detinebantur in limbo,
liberatus est Christus a morte resurgens,
et victor ascendens ad Patrem. *Generatio-*
nem ejus quis enarrabit ? quasi dicat :
Perfecte enarrari et comprehendi nequit.
Quod de generatione Christi æterna atque
divina certissimum est. Incarnationis quo-
que mysterium incomprehensibile exstat ;
nec effari quis potest plenarie, quomodo
C invariabilis æternusque Deus de novo sit
ex Virgine natus, quomodo divina et hu-
mana natura in Christo hypostatice sunt
unitæ, qualiter clauso prodiit utero. In-
super generatio Christi spiritualis, vide-
licet multiplicatio fidelium per Baptismi
regenerationem ac fidei susceptionem, mi-
ra est nimis. Maximum namque miracu-
lum est conversio mundi ad tam arduam
legem et incomprehensibilem fidem, et
quod illum mundus pro Deo vero adorat,
qui tam turpissima morte occisus est.
D Hinc sequitur : *quoniam tolletur de terra*
vita ejus, id est, ipse occidetur, et de ho-
minum in terra viventium consortio au-
feretur. Non casu, sed Spiritus Sancti
dispositione hunc passum Isaiæ legit eu-
nuchus, ut in hac occasione convenien-
tius atque facilius induceretur ad fidem.

Respondens autem eunuchus Philippo, 34
dixit : Obsecro te, de quo Propheta dicit
hoc ? de se, an de alio aliquo ? Magna fuit
studiositas hujus gentilis : et ejus dili-
gentia nostram confundit pigritiam, qua

35 sacras Scripturas negligimus discere. *Ape-
riens autem Philippus os suum*, tanquam
ordinate et de magno mysterio locutu-
rus, *et incipiens a scriptura ista, evan-
gelizavit illi Jesum*, quid de eo esset cre-
dendum.
36 *Et dum irent per viam*, non pedestres,
quia in curru sedebant, sed ibant per
viam, quia vehiculo illo processerunt in
via, *venerunt ad quamdam aquam. Et
ait eunuchus : Ecce aqua, quis prohibet
me baptizari?* quasi dicat : Rationabile
37 impedimentum non occurrit. *Dixit autem
ei Philippus : Si credis ex toto corde*, id
est, intellectum tuum totaliter subjicis
fidei, et nulla tibi inest dubitatio de fidei
veritate, *licet* te baptizari. Hinc adulti,
dum baptizandi sunt, fidem suam profi-
tentur; pro infantibus autem respondent
levantes de fonte. *Et respondens, ait :
Credo Filium Dei esse Jesum* [*Christum*].
38 *Et jussit stare currum. Et descenderunt
uterque in aquam, et baptizavit eum*. Eu-
nuchus utique magnam secum familiam
habuit, nec tamen coram illis se nudare
ac lavari erubuit, dum coram Deo de pro-
priis verecundabatur peccatis. Quo con-
funduntur, qui hominum magis quam Dei
reverentur aut verentur adspectum.
39 *Quum autem ascendissent de aqua, Spi-
ritus Domini rapuit Philippum*, id est,
de loco illo ad alium subito mirabiliter
transtulit. Et per spiritum Domini, Hie-
ronymus angelum Dei intelligit. Estque
Dan. XIV, 35. simile quod in Daniele de Habacuc scri-
bitur, qualiter angelus de Judæa in Ba-
bylonem tulerit eum pilo capitis sui. Qui-
dam vero per spiritum Domini, Spiritum
Sanctum accipiunt. Sed primum est me-
lius. Per subjectam quippe creaturam, fe-
cit hoc omnipotentia Spiritus Sancti. *Et
amplius non vidit eum eunuchus*. Repen-
te enim et celerrimo motu disparuit. De-
nique totum hoc ad confirmationem fidei
in eunucho peractum est, ut per tam
mirabilem raptum sciret eunuchus quod
divino nutu Philippus ad ipsum devene-
rit : estque credibile quod Philippus di-
xit eunucho jam credenti, quomodo an-
gelo imperante venisset. *Ibat autem per
viam suam gaudens*, id est, eunuchus
cum ingenti recessit lætitia, quod tantam
circa se providentiam Dei, pietatem et
gratiam esset expertus. Nec dubium quin
Spiritus Sanctus singulari consolatione,
perfectione et gratia cor ejus impleverit.
Et forte reversus ad propria, quosdam
suæ gratiæ fecit participes, eos conver-
tendo ad Christum.
Philippus autem inventus est in Azo- 40
to : forte usque ad illam Philistinorum
urbem transtulit eum Spiritus Domini;
*et pertransiens, evangelizabat civitatibus
cunctis*, quas habebat in via obvias sibi,
donec veniret Cæsaream, scilicet Palæsti-
næ, in qua habuit domum : quæ ut as-
serit Beda, usque hodie demonstratur;
cubiculum quoque filiarum ejus virginum *Act.* XXI, 9.
prophetissarum, de quibus infra habetur.
Sed demonstrationem illam puto ad tem-
pus præteritum referendam. An vero jam
ita sit, nescio.

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI NONI : SAULUS ADHUC SPIRANS MINARUM ET CÆDIS.

CIRCA principium præcedentis capituli
Act. VIII, 3. dixit Lucas : Saulus autem devastabat
Ecclesiam. Nunc ad illud verba sua con-
1 tinuans, prosequitur quod incepit. *Saulus
adhuc spirans minarum et cædis*, id est,
minas et percussiones ex intimis suis ef-
fundens, *in discipulos Domini, accessit
ad principem sacerdotum, et petiit ab eo* 2

epistolas deferendas a se *in Damascum* A
ad synagogas, id est Judæorum congre-
gationes ibi manentes, *ut si quos inveni-*
ret hujus viæ, scilicet evangelicæ legis,
viros ac mulieres, vinctos perduceret in
Jerusalem, ut ibi juxta decretum ponti-
ficis punirentur.

3 *Et quum iter faceret, contigit ut ap-*
propinquaret Damasco. Et subito circum-
fulsit eum lux de cœlo. Fuitque lux illa
sensibilis quam viderunt gradientes cum
Act. xxii, 9. Paulo, ut infra habetur; et per circum-
fulgentiam istam sensibilem insinuabatur, B
quod intellectuali luce fuit intus mox per-
fundendus, cujus necdum exstitit capax.

4 *Et cadens in terram* præ pavore, stupore
et admiratione : nescivit enim quid ei
acciderit, aut quid circumfulsio illa tam
repentina atque insolita designaret ; *au-*
divit vocem dicentem sibi : Saule, Saule,
quid me persequeris? Tanta est dilectio
et unitas Christi ad suos fideles, qui et
mysticum Christi corpus vocantur, ut
quidquid boni aut mali fuerit illis irro-
gatum, sibi reputet factum, quemadmo- C
Matth. xxv, 42, 43. dum in Evangelio ait : Esurivi, et non
dedistis mihi manducare; nudus fui, et
Ibid. 40. non operuistis me. Et item : Quod uni
ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Sic
Zach. ii, 8. et per Zachariam denuntiat : Qui tetigerit
vos, tanget pupillam oculi mei. Itaque
Paulus Christum in membris suis perse-
quebatur. Similiter omnes qui alios ad
vitia trahunt aut scandalizant, Christum
persequuntur : nam illas evertunt ani-
mas pro quibus suum sanguinem fudit
I Cor. viii, 12. Salvator. Propter quod ait Apostolus : Pec- D
cantes in fratres, et percutientes consci-
entiam eorum infirmam, in Christum pec-
catis.

5 *Qui dixit : Quis es, Domine,* qui me
tam potenter ac subito prostravisti, tam-
que valde terruisti? *Et ille : Ego sum Je-*
sus Nazarenus quem tu persequeris. Non
dixit, Ego sum Deus, Unigenitus Dei; sed,
Ego sum Jesus Nazarenus. Tanquam di-
cat : Humilitatem meam assume, et su-
perbiæ tuæ squamas depone. *Durum est*
tibi contra stimulum calcitrare. Qui con-
tra stimulum calcitrat, se ipsum, non sti-
mulum lædit. Et quo fortius ferventiusque
recalcitrat, eo se gravius vulnerat. Simi-
liter universis qui se Christo opponunt,
contingit : sibi enim nocent, non illi; et
quo magis in illum insaniunt, eo infeli-
cius perire noscuntur. Itaque, durum est
contra stimulum calcitrare, id est poten-
tiori resistere, cui qui resistit, nil profi-
cit, sed penitus deficit.

Et tremens corpore, *ac stupens* mente, 6
dixit : Domine, quid me vis facere? Chri-
sti majestate cognita et experta, quem
paulo ante inter descendentes in lacum
æstimavit, miratus est vehementer; et de
suo confusus errore, mentem quoque et
carnem ejus ingens horror concussit, mox-
que in verba perfectæ conversionis ac
plenæ obedientiæ prorupit, dicendo : Do-
mine, quid me vis facere? tanquam di-
cat : Tuum est imperare, meum parere.
Quidquid placuerit tibi, injunge; ad om-
nia sum paratus. Sic subditi superioribus
suis dicere debent. Verum, ut ait Bernar-
dus, plures sunt imbecilles, quibus cæci
illius verba a superiori dici oporteat :
Quid vis faciam tibi? Jam ergo Paulus Luc. xviii, 41.
cœpit intus radio veritatis perfundi. *Et*
Dominus ad eum : Surge. Adhuc enim
jacebat prostratus in terram. Surge etiam
ab erroribus et peccatis, a crudelitate, a
cœpto proposito vitioso. *Et ingredere ci-*
vitatem Damascum, *et dicetur tibi,* ibi
a quodam discipulo, *quid te oporteat fa-*
cere. His verbis socialis vita commenda-
tur, et declaratur quod quæ a Deo sunt, Rom. xiii, 1.
ordinata sunt, quodque voluntas Dei sit
ut homo ab homine instruatur, et quod
volentes salvari, devotos ac religiosos de-
beant visitare, audire, et sequi eorum con-
silium et doctrinam. Etenim, sicut Sa-
lomon ait, frater qui adjuvatur a fratre, Prov. xviii, 19.
quasi civitas munita.

Viri autem qui comitabantur cum eo, 7
stabant stupefacti de Pauli prostratione, et
humili locutione, cœlestisque lucis diffu-
sione, *audientes quidem vocem* Pauli, non

Christi, secundum quod infra asserit Pau- A
Act. xxii, 9. lus : Viri qui mecum erant, lumen vide-
runt, vocem autem non audierunt ejus
qui loquebatur mecum ; *neminem autem*
videntes ad quem Paulus verba sua diri-
geret. Seipsos tamen et Paulum viderunt.
8 *Surrexit autem Saulus de terra, aper-*
tisque oculis, nihil videbat, obfuscatus
splendore lucis in quam oculos fixit ;
magis autem propter mentis raptum in
Deum, cujus in illo tanta fuit occupatio,
quod exteriorum sensuum caruit usu. *Ad*
manus autem illum trahentes, introdu-
xerunt Damascum. In tantum fuit in Pau-
lo corporalis natura suis viribus desti-
tuta, ex alteratione timoris, stuporis et
contemplationis interius facta, quod per
se proficisci non potuit. Sic enim et Da-
Dan. x, 16. niel ait ad angelum : Domine, in visione
tua dissolutæ sunt compages meæ, et ni-
9 hil in me remansit virium. *Et erat* [*ibi*]
tribus diebus non videns oculo corporali,
et non manducavit, neque bibit. Tanta
fuit in eo elevatio mentis ad Deum, quod
vires sensitivæ ac vegetativæ a suis ac- C
tibus fuerunt suspensæ. Constat enim
quod quanto anima intensius occupatur
circa operationem unius potentiæ, tanto
plus in aliarum actibus potentiarum re-
mittitur. Nempe infra hoc triduum cre-
II *Cor.* xii, 2, 4. ditur raptus fuisse usque ad tertium cœ-
lum, vidisseque Deum per speciem, et
audisse arcana verba quæ non licet ho-
mini loqui, quemadmodum in secunda
ad Corinthios protestatur epistola. In quo
etiam triduo creditur a Spiritu Sancto
Evangelium didicisse, prout ait ad Gala- D
Galat. i, 12. tas : Neque ab homine, inquiens, accepi
illud, neque didici, sed per revelationem
Jesu Christi.
10 *Erat autem quidam discipulus Dama-*
sci, nomine Ananias. Et dixit ad illum
in visu Dominus, id est in visione, for-
sitan tempore somni : *Anania. At ille*
ait : Ecce ego, Domine. Sic quoque Deus
Gen. xxxi, 11 ; xlvi, 2. frequenter (sicut in Genesi legitur) ad
Jacob in somno per angelum dixit : Jacob,
11 Jacob ! Qui respondit : Adsum. *Et Domi-*
nus ad illum : Surge, et vade in vicum
qui vocatur rectus, et quære in domo
Judæ Saulum nomine Tarsensem. Forte
hospes Pauli vocatus est Judas. Paulus
quoque appellatur Tarsensis, quia a ci-
vitate Tarso exstitit oriundus. *Ecce enim*
orat. Quasi dicat : Ne timeas, quia non
crudelitati, sed devotioni et orationi in-
tentus est ; mutatus est in alium virum,
factus est de lupo agnus, de Saulo super-
bo humilis Paulus. Porro quum Paulus
a raptu præfato ad se ipsum rediisset,
B Deo gratias agens, cœpit orare. *Et vidit* 12
ipse Paulus in spirituali ac imaginaria
visione, *virum nomine Ananiam, intro-*
euntem ad se, *et imponentem sibi manus*
ut visum recipiat. Antequam enim Ana-
nias corporaliter ad Paulum veniret, Deus
ejus adventum Paulo in spiritu præmon-
stravit ; apparebatque Paulo, quod Ana-
nias manus sibi imponeret ut reciperet
visum : quod et paulo post realiter ge-
stum est.
Respondit autem Ananias, excusare se 13
volens : *Domine, audivi a multis de viro*
hoc, quanta mala pœnalia *fecerit sanctis*
tuis in Jerusalem. Et hic habet potesta- 14
*tem a principibus sacerdotum vinciendi** *alligandi
omnes qui invocant nomen tuum. Et Do- 15
minus ad eum : Vade intrepidus, *quoniam*
vas electionis mihi est iste, id est val-
de electum gratiæ receptaculum. Est au-
tem consuetudo linguæ Hebrææ, ut omne
alicujus susceptivum, vas appelletur. *Ut*
portet nomen meum, id est, prædicando
insinuet, *coram gentibus et regibus et fi-*
liis Israel. Ego enim ostendam illi per 16
præviam revelationem, *quanta oporteat*
eum pati pro nomine meo, scilicet pro
me ipso, ut per multas tribulationes pro- *Sap.* iii, 6.
betur vas electum, et pœnas quas intu-
lit sanctis, nunc demum patiatur cum
sanctis.
Et abiit Ananias, et introivit in do- 17
mum, et imponens ei manus, dixit : Sau-
le frater, Dominus Jesus misit me, ut
videas corporaliter, *et implearis Spiritu*
Sancto, id est, gratia implearis abundan-

tiori in susceptione Baptismi, in quo gra- A
18 tia sacramentalis confertur. *Et confestim
ceciderunt ab oculis ejus tanquam squa-
mæ,* id est maculæ quædam albæ, similes
lucentibus piscium squamis : quas qui-
dam dicunt in oculis Pauli causatas ab
excelsissimo illo lumine ipsum cæcante ;
et visum, id est usum oculorum, *rece-*
19 *pit. Et surgens, baptizatus est. Et quum
accepisset cibum, confortatus est* corpo-
re, quod propter contemplationis exces-
sum fuit valde debilitatum. *Fuit autem
cum discipulis,* scilicet Christianis, *qui* B
erant Damasci, ductus ad eos per Ana-
niam, *per dies aliquot.*
20 *Et continuo,* id est statim post Bapti-
smum, *ingressus in synagogas, prædica-
bat Jesum, quoniam hic est Filius Dei*
naturalis, consubstantialis, æternus, non
adoptivus. Per hoc, sicut Rabanus ait, dat
Paulus exemplum non erubescendi muta-
21 re sententias, ut pateat veritas. *Stupebant
autem omnes qui* eum *audiebant, et dice-
bant : Nonne hic est qui expugnabat in
Jerusalem eos qui invocabant nomen is-* C
tud, et huc ad hoc venit ut vinctos illos,
id est nomen istud in Damasco invocan-
tes, *duceret ad principes sacerdotum ?*
22 *Saulus autem magis convalescebat.* Ope-
rando enim et loquendo quæ Dei sunt,
profecit in gratia, et fervor sanctus in
ipso prævaluit. Nam sicut peccato gratia
minoratur, sic actibus virtuosis augetur.
*Et confundebat Judæos qui habitabant
Damasci :* nam per Scripturas legis ac
Prophetarum eis monstravit venisse Mes-
siam, nec quibant ei resistere ; *affirmans* D
quoniam hic est Christus, mundi Salvator.
23 *Quum autem implerentur dies multi,
consilium fecerunt Judæi* in Damasco ma-
nentes, *ut eum interficerent,* cui per rati-
onem resistere non valebant. Solent enim
duri et incorrigibiles persequi eos a qui-
24 bus redarguuntur. *Notæ autem factæ sunt
Saulo,* vel per fratrum intimationem, vel
per revelationem divinam, *insidiæ eorum.
Custodiebant autem portas* Damasci *die
ac nocte* ministri præpositi Damasci, *ut*

eum interficerent, non Judæi, sed cives
Damasci, et præpositus Aretæ regis ad Ju-
dæorum instantiam, sicut ad Corinthios
scribit Apostolus : Damasci præpositus II *Cor.* XI, 32.
gentis Aretæ regis, custodiebat civitatem
Damascenorum, ut me comprehenderet.
Accipientes autem eum discipuli nocte, 25
*dimiserunt eum per murum, submitten-
tes in sporta :* non quod Paulus timeret
mori pro Christo, sed quia majorem pro-
ducere fructum in Ecclesia concupivit. Ex
quo etiam patet, quod interdum liceat hu-
manæ industriæ uti subsidiis, ut vitentur
pericula.
Quum autem venisset Jerusalem, ten- 26
tavit se jungere discipulis. Omnis enim *Eccli.* XIII, 20.
caro ad sibi similem jungitur. *Et omnes
timebant eum, non credentes quod esset
discipulus. Barnabas autem apprehensum* 27
*eum duxit ad Apostolos ; et narravit il-
lis quomodo in via* versus Damascum *vi-
disset Dominum* Jesum, *et quia locutus
est ei, et quomodo in Damasco fiduciali-
ter egerit in nomine Jesu,* eum cum gran-
di fiducia fideliter prædicando. Scriptura
hæc loquitur quasi Paulus statim post
suam in Damasco baptizationem ac præ-
dicationem venisset Jerusalem. Sed ob-
viat quod ipsemet de se scribit ad Ga-
latas : Non veni, inquiens, Jerosolymam *Galat.* I, 17-19.
ad antecessores meos Apostolos, sed abii
in Arabiam, et iterum reversus sum Da-
mascum ; deinde post annos tres veni Je-
rosolymam videre Petrum, et mansi apud
eum diebus quindecim ; alium autem Apo-
stolorum vidi neminem, nisi Jacobum fra-
trem Domini. Ex quibus patescit, quod
bis prædicaverit in Damasco, scilicet : pri-
mo, statim post suum baptismum ; et rur-
sus, postquam ab Arabia esset ad eam
reversus, antequam venit Jerusalem. Alii
autem affirmant quod cito post suam con-
versionem venit Jerusalem. Si enim tam
diu tardasset, discipuli in Jerusalem bene
percepissent conversionem et prædicatio-
nem ipsius, præsertim in Damasco factam,
nec eum in primo suo ad eos accessu vi-
tassent. Verumtamen, ut isti asserunt, non

reputatur tunc venisse Jerusalem, quia
mox abiit. Hinc quod dictum est de fuga
Pauli a Damasco, quidam referunt ad tem-
pus quo primo prædicavit ibidem, alii ad
illud quo secundo.

28 *Et erat cum illis,* puta discipulis atque
Apostolis, saltem Petro et Jacobo Jeroso-
lymitarum episcopo, *intrans et exiens, et*
29 *fiducialiter agens in Domino. Loqueba-*
tur quoque gentibus qui venerunt Jeru-
salem adorare, vel quos alibi reperit. *Et*
disputabat cum Græcis, id est Judæis ex
Græcia natis. Omnibus his loquebatur de
Christo. *Illi autem,* videlicet Græci, *quæ-*
30 *rebant occidere eum. Quod quum cogno-*
vissent fratres, deduxerunt eum nocte
Cæsaream civitatem Palæstinæ, *et dimi-*
serunt Tarsum urbem, de qua fuerat na-
tus. Considerantes enim fratres, scilicet
Christiani, inter quos fuit, quam utilis
esset Ecclesiæ propter sapientiam sibi da-
tam, curaverunt eum a morte subtrahere.

31 *Ecclesia quidem per totam Judæam et*
Galilæam et Samariam habebat pacem
pectoris et temporis, ita quod fuit mente
quieta in Deo, et ab hominum persecu-
tione quiescens. Post persecutionem enim
et occisionem Stephani subsequentem, da-
ta est pax hæc Christianis a Deo, qui post
Tob. III, 22. tempestatem tranquillum facit, et post
fletum consolationem infundit. *Et ædifi-*
cabatur in virtutibus, uno alium ad me-
liora provocante, et Spiritu Sancto sibi in
omnibus mansionem construente, *ambu-*
lans de virtute in virtutem, de via ad pa-
triam, de bono in melius, *in timore Domi-*
ni filiali, sancto et casto ; *et consolatione*
Sancti Spiritus replebatur : quæ tunc
valde necessaria fuit, quando devotissimi
Christiani omnes carnales consolationes
spreverunt.

Consequenter ad enarranda principis
Apostolorum gesta et documenta Lucas re-
32 vertitur. *Factum est autem ut Petrus,*
dum pertransiret universos, id est, fide-
les in Judæa hinc inde celeriter visitaret,
eos in fide et gratia roborando, ac pluri-
mos convertendo, *deveniret ad sanctos,* id
est Christianos valde virtuosos, *qui habi-*
tabant Lyddæ, id est in civitate sic dicta.
Invenit autem ibi hominem quemdam no- 33
mine Æneam, ab annis octo jacentem in
grabato, qui erat paralyticus, ideo am-
bulare non potuit, quia contractus. *Et ait* 34
illi Petrus : Ænea, sanet te Dominus Je-
sus Christus. Surge, et sterne tibi. Et
continuo surrexit. Et viderunt illum om- 35
nes qui erant Lyddæ et Saronæ,* id est * habitabant
in urbibus istis; *qui conversi sunt ad Do-*
minum. Nec hoc exstitit levitatis, quia in-
firmitas illa fuit incurabilis per naturam.
Nec curatio ejus fuit mirabilior quam mo-
dus curandi, quod scilicet ad unius verbi
prolationem, tanta infirmitas tam subito
atque totaliter est repulsa. Petrus quoque
sapientissime disseruit eis de Christo, et
ejus mysteriis atque miraculis : quibus
auditis et visis, crediderunt in Christum.

In Joppe autem civitate perantiqua, *fuit* 36
quædam discipula nomine Tabitha in He-
bræo, *quæ interpretata dicitur Dorcas* in
Græco, in quo Lucas scripsit hunc li-
brum, Latine vero dicitur damula, vel ca-
prea. *Hæc erat plena operibus bonis, et*
eleemosynis quas faciebat. Factum est au- 37
tem in diebus illis, ut infirmata more-
retur. Quam quum lavissent, posuerunt
eam in cœnaculo domus suæ. *Quum autem* 38
prope esset, id est parum distaret, *Lyd-*
da ab Joppe, discipuli audientes quia Pe-
trus esset in ea, miserunt duos viros ad
eum, rogantes : Ne pigriteris venire us-
que ad nos. Et quum advenisset, duxerunt 39
illum in cœnaculum. Et circumsteterunt
eum omnes viduæ flentes, et ostendentes
tunicas et vestes quas faciebat illis Dor-
cas, ut per hoc Petrum ad compassionem
suam, et ad suscitationem defunctæ indu-
cerent. *Ejectis autem omnibus foras :* ut 40
Christum sequeretur, qui in suscitatione
filiæ archisynagogi pene omnes ejecit; et *Matth.* IX,
item, ut in secreto liberius quietiusque 25; *Marc.* V,
oraret, et ut ostentationem doceret vitan- 40.
dam; *Petrus ponens,* id est, in terra hu-
militer figens, *genua, oravit :* cujus verba
Lucas non recitat. Orando autem intellexit

se, Spiritu revelante interius, exauditum. A *Et conversus ad corpus, dixit : Tabitha, surge,* id est, tu, corpus exanime, denuo animare et vive, ac surge de mortis sopore. Pars ergo pro toto est posita. *At illa aperuit oculos suos, et viso Petro resedit :* sicque sensu ac motu monstravit se vivere. Et in isto rursus miraculo mo-
III *Reg.* XVII, 19-22; IV *Reg.* IV, 33-35. dus agendi præclarus est. Nec enim Elias nec Eliseus tam faciliter tamque celeriter mortuos suscitaverunt ut Petrus hanc fe-
41 minam. *Dans autem illi manum, erexit eam. Et quum vocasset sanctos ac viduas,* B *assignavit eam vivam,* ostendens se eorum desiderio satisfecisse.

42 *Notum autem factum est per universam Joppen, et crediderunt multi in Domino.* Nam vera suscitatio mortuorum, sola Dei omnipotentis fit potestate. Unde ob aliorum conversionem præsertim suscitata est femina ista, et etiam propter consolationem fidelium viduarum : alioqui tam sanctæ mulieri melius videretur non suscitari, quam ad vitam hanc miseram revocari, nisi forte propter majus C
meritum ejus. — *Factum est autem ut* 43
dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam coriarium, vel, ut alii dicunt, curiarium : vel quia coria paravit, aut curialis fuit. Aliqui etiam sic vocantur sine proprietate per nomen significata.

Porro, secundum Bedam, per Tabitham hanc, seu damulam vel capream, intelliguntur animæ virtutum studio altæ, quamvis hominum æstimatione viles. Damula quippe et caprea animalia sunt in natura simillima, sed magnitudine differentia, quæ in sublimibus montibus habitant, et de longinquo omnes qui veniunt vident. Unde ab acumine visus, Græce dorcades appellantur. Sic Sancti meritis operum in excelsis habitantes, mentis contemplatione supernis intendunt, ibique summa semper et cauta circumspectione invigilant, et quid futurum sit eisve accidere queat, vigilanter perpendunt. Hujusmodi animarum si quæ per fragilitatem aut ignorantiam lapsa fuerit in peccatum, continuo a viris perfectis ad vitam gratiæ reducitur.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO CAPITULI DECIMI : VIR AUTEM QUIDAM ERAT IN CÆSAREA, ETC.

OSTENSO quemadmodum inter Judæos prædicata sit fides christiana, nunc declaratur qualiter inter gentiles cœperit D
1 publicari. *Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius.* Tres famosæ urbes fuerunt nomine Cæsarea, quæ in sacris Litteris memorantur. Una est Cæsarea urbs Palæstinæ, in littore maris sita, quæ olim Pyrgos (id est turris) Stratonis vocabatur : quam Herodes Major nobilius exstruens, in honore Cæsaris Augusti, scilicet Octaviani, nominavit Cæsaream ; in qua habitavit iste Cornelius. Alia appel-
Matth. XVI, 13. latur Cæsarea Philippi, ad radices montis Libani sita, ubi Jordanis oriens habet duos fontes, unum nomine Jor, alium nomine Dan : quam Philippus præfati Herodis filius, in honore Tiberii Cæsaris, Cæsaream cognominavit. Tertia quoque exstat Cæsarea, estque metropolis Cappadociæ, de qua infra habetur. Cf. *Act.* XVIII, 22.

Hic ergo præelectus beatissimusque Cornelius, mente et corpore fortis, in corporalium ac spiritualium armorum exercitiis strenuus, fuit *centurio,* id est, centum sub se milites habens, *cohortis quæ dicitur Italica,* quia milites isti cum ipso fuerunt de Italia : imo, sicut in Schola-

stica fertur historia. Cornelius missus fuit A a Roma, civitate metropolitana Italiæ. Romani etenim imperatores mittebant milites suos per diversas civitates, ad custodiendas munitiones, terrasque Romanis subjectas tuendas.

2 Vir *religiosus,* id est actibus religionis deditus. Potestque religio accipi, sive pro latria, per quam summo Deo debitus cultus impenditur; sive pro pietate, tam illa quæ est donum, quam illa quæ est virtus moralis, et misericordia nuncupatur. Operibus siquidem pietatis et misericordiæ B fuit valde intentus. *Et timens Deum,* non timore pure servili, sed casto et reverentiali. Timor autem servilis, est fuga, abominatio seu detestatio mali pœnæ, qui in se nec virtuosus est, nec meritorius; timor vero castus seu filialis, est fuga et detestatio mali culpæ, quo Dei offensam timemus. Porro timor initialis aliquid habet de utroque. *Cum omni domo,* id est familia *sua,* ita quod cuncti domestici ejus fuerunt timorati : ad quod ipse verbis et exemplis eos induxit. Quod C et omnes patresfamilias assequi debent, suam ad virtutes dirigendo familiam, eamque de vitiis increpando, et per hoc quasi episcopale officium in suis domibus exercendo.

Faciens eleemosynas multas plebi, omnibus scilicet indigentibus atque petentibus, sine personarum acceptione. *Et deprecans Deum semper,* omni scilicet tempore opportuno. Oravitque Deum præsertim ut eum in viam salutis dirigeret. Unde secundum doctores, quicumque facit quod D in se est, gratiam et illuminationem a Deo consequitur : ita quod si quis paganus seu infidelis ex naturali ratione se ad primum principium erigat, ipsumque roget ut dirigat se in viam salutis quatenus caveat a peccatis, Deus sibi de necessariis ad salutem misericorditer providebit, revelando ei per angelum seu doctorem quemcumque de fide catholica quantum requiritur ad salutem. Hinc secundum divinum Dionysium, multi gentilium legem Moysis non habentes, per angelos ad Deum reducti sunt et edocti.

Is vidit oculo corporali, *in visu* exte- 3
riori, *manifeste* in plena vigilia, non in
somno nec in imaginaria visione, *quasi*
hora diei nona, angelum Dei introeun-
tem ad se, et dicentem sibi : Corneli. At 4
ille intuens in eum, timore correptus, di-
xit. Certum quod angelus in forma humana apparens, voce magnifica et tubali locutus est, atque cum splendore præclaro apparuit. Hinc admiratione et naturali timore impletus fuit Cornelius. Non enim tam venerandam mirabilemque personam ante prospexit. Hinc dixit ad eum : *Quis es, Domine?* quasi dicat : Major homine esse videris. *Dixit autem illi* angelus : *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei,* id est, Deo acceptæ sunt, et misericorditer ab eo consideratæ : idcirco me misit ad te, qui et tua virtuosa conversatione, angelica visitatione dignus effectus es. Angelus ad verba Cornelii non legitur respondisse, sed de sua salute eum instruxit, ut doceamur utilia et viciniora saluti, non curiosa sive superflua sciscitari, quamvis interrogatio Cornelii non fuerit inordinata. Simili modo in veteri Testamento, quærenti sancto Jacob ab angelo (*Gen.* xxxii, 29.) quo nomine vocaretur, non datur responsio, nec Manue patri Samsonis. (*Judic.* xiii, 17, 18.) Quemadmodum etiam hoc loco orationes Cornelii leguntur coram Domino ascendisse, et angelus missus ad eum, ita etiam scriptum est de orationibus Tobiæ et Saræ, destinatione que Raphaelis ad eos. (*Tob.* iii, 24, 25.)

Insuper de Cornelio dicunt doctores, quod ante apparitionem hanc habuit fidem quæ est virtus theologica, sine qua (*Hebr.* xi, 6.) impossibile est placere Deo; habuitque fidem formatam seu caritate ornatam; habuit demum de Christo fidem saltem implicitam et indistinctam, secundum Thomam in secunda secundæ. Credidit enim Deum habere providentiam universorum, et esse hominum salvatorem, secundum modum sibi notum et sanctis patribus re-

velatum. In Scholastica tamen historia di-
citur, quod fidem Incarnationis habuerit,
sed de tempore fuit incertus, ignorans an
jam esset incarnatus, an adhuc incarnan-
dus. Beda quoque hoc loco allegat Gre-
gorii verba, dicentis : Non virtutibus ad
fidem, sed fide pertingitur ad virtutes.
Cornelius enim, cujus orationes ante Ba-
ptismum angelo teste laudatæ sunt, non
operibus ad fidem, sed fide ad opera
venit. Sciebat igitur creatorem omnium
Deum, sed quod ejus omnipotens Filius
incarnatus esset, ignoravit. Bona autem
operatione promeruit ut Deum perfecte
cognosceret, et de Unigenito ejus Incarna-
tionis mysterium crederet, quatenus ad
sacramentum Baptismatis perveniret. Per
fidem ergo pervenit ad opera, sed per
opera solidatus est in fide. — Postremo,
sunt qui dicunt angelum qui Cornelio ap-
paruit, fuisse illum qui custodiæ Cornelii
fuerat deputatus.
5 *Et nunc mitte viros in Joppen, et accer-
si* per illos *Simonem, qui cognominatur*
Matth. XVI, 17, 18; Joan. I, 42. *Petrus :* primo enim appellatus Simon,
postea Petrus a Christo. *Hic hospitatur*
6 *apud Simonem quemdam coriarium, cu-
jus est domus juxta mare,* quod Syriæ
Palæstinæ (quæ Judæa dicitur) adjacet :
ubi teste Hieronymo, in littore usque ho-
die monstrantur saxa in quibus Andro-
meda religata, Persei quondam fuit li-
berata præsidio. *Hic dicet tibi quid te*
Rom. XIII, 1. *oporteat facere.* Quæ a Deo sunt, ordi-
nata sunt : ideo divina ordinatione, su-
periores inferioribus auxiliantur ordine
7 pulchro. *Et quum discessisset angelus qui
loquebatur illi.* Angelus enim in corpore
assumpto apparuit : quod sicut sua po-
testate formavit, ut appareret in eo, sic
eadem illud dissolvit, nec amplius visus
est. Et ex his Cornelius intellexit angelum
esse qui sibi apparuit. *Vocavit duos dome-
sticos suos, et militem metuentem Deum
ex his qui illi,* puta Cornelio, *parebant,*
id est ex subditis suis. Jam dictum fuit
quod domestici Cornelii fuerant timorati :
ideo non dicitur quod hi duo domestici

A timuerunt Deum; sed de milite id dici-
tur quem vocavit, qui forte extra domum
Cornelii in propria domo suis vixit sti-
pendiis. *Quibus quum narrasset omnia* 8
audita et visa nunc scripta, tanquam sibi
carioribus, familiarioribus ac melioribus
inter plures, *misit illos in Joppen.*

Postera autem die, videlicet immediate 9
sequente, *iter illis facientibus et appro-
pinquantibus civitati* Joppe, *ascendit Pe-
trus in superiora* domus, *ut oraret* in
solario, vel cœnaculo, tanquam in loco
B secretiori et ad contemplationem congru-
entiori : sicut et Christus ascendit in mon- Matth. XIV, 23; Luc. IX, 28.
tem orare. Aliqui etiam solent in loco
altiori orare devotius. *Circa horam sex-
tam :* quæ est hora refectionis, ante quam
volebat oratione se munire : dans nobis
exemplum similiter faciendi, ut simus in
comestione circumspectiores, ne graven- Luc. XXI, 34.
tur corda nostra crapula vel ebrietate. *Et* 10
quum esuriret, voluit gustare, id est par-
ce et modeste comedere. Quod est contra
eos qui instar canis famelici effundunt
C se super cibum.

Parantibus autem cibum *illis* qui erant
in suo hospitio, *cecidit super eum mentis
excessus,* id est tanta elevatio mentis ad
aliquod mysticum contemplandum, quod
Deo operante passus est alienationem ab
usu sensuum exteriorum. *Et vidit cœlum* 11
apertum : quia in visione imaginaria ape-
riri videbatur, ad innuendum quod a Do-
mino cœlis præsidenti aliquid speciale
fieret circa Petrum, quemadmodum Eze-
chiel scribit cœlos apertos in visione ei Ezech. I, 1.
D ostensa; *et descendens vas quoddam, ve-
lut linteum magnum, quatuor initiis,* id
est angulis, *submitti de cœlo in terram,*
forte per funes in angulis alligatos; *in* 12
*quo erant omnia quadrupedia et serpen-
tia terræ, et volatilia cœli.* Erant autem
ibi non realiter, sed imaginarie, per simi-
litudines rerum repræsentativas. Per vas
magnum designatur Ecclesia; per anima-
lia vero illa secundum legem immunda, Lev. XI.
gentiles, quos spernebant Judæi, nec ve-
scebantur cum eis : specialiter, per qua-

drupedia quæ terris adhærent, avari; per A
serpentes, dolosi et virulenti; per volatilia autem, elati.

13 *Et facta est vox ad eum, dicens.* Vocem hanc angelus formavit in interiori sensu Petri : qui angelus totam visionem hanc ministerialiter exhibebat, formando species rerum istarum in vi imaginativa Apostoli. *Surge, Petre, occide et manduca.* Quod Petrus corporaliter intelligen-
14 dum putans, respondit ut subditur : *Absit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum*, id est, ci- B
bos lege prohibitos nunquam accepi. In quo etiam constat magna justitia beatissimi viri, qui antequam Christo adhæreret, cærimonialia legis tam diligenter implevit; nec dubium quin in observantiis præceptorum majorum, diligentiam adhibuerit ampliorem. Porro, secundum morem Judæorum locutus est Petrus, qui cibos lege prohibitos vocabant immundos, itemque communes, quia a gentibus communiter edebantur. Præinducta autem angeli verba spiritualiter sunt intelligen- C
da, ut sit sensus : Occide, id est, vitia in gentibus perime; et manduca, id est, Christo atque Ecclesiæ eas incorpora, quemadmodum in substantiam aliti vertitur ci-
15 bus. Hinc sequitur : *Et vox iterum secundo* ait *ad eum : Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris,* id est, gentes a Deo electas ac prædestinatas, Christique sanguine liberatas, et jam in Dei præscientia purificatas, et Christi passione ablutas, per præfata immunda atque communia animalia designatas, non æstimes contem- D
nendas neque vitandas, sed confidenter vade ad eas. Potest quoque de cibis aliquibus lege prohibitis accipi, quorum usus in novo Testamento est licitus. Nam cærimonialia legis in Christi passione finem sortita sunt, nec postea obligant, ut infra dicetur.

16 *Hoc autem factum est per ter,* id est, tribus vicibus visio ista fuit Petro exhibita, ad confirmationem majorem, et ad innuendum quod ad superbeatissimæ Trinitatis fidem et cultum gentes essent mox convertendæ, in ejusque nomine baptizandæ. *Et statim receptum est vas in cælum,* secundum imaginariam apparitionem. Per quod insinuatum est quod Ecclesia gentium in regnum introducenda esset cœlorum.

Et dum intra se hæsitaret Petrus, 17
quidnam esset visio quam vidisset, id est, quid significaret. In hac enim visione Spiritus Sanctus Petrum non docuit subito et per se ipsum complete, sed pedetentim et partim per homines, quia ad conservandam mentis humanæ humilitatem, Spiritus Sanctus quandoque ex parte animum tangit, et ex parte non tangit. *Ecce viri missi a Cornelio,* [*inquirentes domum Simonis,*] *adstiterunt ad januam. Et inter-* 18
rogabant si Simon Petrus illic haberet hospitium. Petro autem ad se reverso, et 19
cogitante de visione præfata, quæ esset intelligentia ejus, *dixit Spiritus ei* locutione interna, videlicet Spiritus Sanctus seu angelus : *Ecce viri tres quærunt te.*
Surge itaque ab oratione et meditatione, 20
et descende de isto cœnaculo seu contemplationis excelso, *et vade cum eis* ad prædicandum et communicandum gentibus, *nihil dubitans* quin bene agas in hoc, *quia ego misi illos,* id est, mitti feci a Cornelio. Interdum ergo dum ratio et caritas postulant, ab actibus vitæ contemplativæ cessandum, atque ad opera vitæ activæ est egrediendum. Virtutes etenim sibi invicem cedunt, quamvis se invicem nequaquam impediant.

Descendens autem Petrus ad viros, di- 21
xit : Ecce ego sum quem quæritis : quæ causa est propter quam venistis? Adhuc non videtur Petrus plene significationem visionis sibi ostensæ novisse. *Qui dixe-* 22
runt : Cornelius centurio, vir justus et timens Deum, et testimonium habens virtutum *ab universa gente Judæorum.* Carus enim, acceptus et placitus fuit Deo atque hominibus : tanta fuit pietate et gratia decoratus. *Responsum accepit ab angelo sancto, accersiri te in domum su-*

am, et audire verba abs te, id est salutis A
consilium et doctrinam. Quibus auditis,
Petrus significationem visionis cœpit ad-
vertere, quod scilicet per animalia illa
immunda, designarentur gentiles, et quod
illis communicare deberet. Ideo subditur :
23 *Introducens ergo eos, recepit hospitio,* in
quo et ipse manebat ; manseruntque apud
eum illa nocte, et de tam gratioso rumore
atque negotio gavisi sunt omnes qui ad-
erant vehementer. *Sequenti autem die
surgens, profectus est cum illis, et qui-
dam ex fratribus,* scilicet Christianis ex B
Judaismo conversis, *comitati sunt eum,*
Act xi, 12. id est simul profecti, qui fuerunt numero
sex, in testimonium veritatis, et ob reve-
rentiam Petri.

24 *Altera autem die introivit Cæsaream*
Palæstinæ, in qua morabatur Cornelius.
Cornelius vero exspectabat illos cum in-
genti affectu videndi virum tam sanctum,
et audiendi verba Dei per ipsum, obti-
nendique gratiam sibi et suis, de quibus
subjungitur : *convocatis cognatis suis, et
necessariis amicis :* quos omnes spiritua- C
liter diligens, secum Dei gratiam consequi
et salutem optavit. Necessarii autem amici
vocantur, vel qui jure affinitatis ita con-
juncti sunt quod nulla inter eos cessatio,
id est separatio sit, vel qui amicum in
articulo necessitatis non deserunt. Unde
Eccli. vi, 7, 8, 11. in Ecclesiastico habetur : Si possides ami-
cum, in tentatione posside eum, et ne fa-
cile credas ei te ipsum. Est enim amicus
secundum tempus suum, et non perma-
net in die tribulationis. Amicus si per-
manserit fixus, erit tibi coæqualis. D

25 *Et factum est quum introisset Petrus,*
forsitan primam portam seu atrium do-
mus Cornelii, *obvius ei venit Cornelius,*
ob tanti adventantis honorem. Ex dilecti-
one autem et humilitate hoc fecit Cor-
Joann. xi, 20. nelius, quemadmodum Martha occurrit
Christo. Itaque doctori obviavit auditor,
ut corde intento verba ejus casto susci-
peret pectore, juxta illud Ecclesiastici :
Eccli. iii, 31. Auris bona cum omni concupiscentia au-
dit sapientiam. *Et procidens ad pedes
ejus, adoravit eum,* id est, reverentiam
duliæ ei tanquam excellenti personæ spi-
ritualique patri exhibuit, gestu corporis
mentis devotionem reverentiamque pro-
testans. In quo magna illustris viri com-
mendatur humilitas. *Petrus vero elevavit* 26
*eum, dicens : Surge, et ego ipse homo
sum,* tibi similis in natura : idcirco in
honorando me, moderamen observa, quum
purus sim homo. *Et loquens cum illo,* pu- 27
ta Cornelio, *intravit, et invenit* in domo
ejus *multos qui convenerant* causa audi-
endi verbum salutis.

Dixitque ad illos : Vos scitis quomodo 28
abominatum sit viro Judæo, id est, quam
multum abominentur Judæi, *conjungi aut
accedere ad alienigenam,* id est gentili-
bus, communicando cum eis in victu ; *sed
mihi ostendit Deus,* in præfata visione,
*neminem communem aut immundum di-
cere hominem,* id est, nullum hominem,
quamvis gentilem, esse spernendum aut
vitandum seu repellendum a communione
fidelium, dummodo velit converti ; vel
secundum quod homo est, et purificatus
in præscientia Dei, aut liberatus sanguine
Christi. *Propter quod sine dubitatione,* 29
tanquam certus de bonitate itineris, *veni
accersitus. Interrogo ergo, quam ob cau-
sam accersistis me ?*

Et Cornelius ait : A nudiusquarta die 30
usque in hanc horam, id est quarta die
ante hanc horam qua interrogas ista, *orans
eram in domo mea.* Die enim qua oravit
et angelum vidit, misit tres viros : qui
secundo die venerunt in Joppen, et tertio
redire cœperunt, quartoque die venerunt
Cæsaream. *Et ecce vir,* scilicet angelus
in forma viri, *stetit ante me in veste can-
dida, et ait : Exaudita est oratio tua,* 31
etc. *Nunc ergo omnes nos adsumus in* 33
*conspectu tuo, audire omnia quæcumque
præcepta sunt tibi a Domino,* id est pa-
rati audire et obedire.

Aperiens autem Petrus os suum, di- 34
xit : In veritate comperi, id est, vere et
experimentaliter nunc cognovi, *quia non
est personarum acceptor Deus :* id est,

non unum magis quam alium approbat A
aut reprobat, nisi ex causa justa ; nec
inter Judæos et gentiles discernit, quan-
tum ad consequendam salutem, dummodo
se disponant. Propter quod ait Apostolus
Rom. III, 29. ad Romanos : An Judæorum Deus tan-
I *Tim.* II, 4. tum ? Nonne et gentium ? Et alibi : Omnes
homines vult salvos fieri, et ad agnitio-
nem veritatis venire. In Sapientiæ quo-
Sap. XII, 13. que libro legitur : Nec enim est alius Deus
quam tu, cui cura est de omnibus. Et
II *Par.* XIX, 7. secundo Paralipomenon : Non est apud
Dominum Deum nostrum iniquitas, nec B
personarum acceptio, neque acceptio mu-
nerum. — Sed videtur oppositum, quia
duorum hominum unius conditionis at-
que in omnibus parium, Deus unum mi-
sericorditer accipit, alterum juste relin-
quit. Et respondendum, quod personarum
acceptio opponitur justitiæ distributivæ,
quæ diversis personis tribuit secundum
dignitatem ipsarum et merita. Est itaque
personarum acceptio, quum in eo cui ali-
quid datur, non attenditur id propter
quod id quod ei datur sit sibi propor- C
tionatum aut debitum : ut si prælatus det
alicui beneficium quia dives sive cogna-
tus. Verumtamen duplex est datio : Una,
quæ est actus justitiæ : et circa hanc
attenditur ac versatur personarum acce-
ptio. Alia vero, quæ est actus liberalita-
tis, qua alicui gratis confertur quod ei
non debetur, qualis est collatio donorum
Dei, qui nulli est obligatus : et circa hu-
jusmodi non est personarum acceptio,
quoniam unusquisque potest propria dare
cui vult, et quantum vult. Hoc secundum D
Thomam dictum sit : quod in secunda se-
cundæ, quæstione 63, plenius continetur.
35 *Sed in omni gente,* cujuscumque sit
* *eum* nationis, *qui timet Deum** timore casto et
filiali, vel saltem initiali, *et operatur ju-
stitiam,* id est actus justitiæ quæ est vir-
tus infusa, propter debitum rectumque
finem : quod sine fide fieri nequit ; *ac-
ceptus est illi,* ita quod est in statu sa-
lutis ac promerendi. Sola autem naturalis
virtus et cognitio Dei, nemini sufficiunt
ad salutem ; sed ad supernaturalis finis
seu felicitatis adeptionem, supernaturalia
media exiguntur, ut media fini propor-
tionentur.
Verbum misit Deus filiis Israel. Nam 36
Pater Verbum suum veraciter incarnatum
misit Judæis, ipso Verbo id protestante :
Non sum missus nisi ad oves quæ perie- *Matth.* XV,
runt domus Israel. Misit quoque verbum, 24.
id est evangelicam doctrinam. *Annuntians
pacem,* id est humani generis reconcilia-
tionem cum Deo, *per Jesum Christum,* Dei
et hominum mediatorem, qui in quan-
tum mediator, pacificavit nos Deo per
sanguinem suum. Hinc ait Apostolus :
Deus erat in Christo, mundum reconci- II *Cor.* V,
lians sibi. Et Christus in propria persona 19.
hæc prædicavit, pacemque pectoris an-
nuntiavit et dedit, secundum quod ait :
Pacem relinquo vobis, pacem meam do *Joann.* XIV,
vobis ; et rursus, Venit Filius hominis 27. *Luc.* XIX,
quærere et salvum facere quod perie- 10.
rat. *Hic est omnium Dominus,* quia verus
Deus, Rex regum, et Dominus dominorum. *Apoc.* XIX,
Nempe ut Deus, est Dominus per pro- 16.
priam auctoritatem, ut præsidens princi-
palis ; sed ut homo, omnibus præsidet ut
instrumentalis.
Vos scitis quod factum est verbum per 37
universam Judæam, id est prædicatio-
nem Jesu ibidem esse disseminatam. Mi-
racula etenim Christi fecerunt eum in lo-
cis vicinis hinc inde famosum. *Incipiens
enim* Jesus prædicationem suam *a Gali-
læa :* sicut in passione Judæi dixerunt,
Commovet populum, docens per univer- *Luc.* XXIII, 5.
sam Judæam, incipiens a Galilæa usque
huc ; *post baptismum quod prædicavit Jo-
annes, Jesum a Nazareth.* Joannes enim 38
Baptista populum baptizando, insinuavit
eis Christum venisse, dicendo : Medius *Joann.* I, 26.
vestrum stetit quem vos nescitis. Vel sic :
Incipiens Jesus publice prædicare *post ba-
ptismum* quo fuit a Joanne baptizatus :
scitis, inquam, *quod prædicavit Joannes
Jesum,* tanquam ejus præcursor. Prædi-
cavit autem Joannes Baptista, *quomodo
unxit eum,* scilicet Jesum secundum na-

turam assumptam, *Deus* Pater seu Tri- A
nitas, *Spiritu Sancto et virtute,* id est
plenitudine gratiæ et sanctitatis, seu po-
testate in miraculis peragendis. Nam et
Spiritus Sanctus Christum ut hominem
Is. XLVIII, 16. unxit et misit, juxta illud in Isaia : Et
nunc Dominus misit me et Spiritus ejus.
Joann. III, 34. Hinc de Christo dixit Baptista : Non ad
mensuram dat Deus Spiritum, scilicet ho-
mini Christo : nam gratia ejus quodam-
modo infinita consistit. Hæc unctio spiri-
tualis et invisibilis, data est animæ Christi
in ipso suæ creationis primordio, quo si- B
mul cum carne unita est Verbo, totius
gratiæ fonti æterno.

Baruch III, 38. *Qui pertransiit,* inter homines conver-
sando, ambulando et prædicando, *bene-
faciendo,* id est multa beneficia dando
hominibus, *et sanando omnes oppressos*
Luc. VI, 18, VII, 21, etc. *a diabolo.* Multos quippe obsessos curavit.
Spiritualiter quoque dæmonibus plenos
convertit ad Deum, sicut de Maria Magdale-
Marc. XVI, 9. ne ejecit septem dæmonia. Imo, quantum
in ipso fuit, sua benedicta passione uni-
versos peccatores salvavit. Quicumque au- C
tem in mortali jacet peccato, a dæmonibus
est oppressus, prostratus, victus et excæ-
catus. Verum quod ait, Omnes oppressos,
accipi potest de generibus singulorum,
potius quam de singulis generum. *Quo-
niam Deus erat cum illo,* scilicet Pater
cum Filio, quemadmodum in Evangelio
Joann. VIII, 16. loquitur : Non sum solus, sed ego et qui
misit me Pater. Verumtamen conjunctio-
nem hanc, Quoniam, bene pensando, in-
telligendum est, quod Deus erat cum Chri-
sto secundum naturam humanam : illa D
namque habuit efficaciam sic agendi ex
adsistentia Dei. Sicque intelligi etiam po-
test, quod Deus, scilicet Verbum æter-
num, erat cum illo, id est cum Jesu quoad
suam humanitatem, per hypostaticam uni-
onem : quamvis expositio ista non sit
propria, secundum Bedam, ne Christi per-
sonam geminare videamur.

39 *Et nos testes sumus omnium* mirabi-
lium *quæ fecit in regione Judæorum et
in Jerusalem, quem occiderunt suspen-
dentes in ligno. Hunc Deus suscitavit* 40
tertia die. Ista jam sæpe exposita sunt. *Et
dedit eum manifestum fieri* post resur-
rectionem, *non omni populo* immediate, 41
imo nec omnibus absolute, *sed testibus
præordinatis a Deo : nobis qui mandu-
cavimus et bibimus cum illo postquam
resurrexit a mortuis.* Hoc enim opus est
ordinatissimus æternæ sapientiæ Dei pro-
cessus, ut supernaturalia non omnibus
immediate revelentur, sed primo quibus-
dam electis atque majoribus, et per illos
ceteris. Quod et in hierarchiis observatur
angelicis : in quibus illuminationes di-
vinæ a superioribus deveniunt ad infe-
riores per medios angelicos spiritus, ut
divinus Dionysius edocet. Præterea adver-
tendum quod Petrus ait : Nobis qui man-
ducavimus et bibimus, etc. Nam licet in
Evangelio legatur Christus cum discipulis
post resurrectionem manducasse, non ta- *Luc.* XXIV, 43.
men ibidem exprimitur cum eis bibisse,
sed ex his verbis id scitur. *Et præcepit* 42
*nobis prædicare populo, et testificari quia
ipse est qui constitutus est a Deo* Patre,
secundum naturam humanam, *judex vi-
vorum et mortuorum,* id est universorum
qui vel ante finem mundi erunt defun-
cti, vel circa finem mundi invenientur,
et in igne conflagrationis morituri dicun-
tur. Vel, per vivos intelliguntur electi,
qui vivunt per gratiam ; per mortuos re-
probi, qui mortui sunt per culpam. Porro
in judicio duo considerantur : Primum est
auctoritas judicandi : et illa tribus Per-
sonis communis et una est. Secundum est
judicii exsecutio seu prolatio sententiæ :
quæ competit Christo secundum naturam
humanam, quam et sua humiliatione ac
passione promeruit. Propter quod ait :
Potestatem dedit ei et judicium facere, *Joann.* V, 27.
quia Filius hominis est ; itemque, Neque *Ibid.* 22.
enim Pater judicat quemquam, sed judi-
cium omne dedit Filio.

Huic, scilicet Christo, *omnes Prophetæ* 43
testimonium perhibent, ut Domino servi,
*remissionem peccatorum accipere per no-
men ejus,* id est per invocationem et fi-

dem ipsius, *omnes qui credunt in eum,* A
qui scilicet fide et caritate Christo in-
corporantur. Prophetæ enim concorditer
loquuntur de Christo tanquam de om-
nium Salvatore, ita quod credentes per
gratiam ejus justificantur.
44 *Adhuc loquente Petro verba hæc, ce-*
cidit, id est, subito venit seu repente
descendit, *Spiritus Sanctus,* non per su-
am incircumscriptam incommutabilem-
que substantiam, sed per pietatis suæ ef-
fectus et gratiæ dona, *super omnes qui*
audiebant verbum, videlicet super Cor- B
nelium et suos, quibus prædicatio ista
fiebat. Descendit autem Spiritus Sanctus
in signo visibili sive sensibili, sed an in
igneis linguis, an in alia specie, incertum
45 est, ut Scholastica ait historia. *Et obstu-*
puerunt ex circumcisione fideles, id est
ex Judaismo conversi, *qui venerant cum*
Petro : quia et in nationes, id est in gen-
tiles, *gratia Spiritus Sancti effusa est*
cum abundantia tanta. Judæi equidem con-
sueverant gentiles pro nihilo reputare,
nec simile huic rei unquam fuerat fa- C
ctum : ideo de effectu tam magno atque in-
solito, præ admirationis magnitudine vel-
ut stupidi reddebantur. Fuit enim revera
grande miraculum, et maxima pietas Dei.

Audiebant enim illos loquentes linguis 46
diversis, sicut Apostoli loquebantur in die *Act.* II, 4.
Pentecostes, *et magnificantes Deum,* gra-
tias devotissime referendo, ejusque boni-
tatem et beneficia totis præcordiis attol-
lendo.
Tunc respondit Petrus : Numquid 47
aquam prohibere quis potest, ut non ba-
ptizentur hi qui Spiritum Sanctum ac-
ceperunt sicut et nos Apostoli, scilicet
cum signo sensibili et dono linguarum
(quamvis non in tanta plenitudine sicut
Apostoli, qui primitias Spiritus accepe- *Rom.* VIII, 23.
runt)? *Et jussit eos baptizari in nomine* 48
Jesu Christi. De hac forma Baptismi, et
quare in ea dabatur Baptismus in primi-
tiva Ecclesia, dictum est supra. Apostoli Cf. *Act.* II, 38.
autem consueverunt per discipulos suos
baptizare conversos, et ipsi verbo prædi-
cationis insistebant, secundum quod Pau-
lus testatur : Non misit me Christus ba- I *Cor.* I, 17.
ptizare, sed prædicare. Interdum tamen
aliquos baptizabant. *Tunc rogaverunt eum,*
scilicet Petrum, *ut maneret apud eos ali-*
quot diebus pro eorum consolatione et
pleniore instructione, et præsertim ex di-
lectione quam ad tam felicem et gloriosum
conceperunt magistrum, patrem atque Apo-
stolum : nec dubium quin eis consensit.

ARTICULUS XI

DECLARATIO CAPITULI UNDECIMI : AUDIERUNT AUTEM APOSTOLI.

QUID ex prima illa gentilium conver-
1 sione secutum sit, subditur : *Audie-*
runt autem Apostoli qui erant in Judæa,
ubi prædicabant hinc inde, *et fratres,* id
est ceteri discipuli, *quia et gentes,* vide-
licet Cornelius cum suis, *receperunt ver-*
2 *bum Dei. Quum autem ascendisset Petrus*
Jerosolymam, a Cæsarea rediens, *disce-*
ptabant adversus illum qui erant ex cir-
cumcisione, id est ex Judaismo conversi,

D *dicentes : Quare introisti ad viros præpu-* 3
tium habentes, et manducasti cum illis?
quasi dicant : In hoc contra legem fecisti.
Incipiens autem Petrus, exponebat illis 4
per ordinem, id est, cur hoc fecisset, eis
ordinate exposuit, seque excusando reve- *Act.* X, 9-44.
lavit eis qualem habuisset visionem in
Joppe, per quam Deus sibi monstravit ut
faceret ita, et quod angelus id ipsum ad-
monuisset. Littera autem plana est, et

præcedenti capitulo habita atque exposita A
usque ad id :
16 *Recordatus sum autem verbi Domini,*
sicut dicebat : Joannes quidem baptizavit
aqua, vos autem baptizabimini Spiritu
Act. I, 5. *Sancto.* Hoc supra legitur Christus dixisse
Apostolis : quod expositum est ibidem, et
in præfatis gentilibus conversis imple-
tum, juxta expositionem ibi introductam.
17 *Si,* pro quia, *ergo eamdem gratiam dedit*
illis Deus, puta Cornelio et sibi adjunctis,
sicut et nobis qui credidimus in Domi-
num Jesum Christum : utrisque enim con- B
tulit Deus dona gratiæ gratum facientis et
gratis datæ : tamen, ut dictum est, Aposto-
li in ampliore plenitudine perfectiorique
gradu sortiti sunt eam ; *ego quis eram,*
qui possem prohibere Deum a gentilium
horum visitatione ? quasi dicat : Hoc par-
vitatis meæ non fuit ; quin potius caritas
id requirit ut de illorum gratia gratula-
18 rer. *His auditis tacuerunt ; et glorificave-*
runt Deum, id est, gloriosum, mirabilem,
liberalem, liberrimum esse in operibus
suis professi sunt, *dicentes : Ergo et gen-* C
tibus, quas tam diu in suis reliquit errori-
bus, *pœnitentiam,* id est gratiam, locum,
tempus pœnitendi, *dedit Deus ad vitam*
gratiæ obtinendam in sæculo isto, vitam-
que gloriæ in futuro.

Recitatis gestis quorumdam præcipuo-
rum fidelium, scilicet Apostolorum et dia-
conorum, prosequitur quædam de factis
19 inferiorum discipulorum. *Et illi quidem*
discipuli, *qui dispersi fuerant* de Jerusa-
lem, *a tribulatione quæ facta fuerat sub*
Ibid. VIII, 1. *Stephano* a Judæis lapidato, quam isti Deo D
imperante fugerunt, *perambulaverunt us-*
que ad Phœnicen occidentalem, videlicet
quamdam provinciam Syriæ, *et Cyprum*
insulam in Carpathio mari, ab ortu Cili-
ciæ, ab occasu vero Syriæ objectam, *et*
Antiochiam Epidaphnen, *nemini loquen-*
tes verbum Dei *nisi solis Judæis,* qui-
Ibid. XIII, 46. bus primo annuntiandum fuit Evangelium
Christi ; postea autem prædicaverunt et
gentibus, agnito quod Petrus convertisset
20 gentiles. *Erant autem quidam ex ipsis*
viri Cyprii et Cyrenæi, id est de Cypro
et Cyrene, civitate sic dicta : quos ali-
qui putant fuisse natione gentiles, sed ad
Christum conversos, et primo ad Judai-
smum, deinde ad Christum. Alii opinan-
tur quod nati fuerunt ex Judæis per loca
illa dispersis. *Qui quum introissent An-*
*tiochiam, loquebantur ad gentes**, id est * Græcos
gentiles illic morantes, *annuntiantes Do-*
minum Jesum esse mundi Salvatorem. *Et* 21
erat manus, id est auxilium, *Domini cum*
eis. Multusque numerus credentium per
prædicationem eorum, *conversus est ad*
Dominum.

Pervenit autem sermo ad aures Ec- 22
clesiæ quæ erat Jerosolymis, super istis
negotiis et fidei incrementis. In Jeroso-
lymitana namque Ecclesia antistes fuit
tunc Jacobus, et Apostoli communiter ibi
erant : idcirco discipuli intimaverunt eis
profectum fidei in aliorum conversione.
Et miserunt Barnabam usque ad Antio-
chiam, ut conversos plenius informaret,
confortaret, consolaretur ac regeret.

Qui quum pervenisset, et vidisset gra- 23
tiam Dei, id est virtuosam fidelium con-
versationem, et dona gratiarum in eis,
gavisus est : secundum quod caritas Dei
et proximi exigit ut de Dei veneratione
et proximorum salute quilibet glorietur ;
et hortabatur omnes in proposito cordis
permanere in Domino, ut essent in bono
cœpto stabiles. Qui enim perseveraverit Matth. X, 22.
usque in finem, hic salvus erit. Hinc ad
Corinthios monet Apostolus : Stabiles es- I Cor. XV, 58.
tote et immobiles, abundantes in opere
Domini semper, scientes quod labor ve-
ster non est inanis in Domino. Inconstan-
tia etenim mentis, magna est imperfe-
ctio, muliebreque vitium, imo et quædam
fatuitas. Stultus enim mutatur ut luna. Eccli. XXVII, 12.
Propterea scriptum est : Esto firmus in Ibid. V, 12.
via Domini, et in veritate sensus tui. *Quia* 24
erat vir bonus moraliter, imo heroicus et
perfectus. Ideo subditur : *et plenus Spi-*
ritu Sancto, id est donis, virtutibusque
infusis, *et fide :* ita quod habuit fidem se-
cundum statum perfectum, utpote cum ra-

tionibus credendorum, et purificatæ men-
tis intelligentia. Unde fides hic accipi
potest, non ut est virtus, sed fructus, vi-
delicet eminens quædam fidei certitudo.
Galat. v, 23. Sic quippe inter fructus Spiritus ab Apo-
stolo computatur. *Et apposita,* id est men-
te applicata seu conversa, *est turba multa*
Domino in Antiochia per Barnabæ prædi-
cationem, præter eos de quorum conver-
sione prædictum est.
25 *Profectus est autem* Barnabas *Tarsum,*
ut quæreret Saulum. Ad hanc enim ur-
Act. IX, 30. bem, ut patuit, Paulus ab Jerosolymis
venit : quem Barnabas inquisivit ut ejus
fultus auxilio, plures converteret, et con-
versos efficaciter gubernaret. *Quem quum*
26 *invenisset, perduxit Antiochiam. Et an-*
num totum, id est per integrum annum,
conversati sunt in Ecclesia, id est inter
fideles ; *et docuerunt turbam multam, ita*
ut cognominarentur primum Antiochiæ
discipuli, Christiani : id est, conversi ad
Christum, qui primo generali nomine di-
cebantur discipuli, ibidem propter eorum
multitudinem cœperunt Christiani a Chri-
sto capite suo atque magistro vocari.
Is. LXV, 15, 16. Tuncque impletum est illud Isaiæ : Servos
suos vocabit Dominus nomine alio, in quo
qui benedictus est super terram, bene-
dicetur in Deo, amen. Hic tamen non
dicitur, an nominatio ista sit instituta a
fidelibus ex Judaismo conversis, vel ex
gentilitate credentibus, an forte ab infi-
delibus, qui novam sectam consurgere et
augeri mirantes, a Christo Domino suo eos
appellaverunt Christianos. In Scholastica
vero historia dicitur, quod a gentilibus
conversis prodierit institutio appellationis
istius : quibus visum est sequaces Chri-
sti Christianos debere vocari, quemadmo-
dum in sectis philosophorum discipuli
a magistris nomen speciale accipiunt, ut
a Platone Platonici.
27 *In his autem diebus supervenerunt ab*
Jerosolymis Prophetæ Antiochiam. In pri-
mitiva nempe Ecclesia multi spiritu ful-
Act. II, 17, 18; *Joel.* II, 28, 29. serunt prophetico, sicut supra ex verbis
Joelis fuerat allegatum : In diebus illis

A super servos meos et ancillas meas effun-
dam de Spiritu meo, et prophetabunt.
Surgens autem unus ex eis nomine Aga- 28
bus, qui propter tam sancti conventus re-
verentiam humiliter assurrexit, stansque
locutus est, *significabat per Spiritum,* id
est, per revelationem Spiritus Sancti præ-
dixit, *famem magnam futuram in uni-*
verso orbe : quæ facta est sub Claudio
imperatore, scilicet quarto anno imperii
ejus ; et fuit hæc fames præcipue in Ju-
dæa, ut fertur in ecclesiastica historia.
B *Discipuli autem* exsistentes in Antio- 29
chia, *prout quisque habebat,* id est unus-
quisque juxta suæ modulum facultatis,
proposuerunt singuli, non seorsum, sed
omnes pariter, *in ministerium,* id est ad
usus corporis necessarios, *mittere* victua-
lia, seu pretium ad emendum, *habitanti-*
bus in Judæa fratribus, id est Christianis
ibidem, potissimum in Jerusalem comma-
nentibus, qui tanquam inter ceteros per-
fectissimi, apostolicam vitam ducentes,
omnia sua in principio vendiderunt, et *Act.* IV, 34, 35.
C ante Apostolorum pedes pretiis positis, in
communi vitam pauperem ducere fuerunt
contenti. Postea vero ab infidelibus Ju-
dæis fuerant spoliati qui aliquid adhuc *Hebr.* X, 34.
habebant. Hinc Antiocheni fideles, et post-
ea alii multi fecerunt collectas, quas suis
temporibus miserunt præfatis. De qua re
in epistolis Pauli multa leguntur. Fuitque I *Cor.* XVI, 1, 2; *Rom.* XV, 25-27 ; II *Cor.* VIII, IX; etc.
justum ut gentiles facti participes spiri-
tualium bonorum fidelium Judæorum, de
corporalibus suis substantiis recompen-
sam facerent eis, tempore necessitatis :
D quod et Paulus pro minimo reputans, Si I *Cor.* IX, 11.
nos, inquit, vobis spiritualia seminavimus,
magnum est si carnalia vestra metamus ?
Quod et fecerunt, bonum propositum 30
effectui celeriter mancipantes, et malum
inopiæ prævenientes, *mittentes ad senio-*
res, qui in Ecclesia illa Jerusalem ceteris
præfuerunt ac providerunt, *per manus*
Barnabæ et Sauli, qui erant nuntii fide
dignissimi. Miserunt itaque, et contulit
quilibet juxta quod habuit, implentes il-
lud Tobiæ : Quomodo potueris, ita esto *Tob.* IV, 8, 9.

misericors : si multum tibi fuerit, abun- A
danter tribue ; si autem exiguum, etiam
exiguum libenter impertiri stude. Itaque
II Cor. XII, 14. in articulo necessitatis etiam filii paren-
tibus thesaurizare seu providere tenentur.
Nec ista provisio obviavit verbo Christi,
dicentis, Nolite solliciti esse de crastino : Matth. VI, 34.
siquidem verbis illis immoderata cura,
non ordinata providentia, inhibetur. Nec
tentandus est Deus, sed periculis humano
modo, quantum congrue fieri potest, est
occurrendum.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : EODEM TEMPORE MISIT HERODES, ETC.

1 *EODEM tempore,* de quo in fine præ- B
cedentis capituli dictum est, *misit He-*
rodes rex, filius Aristobuli, filii Herodis
Matth. II, 1. Ascalonitæ, cujus tempore natus est Chri-
stus : qui Herodes etiam pater fuit Hero-
Marc. VI, 17-27. dis Antipæ, a quo Joannes Baptista occi-
Luc. XXIII, 11. sus est, et Christus in passione illusus
(porro Herodes de quo nunc fit sermo,
interfector Jacobi apostoli, a Josepho vo-
catur Agrippa ; habuitque filium nomine
Agrippam, qui ei successit in regno : de
Act. XXV, 13 et seq. quo infra habetur) ; *manus,* id est virtu-
tem sui exercitus, *ut affligeret quosdam* C
de Ecclesia primitiva, id est quosdam
2 Christianos. *Occidit autem Jacobum fra-*
trem Joannis gladio, id est, occidi fecit
ante dies Azymorum.
3 *Videns autem quia placeret Judæis* in-
credulis occisio Jacobi, *apposuit appre-*
hendere et Petrum tanquam capitaneum
Christianorum, ut amplius complaceret
Judæis. *Erant autem dies Azymorum,* id
est paschalis festivitatis, quando Judæi
Exod. XII, 15. septem diebus azymis panibus vesceban-
tur : infra quos dies Judæi non faciliter D
4 aliquem occiderunt. *Quem quum appre-*
hendisset, misit in carcerem, tradens
quatuor quaternionibus militum custo-
diendum. Sicut centurio appellatur qui
centum præest militibus, ita quaternio,
qui quatuor militibus præest. Sicque sub
his quatuor quaternionibus erant sedecim
milites, ac per hoc viginti simul fuerunt,
præter custodes carceris. Commisit enim
tam multis custodiam Petri, ne aliqua
arte effugeret, quia Herodes non ignora-
vit multa mirabilia facta fuisse a Petro :
ideo caute fecit eum servari, sicut et Ju-
das de Jesu dixit Judæis : Ducite eum cau- Marc. XIV, 44.
te, ne scilicet vestris e manibus elabatur.
Volens post Pascha producere eum populo
Judæorum, ut occideretur ad voluntatem
eorum. *Et Petrus quidem servabatur in* 5
carcere. Oratio autem fiebat sine inter-
missione ab Ecclesia ad Deum pro eo :
quia magis necessarius fuit Ecclesiæ, tan-
quam princeps Apostolorum, et eminen-
tior in operibus miraculorum.
Quum autem producturus eum esset 6
Herodes, id est populo præsentaturus ad
mortem, *in ipsa nocte,* diem quo hoc fa-
cere voluit præcedente, *erat Petrus dor-*
miens inter duos milites, vinctus catenis
duabus ; et custodes ante ostium custo-
diebant carcerem. Unde constat eum sic
custoditum, quod humana via sive indu-
stria nequivit effugere. *Et ecce angelus* 7
Domini adstitit, et lumen refulsit in ha-
bitaculo. Angelus enim cum splendido
vultu apparens, carcerem illustravit ; so-
lus tamen Petrus lumen illud adspexit,
miraculose Deo id peragente, ne et alii
illud viderent. *Percussoque latere Petri,*
excitavit eum, dicens : Surge velociter.
Et ceciderunt catenæ de manibus ejus,
angelo eas dissolvente.

8 *Dixit autem angelus ad eum : Præ-* A
cingere, id est, cinge te. Ut enim Schola-
stica refert historia ex verbis Bedæ, Petrus
deposuit cingulum suum propter mole-
stiam carceris, ut tunica circa pedes de-
missa, temperaret frigus noctis. Quo datur
exemplum devotis, quod tempore corpo-
ralis molestiæ atque angustiæ magnæ, li-
ceat eis aliquid de propositi sui rigore
laxare. Insuper, secundum Cassianum,
IV *Reg.* I, 8. quoniam Elias et Petrus cingulis usi le-
guntur, monachi in desertis cingulis ute-
bantur. *Et calcea te caligas tuas,* id est, B
calceamenta tua indue. Dicunt aliqui, quod
caliga genus sit calceamenti non ha-
bentis corium super pedem : quod qui-
dam sandalium vocant. Nunc autem ca-
liga in alia significatione accipi solet. *Et*
fecit sic. Et dixit illi : Circumda tibi
9 *vestimentum tuum, et sequere me. Et*
exiens carcerem, *sequebatur eum,* scilicet
angelum, *et nesciebat quia verum est,* id
est aliquid reale, *quod per angelum fie-*
bat, scilicet eductio ejus de carcere. *Exi-*
stimabat autem se visum videre, id est, C
omnia ista putabat in imaginaria visione
sibi monstrari, non realiter exhiberi. Ex
quo apparet quod non plenarie vigilavit,
sed imperfecte. Aliqui namque in somno
surgunt et gradiuntur.
10 *Transeuntes autem primam et secun-*
dam custodiam, id est custodes per duo
loca divisos, seu duobus partitos ordini-
bus. Ex omni enim parte adhibuerunt
custodiam, ne aliqua industria Petrus eva-
deret. Custodes autem somno fuerunt op-
pressi, aut tali cæcitate percussi quali D
Ibid. VI, 18. servi regis Syriæ sub Eliseo ; aut alio si-
mili modo divina virtute detinebantur,
ne Petrum egredientem sentirent, et pro-
hiberent. *Venerunt ad portam ferream :*
quæ putatur fuisse in atrio carceris atque
exterior ; *quæ ducit ad civitatem* Jeru-
salem. Ex quo elicitur quod carcer extra
urbem fuit, aut in exteriori ejus parte.
Quæ ultro aperta est eis potestate divina
atque angelica. Nam et angelicis spiriti-
bus materia corporalis obedit, quoad mo-

tum localem. *Et exeuntes* per ferream
portam, *processerunt vicum unum,* ur-
bem intrando, *et continuo discessit an-*
gelus ab eo, repente disparens. *Et Petrus* 11
ad se reversus, id est compos mentis ef-
fectus, et ratione plenarie utens, *dixit :*
Nunc scio vere et experimentaliter, *quia*
misit Dominus angelum suum, et eripuit
me de manu Herodis, et de omni exspe-
ctatione plebis Judæorum. In omnibus
utitur Petrus stilo ornato et eleganti, et
frequenter difficili, semperque senten-
tioso.
Consideransque quomodo esset eductus, 12
et ubi nunc esset, quove diverteret, *venit*
ad domum Mariæ matris Joannis qui
cognominatus est Marcus, fuitque con-
sobrinus Barnabæ, non Marcus evangeli-
sta, *ubi erant multi congregati* mente et
corpore, tanquam devotissimi, *et orantes*
inter cetera pro Petri liberatione. *Pulsan-* 13
te autem eo [*ostium januæ*], *processit pu-*
ella [*ad audiendum*] *nomine Rhode. Et* 14
ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non
aperuit januam, cupiens feminea festina-
tione lætum rumorem suis insinuare ; *sed*
intro currens, nuntiavit Petrum stare
ante januam. At illi dixerunt : Insanis, 15
tanquam illusa, et ratione privata. Hoc
dixerunt, attendendo ad naturalem rerum
potentiam, per quam impossibile videba-
tur quod dicebatur. *Illa autem affirmabat*
sic se habere. Illi autem dicebant : An-
gelus ejus est. Ex hoc loco atque ex aliis
multis probatur, quemlibet hominem ha-
bere angelum sanctum custodem : qui
etiam vicissim apparent in specie eorum
quibus sunt deputati. *Petrus autem per-* 16
severabat pulsans, more eorum qui edu-
cti clam de captivitate, non libenter diu
stant extra domum.
Quum autem aperuissent ostium, vi-
derunt eum, et obstupuerunt, viso tam
miraculoso effectu, et causam nondum
scientes. *Annuens autem eis manu ut ta-* 17
cerent, ne eorum strepitu et clamore gau-
dioso Petri præsentia perciperetur, et ut
miraculum cum silentio modeste adver-

terent, *narravit quomodo Dominus edu-* A
xisset eum de carcere per angelum. *Dixit-*
que : Nuntiate Jacobo, scilicet episcopo
Christianorum in Jerusalem, *et fratribus*
hæc, ut sciant se exauditos, et Deo gra-
tias agant, atque lætentur in Domino. *Et*
egressus de Jerusalem eadem nocte, *abiit*
in alium locum.

18 *Facta autem die,* qua Herodes decrevit
Petrum producere populo, *erat non par-*
va turbatio inter milites, quidnam fa-
ctum esset de Petro, quomodo abisset.
Timebant autem ne Herodes tali pœna B
eos afficeret quali Petrum afficere cogi-
19 tavit. *Herodes autem quum requisisset*
eum, scilicet Petrum, *et non invenisset :*
nam et portæ et januæ apertæ inventæ
fuerunt, ut creditur, quum hoc de porta
ferrea aperta dicatur ; *inquisitione facta*
de custodibus, id est, diligenter sciscita-
tus ab eis quomodo Petrus evasisset, *jus-*
sit eos addici, id est carceri mancipari ;
vel, *duci,* ut aliqui textus habent, id est
sibi præsentari, ad puniendum eos de ne-
gligentia. Non tamen nocuit eis postea C
ut decrevit, Domino providente, ne Petri
ereptio fieret aliis mortis occasio. Hero-
des enim morte fuit præventus, ut sub-
ditur.

Descendensque a Judæa in Cæsaream
Palæstinæ, secundum Bedam, *ibi moratus*
20 *est* ad debellandum adversarios suos. *Erat*
autem iratus Tyriis et Sidoniis. At illi
unanimes venerunt ad eum, ut ei recon-
ciliarentur, quasi resistere non valentes ;
et persuaso, id est informato, *Blasto, qui*
erat super cubiculum regis, id est cubi- D
cularius ejus, *postulaverunt pacem* per

Blastum, qui loquebatur pro eis, *eo quod*
alerentur regiones eorum ab illo, id est
de bonis terræ Herodis, quia angustæ
erant eorum provinciæ, nec poterant tam
vicini regis Cæsari carissimi inimicitias
ferre. *Statuto autem die,* id est ab He- 21
rode præfixo ad loquendum Tyriis atque
Sidoniis, *Herodes vestitus veste regali, se-*
dit pro tribunali ad ferendum senten-
tiam, *et concionabatur ad eos,* id est, blan-
dis, ornatis, egregiis verbis locutus est
eis. *Populus autem acclamabat* Herodi : 22
Dei voces, et non hominis, quas audimus,
sunt. Et sic divinis præconiis, non hu-
manis, eum laudabant, adscribentes ei
divinitatem quamdam, et laudem Deo so-
lummodo debitam. *Confestim autem per-* 23
cussit eum angelus Domini, id est, in-
tus plagavit gravissimo ventris dolore, *eo*
quod non dedisset honorem Deo, præco-
nia sibi blasphemanter adscripta spernen-
do, seque humiliando, et Deo vero talia
adscribendo ; *et consumptus a vermibus,*
qui intra eum oriebantur, putrescentibus
carnibus ejus, *exspiravit :* idque infra
quinque dies, secundum Josephum.

Verbum autem Domini crescebat et mul- 24
tiplicabatur, id est, Herode fidei perse-
cutore occiso, evangelica prædicatio cir-
cumquaque diffundebatur, et plurimi con-
vertebantur. *Barnabas autem et Saulus* 25
reversi sunt Antiochiam *ab Jerosolymis,*
expleto ministerio, id est allatis sibi ele-
emosynis seu collectis ab Antiochia mis-
sis, sicut in fine præcedentis capituli *Act.* xi, 29,
scriptum est, *assumpto Joanne qui co-* 30.
gnominatus est Marcus, de quo in isto
capitulo jam dictum est. vers. 12.

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ERANT AUTEM IN ECCLESIA QUÆ ERAT ANTIOCHIÆ, PROPHETÆ ET DOCTORES.

1 ERANT *autem in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et doctores.* Quemadmodum scribit Apostolus, in primitiva Ecclesia fuerunt diversa dona gratiarum, officiorum et statuum, juxta illud ad Co- 1 Cor. XII, 28. rinthios : Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primo Apostolos, deinde Prophetas, tertio doctores. Itaque Prophetæ vocati sunt, propter revelationem futurorum ; doctores, propter Scripturarum interpretationem, populorum informationem, præteritorum enarrationem. Potest quoque ad eosdem referri : nam quidam eorum prophetæ erant pariter et doctores. *In quibus Barnabas, et Simon qui vocabatur Niger,* ad distinctionem Simonis Petri. Et dictus est Niger : vel a colore, si Niger sumatur Latine ; vel, quasi ascendens, a virtute scilicet in virtutem, si Niger sit nomen Hebræum. Niger enim quandoque Hebræum est, et interpretatur ascendens. Verumtamen aliqui sortiti sunt hujuscemodi nomina absque inexsistentia proprietatis, actionis, seu qualitatis designatæ per ipsum ; imo aliqui a contrario sensu nomina sortiuntur. *Et Lucius Cyrenensis,* a Cyrene civitate sic appellatus, *et Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ* (qui vocatus est Herodes Antipas, quem Chri- Luc. XIII, 32. stus nominat vulpem, et qui decollavit Marc. VI, 17-27. Joannem) *collactaneus,* id est eodem cum eo lacte educatus, *et Saulus.*

2 *Ministrantibus autem illis Domino* in actibus virtuosis, in observantiis præceptorum et consiliorum, in conversione 1 Cor. IX, 27. aliorum, *et jejunantibus,* ut caro per omnia castigaretur, atque in servitutem spiritus redigeretur, mensque in spiritualibus ditaretur, et ad contemplanda erigeretur superna. Quanta nempe sit virtus jejunii, liquet ex eo quod de durissimo malignorum spirituum genere ait Salvator : Hoc genus dæmoniorum in nullo potest Marc. IX, 28. exire, nisi in oratione et jejunio. Denique, sicut in Præfatione cantatur, Deus corporali jejunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutes largitur et præmia. Tobiæ quoque Raphael angelus protestatur : Bona est oratio cum jejunio et elee- Tob. XII, 8. mosyna. *Dixit Spiritus Sanctus,* vel per inspirationem internam, vel per aliquem Prophetarum istorum, sive per angelum : *Segregate mihi,* id est, ad meum honorem a vestra societate, seu grege vestro, corporaliter atque localiter separate, *Barnabam et Saulum in opus ad quod assumpsi eos,* id est, ad prædicandum in gentibus, ad quod eos elegi, converti, et mihi per gratiam junxi. Unde ad Romanos Apostolus de se loquitur : Paulus se- Rom. I, 1. gregatus in Evangelium.

Tunc jejunantes et orantes, imponentesque illis manus, dimiserunt eos, ut irent 3 evangelizare in gentibus. Verum quia hic dicitur, quod imposuerunt eis manus, videlicet in modum ordinandorum in sacerdotium, dicunt nonnulli, et habetur in Scholastica historia, quod præfati sancti in Antiochia, audito Spiritus Sancti consilio, orantes pro Paulo et Barnaba, miserunt eos Jerusalem ad Petrum, Jacobum, et Joannem, tunc exsistentes ibidem. Qui audito Spiritus Sancti mandato gavisi sunt, imposueruntque eis manus, quoniam manuum impositio ad Apostolos pertinebat. Sed quoniam littera non videtur hoc velle, alii opinantur quod jam in Antiochena Ecclesia fuerunt quidam epi-

scopi ab Apostolis ordinati ad regendam A
multitudinem fidelium, qui tunc ibidem
vehementer multiplicati fuerunt. Episco-
pi autem sunt Apostolorum successores :
idcirco ad eorum officium spectat impo-
sitio manuum, potueruntque Paulo et Bar-
nabæ manus imponere.

Utrum autem præter impositionem ma-
nuum, aliam ordinationis solennitatem
circa eos celebraverint tres prædicti Apo-
stoli, sive alii quicumque episcopi, non
est certum, ut Scholastica ait historia :
quæ etiam perhibet, quod nec de Apo- B
stolorum ordinatione aliquid legitur, vel
quod Christus eis manus imposuit. De
Petro tamen certum habetur, quod Antio-
chiæ celebraverit Missam. Sed potuit Apo-
stolis pro ordinatione sufficere, quia di-
Luc. xxii, 19; I *Cor.* xi, 24. ctum est eis a Domino : Hoc facite in
meam commemorationem. Et licet tunc
non interfuerint Paulus et Barnabas, ta-
men quia postea electi sunt ad apostola-
tum consilio, imo præcepto Spiritus San-
cti, forsan in hoc cum aliis Apostolis
fuerunt privilegiati, nec alia ordinationis C
solennitas circa eos celebrata est : et multi
in primitiva Ecclesia sine hac solennitate
ordinationis, ad sacerdotium sunt promo-
ti; etiam multi laici sine diacono et præce-
dentibus Ordinibus, facti sunt sacerdotes.

Insuper Beda hic ait : Videtur Saulus,
juxta historiæ ordinem, tertiodecimo post
Domini passionem anno apostolatum cum
Barnaba, Paulique accepisse vocabulum ;
quartodecimo autem anno juxta condi-
ctum Jacobi, Cephæ (scilicet Petri) et
Joannis, ad gentium magisterium fuisse D
profectum. Nec historia ecclesiastica re-
pugnat, dicens Apostolis præceptum fuis-
se ut annis duodecim in Judæa prædi-
carent : quia duodecimo anno non statim
reliquerunt Judæam, sed tertiodecimo ex-
ire cœperunt, et paulatim egressi sunt.

4 *Et ipsi,* scilicet Paulus et Barnabas,
*missi a Spiritu Sancto, abierunt Seleu-
ciam :* quæ est civitas Syriæ maritima, a
II *Mach.* iii, 3. Seleuco rege Asiæ de quo secundo Macha-
bæorum habetur, constructa et nominata,
ut dicitur ; *et inde navigaverunt Cyprum* *Act.* xi, 19.
insulam supra memoratam. *Et quum ve-* 5
nissent Salaminam urbem Cypri, in qua
Barnabas natus et passus fertur, nunc
Constantiam dictam, secundum Bedam,
quæ et sita est in parte illius insulæ ori-
entali, respiciens Syriam ; *prædicabant
verbum Dei in synagoga Judæorum :* qui-
bus verbum Dei fuerat primum denun-
tiandum, secundum quod infra Paulus
fatetur, Vobis oportebat primum loqui vers. 46.
verbum Dei. Porro secundum Bedam, ubi-
cumque dicitur, In synagoga, insinuatur
factum in civitate quod legitur. *Habebant
autem et Joannem in ministerio* suæ præ-
dicationis. Iste est Joannes cognominatus
Marcus, de quo in præcedenti capitulo *Act.* xii, 12, 25.
jam dictum est.

Et quum perambulassent universam in- 6
sulam Cypri *usque Paphum* occidentalem
insulæ urbem. Paphus, secundum Bedam,
est civitas Cypri maritima, juxta insu-
lam Veneris, quondam carminibus poeta-
rum famosa : quæ frequenti terræ motu
lapsa, nunc ruinarum vestigiis, quid olim
fuerit, ostendit. *Invenerunt quemdam vi-
rum magum pseudoprophetam,* qui ope-
ra magica arte facta, dixit divina, *Ju-
dæum, cui nomen erat Barjeu, qui erat* 7
*cum proconsule Sergio Paulo viro pru-
dente,* qui fuit magnæ dignitatis et pro-
consul, id est secundus a consule : cui
causa quæstus et ambitione honoris con-
junxit se magus, ad deceptionem ipsius.
*Hic accersitis Barnaba et Saulo, desi-
derabat audire verbum Dei. Resistebat* 8
*autem illis Elymas magus (sic enim in-
terpretatur nomen ejus), quærens aver-
tere proconsulem a fide* christiana, per
quam illius magicæ artes confundeban-
tur. Horum duorum nominum, scilicet
Elymas et *magus,* unum est interpretatio
alterius. Elymas enim, secundum Schola-
sticam historiam, interpretatur magus :
sicque commune nomen maleficorum ap-
propriatum est huic. Alii dicunt, quod
Elymas interpretatur, Dei mei mensura,
vel sensus ; sicque iste fecerit se vocari,

ut Dei nuntius crederetur : et ita nomen A
Barjeu, præfato modo exponitur Elymas,
hac de causa.
9 *Saulus autem, qui et Paulus, repletus*
10 *Spiritu Sancto, intuens in eum, dixit.*
Hoc loco Saulus, primo vocatur Paulus :
estque hoc nomen sortitus, secundum mul-
tos sanctorum doctorum, a Paulo procon-
sule quem convertit. Homines enim ali-
quando consueverunt nomina ex aliquo
notabili facto sortiri. Verumtamen, secun-
dum Origenem, semper fuit binomius :
unde jam dicitur, Saulus qui et Paulus : B
quasi dicat, Utroque vocatus est nomine.
Vel, post suam ad Christum conversio-
nem, vocavit se Paulum, quasi humilem
et modicum. *O plene omni dolo et omni*
fallacia, quia verbis et operibus fraudu-
Ps. v, 7. lentus. Virum autem sanguinum et dolo-
sum abominabitur Dominus. Et Isaia te-
Is. xxxii, 7. stante, Fraudulenti vasa sunt pessima. *Fili*
diaboli per imitationem doli et vitiorum :
Sap. ii, 25. juxta illud Sapientiæ, Imitantur illum qui
sunt ex parte ipsius. Hinc ait Salvator Ju-
Joann. viii, 44. dæis : Vos ex patre diabolo estis. *Inimice* C
omnis justitiæ, legis naturalis, legis scri-
ptæ, legisque evangelicæ. *Non desinis sub-*
vertere vias Domini rectas, id est, divina
præcepta, documenta, consilia, quantum
in te est, conculcas, atque ab aliis tollis,
et prave exponis. Hujus magi meminit, in
libro de Divinis nominibus (puto), divi-
nus Dionysius : asserens stultam fuisse
objectionem quam verbis Pauli objecit
(quibus Paulus affirmat ad Timotheum :
II Tim. ii, 13. Deus se ipsum negare non potest) et ar-
guit Elymas, quod secundum hoc Deus D
non esset omnipotens, quasi veritatem ne-
gare, mentiri, peccare, potentiæ, et non
11 potius impotentiæ atque miseriæ esset. *Et*
nunc ecce manus Domini super te, id est,
divina potestas te puniet, *et eris cæcus,*
non videns solem, nec lumen ejus, *usque*
ad tempus, ut per tuam corpoream cæci-
tatem innotescat spiritualis cæcitas tuæ
mentis ; et ut intus privatus es luce atque
intuitu Solis justitiæ, scilicet Christi, sic
foris privaberis materialis solis adspectu.

Et confestim cecidit in eum caligo et
tenebræ, scilicet in instanti. Virtus enim
Dei quum sit infinita, operatur in instan-
ti. Quod item factum est ad declarandum
quod excæcatio illa miraculosa fuit, non
naturalis. *Et circuiens quærebat qui ei*
manum daret. Territus enim fuit sentiens
plagam Dei, et instar cæcorum in gyro
se vertit, quærens ducatum et sustenta-
tionem, ne laberetur in præceps. *Tunc* 12
proconsul quum vidisset factum tam mi-
raculosum, *credidit, admirans super do-*
ctrina Domini, id est altitudinem sapien-
tiæ christianæ, et virtutem miraculorum
quibus confirmabatur. Noverat enim tan-
quam vir prudens, quod Deus fons veri-
tatis non perhibeat testimonium falsitati :
ideo cernens Apostolorum istorum doctri-
nam hujuscemodi miraculo confirmari,
mox credidit, et magum abjecit.

Et quum a Papho navigassent Paulus 13
et qui cum illo erant, scilicet Barnabas,
Joannes, et forsan plures : nam et id cre-
di potest, quod aliqui de ministris pro-
consulis, ejus conversione et instructione
inducti, pariter sint conversi ; *venerunt*
Pergen Pamphyliæ. Perge est maritima
civitas provinciæ Asiæ : quæ provincia
vocatur Pamphylia, juxta Bedam. *Joannes*
autem discedens ab eis, reversus est Jero-
solymam. De causa suæ abscessionis infra Act. xv, 38.
dicetur. *Illi vero,* scilicet Paulus et Bar- 14
nabas, *pertranseuntes Pergen, venerunt*
Antiochiam Pisidiæ. Pisidia est provin-
cia Asiæ ; et Antiochia sita in ea, alia est
ab Antiochia Syriæ supra memorata, et in Ibid. xi, 19 et seq.
Scripturis celebriori, quæ olim Reblatha IV Reg. xxv, 21.
et Emath Magna dicebatur. *Et ingressi sy-*
nagogam die sabbatorum, sederunt, quasi
vere mansueti ad audiendum verbum Dei,
et prompti ad prædicandum. *Post lectio-* 15
nem autem legis et Prophetarum, mise-
runt principes synagogæ, videlicet præ-
lati inter Judæos, *ad eos, dicentes : Viri*
fratres, si quis est in vobis sermo exhor-
tationis ad plebem, dicite. Ex ipso enim
apparatu, probitate, et gravitate Pauli et
Barnabæ, consideraverunt eos esse viros

Prov. xvii, 24. religiosos ac sapientes. Siquidem sapien- A
tia hominis lucet in facie ejus.
16 *Surgens autem Paulus,* principibus et
toti congregationi honorem impendens, *et*
manu silentium indicens, ut attentius au-
diretur, *ait : Viri Israelitæ, et qui timetis*
Deum, audite. His verbis benevolentiam
eorum captat, ut fructuosius audiatur.
17 *Deus plebis Israel elegit patres nostros*
ab æterno, et tempore divinitus præstitu-
to effectus gratiosos hujus electionis im-
pertitus est eis, *et plebem* Israeliticam
exaltavit, quum essent incolæ in terra B
Gen. xlvii; Exod. xiv. *Ægypti.* Nam tempore Joseph et etiam
tempore eductionis per Moysen, et paulo
ante, fuerunt ibidem honorifice sublima-
ti. [*Et in brachio excelso eduxit eos ex*
18 *ea*], *et per quadraginta annorum tempus,*
mores eorum sustinuit in deserto : mo-
res, inquam, perversos, murmurationes et
Num. xi-xiv, xx, xxi. rebelliones. Quandoque tamen satis acri-
ter correxit quosdam eorum, sed totam
gentem non delevit.
19 *Et destruens,* partim occidendo, partim
fugando, partim in captivitatem redigen- C
do, *in terra Chanaan septem gentes,* id
est totidem nationes filiorum Cham, ut-
Josue xxiv, 11. pote Chananæos, Amorrhæos, Hevæos, Je-
busæos, Pherezæos, Hethæos et Gergesæos,
sorte, id est per sortium missionem, *divi-*
Ibid. xiv, 1, 2; xv, etc. *sit eis terram eorum* per manus Josue,
Eleazari et principum tribuum filiorum
Israel, sicut in Josue legitur. Duabus ta-
Ibid. xiii. men tribubus ac dimidiæ ante per Moysen
fuit divisa pars terræ trans Jordanem.
20 *Quasi post quadringentos et quinquagin-*
ta annos. Computatio annorum istorum, D
secundum Bedam atque Scholasticam hi-
storiam, inchoatur a nativitate Isaac : a
qua usque ad exitum Israel de Ægypto,
fluxerunt anni quadringenti et quinque,
quibus junguntur quadraginta anni qui-
bus in solitudine erant, et quinque in ter-
Ibid. xi, 23. ra Chanaan : post quos quievit terra a
præliis, tuncque divisa est terra, sicut in
libro Josue legitur. *Et post hæc dedit ju-*
Judic. iii, 9. *dices :* quorum primus fuit Othoniel frater
Caleb minor, ut scribitur in libro Judi-
cum; *usque ad Samuel prophetam* inclu-
sive, quia et ipse judex fuit Israeliticæ
plebis.
Et exinde postulaverunt regem : nam 21
filii Samuelis judices a patre suo consti-
tuti, post avaritiam declinaverunt, ut pri- I Reg. viii, 3.
mo Regum habetur; *et dedit eis Saul fi-*
lium Cis, virum de tribu Benjamin, quo
pro tunc non erat inter filios Israel me- Ibid. x, 24.
lior. *Et amoto illo* a regno propter sua 22
peccata, quia in eo honores mutaverunt
mores, *suscitavit illis David regem : cui* Ibid. xvi, 13.
testimonium perhibens, dixit : Inveni Da- Ps. lxxxv iii, 21.
vid filium Jesse, virum secundum cor
meum, id est mihi placentem, seu meæ
voluntati conformem, in donis naturæ et
gratiæ bene dispositum, *qui faciet omnes*
voluntates meas, id est, volita a me im-
plebit, et mihi obediet. Non talem Deus
istum improvise invenit, sed ut talem
eum inveniret, prius per gratiam talem
fecit; imo ab æterno prædestinavit se il-
lum talem facturum : quo facto, talem
invenit qualem voluit et exegit. Et ista
est præclarissima laus sancti David. Quid
enim nobilius voluntati creatæ, quam in-
creatæ Dei sui voluntati esse conformem,
quum et amicorum sit eadem velle et
nolle?
Hujus Deus ex semine, id est ex semi- 23
ne David, *secundum promissionem* factam Ibid. 5, 30, 37.
ipsi David, *eduxit,* per generationem ex
Virgine, *Israel,* id est ad salutem populi
Israel, *salvatorem Jesum,* qui factus est Rom. i, 3.
ex semine David secundum carnem, ut
dicitur ad Romanos, *prædicante Joanne* 24
ante faciem adventus ejus, id est ante
manifestam Christi prædicationem et ap-
paritionem, qua per miracula se Dei Fi-
lium declaravit, *baptismum pœnitentiæ,* Marc. i, 4, 5.
id est dispositivum ad pœnitentiam, et in
quo Judæi sua confitebantur peccata, non
confessione sacramentali, sed generali, *om-*
ni populo Israel, qui venit ad eum.
Quum autem impleret Joannes cursum 25
suum, id est, circa finem suæ prædicati-
onis morti propinquans, *dicebat* Judæis : Joann. i, 20, 27; Marc. i, 7.
Quem me arbitramini esse, non sum ego,

id est, non sum Christus, sicut putatis. A
Hoc enim superiores et inferiores Judæ-
orum concorditer existimabant, propter
sanctissimam conversationem Joannis. *Sed
ecce venit post me,* ad prædicandum et
baptizandum per suos discipulos ; Chri-
stus etiam natus est post Joannem ; *cujus
non sum dignus calceamenta pedum sol-
vere,* id est, nec in minimo dignus sum
ei exhibere obsequium, eo quod incom-
parabiliter sit major me, secundum divi-
nam naturam ; et secundum assumptam
quoque, ut Verbo immediate suppositali- B
terque unitam, et omni gratia secundum
totam capacitatem mentis creatæ reple-
tam, quasi ineffabiliter major est me,
quia toto universo præstantior. Unde ad
Christi majestatem habendo respectum,
non fuit Joannes dignus ad id. Verumta-
men, considerando Joannis obsequium, ut
ex caritate et actuali motione Spiritus
Sancti procedens, meritorium fuit vitæ
æternæ etiam de condigno, secundum mul-
tos doctores. Et quoad id, dignus fuit Do-
minum Jesum baptizare. Imo sic devotus C
sacerdos dignus est corpus ejus et sangui-
nem consecrare, tractare et sumere : ad
quod nemo condignus est, si ad Christi
dignitatem dumtaxat habeatur respectus.
Postremo, his verbis non datur intelligi
quod Christus usus sit calceis, quem con-
stat nudis pedibus incessisse ; sed est mo-
dus loquendi Hebræorum.
26 *Viri fratres, filii generis,* id est tribus,
Abraham, et qui in vobis timent Deum :
quod referri potest ad conversos ad Ju-
daismum ; *vobis verbum salutis hujus,* id D
est prædicatio ; vel, Verbum salutis hujus,
id est Verbum Dei incarnatum, humanæ
auctor salutis, *missum est* primo, specia-
liter ac principaliter, ita ut ipsemet Chri-
Matth. XV, 24. stus testatus sit : Non sum missus nisi ad
oves domus Israel quæ perierunt. Disci-
Ibid. X, 5, 6. pulis quoque præcepit : In viam gentium
ne abieritis, sed ad oves perditas domus
Israel.
27 *Qui enim habitabant Jerusalem,* puta
vulgares, *et principes ejus, hunc* Jesum
ignorantes esse Messiam : quod quomodo
verum sit, tactum est super id, Scio, fra- *Act.* III, 17.
tres, quia per ignorantiam peccastis, sicut
et principes vestri ; *et voces Prophetarum,
quæ per omne sabbatum leguntur* in sy-
nagogis seu scholis eorum : quia verba
Prophetarum de Christo non intellexe-
runt ; *judicantes* quod morte esset condi-
gnus, *impleverunt* quæ de Christi passio-
ne prophetata fuerunt. *Et nullam causam* 28
mortis invenientes in eo, secundum veri-
tatem, *petierunt a Pilato ut interficerent
eum,* id est, ex ejus sententia per mili-
tes interfici facerent : quod et fecerunt. *Joann.* XIX.
Quumque consummassent omnia quæ de 29
eo scripta erant, videlicet de ejus com-
prehensione, ligatione, consputione, pas-
sione, *deponentes eum de ligno, posuerunt
in monumento.* Non utique iidem numero
interfecerunt, et deposuerunt ac sepelie-
runt : sed illud, impii ; hoc, justi, videli- *Ibid.* 38-42.
cet Joseph ab Arimathea et Nicodemus.
Verum Scriptura more solito loquitur de
diversis quasi de eisdem, sicut in Psal-
mo : Quum occideret eos, quærebant eum ; *Ps.* LXXVII, 34.
et iterum : Et non recessit retro cor no- *Ps.* XLIII, 19.
strum ; et declinasti semitas nostras a
via tua.
Deus vero suscitavit eum a mortuis ter- 30
*tia die : qui visus est per dies multos his
qui simul ascenderant cum eo de Galilæa* 31
in Jerusalem, scilicet viris ac feminis,
præsertim Apostolis, prout dictum est an-
te, videlicet, Post passionem suam per *Act.* I, 3.
dies quadraginta apparens eis ; *qui usque
nunc sunt testes ejus ad plebem,* quod
ipse sit Christus pro hominibus crucifi-
xus et suscitatus. *Et nos vobis annun-* 32
*tiamus eam quæ ad patres nostros re-
promissio facta est* de Christi adventu et
salvatione generis humani per ipsum ;
quoniam hanc Deus adimplevit filiis no- 33
stris, id est Judæis qui nunc sunt, scili-
cet ad eorum salutem : qui si in Christum
crediderint, immaculateque vixerint, non
habebunt necesse ad limbum descendere,
ut patres eorum quantumlibet sancti, sed
morientes mox evolabunt ; *resuscitans Je-*

sum, sicut et in psalmo secundo scriptum A
Ps. II, 7. *est,* dicente Patre ad Christum : *Filius*
meus es tu, non adoptivus, sed naturalis :
ego hodie, id est in æternitatis invariabili
indivisibilique momento, *genui te* gene-
ratione immateriali et intellectuali. Au-
In Hebr. I 5. ctoritas ista supra allegata est atque ex-
posita : quam hic inducit Apostolus, non
ad probandum Christi resuscitationem, sed
divinitatem, de qua jam fuit locutus. De
suscitatione vero subjungit :
34 *Quod autem suscitavit eum a mortuis,*
amplius non reversurum in corruptio- B
nem, hoc est ad vitam immortalem et im-
passibilem, *ita dixit* per Isaiam, secundum
translationem Septuaginta interpretum :
Quia dabo vobis sancta David fidelia, id
est, quæcumque ipsi David de Christo pro-
misi, vel per ipsum de Christo locutus
sum, vobis fideliter adimplebo. Loco cu-
Is. LV, 3. jus nostra translatio habet : Feriam vobis-
cum pactum sempiternum, misericordias
35 David fideles. *Ideoque et alibi dicit* (puta
in Psalmo) ipse David ad Patrem, de Chri-
Ps. XV, 10. sti resurrectione vaticinans : *Non dabis* C
Sanctum tuum videre corruptionem, id
est, corpus Christi Sancti Sanctorum non
permittes in sepulcro resolvi aut incine-
Act. II, 27. rari. Istud jam ante plenius fuit exposi-
tum. Porro quod hoc de Christo, non de
David prædictum sit, probat Apostolus :
36 *David enim in sua generatione quum ad-*
ministrasset voluntati Dei, ei fideliter
obediendo, atque secundum ipsius volun-
tatem populum Israel gubernando, *dormi-*
vit, et appositus est ad patres suos, quia
secundum corpus cum eis sub terra de- D
fossus, et quoad animam cum eorum spi-
ritibus in limbo locatus, *et vidit corrupti-*
onem, id est, corpus ejus in pulveres est
37 redactum. *Quem vero Deus suscitavit a*
mortuis tertia die (ut dictum est), *non vi-*
dit corruptionem, id est, corpus ejus post
animæ recessum, non est resolutum.
38 *Notum ergo vobis sit, viri fratres, quia*
I Tim. II, 5. *per hunc,* tanquam per salvatorem et me-
diatorem Dei ac hominum Jesum Chri-
stum, *vobis remissio peccatorum annun-*
tiatur, ita quod ejus passione, virtute ac
merito estis salvati, dummodo in ipsum
credatis, et caritate jungamini, ut virtus
et meritum passionis suæ vobis per sacra-
menta evangelicæ legis applicetur, *ab om-*
nibus, scilicet peccatis purgatio, a *quibus*
non potuistis in lege Moysis justificari,
id est mundari per sacrificia legis, neque
per ipsam legem, quia lex illa non con-
tinuit nec contulit gratiam, sicut lex no-
va in quantum includit evangelica sacra-
menta gratiæ significativa, contentiva et
effectiva. Efficiunt enim quod designant.
Hinc ad Hebræos multa scribit Aposto-
lus : Nihil (inquiens) ad perfectum addu- Hebr. VII, 19.
xit lex; et, Impossibile est sanguine hir- Ibid. X, 4.
corum et vitulorum auferri peccata. Illa
enim sacrificia non ex se erant accepta,
sed ex offerentium devotione. In veteri
quoque Testamento non fuit remedium
contra reatum originalis peccati quoad
patriæ ingressum, sed omnes electi illi de-
scenderunt in limbum. Electi quoque qui
tunc justificabantur, non per legem, sed
per fidem Christi futuri, tunc justificati
noscuntur. Hinc subditur :
In hoc enim omnis qui credit, justifi- 39
catur, id est, omnis qui per fidem forma-
tam Christo unitur seu incorporatur, vir-
tutis et meriti suæ salutiferæ passionis
consors particepsque efficitur. Ipse enim Is. LIII, 6.
est in quo Dominus posuit iniquitatem
omnium nostrum; qui satisfecit pro no-
bis quum disciplina pacis nostræ fuit su- Ibid. 5.
per eum, cujus livore sanati sumus; qui
dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris Apoc. I, 5.
in sanguine suo. Sed caput membris non
influit, nec ipsa vivificantur ab ipso, ni-
si eidem connectantur : ita vitam gratiæ
motumque virtutum a Christo non sorti-
tur, qui ei per fidem et caritatem non
counitur.
Videte ergo ne superveniat vobis quod 40
dictum est in Prophetis, id est, ne pœna
prophetice prænuntiata vos apprehendat.
Quid vero sit dictum in Prophetis, adje-
cit : *Videte, contemptores, et admiramini,* 41
et disperdimini : quia opus ego operor Habac. I, 5.

in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis. Istam scripturam allegat Lucas secundum translationem Septuaginta interpretum, qua suo tempore utebatur Ecclesia : quæ et apud Habacuc habetur. Nostra quoque sic habet translatio : Adspicite in gentibus, et videte, et admiramini, et obstupescite : quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet quum enarrabitur. Loquitur autem Propheta ad litteram de captivitate et punitione Judæorum per Chaldæos, quam sibi imminere credere noluerunt, prænuntiantibus id Prophetis. Hortatur ergo Apostolus Judæos, ne sicut illi Judæi ob suam incredulitatem et perversitatem inciderunt maximam calamitatem Chaldæorumque rabiem, sic ipsi incidant similem pœnam et manus Romanorum, vel potius dæmonum, qui per Chaldæos spiritualiter designantur. Itaque sensus est : *Videte* et præcavete, o *contemptores* verborum Dei et promissionis divinæ, *et admiramini* de magnitudine vestri periculi, *et disperdimini* per vitia et errores, itemque per captivitatem hanc ultimam qua vagi estis in nationibus : *quia opus ego operor in diebus vestris,* videlicet salvationem generis humani per Christum, seu incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem ipsius, *quod non credetis, si quis enarraverit vobis :* nam pro majori parte manserunt increduli. Potest quoque hoc opus intelligi pœna eis inflicta eo quod non susceperunt Christum.

42 *Exeuntibus autem illis,* videlicet Paulo et Barnaba, synagogam, *rogabant* principes synagogæ, *ut sequenti sabbato loquerentur sibi hæc verba.* Quidam existimant quod malitiose id rogaverunt, tanquam indignantes de hoc quod Paulus dixit eos in lege Moysis non posse justificari : idcirco volebant hoc rursus ab eo audire, ut majorem contra eum occasionem haberent. Unde et sequenti sabbato in evidentem proruperunt malitiam. Forte tamen bono id animo precabantur, ut de tam
novo rumore et magno negotio plenius
instruerentur. Postea tamen subversi fue-
runt. *Quum autem dimissa esset synago-* 43
ga, id est conventus solutus, unoquoque
ad propria remeante, *secuti sunt multi*
Judæorum et colentium Deum *advena-*
rum, Paulum et Barnabam, ut eorum
prædicationibus certius imbuerentur. Ad-
venæ vero Deum colentes, intelliguntur
qui natione erant gentiles, sed religione
Judæi, seu ad Judaismum conversi, qui
proselyti dicebantur, vel Judæi de disper-
sione venientes. *Qui,* puta Apostoli, *lo-*
quentes persuadebant eis ut permanerent
in gratia Dei, id est, in fide Christi mi-
sericorditer justificari exquirerent, non in
observantiis legis ; Dei quoque gratioso
auxilio inniterentur, non legis justitiæ.
Aliqui autem dicunt istos jam credidisse
in Christum, ideoque moneri ut in ea fide
permaneant fixi.

Sequenti vero sabbato pene universa ci- 44
vitas convenit audire verbum Dei a Pau-
lo et Barnaba : quorum infra hos dies
intermedios percrebuit fama atque inno-
tuit. *Videntes autem turbas* gentilium ho- 45
rum *Judæi, repleti sunt zelo* invidiæ con-
tra Apostolos, *et contradicebant his quæ*
a Paulo dicebantur de Christo, *blasphe-*
mantes, dicendo quod Jesus Nazarenus
non esset verus Christus.

Tunc constanter Paulus et Barnabas 46
dixerunt : Vobis oportebat primum loqui
verbum Dei, id est evangelicam prædica-
tionem proponere : quia ut dictum est
sæpe, Christus atque Apostoli primo di- *Matth.* x, 6.
recti sunt ad Judæorum conversionem,
quibus propheticæ promissiones tanquam
populo peculiari, præsertim factæ fue-
runt ; *sed quoniam repulistis illud,* obsti-
nato animo veritati evangelicæ contradi-
cendo, *et indignos vos judicastis,* id est,
facto perverso indignos monstrastis, *vitæ*
æternæ, quæ est beatitudo vera per Chri-
stum reparata, *ecce convertimur ad gen-*
tes instruendas et convertendas. Itaque
Judæorum infidelitas, obstinatio, rebellio,
fuit occasio instructionis, illuminationis

salvationisque gentium. Propter quod ad A
Rom. XI, 11, 12. Romanos scribit Apostolus : Delictum eo-
rum, salus est gentibus. Quod si delictum
eorum divitiæ sunt mundi, et diminutio
eorum divitiæ sunt gentium, quanto ma-
47 gis plenitudo eorum? *Sic enim præcepit*
nobis Dominus, ut Judæis obstinatis reli-
ctis, procedamus ad gentes. Ad quod au-
Is. XLIX, 6. ctoritatem Isaiæ allegat : *Posui te in lucem*
gentibus, id est, ad gentilium illuminatio-
nem te ordinavi, *ut sis in salutem* cunctis
credentibus *usque ad extremum terræ,*
id est per omnes terminos mundi. Unde B
et Simeon loquens de Christo, confessus
Luc. II, 30-32. est Deo Patri : Viderunt oculi mei Salu-
tare tuum, quod parasti ante faciem om-
nium populorum, lumen ad revelationem
Ps. XCVII, 3. gentium ; et Psalmista, Viderunt omnes
fines terræ Salutare Dei nostri. — Sed
quum hæc verba sint litteraliter dicta de
Christo, quomodo Apostoli ea commemo-
rant tanquam de ipsis prolata? Ad quod
Beda respondet : Quod de Christo specia-
liter dictum est, hoc jam sibi dictum ar-
bitrantur Apostoli, membra scilicet illius C
esse se recolentes : sicut etiam ipse pro-
Act. IX, 4. pter ejusdem corporis unionem dixit, Sau-
le, Saule, quid me persequeris ? Tanta
enim est unio capitis et membrorum. Po-
test et aliter responderi, quod licet hæc
verba de Christo pronuntientur ad litte-
ram, quoniam tamen exsecutioni manci-
pata non sunt nisi per prædicationem
Apostolorum, idcirco Apostoli congruen-
ter ea de se dicta fatentur.

Præterea, ut ista auctoritas clarius in-
telligatur, pensandum quod prætacto Isaiæ D
capitulo, cum vaticinio illuminationis gen-
tium, excæcatio Judæorum in Christi ad-
ventu apertissime prænuntiatur. Sic nem-
Is. XLIX, 5. pe Christus ait ibidem : Et nunc hæc dicit
Dominus, formans me ex utero servum
sibi, ut reducam Jacob ad eum ; et Israel
non congregabitur. Quid enim est, Israel
non congregabitur ? nisi, non convertetur,
nec intra electorum ecclesiam colligetur.
Deinde loquitur Christus : Et glorificatus
Ibid. 6. sum in oculis Domini ; et dixit : Parum
est ut sis mihi servus ad suscitandas tri-
bus Jacob, et fæces Israel convertendas ;
dedi te in lucem gentibus, ut sis salus
mea usque ad extremum terræ.

Audientes autem gentes suam salvati- 48
onem prophetice prænuntiatam, *gavisæ*
sunt, Deo gratias referentes ; *et glorifi-*
caverunt, id est, magnifice laudaverunt,
reverenterque audierunt, *verbum Domi-*
ni, id est evangelicam prædicationem, seu
Christum, qui est verbum, sermo et ve-
ritas Dei Patris. *Et crediderunt quotquot*
erant præordinati ad vitam æternam, id
est omnes prædestinati. His enim quos
Deus omnipotens et sublimis ad vitam
gloriæ ab æterno elegit, in sæculo isto de
donis gratiæ misericorditer providet, at-
que de omnibus mediis ad consequendam
beatitudinem requisitis : inter quæ pri-
mum ac fundamentum est fides catholica,
quæ est oculus mentis ultimum finem
ostendens, atque ad ejus adeptionem om-
nia dirigens. *Disseminabatur autem ver-* 49
bum Domini per universam regionem, id
est, evangelica prædicatio instar semi-
nis per terram gentilium spargebatur in
cordibus hominum. Semen namque est Luc. VIII, 11.
verbum Dei.

Judæi autem, potissime principes sy- 50
nagogæ, *concitaverunt,* id est, contra Apo-
stolos provocaverunt, *mulieres religiosas*
et honestas, et primos, puta rectores et
nobiliores, *civitatis, et excitaverunt per-*
secutionem in Paulum et Barnabam. Mu-
lieres istæ atque primarii urbis, videntur
primo favisse Apostolis, sed per impiam
informationem Judæorum sunt aversi. *Et*
ejecerunt eos de finibus suis. At illi ex- 51
cusso pulvere pedum in eos, venerunt Ico-
nium. Hoc Christus in Evangelio docuit Matth. X, 14 ; Luc. IX, 5.
faciendum, in testimonium sui laboris, et
inexcusabilitatis illorum qui verbum Dei
recipere abnuerunt. Iconium autem, se-
cundum Bedam, est civitas celeberrima
Lycaoniæ. Est quoque et alia in Cilicia.

Discipuli quoque, id est credentes in 52
Christum, *replebantur gaudio* spirituali
interno, ex contemplatione amorosa bo-

nitatis divinæ beneficiorumque ejus : imo A in omni opere virtuoso gaudebant, quæ bona sunt delectabiliter peragentes. Signum enim virtutis perfecte inexsistentis, est delectatio operationi conjuncta. Insuper et in adversis cordialiter lætabantur, videntes se Christi passionibus communicare et conformari, in præsenti quoque sæculo adversitatibus exerceri, ut moris est filiorum Dei. *Et Spiritu Sancto,* id est charismatibus ejus, in donis atque virtutibus quotidie proficientes. Quanto autem in primitiva Ecclesia tribulatio amplius abundavit, tanto hujusmodi gaudium magis necessarium fuit, ne imbecillitas mentis humanæ sub onere ruens deficeret. Unde et tunc munificentia Spiritus Sancti copiosius se diffudit.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI : FACTUM EST AUTEM IN ICONIO.

PROSEQUITUR S. Lucas processum apo- B
stolicæ prædicationis in urbe Iconio.
1 *Factum est autem in Iconio, ut simul*
introirent in synagogam Judæorum, et lo-
querentur Paulus et Barnabas exsistenti-
bus in synagoga, *ita ut crederet Judæorum*
et Græcorum, id est gentilium quorum-
dam forte proselytorum, seu Judæorum ex
Græcia, *copiosa multitudo.* In quo fructus
prædicationis hujus ostenditur, quæ va-
2 riis miraculis divinitus confirmabatur. *Qui*
vero increduli fuerunt Judæi, suscitave-
* gentium *runt ad iracundiam animas gentilium* * C
adversus fratres, id est Christianos, præ-
cipue contra Apostolos, asserendo quod
novam et falsam sectam introducerent, et
agerent contra Romanos. *Dominus autem*
dedit cito pacem. Ipse enim ad nutum
Prov. xxi, 1. corda immutat, et quocumque voluerit
3 vertit. *Multo igitur tempore demorati*
sunt in urbe hac, *fiducialiter agentes in*
Domino, id est, imperterrita mente evan-
gelizantes, *testimonium perhibente verbo*
gratiæ suæ, id est, ipso Domino attestan-
te veritati evangelicæ prædicationis, in D
qua gratia et misericordia Dei maxime
commendatur, docetur et continetur. Quo-
modo autem attestatus sit, subditur : *dan-*
te Deo *signa et prodigia fieri per manus*
eorum, id est per preces, virtutes et mi-
nisterium Pauli et Barnabæ. Hæc tamen
miracula Lucas brevitati studens non re-
citat.
Divisa est autem multitudo civitatis, 4
id est discors effecta; *et quidam quidem*
erant cum Judæis, videlicet infideles, *qui-*
dam vero cum Apostolis, scilicet conversi
ab eis. *Quum autem factus esset impe-* 5
tus, ex vehementia passionum, non ex
ratione et æquitate procedens, *gentilium*
et Judæorum incredulorum *cum princi-*
pibus suis, ut contumeliis afficerent et
lapidarent eos, puta Apostolos ; *intelli-* 6
gentes Apostoli quod imminebat, *confu-*
gerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram
et Derben, etc. Non inordinate timendo,
sed Christo obediendo hoc fecerunt. Nam
dixit Salvator : Quum persecuti vos fu- Matth. x, 23.
erint in una civitate, fugite in aliam.
Et quidam vir Lystris infirmus pe- 7
dibus, sedebat, claudus ex utero matris
suæ, qui nunquam ambulaverat. Nec po-
tuit stare, sed portabatur, aut sustenta-
culis utebatur. *Hic audivit Paulum lo-* 8
quentem, id est, prædicationem intente
advertit. *Qui* Paulus *intuitus eum* oculo
compassionis interno, et visu corporeo, *et*
videns, id est, Spiritu Sancto revelante
perpendens, *quia fidem haberet ut salvus*
fieret, id est, quod verbis Pauli credebat,

et in nomine Christi se salvandum spe-
raret, aut etiam corporaliter reforman-
dum : talem et tantam fidem contulit ei
Spiritus Sanctus, qui miraculum facere
9 jam decrevit ; *dixit magna voce,* ut si-
gnum mox futurum ad Christi gloriam
audientiumque salutem cunctis pateret :
Surge super pedes tuos rectus, ita ut nul-
la prioris defectuositatis in te signa re-
maneant. Porro, secundum Bedam, in Græ-
co codice sic habetur : Tibi dico, in
nomine Domini nostri Jesu Christi, surge
super pedes tuos rectus. *Et exsilivit et
ambulabat,* id est, protinus sine omni
obstaculo celerrime consurrexit, et expe-
dite incessit : quod fuit valde grande mi-
raculum, soli Divinitati possibile.
10 *Turbæ autem* gentiles atque idololatræ,
*quum vidissent quod fecerat Paulus, le-
vaverunt vocem suam, Lycaonice dicentes,*
videlicet juxta linguam maternam, quia
Lystra civitas fuit provinciæ Lycaoniæ :
Dii similes facti hominibus, id est, in
humana effigie apparentes, *descenderunt
ad nos* de cœlo (quod est locus deorum,
secundum illorum errores). Putabant quip-
pe Paulum propria id potestate fecisse.
11 *Et vocabant Barnabam Jovem,* eo quod
prior et senior videbatur. Jovem enim
regem deorum et patrem putabant. *Pau-
lum vero Mercurium,* qui secundum va-
nitatem, Jovem comitabatur, *quoniam ipse
erat dux verbi,* id est, in loquendo et
proponendo verbum Dei habens prima-
tum. Et quia Mercurius, secundum eorum
perfidiam, eruditus et eloquens fuit in
tantum ut deus eloquentiæ diceretur, Pau-
12 lum ejus nomine exprimebant. *Sacerdos
quoque Jovis, qui erat ante civitatem,* au-
dito rumore miraculi, *tauros* ad immolan-
dum, *et coronas* ad imponendum eas ca-
pitibus Apostolorum, ad decorem eorum,
vel ad templum ornandum, *afferens ante
januas* templi, *cum populis volebat sacri-
ficare,* id est, hostias mactare et immolare
Apostolis, tanquam immortalibus diis.
13 *Quod ubi audierunt apostoli Paulus et
Barnabas, conscissis tunicis suis,* more
Judæorum, qui audita divinæ majestatis
blasphemia, vestes scindere consueverunt
zelo Dei, quasi ejus injuriam perpeti non
valentes, et cordis sui dolorem monstran-
tes, *exsilierunt in turbas, clamantes et* 14
dicentes : Viri, quid hæc facitis ? id est,
cur nobis sacrificare disponitis ? Quo san-
cti Apostoli humiliores fuerunt, eo pœ-
nalius fuit eis hoc factum, divinæ ma-
jestatis inhonorativum. *Et nos mortales
sumus, similes vobis* in natura specifica
homines, annuntiantes vobis ab his vanis
idolorum culturis, in quibus nec veritas
est neque utilitas, et quæ a vera beatitu-
dine seu ultimo hominis fine colentes
impediunt, *converti ad Deum vivum,* qui
solus est vivens, et vita pura ac plena
per suam essentiam. Dii autem quos co-
litis, mortui sunt et damnati, ut Jupiter,
Mercurius, etc., qui homines scelerati fu-
erunt. *Qui fecit cœlum et terram, et om-
nia quæ in eis sunt.* Cœlum enim et
terram per se ipsum immediate creavit :
in quibus sunt multa quæ non sunt im-
mediate a Deo secundum se tota creata,
ut bruta ; originaliter tamen principali-
terque a Deo fluxerunt, et prima materia
universorum ab illo est immediate pro-
ducta. *Qui in præteritis generationibus* 15
dimisit omnes gentes ingredi vias suas,
id est, universos gentiles in suis adinven-
tionibus, erroribus et peccatis defluere
ac perire. Nam usque ad Christi adven-
tum, et prædicationem ejus ac discipulo-
rum suorum, gentes communiter idolis
serviebant, paucissimis interdum exce-
ptis ; solique filii Israel vias Dei ambula-
verunt unum verum Deum colendo.
Et quidem non sine testimonio se- 16
metipsum reliquit, id est, bonitatem et
divinitatem suam manifestare, seque Deum
esse testari per varia beneficia non ces-
savit, *benefaciens,* totum universum con-
servando in esse et gubernando, *de cœlo*
aerio *dans pluvias et tempora fructifera,*
æstatem et ver, *implens cibo et lætitia
corda vestra.* Omnia enim dona naturæ
et bona fortunæ, beneficia sunt summi

Dei : cujus unitas, majestas ac divinitas, per universi gubernationem, temporum distinctionem, cœlestium motionem, inferiorum moderationem ac provisionem, ipsis quoque philosophis innotuerunt. Naturalis autem delectatio quæ ex conjunctione potentiæ cum convenienti objecto causatur, a Deo principaliter derivatur, qui institutor est ordinis et cohabitudinis rerum. Corda vero, id est mentes, non implentur cibo corporeo, nisi quoad desiderii actuationem.

17 *Et hæc dicentes, vix sedaverunt turbas ne sibi immolarent,* propter magnitudinem rei gestæ, et quia ad idololatriam pronæ fuerunt. Hoc de sacerdote Jovis non specificatur, qui forte deum suum reprobari invite et indignanter audivit.

18 *Supervenerunt autem quidam ab Antiochia* Pisidiæ, quæ fuit huic urbi vicinior quam Antiochia Syriæ, *et Iconio Judæi* increduli; *et persuasis turbis* civitatis Lystræ, *lapidantesque Paulum :* unde et
II Cor. xi, 25. ipse scribit, Semel lapidatus sum ; *traxerunt extra civitatem* tanquam sepultura indignum, et ut vile cadaver, *existimantes eum mortuum esse,* quia signa vitæ non apparebant in eo tam graviter vulnerato : mortuusque fuisset, nisi divina fuisset potestate mirabiliter præservatus.

19 *Circumdantibus autem eum discipulis,* quasi plangerent mortuum, et ne a Judæis vivere perciperetur, *surgens intravit civitatem* Lystram occulte, quia divina virtute fuit sanatus seu confortatus : aliter proficisci non potuisset ; *et postera die profectus est cum Barnaba in Derben* Lycaoniæ urbem.

20 *Quumque evangelizassent civitati illi,*
et docuissent multos, reversi sunt Lystram, et Iconium, et Antiochiam Pisi-
diæ, urbes in quibus jam antea prædicave-
21 runt, *confirmantes animas discipulorum*
sermonibus optimis, *exhortantesque ut*
permanerent in fide, tanquam in funda-
mento virtutum spiritualisque vitæ, quo
sublato, tota corruit machina spiritualis
in anima, *et quoniam per multas tribu-*

A *lationes* a mundo, a dæmonibus, a propria carne, et improba voluntate, *oportet nos intrare in regnum cœlorum**. De exsilio (* Dei) enim non venitur ad patriam nisi per diversos labores. Quotidiana quoque nostra peccata, castigationem Dei paternam requirunt. Caro etiam adversatur spiritui ; (Galat. v, 17.) et quo magis proficere cupimus et conamur, eo invisibiles hostes gravius nobis insistunt. Denique, non est servus major domino suo. (Joann xiii, 16.) Si ergo oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam, (Luc. xxiv, 26.) B quomodo nos servi ejus vilissimi, sine tribulationibus optamus salvari ? Itaque, qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. (I Joann. ii, 6.) Qui enim nunc compatitur Christo, conglorificabitur post eum eo. (Rom. viii, 17.) Hinc ait Psalmista : Multæ tribulationes justorum ; (Ps. xxxiii, 20.) et item, Transivimus per ignem et aquam. (Ps. lxv, 12.) Hinc arcta dicitur via quæ ducit ad vitam. (Matth. vii, 14.) Væ filiis sæculi, amatoribus hujus mundi, qui cuncta quæ carni mollia sunt, quærunt ; qui nullam volunt ferre injuriam, nil perC peti propter Christum ; qui instar brutorum passiones concupiscentiasque sequuntur. Ideo dicit Salvator : Qui vult venire post me, tollat crucem suam quotidie, et sequatur me ; (Luc. ix, 23.) et Apostolus, Non coronatur, nisi qui legitime certaverit. (II Tim. ii, 5.) Ubi ideo jam illi, qui tempus juventutis ac sanitatis in vitiis expendentes, spem stultam sibi confingunt quod in senio seu languore pœnitentiam sint acturi ?

Et quum constituissent illis discipulis 22
per universas ecclesias presbyteros, id
D est episcopos, secundum quosdam. In primitiva namque Ecclesia non fuit inter istos distinctio, et frequenter eodem nomine censebantur : quod ex verbis ad Titum habitis, facile est pensare. Quum enim dixisset ad Titum, Constituas per singulas civitates presbyteros, (Tit. i, 5, 6.) et quales debeant esse presbyteri, subdens, paulo post ait : Oportet enim episcopum sine crimine esse. (Ibid. 7.) Similiter ad Timotheum, post episcopi descriptionem mox ad diaconos se convertit. (I Tim. iii, 1-7, 8-10.) Similiter ad Philip-

Philipp. i, 1. penses, in exordio : Cum episcopis, inquit, A
et diaconibus. *Et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt,* qui solus est princi-
23 palis conservator et custos. *Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam,*
24 provinciam Asiæ ; *et loquentes verbum Domini in Perge,* civitate Pamphyliæ, *descenderunt in Attaliam,* quæ secundum Bedam, est civitas Pamphyliæ maritima ;
25 *et inde navigaverunt Antiochiam* Syriæ, *unde erant traditi gratiæ Dei,* id est ab aliis sanctis ibidem exhibitis operibus B gratiæ Spiritus Sancti, *in opus quod compleverunt,* id est ad prædicationem et apostolatus officium, ut dictum est supra.

Quum autem venissent Antiochiam, 26
et congregassent Ecclesiam, narraverunt quanta fecisset Deus cum illis, id est, quantam dedisset eis virtutem et gratiam in conversione gentilium et Judæorum quorumdam, *quia aperuisset gentibus ostium fidei,* id est, fidem, quæ est janua ad cetera dona, gentibus infudisset. *Mo-* 27
rati sunt autem tempus non modicum cum discipulis in Antiochia. Hæc autem ad Dei gloriam et audientium spiritualem exhilarationem Ecclesiæ retulerunt.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : ET QUIDAM DESCENDENTES DE JUDÆA.

CONSEQUENTER ardua quædam quæstio determinatur, quæ in primitiva C
1 Ecclesia multos sollicitavit. *Et quidam descendentes de Judæa,* præsertim de Jerusalem : erantque isti Judæi de secta Pharisæorum ad Christum conversi, ut vers. 5. infra habetur ; *docebant fratres,* id est Christianos in Antiochia consistentes, de gentilitate conversos : *Quia nisi circumcidamini secundum legem* Moysis, non potestis salvi fieri,* id est, observatio legis evangelicæ, sine custodia legis Mosaicæ, et circumcisionis potissime, non sufficit vobis ad salutem. Non enim solam circumcisionem, sed cetera quoque legalia, voluerunt a conversis gentilibus observari : eademque ratio est de circumcisione et ceteris. Propter quod ad Galatas ait Galat. v, 3. Apostolus : Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis servandæ.

* morem

2 *Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabæ adversus illos.* Paulus enim et Barnabas docuerunt oppositum, nec gentes a se conversas ad legalia induxerunt, nisi quoad præcepta moralia, et quæ a Christo jubentur, suntque de naturalis dictamine rationis : propter quod ad eorum custodiam omnes tenentur. *Statuerunt,* id est, omnes ibi fideles concorditer ordinaverunt, *ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis,* id est aliqui de parte adversa, *ad Apostolos et presbyteros,* id est sacerdotes seu seniores, *in Jerusalem super hac quæstione,* ad solutionem ipsius habendam. Et in hoc juxta legis dogma sapienter fecerunt. In Deuteronomio enim legitur : Si Deut. xvii, 8, 9. D difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, etc., venies ad sacerdotes, et illi indicabunt tibi judicii veritatem.

De hac re scribit ad Galatas sanctus Apostolus : Deinde post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam cum Barnaba, Galat. ii, 1, 2. assumpto et Tito ; et contuli cum illis evangelium quod prædico in gentibus. Circa quod oritur quæstio. Nam dictum est supra, jussum fuisse Apostolis ut duodecim annis in Judæa prædicarent : quo- Cf. art. xiii, vers. 3.

modo ergo quartodecimo anno conversi-
onis Pauli, quidam eorum in Jerusalem
sunt inventi? Ad quod respondet Scho-
lastica historia, quod tertiodecimo anno
exire cœperunt; non statim tamen in toto
reliquerunt Judæam. Beda quoque hic ait:
Scimus Petrum et Paulum apostolos anno
post Domini passionem tricesimo octa-
vo, id est ultimo Neronis anno, passos
martyrium. Tamen in Scholastica historia
fertur id tricesimo nono anno peractum.
Forte liber expositionis Bedæ, quem vi-
di, non fuit correctus. Petrus autem vi-
ginti quinque annis in cathedra episcopa-
li sedit Romæ. Ex quibus colligitur, quia
eodem anno quo Paulus nunc scribitur
ascendisse Jerusalem, Petrus quoque as-
cenderit Romam: quo pergens, transivit
per Antiochiam, ut confirmaret subditos
suos, quibus jam ante præfuit septem an-
nis quibus in Antiochena sede resedit; et
in hoc transitu per Antiochiam restitit
ei Paulus, quoniam discernebat cibos. Un-
Galat. II, 11. de ad Galatas loquitur Paulus: Quum
venisset Cephas Antiochiam, in faciem
restiti ei.

3 *Illi ergo,* videlicet Paulus et Barnabas,
deducti ab Ecclesia Antiochena: aliqui
enim fidelium loci illius ad spatium per-
gebant cum eis; *venerunt Phœnicen et
Samariam,* id est ad has regiones Terræ
sanctæ, *narrantes* ad gloriam Dei *conver-
sionem gentium; et faciebant gaudium
magnum omnibus fratribus,* qui tanquam
veraciter caritativi, de proximorum sicut
de propria gloriabantur salute, præsertim
quod Christi passionem sic fructificare
cernebant.

4 *Quum autem venissent Jerosolymam,
suscepti sunt ab Ecclesia, et ab Apostolis
et senioribus* qui præfuerunt Ecclesiæ il-
li, et maxime a Jacobo tunc ibi antistite.
Ibid. 9. Denique sicut ad Galatas habetur, Petrus,
Jacobus, et Joannes tunc erant ibidem.
*Annuntiantes quanta fecisset Deus cum
Act.* XIV, 26. *illis:* sicut in fine præcedentis capituli
dictum est atque expositum. Unde quum
aliquis quemdam aut quosdam convertit,

A non suæ id adscribat virtuti, sed gratiæ
Dei; nec in se, sed in Domino glorietur: I *Cor.* I, 31.
quia revera grande est beneficium Dei,
quod unum hominem sibi facit coopera-
torem in conversione aut salvatione al-
terius. *Surrexerunt autem quidam de* 5
hæresi Pharisæorum, qui crediderant. Is-
ti Pharisæi credentes, dicuntur de hæresi
Pharisæorum: vel quia de illorum secta
ante conversionem fuerunt, sicut et Pau- *Act.* XXIII, 6.
lus; vel quia legalia cum Evangelio per-
tinaciter observanda dicentes, non catho-
B lici, sed hæretici exstiterunt. *Dicentes:
Quia oportet circumcidi eos,* id est gentiles
conversos, *præcipere quoque* Apostolos et
prædicatores sive prælatos inferioribus is-
tis, et cunctis ad Christum conversis sibi
commissis, *servare legem Moysis,* non so-
lum quoad præcepta moralia, sed etiam
cærimonialia ac judicialia.

Conveneruntque Apostoli et seniores vi- 6
dere oculis mentis, id est considerare et
determinare, *de verbo hoc. Quum autem* 7
magna conquisitio fieret pro utraque par-
C te, variis argumentis adductis, *surgens
Petrus, dixit ad eos.* Propter reverentiam
tam venerandi ac sancti conventus, præ-
sertim Jacobi apostoli atque episcopi ibi
tunc præsidentis, et item ut melius inter
tot audiretur, surrexit Archiapostolus: in
quo et humilitatis reliquit exemplum.

*Viri fratres, vos scitis quoniam ab an-
tiquis diebus,* id est ante multos annos,
videlicet non diu post Christi ascensio-
nem atque Paracleti missionem, *in nobis
elegit Deus per os meum gentes audire
D verbum Evangelii et credere,* id est, me
primo Deus destinavit ad prædicandum
evangelicam legem gentilibus, puta Cor- *Ibid.* X.
nelio centurioni et suis, quibus et per
me fidem gratiamque infudit. *Et qui cor-* 8
da novit Deus, id est Deus infallibilis
judex, cordium humanorum inspector, *te-
stimonium perhibuit* illos sibi placere,
et me secundum ejus beneplacitum illis
prædicare, *dans illis Spiritum Sanctum*
in signo visibili sive sensibili, etiam an- *Ibid.* 44-48.
tequam baptizarentur, *sicut et nobis* dedit *Ibid.* II, 1-4.

9 in die Pentecostes; *et nihil discrevit inter nos* circumcisos ex Judaismo credentes, *et illos* ex gentilitate conversos, *fide* formata, quæ per dilectionem operatur, *purificans corda eorum*, non observantiis legis, quia credendo, non legem servando, meruerunt accipere Spiritum Sanctum. Justus enim ex fide vivit. Et per fidem habitat Christus in nobis : qui in Evangelio ait frequenter, Fides tua te salvum fecit. Nam fide error et ignorantia intellectus repellitur, oculus mentis in ultimum finem dirigitur, vis intellectiva in captivitatem se redigit, et Deo perfecte se subjicit, assentiendo seu adhærendo his quæ comprehendere nequit, propter auctoritatem et reverentiam primæ et inviolabilis veritatis.

(*Galat.* v, 6. — *Hebr.* x, 38. — *Ephes.* III, 17. — *Matth.* IX, 22; *Luc.* XVII, 19, etc. — II *Cor.* x, 5.)

10 *Nunc ergo quid tentatis Deum*, id est, cur laboratis divinæ dispositioni resistere, et aliter quam ipse jussit peragere, utpote *imponere jugum*, id est onus observationis legalium, *super cervices*, id est vires operativas, *discipulorum*, id est Christianorum, præsertim gentilium conversorum, *quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus*, propter multitudinem præceptorum legis et eorumdem rigorem? Ut enim asserit Rabbi Moyses, tot erant præcepta in lege, quot ossa sunt in homine. Verum quum certum sit Deum impossibile non jubere (dicente Hieronymo in Expositione fidei catholicæ : Anathema sit qui dicit Deum aliquid impossibile præcepisse), onus præceptorum legalium importabile fuisse Judæis asseritur, non quia simpliciter observare non poterant, sed quia difficillimum fuit universa servare. Sicque patres legis dicuntur ea non potuisse implere, ob difficultatem, non ob absolutam impossibilitatem. Unde nonnulli eorum ea servasse noscuntur, sicut de Josue scriptum est : Non præterivit Josue de universis mandatis Domini, ne unum quidem verbum, quæ præcepit Moysi.

(*Josue* XI, 15.)

11 *Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari*. Hoc verum est, A sive gratia accipiatur pro habitu gratiæ gratum facientis, sive pro quocumque gratioso auxilio Christi, sive pro virtute et merito passionis ipsius. Meritum enim, virtus et gratia Christi passionisque ejus, nobis per sacramenta Ecclesiæ applicatur; et quidquid virtutis, salutis aut meriti in nobis consistit, per meritum Christi nobis impenditur. Propter quod scriptum est : Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. De quo apud Isaiam fertur : Dominus posuit B in eo iniquitatem omnium nostrum, cujus livore sanati sumus. Hinc subditur : *quemadmodum et illi*, videlicet patres nostri, patres veteris Testamenti : qui omnes per adventum ac opem, passionem et meritum regis Messiæ salvari sperabant, erantque ei per fidem, caritatem et spem couniti. Unde et Abraham ante circumcisionem placuit Deo per fidem. Nec tamen quisquam illorum, sine Christi passione et merito, ab originalis peccati reatu quivit salvari, aut patriam ingredi. Hinc et in C Genesi Jacob patriarcha fatetur : Salutare tuum exspectabo, Domine.

(*Joann.* I, 17. — *Is.* LIII, 6, 5. — *Gen.* xv, 6. — *Ibid.* XLIX, 18.)

12 *Tacuit autem omnis multitudo*. Etenim in tam ponderoso tractatu non decuit quempiam leviter loqui, aut tanti Apostoli interrumpere verba, secundum quod in Ecclesiastico legitur : In medio seniorum ne adjicias loqui; itemque, Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. *Et audiebant Barnabam et Paulum narrantes quanta fecisset Deus signa et prodigia in gentibus per eos*. Per D quæ verba argumentatio S. Petri confirmabatur. Non enim inter gentiles Deus mirabilia illa fecisset, nisi et Apostolorum istorum prædicationem, et illorum conversionem acceptasset.

(*Eccli.* XI, 8. — *Ibid.* 9.)

Consequenter inducitur definitiva sententia Jacobi Jerosolymitarum episcopi, qui pontificali auctoritate habuit determinationem proferre.
13 *Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus*. Unde in tractatibus conciliativis, nullus debet præcipitanter quid loqui, aut judicium usurpare.

Viri fratres, audite me. Quam breve facit A
præambulum! contra eos qui tæ liosa pro-
14 lixitate verba multiplicant. *Simon nar-*
ravit quemadmodum Deus primo visi-
tavit, id est, gratiose dignatus est, *sumere*
ex gentibus populum nomini suo, id est
ad sui ipsius gloriam quosdam ex genti-
15 bus ad fidem convertere. *Et huic concor-*
Is. xxx, *dant verba Prophetarum,* quorum multi
xlix, lx, etc; Osee ii; de gentium illuminatione vaticinati sciun-
Dan. ii, 44; vii, 14. tur, potissime Isaias, Osee quoque, et Da-
16 niel, *sicut scriptum est* per Amos : *Post*
Amos ix, 11, 12. *hæc revertar, et reædificabo tabernacu-* B
lum David quod cecidit, et diruta ejus
17 *reædificabo, et erigam illud, ut requirant*
ceteri hominum Dominum, et omnes gen-
tes super quas invocatum est nomen me-
um, dicit Dominus faciens hæc. Hanc
autem scripturam allegat Lucas secun-
dum translationem Septuaginta interpre-
tum. Nostra vero translatio habet sic :
In die illo suscitabo tabernaculum David
quod cecidit, et reædificabo aperturas mu-
rorum ejus, et ea quæ corruerant instau-
rabo, et reædificabo illud sicut in diebus C
antiquis, ut possideant reliquias Idumææ
et omnes nationes, eo quod invocatum sit
nomen meum super eos, dicit Dominus
faciens hæc.

Itaque sensus est : *Post hæc,* id est post
Israeliticæ plebis dispersionem per omnes
gentes, seu legis Mosaicæ cursum, *rever-*
tar, per multiplicis gratiæ meæ effectum,
post unigeniti Filii mei missionem in
mundum, *et reædificabo* in fide, mori-
bus, sacramentis, virtutibus, *tabernacu-*
lum David, id est Ecclesiam Christi, *quod* D
cecidit per vitia et errores, præsertim per
idololatriam ante legem et sub lege. Ita-
que per Ecclesiam Christi, hoc loco desi-
gnatur universitas fidelium, a principio
mundi usque ad finem ipsius : de qua in
Matth. xx, 1. Evangelio dicitur, Simile est regnum cœ-
lorum homini patrifamilias, qui exiit pri-
mo mane conducere operarios in vineam
suam : ubi per primum mane, prima mun-
di ætas innuitur. Porro, quod per David
intelligatur Christus ad litteram, patet in
diversis locis Scripturæ, videlicet in Jere-
mia : Servient Domino Deo suo, et David re- Jer. xxx, 9.
gi suo ; in Ezechiele, Ego ero eis in Deum, Ezech.
et servus meus David princeps eorum. *Et* xxxiv, 24; xxxvii, 23-
diruta ejus, id est per transgressionem 25.
legis naturalis et scriptæ destructa atque
divisa, *reædificabo,* omnes gentes in ec-
clesiastica unitate colligendo, *et erigam il-*
lud, id est, ad cœlestia elevabo, et multis
miraculis beneficiisque præclaris honora-
bo, *ut requirant ceteri hominum Domi-*
num, id est, gentiles quoque ista cernen-
tes, convertantur ad Christum, *et,* pro id
est, *omnes gentes super quas invocatum*
est nomen meum, quæ post conversionem
suam me super se invocaverunt, et pro
quarum conversione sancti patres me ora-
verunt.

Notum a sæculo est Domino opus ejus, 18
id est, æternaliter ei innotuit quidquid in
tempore facit, et quod de gentium con-
versione operari decrevit, juxta illud Ec-
clesiastici : Domino Deo antequam crea- Eccli. xxiii,
rentur, omnia sunt cognita. *Propter quod* 29. 19
ego judico, tanquam episcopus, *non in-*
quietari eos qui ex gentibus convertun-
tur ad Deum, id est gentiles conversos
non esse turbandos, seu aggravandos per
obligationem ad servanda legalia, *sed scri-* 20
bere ad eos ut abstineant se a contami-
nationibus simulacrorum, id est a cultura
deorum, quibus anima non mundatur, sed
maculatur. Vel contaminationes simula-
crorum vocantur comestiones idolothyto-
rum, videlicet sacrificiorum idolis obla-
torum : quod fuit in lege prohibitum. *Et* Exod.
fornicatione : quam gentiles reputabant xxxiv, 15; Deut. vii,
opus naturale ac licitum ; *et suffocato,* id 25, 26.
est esu cujuscumque animalis per suffo-
cationem occisi, *et sanguine,* id est san-
guinis effusione, vel manducatione cum
sanguine. Horum quatuor, tria sunt ad
cærimonialia legis spectantia, scilicet pri-
mum, tertium, quartum : quæ idcirco Apo-
stoli gentibus præceperunt, quatenus cum
Judæis conversis concorditer coalescerent
ac socialiter viverent : sicut frequenter
in societate plurimorum ex diversis na-

tionibus collectorum, aliqua ordinantur A
pro pace communi ad tempus. Postmo-
dum vero evangelicæ legis veritate ple-
nius elucidata, cessavit observatio horum
Matth. xv, 11. trium : quia ut ait Salvator, Non quod
intrat in os, coinquinat hominem. Omnis
I *Tim.* iv, 4, 5. quoque creatura Dei, bona; nihilque re-
jiciendum, quod cum gratiarum actione
sumitur : sanctificatur enim per verbum
Dei et orationem.

21 *Moyses enim a temporibus antiquis ha-
bet in singulis civitatibus, qui eum,* id
est Scripturas et libros ejus, *prædicent in* B
*synagogis, ubi per omne sabbatum legi-
tur.* Hoc intelligendum est de urbibus Ju-
dææ, et aliquarum terrarum in quibus
dispersi fuerunt Judæi, ubi a tempore suæ
dispersionis libros legis habuerunt atque
legerunt : qui etiam ad Christum conver-
si, non protinus legalia omiserunt in toto,
sed paulatim, quousque Evangelio divul-
gato, determinavit Ecclesia legalia omit-
tenda.

22 *Tunc placuit Apostolis et senioribus
cum omni Ecclesia* Jerosolymitana, *elige-* C
re viros ex eis, et mittere eos *Antiochiam
cum Paulo et Barnaba :* omnes enim con-
corditer verbis Petri et Jacobi consense-
runt. Deinde viri illi electi exprimuntur :
*Judam, qui cognominabatur Barsabas, et
Silam, viros primos in fratribus,* id est
post Apostolos inter notabiliores seu emi-
nentiores, in quibus dona gratiæ clarius
emicabant. Supra quoque dictum est, quod
Act. i, 23. Joseph cum Matthia constitutus, ut unus
eorum apostolus fieret, cognominatus sit
Barsabas, quod interpretatur filius quie- D
tis. Et forte ab excellentia hujus perfe-
ctionis, seu gratiæ contemplationis, sic
23 vocatus est Judas iste. *Scribentes,* id est,
scriptam epistolam dirigentes, *per manus
eorum,* videlicet Judæ atque Silæ, non
Pauli ac Barnabæ, qui in hac causa pars
fuerunt :

*Apostoli et seniores fratres, his qui
sunt Antiochiæ et Syriæ et Ciliciæ fra-
tribus ex gentibus,* id est de gentilitate
conversis, *salutem,* id est, veram beatitu-
dinem optant. Porro Syria, quæ ab He-
bræis Aram dicitur, regio est inter Eu-
phraten et mare Mediterraneum, usque
ad Ægyptum pertingens, et maximas ha-
bet provincias. Cilicia quoque nomen est
provinciæ Asiæ. Nam et Paulus de Tarso *Act.* xxii, 3.
urbe Ciliciæ fuit. *Quoniam audivimus* 24
quod quidam ex nobis exeuntes, videli-
cet Pharisæi præfati credentes, *turbave-
runt vos verbis, evertentes animas vestras*
a tranquillitate et sinceritate evangelicæ
conversationis, *quibus non mandavimus*
ut ita docerent legalia observanda ; *pla-* 25
cuit nobis collectis in unum corporaliter
ac spiritualiter : quia de communi sensu
acta sunt hæc, imo et de Christi inspira-
tione, qui ait : Ubi fuerint duo vel tres *Matth.* xviii, 20.
congregati in nomine meo, ibi sum in
medio eorum; *eligere viros,* videlicet Ju-
dam et Silam, *et mittere ad vos cum ca-
rissimis nostris Barnaba et Paulo, ho-* 26
minibus qui tradiderunt animas suas, id
est, mortis periculis exposuerunt, diver-
sis laboribus mancipaverunt, *pro nomine
Domini nostri Jesu Christi,* id est ex ejus
amore, pro catholica veritate, ad ipsius
honorem. *Misimus ergo Judam et Silam,* 27
qui et ipsi vobis eadem verbis referent,
quæ in epistola continentur, ut sitis cer-
tissimi de nostra responsione, verbis et
scriptis instructi.

Visum est enim, id est, bonum appa- 28
ruit seu placuit, *Spiritui Sancto,* qui in-
fallibilis est magister, et arbiter suæ po-
testatis exsistens, ubi vult spirat, et ea *Joann.* iii, 8.
quæ vult loquitur, *et nobis,* Spiritus San-
cti illuminatione edoctis, non sensum hu-
manum sequentibus, *nihil ultra vobis im-
ponere oneris,* id est observantiæ legalis,
quam hæc necessaria, observanda propter
causas prætactas : *Ut abstineatis ab im-* 29
*molatis simulacrorum, et sanguine, et
suffocato :* quæ verba jam exposita sunt;
et fornicatione : quod non ad cærimonia-
lia, sed moralia spectat præcepta. Nec du-
bium quin Paulus et Barnabas de forni-
catione id ipsum docuerint : ab Apostolis
tamen repetitur, ut a gentibus fortius ob-

servetur. *A quibus custodientes vos, bene* A
agetis, id est, meritorie, juste et obedien-
ter vivetis, simul et alia a Christo tradita
adimplentes. [*Valete*.]
30 *Illi ergo dimissi* ab Ecclesia Jerosoly-
mitana, *descenderunt Antiochiam. Et con-
gregata multitudine* conversorum ibidem
31 fidelium, *tradiderunt epistolam. Quam
quum legissent, gavisi sunt* gentiles con-
versi *super consolatione*, id est de conso-
latoria ista epistola, per quam a legalium
32 jugo exonerabantur. *Judas autem et Si-
las, et ipsi quum essent prophetæ :* spiritu B
enim fulserunt prophetico, et apostolicæ
perfectionis viri fuerunt; *verbo plurimum
consolati sunt fratres, et confirmaverunt*
in fide atque virtutibus. Saluberrima enim
documenta, et Scripturarum allegationes,
cum finali remuneratione justorum ac
impiorum, proposuerunt : quibus auditis
fratres conversi in bonis actibus robora-
bantur, id est, in mundi contemptu, et
Divinitatis amore creverunt.
33 *Facto autem ibi aliquanto tempore, di-
missi sunt cum pace* ab Antiochia *a fra-* C
tribus illius urbis *ad eos qui miserant
illos*, scilicet qui in Jerusalem erant. Hoc
tamen de Sila accipiendum non est, quia
34 cum Paulo remansit : nam sequitur, *Vi-
sum est autem Silæ ibi remanere. Judas*
35 *autem solus abiit Jerusalem. Paulus au-
tem et Barnabas demorabantur Antio-
chiæ.* Tuncque impletum fuit quod ait
Galat. II, 11. Paulus : Quum venisset Cephas Antiochi-
am, in faciem restiti ei. *Docentes et evan-
gelizantes cum aliis pluribus* viris sanctis
in Antiochia exsistentibus, *verbum Domi-* D
ni. Verum quod dictum est, Visum est au-
tem Silæ, usque ad id, Paulus autem et
Barnabas, non est de textu, nec habetur in
Græco, neque in libris correctis; sed olim
glossaliter additum, insertum est textui.
36 *Post aliquot autem dies, dixit ad Bar-
nabam Paulus : Revertentes visitemus
fratres per universas civitates in qui-
bus prædicavimus verbum Domini, quo-
modo se habeant*, id est, redeuntes ad eos,
videamus qualiter stent in fide ceteris-

que virtutibus. In quo patet quanta fuerit
in Paulo omnium sollicitudo Ecclesiarum. II Cor. XI, 28.
Barnabas autem volebat secum assumere 37
Joannem qui cognominabatur Marcus : Act. XII, 12, 25; XIII 5. 13.
de quo dictum est sæpe. *Paulus autem* 38
rogabat eum, scilicet Barnabam, *ut qui*
Joannes *discessisset ab eis de Pamphylia*,
sicut supra jam dictum est, *et non isset* Ibid. XIII, 13.
cum eis in opus, id est, opus Dei viriliter
aggressus non fuit, videlicet prædicationis
officium, seu persecutionis periculum :
siquidem timore imminentium periculo-
rum abscessisse videtur : *non debere re-
cipi eum* in comitatu, ne rursus deficiens,
alios suo scandalizaret pavore. Prædican-
tes etenim verbum Dei, potissime inter
infideles, stabiles esse debent, imperter-
riti, et pro fide seu æquitate mori parati.
Facta est autem dissensio inter Paulum 39
et Barnabam. Ista dissensio non fuit vitio-
sa, sed potius a Spiritu Sancto, ut sancti
viri ab invicem separati, majorem fru-
ctum prædicando producerent, dum in
pluribus locis ac gentibus verbum disse-
minarent. Uterque etiam ex rationabili
movebatur motivo, nec quidquam proprii
commodi quispiam eorum quærebat, sed
bonum commune : nec enim ex impa-
tientia aut simili passione, sed ratione
dictante separabantur. Unde secundum do-
ctores, paci atque concordiæ aliquando
non repugnat, quod aliqui in duobus dis-
cordant, dummodo in uno tertio sint con-
cordes. Et sic fuit in isto. Nam et Paulus
et Barnabas concordabant in hoc, ut id
fieret quod fuit magis pro Dei honore, et
evangelicæ prædicationis profectu. *Ita ut
discederent ab invicem, et Barnabas qui-
dem assumpto Marco, navigaret Cyprum*,
de qua fuerat natus. Dicit autem hoc loco
Scholastica historia : Ex eo quod Barna-
bas noluit Marcum dimittere, perpenditur
fuisse ejus cognatus : leguntur enim fuis-
se consobrini, juxta illud ad Colossenses,
Salutat vos Aristarchus, et Marcus conso- Coloss IV, 10.
brinus Barnabæ.
Paulus autem, electo Sila in adjutorem 40
et comitem, *profectus est* ab Antiochia,

traditus, id est oblatus seu commissus,
gratiæ Dei, tanquam fortissimo adjutorio
sine quo nihil valebat, *a fratribus* Antio-
chenis pro ipso devotissime intervenien-
41 tibus. *Perambulabat autem Syriam et
Ciliciam, confirmans Ecclesias,* id est fi-
A deles quoscumque invenit, *præcipiens* eos
*custodire præcepta Apostolorum et senio-
rum,* qui in Jerusalem erant, et aliqua
pro fidelium salute instituerunt servan-
da, sicut in præsenti capitulo de quatuor vers. 29.
punctis inductum est.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO CAPITULI SEXTIDECIMI : PERVENIT AUTEM IN DERBEN ET LYSTRAM.

AB hoc loco usque in finem voluminis,
prosequitur S. Lucas prædicationes,
1 actus atque miracula Pauli apostoli. *Per-
venit autem* Paulus cum Sila *in Derben
et Lystram,* civitates provinciæ Lycaoniæ.
Et ecce discipulus quidam erat ibi, scili-
cet in Lystris, *nomine Timotheus,* jam
christianus effectus ; *filius mulieris vi-
duæ,* nam pater ejus fuit tunc mortuus,
fidelis, quia natione fuit Judæa, religione
vero christiana, quemadmodum ad eum-
II *Tim.* I, 5. dem Timotheum scribit Apostolus : Re-
cordationem, inquiens, accipiens fidei quæ
est in te non ficta, quæ et habitavit pri-
mum in avia tua Loide, et matre tua Eu-
nice. *Patre gentili.* Pater enim ipsius fuit
gentilis. Judæi namque dispersi, vicissim
2 cum alienigenis contraxerunt. *Huic,* ut-
pote Timotheo, *testimonium bonum per-
reddebant hibebant qui in Lystris erant et Iconio
fratres,* id est in urbibus illis.
3 *Hunc voluit Paulus secum proficisci.* Vi-
dit enim quod idoneus esset et aliis præ-
sidere ac prædicare, magnumque secum
fructum afferre. Verumtamen in Scho-
lastica fertur historia, quod primo fecit
eum episcopum fidelium in Lystris ma-
nentium, postea duxerit eum secum. *Et
assumens circumcidit eum propter Ju-
dæos qui erant in illis locis,* ne scanda-
lizarentur, habendo episcopum non cir-
cumcisum, seu intuendo quod Judæus
B incircumcisus iret et prædicaret cum Pau-
lo. Illa autem circumcisio, quamvis non
fuit necessaria, tamen licita fuit, ad re-
movendum scandalum pusillorum. Legalia
enim tunc ad tempus poterant a Judæis
conversis servari, dummodo spem in illis
non ponerent ; paulatimque, non subito,
erant tollenda, et quasi cum honore ma-
ter Synagoga sepelienda. *Sciebant enim
omnes quod pater ejus gentilis erat.* Id-
eoque is ut ethnicus, non permisit suum
filium circumcidi : quod et Judæis illis
C innotuit.
Quum autem pertransirent civitates 4
Paulus, Silas et Timotheus, *tradebant eis,*
id est, Christianis in urbibus illis moran-
tibus commiserunt, *dogmata quæ erant
decreta* servari *ab Apostolis et senioribus
qui erant Jerosolymis :* qui tanquam prin-
cipalissimi, ceteris certa documenta ser-
vanda sanxerunt ac insinuaverunt. *Et Ec-* 5
clesiæ quidem particulares per diversas
provincias *confirmabantur in fide,* quæ
tunc prænecessaria fuit, imo et cunctis
D virtutibus, principaliter a Spiritu Sancto,
ministerialiter vero ab Apostolis adjuto-
ribusque ipsorum, *et abundabant numero
quotidie,* ita quod omni die plures con-
vertebantur ad fidem.
Transeuntes autem Phrygiam, provin- 6
ciam Asiæ, *et Galatiæ regionem* etiam
Asiæ. Dicitque Beda : Galatia, provincia

Asiæ, a Gallis vocabulum trahens, qui in A
auxilium a rege Bithyniæ evocati, regnum
cum eo facta victoria diviserunt; et ita
deinde Græcis admixti, primo Gallogræci,
postea Galatæ sunt vocati. *Vetiti,* id est
prohibiti, *sunt a Spiritu Sancto* per re-
velationem internam, seu alio modo, *lo-
qui verbum Dei in Asia.* Cur hoc? Forte
quia Spiritus Sanctus prævidit Asianos
tunc non credituros, ideo ne gravius ca-
derent, prohibuit eis prædicari; vel quia
alteri Apostolo, puta Joanni, hanc instru-
7 endam servavit provinciam. *Quum venis-* B
sent autem in Mysiam, quæ est provincia
alias Eolis Asiæ, et nunc Colis vocatur. Est autem
et altera ejusdem nominis in Europa My-
* Bosnia sia superior, quæ nunc Bosna* vocatur, et
inferior, quæ Bulgaria, ubi Danubius in
Euxinum pontum influit. *Tentabant ire
in Bithyniam.* Bithynia est nomen pro-
vinciæ Asiæ minoris, et item civitatis in
ea. *Et non permisit eos Spiritus Jesu* il-
luc ire ad prædicandum, eisdem rationi-
bus quæ de præcedenti prohibitione sunt
assignatæ. Nam et Lucas post in Bithynia C
prædicavit. Porro Spiritus Jesu, est Spiri-
Rom. VIII, 9. tus Sanctus, de quo ait Apostolus: Si quis
Spiritum Christi non habet, hic non est
ejus. Appellaturque demum Spiritus San-
ctus, Spiritus Jesu seu Christi, quia ab
ipso secundum suam divinam naturam
procedit, atque in ipso secundum natu-
ram humanam plenissime requievit ac re-
Is LXI, 1. quiescit, juxta illud Isaiæ: Spiritus Do-
mini super me, eo quod unxerit me.
8 *Quum autem pertransissent Mysiam,*
descenderunt Troadem, civitatem Asiæ D
maritimam, quæ et Antigonia est vocata;
9 *et visio per noctem Paulo ostensa est.* Ista
fuit imaginaria visio, et facta videtur in
somno. Deinde visio ipsa describitur: *Vir
quidam Macedo,* id est effigies viri Ma-
cedonis, vel secundum Bedam et Schola-
sticam historiam, angelus gentis illius, in
similitudinem viri hujusmodi, *erat stans,
deprecans eum,* scilicet Paulum, *et di-
cens: Transiens in Macedoniam, adjuva
nos* ad consequendam salutem. Certum
est quod imagines rerum istarum et ver-
ba interna, angelico ministerio formaban-
tur in vi imaginativa S. Pauli, sicut in
propheticis visionibus fieri consuevit. *Ut* 10
autem visum vidit, spiritualiterque intel-
lexit, *statim,* die facto, *quæsivimus pro-
ficisci in Macedoniam, certi facti quod
vocasset nos Dominus evangelizare eis.*
Hoc loco Lucas primo connumerat se so-
ciis Pauli. Macedonia autem est provincia
Græciæ nobilissima, et virtutibus Alexan-
dri Magni nobilior facta.
Navigantes autem a Troade, recto cur- 11
su venimus Samothraciam, quæ est Ægæi
maris insula in Pagasæo sinu, *et sequenti
die Neapolim.* Hæc civitas est Cariæ, quæ
est provincia Asiæ. *Et deinde Philippos:* 12
quæ est civitas in prima parte Macedo-
niæ, a Philippo rege patre Alexandri Ma-
gni nomen sortita; cujus fidelibus missa
est epistola Pauli, quæ ad Philippenses in-
titulatur; *quæ est prima partis Macedo-
niæ,* quia primo occurrit intrantibus Ma-
cedoniam ab ea parte qua Paulus de mari
egrediens, eam ingressus est, *civitas* exsi-
stens *colonia.* Dicitur autem colonia, civi-
tas quæ defectu indigenarum novis imple-
tur habitatoribus atque cultoribus. Unde
a cultu agri, colonia dicta est. *Eramus
autem in urbe hac diebus aliquot confe-
rentes* cum civibus urbis istius.
Die autem sabbatorum egressi sumus 13
*foras portam juxta flumen, ubi videba-
tur oratio esse:* quia ibidem quædam per-
sonæ confluxerant ad supplicandum sive
loquendum. Orare enim utrumque signi-
ficat. Locus quoque ille videbatur aptus
ad hæc. *Et sedentes loquebamur mulie-
ribus quæ convenerant. Et quædam mu-* 14
*lier nomine Lydia, purpuraria civitatis
Thyatirenorum,* id est hominum de urbe
nomine Thyatira, quæ fuit urbs Lydiæ
provinciæ Asiæ, de qua in Apocalypsi ha-
betur: Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe. *Apoc.* II, 18.
De qua urbe fuit hæc Lydia oriunda, sed
in Philippis manebat. Dicitur autem pur-
puraria, secundum Bedam, quia venditrix
purpuræ, vel secundum alios, textrix il-

lius. *Colens Deum* verum, qui unus est : A jam enim fuit, ut legitur, de gentilitate ad Judaismum conversa ; *audivit* verba nostra. *Cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo.* Homo enim forinsecus movet auditum ; sed nisi Deus intus mentem tangat atque illuminet, inanis est strepitus. Ideo ait Sal-
Joann. vi, 44. vator : Nemo venit ad me nisi Pater meus
15 traxerit eum. *Quum autem baptizata esset* ipsa, *et domus,* id est soboles seu familia *ejus, deprecata est, dicens : Si judicastis me fidelem esse Domino,* id est veraciter B christianam, *introite in domum meam, et manete* ibidem ad libitum. *Et coegit nos.* Ex quibus constat quod opulenta fuit, grata et multum devota.

16 *Factum est autem euntibus nobis ad orationem,* id est locum ad hoc aptum, *puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ magnum quæstum præstabat dominis suis divinando.* Apollo qui et Pytho, vel Phyto, inventor fuit cujusdam divinationis, qua veritas a mortuis investigatur, per suscitationem C defuncti præstigialem, vel a vivis, qui revelante diabolo secreta seu futura denuntiant. Et viri hæc facientes, seu taliter divinantes, pythones, a Pythone Apolline, mulieres autem pythonissæ, vocantur. Et juxta primum modum dicitur mulier py- I Reg. xxviii, 7 et seq. thonissa, de qua primo Regum scribitur Saul petisse suffragium. Sed juxta secundum modum hæc puella pythonissa asseritur : quæ divinando, id est, futura aut secreta ex dæmonis revelatione pandendo, magnum quæstum, id est lucrum, contu- D lit dominis quorum ipsa fuit ancilla, quia pro pretio ad interrogata respondit. Præterea sicut in Scholastica historia dicitur, dupliciter intelligi potest ista puella fuisse pythonissa. Primo, quia per spiritum pythonis operabatur arte magica, sicut mulier illa primi Regum, quæ per magicam artem fecit dæmonem apparere in similitudine alicujus defuncti ad dandum de occultis responsum. Secundo, quia spiritu pythonico vexabatur : sicque aliqui asserunt eam pythonissam fuisse atque obsessam : nam dæmon habitavit in ea, dans per ipsam responsa. Quæritur, quomodo puella ipsa habuit spiritum pythonem. Et respondendum, quod per spiritum pythonem, intelligi potest diabolicus spiritus, per artem a Pythone Apolline inventam evocatus, apparens sive cooperans atque respondens. Unde primo Regum scribitur Saul dixisse : Quærite mihi I Reg. xxviii, 7. mulierem habentem pythonem. De hac autem divinatione loquitur Thomas in secunda secundæ, quæstione 95.

Hæc subsecuta Paulum et nos, clamabat, dicens : Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis, 17
videlicet evangelicam legem, et divinorum præceptorum custodiam seu fidem catholicam : quæ omnia sunt via ducens ad salutem æternam seu Christum, qui ait, Ego sum via ; et, Nemo venit ad Patrem Joann. xiv, 6.
nisi per me. *Hoc autem faciebat multis* 18
diebus. Dolens autem Paulus de periculo et infestatione puellæ, *conversus* vultu ad puellam retro se vociferantem, *dixit spiritui : Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea :* quia indignum fuit ut verbum Evangelii spiritus nuntiaret immundus. Ideo quoque jussit eum exire, ne qui eum audierunt vera loquentem, crederent postea mendacia proferenti. Veris enim falsa admiscere dæmones consueverunt. Unde hoc facto, Paulus imitatus est Christum, qui dæmoni dicenti, Scio quia Marc. i, 24, 25. sis Sanctus Dei, dixit : Obmutesce, et exi de homine.

Quæritur, quo impellente locutus est dæmon adversarius humanæ salutis verba memorata, de Paulo ejusque sociis. Et respondendum, secundum quosdam, quod bono naturæ hæc dixit, quia naturæ consonum est, verum cognitum confiteri. Alii dicunt, quod cogente Spiritu Sancto hæc protulit. Ait namque circa hoc Beda : Non voluntatis ista confessio est, quam sequitur præmium confitendi ; sed timore Spiritus Sancti cogente, vera spiritus mendax loquitur, non ausus luce præsente suas

Ps. XLIX, 16. ultra celare virtutes. Peccatori autem di- A
xit Deus : Quare tu enarras justitias meas?
— Verum contra hoc objiciunt quidam,
quod dictum est, Dolens autem Paulus,
scilicet de illo clamore : non enim doluis-
set de eo quod a Spiritu Sancto factum
fuisset, nec illud impedivisset. Sed illa
instantia faciliter solvitur : Nempe quod
dicitur, Dolens autem Paulus, non oportet
ad veritatis illius protestationem referre,
sed ad calamitatem puellæ. Rursus, etsi
de protestatione veritatis per dæmonem
facta dolebat, hoc non fuit in quantum B
ibi fuit enuntiatio veri, sed in quantum
id mala intentione fiebat, et ne veritati
spiritus nequam inde falsa misceret.
19 *Videntes autem domini ejus,* puta puel-
læ, *quod exiit spés quæstus eorum,* id
est, amplius fiduciam non haberent solita
lucra obtinendi per divinationem suæ an-
cillæ, *apprehendentes Paulum et Silam,*
perduxerunt in forum ad principes, quo-
20 rum fuit judicare impios et punire ; *et of-*
ferentes eos magistratibus, dixerunt : Hi
homines conturbant civitatem nostram, C
id est concives, *quum sint Judæi,* qui
contra Romanorum censuram prohibent
21 deorum culturam, *et annuntiant morem,*
id est novum ritum colendi Deum Chri-
stum, *quem non licet nobis suscipere, ne-*
que facere, quum simus Romani, id est
Romanis confœderati ac subditi. Jam enim
ordinaverunt Romani, ne sine approbatio-
ne senatus aliquis de novo deus dicere-
22 tur aut coleretur. *Et cucurrit plebs ad-*
versus eos, et magistratus, cito credentes
omni spiritui. *Et scissis tunicis eorum,* D
tanquam hominum pessimorum et vili-
um, *jusserunt* magistratus *virgis eos cæ-*
23 *di. Et quum multas plagas eis imposuis-*
sent, miserunt eos in carcerem. In hac
punitione fecerunt contra Romanos, sicut
infra dicetur. *Præcipientes custodi ut di-*
ligenter eos custodiret, tanquam valde
24 damnabiles. *Qui quum tale præceptum*
accepisset, misit eos in interiorem car-
cerem, qui fuit forte profundior, pœna-
lior, et inconfringibilior, *et pedes eorum*
strinxit in ligno, ne quoquam modo effu-
gerent.
Media autem nocte Paulus et Silas, 25
adorantes, laudabant Deum, in tot adver-
sitatibus gratias cum gaudio referentes,
juxta quod legitur : Media nocte surge- Ps. CXVIII, 62.
bam ad confitendum tibi ; *et audiebant*
eos, qui in custodia, id est in carcere,
erant, quod tam alacriter Deum lauda-
rent. *Subito vero terræ motus factus est* 26
magnus, non ubique, neque a causa na-
turali, sed ubi fuerunt detenti, et a virtu-
te angelica, ad demonstrandum sanctita-
tem et virtutem orationis istorum. Propter
quod ait Beda : Devotio apostolici pectoris,
et virtus orationis exprimitur, dum et illi
hymnos in imo carceris cecinerint, et eo-
rum laus terram commoverit, carcerisque
fundamenta concusserit, et aperuerit ostia,
atque ipsas postremo vinculatorum cate-
nas resolverit. Hinc subditur : *ita ut mo-*
verentur fundamenta carceris. Et statim
aperta sunt omnia ostia; et universorum,
non Pauli et Silæ dumtaxat, sed omnium
qui erant in carcere, qui meritorum par-
ticipes facti sunt Apostolorum sanctorum,
vincula soluta sunt potestate angelica ac
divina.
Expergefactus autem custos carceris, et 27
videns januas carceris apertas, evaginato
gladio volebat se interficere, præ tristitia
et dolore, *æstimans fugisse vinctos,* et ob
id morte substantiave puniendum se re-
putans. *Clamavit autem Paulus voce ma-* 28
gna, dicens : Nihil tibi feceris mali :
universi enim hic sumus. Spiritu reve-
lante, vidit in mente quid carceris custos
incepit : cujus damnationi compatiens, af-
fectuosissime clamavit. *Petitoque lumine* 29
a ministris suis, *ingressus est ; et treme-*
factus de effectibus tam miraculosis, *pro-*
cidit Paulo et Silæ ad pedes, sanctitatem
et virtutem eorum admirans, honorans,
imitarique cupiens. *Et producens eos fo-* 30
ras, scilicet extra carcerem. In quo patet,
quod amor Apostolorum abstulit ab eo ti-
morem principum suorum, contra quo-
rum edictum eduxit Apostolos : imo et

amor veræ salutis ad hoc ipsum induxit.
Nam subditur, *ait : Domini, quid me opor-*
31 *tet facere, ut salvus fiam? At illi dixe-*
runt : Crede in Dominum Jesum, Deum
et hominem : in quem creditur secundum
quod Deus est. Propter quod dixit Apo-
stolis : Creditis in Deum, et in me cre- (*Joann.* xiv, 1.)
dite. Porro in Jesum credere, est caritate
et opere fidem ornare. *Et salvus eris tu,*
et domus tua, id est domestici tui, tuum
32 sequendo exemplum. *Et locuti sunt ei*
verbum Domini, cum omnibus qui erant
in domo ejus.
33 *Et tollens eos,* id est, ad meliora domus
suæ loca introducens eos, *in illa hora no-*
ctis, lavit plagas eorum corporales, ut la-
varentur ab eis suæ plagæ spirituales; *et*
baptizatus est ipse, et omnis domus ejus
continuo. Non dubium quin ante bapti-
zationem hanc Apostolus prædicaverit il-
lis diffuse de mysteriis fidei christianæ.
34 *Quumque perduxisset eos in domum su-*
am, apposuit eis mensam, ad corporalem
refectionem, a quibus mente fuit refe-
ctus. Nec indecens fuit Apostolis tam mane
seu ante auroram comedere, qui flagellis
ac carcere fuerant extenuati. Necessitas
quippe, impossibilitas et infirmitas legem
non habent. *Et lætatus est cum omni do-*
mo sua de sua conversione, Apostolorum
sanctitate, et quod se gladio non inva-
sit. Similiter omnes domestici sui sunt
gavisi.
35 *Et quum factus esset dies, miserunt*
magistratus lictores, scilicet nuntios ad
custodem carceris, *dicentes : Dimitte ho-*
mines illos. Cur hoc nuntiaverunt, in tex-
tu non dicitur. Verum in Ecclesiastica* (* Scholastica)
historia legitur, quod ideo ne plures cre-
derent, quia miraculum præscriptum jam
eis innotuit. Vel, ut alii dicunt, passio-
num impetu quo injuste punierunt Apo-
stolos, jam sedato adverterunt se injuste
36 fecisse. *Nuntiavit autem custos carceris*
verba hæc Paulo, tanquam principaliori :
Quia miserunt magistratus ut dimitta-
mini. Et inde gavisus est custos, cernens
nullum sibi instare periculum, quod edu-
A xisset illos de carcere. *Nunc ergo exeun-*
tes, ite in pace.
Paulus autem dixit eis : Cæsos nos 37
publice, indemnatos, homines Romanos,
miserunt in carcerem. Quasi dicat : In
hoc multipliciter excesserunt, quod homi-
nes innocentes quasi maleficos publice
flagellari fecerunt, et sine justo judicio
incarceraverunt, ex vehementia passio-
num suarum, quum simus Romani. Pau-
lus enim fuit civis Romanus, non quasi
ibi natus, sed quia civilitas illa patri ejus
B fuit collata pro se ipso suisque filiis, ut (*Act.* xxii, 27, 28.)
infra dicetur. Quomodo autem Silas fuit
Romanus, non est adeo certum, sed in
Scholastica historia ita habetur : Roma-
nos, id est subjectionem professos Roma-
no imperio, capitis censu, puta denario,
qui super caput ponebatur ab his qui se
Romano imperatori profitebantur subje-
ctos, atque Romana libertate donatos. *Et*
nunc occulte nos ejiciunt? In quo Roma-
næ civilitati derogaverunt, et contra Ro-
manorum egerunt decretum : quo fuit
C sancitum, nullum damnari nisi locum ex- (*Ibid.* xxv, 16.)
cusationis acciperet. *Non ita; sed veni-*
ant, et ipsi nos ejiciant. Non ex impati- 38
entia, sed zelo justitiæ dixit hoc Paulus,
et ne in ipso ac suis scandalizarentur,
atque a fide suscipienda impedirentur pu-
silli; et item, ut sicut fuit publica punitio,
sic esset et manifesta ereptio, ut veritas
cunctis pateret.
Nuntiaverunt autem lictores magistra-
tibus verba hæc. Timueruntque, audito
quod Romani essent. Formidabant enim
D de his apud Romanos accusari atque affli-
gi. *Venientesque deprecati sunt eos,* ut si- 39
bi ignoscerent, quia per ignorantiam hæc
fecissent, *et educentes, rogabant* eos *ut*
egrederentur de urbe, ne in civitate ori-
retur dissensio propter eorum præsen-
tiam et doctrinam. *Exeuntes autem de* 40
carcere, introierunt ad Lydiam; primo
tamen de carcere ingressi fuerunt domum
custodis ipsius. Nam femina hæc de Apo-
stolorum injusta persecutione fuit pluri-
mum contristata : quod Paulus in se ipso

perpendens, accessit ad eam cum suis gra-
tia consolationis, mirabilia Dei quæ con-
tigerunt insinuans ei, ipsamque in fide
A confortans. *Et visis fratribus*, scilicet Chri-
stianis qui jam in hac urbe fuerunt, *con-
solati sunt eos, et profecti sunt.*

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : QUUM AUTEM PERAMBULASSENT AMPHIPOLIM.

1 Q*UUM autem perambulassent Amphi-
polim,* urbem scilicet Macedoniæ sic
vocatam, *et Apolloniam,* quæ et ipsa est
civitas Macedoniæ : et est alia in Afri-
ca quæ vocatur Pentapolis ; *pervenerunt
Thessalonicam,* Macedoniæ urbem, *ubi erat
synagoga Judæorum.* Judæi enim ibidem
manentes, in urbe illa domum in qua ad
colendum Deum confluebant, habebant. Et
sicut ecclesia interdum pro congregatio-
ne Christianorum, interdum pro materiali
templo accipitur, ita et synagoga nunc pro
collectione Judæorum, nunc pro materiali
eorum suscipitur templo. Unde apud Lu-
cam dicunt Judæi de centurione ad Chri-
Luc. VII, 5. stum : Synagogam ipse ædificavit nobis.
2 *Secundum consuetudinem autem* suam
Paulus introivit ad eos in synagogam, vo-
lens omnibus loqui de Christo, *et per sab-
bata tria disserebat eis de Scripturis.* Die
enim sabbati magis confluxerunt Judæi ;
et paulatim præparavit corda illorum ad
suscipiendam fidem catholicam, compro-
bans ex Scripturis quæ de Christo mox
3 proponere intendebat. Hinc subditur, *ad-
Ibid. XXIV, 46. *aperiens et insinuans quia Christum opor-
tuit pati, et resurgere a mortuis.* Horum
utrumque in Prophetis de Christo copiose
Dan. IX, 26. prædictum est : imo et tempus suæ occi-
sionis in Daniele apertissime prætaxatum
ostenditur. Oportuit autem Christum pa-
ti, non necessitate absoluta, imo ipse se
ipsum tradidit morti, quemadmodum in
Is. LIII, 7. Isaia habetur, Oblatus est quia ipse vo-
luit ; sed conditionata, seu ex hypothesi,
quia videlicet divinitus fuit præordinatum
B atque prophetice prænuntiatum, per vo-
luntariam Christi passionem salvandum
esse genus humanum, et quod non aliter
salvaretur. *Et quia hic est Jesus Christus,
quem ego annuntio vobis.* Quidquid nam-
que de Christo vaticinatum fuit, in Jesu
Nazareno impletum probatur, videlicet
quoad locum, et tempus, ac genus. Nam
natus est tempore a Daniele præfixo, in *Dan.* IX, 25;
civitate a Michæa prædicta ; item, de tri- *Mich.* V, 2; *Gen.* XLIX,
bu Juda, prout Jacob prædixit. Insuper 10.
fecit miracula, quemadmodum Isaias præ- *Is.* XXXV, 5-
C dixit. Vixit, docuit, sicut in Prophetis præ- 7.
dictum est. Sustinuit tale genus mortis
quale a David et ab Isaia fuit prænuntia-
tum. Deinde resurrexit, ascendit, Spiritum
Sanctum misit. Per discipulos innumera-
bilia, maxima solique Deo possibilia egit
miracula.
Et quidam ex eis, puta Judæis istis, 4
crediderunt in Christum, *et adjuncti sunt*
mente et corpore *Paulo et Silæ,* ut ple-
nius informarentur de Christo et fide ca-
tholica ; *et de colentibus* unum verum
D Deum, scilicet gentilibus ad Judaismum
conversis, qui appellantur proselyti ; *gen-
tilibusque,* qui scilicet usque tunc in gen-
tili ritu permanserant, *multitudo magna*
conversa est ; *et mulieres nobiles non pau-
cæ :* quæ etsi ante jam carnis propagine
nobiles exstiterunt, credendo in Christum,
atque cœlestem regenerationem sumendo,
multo nobiliores effectæ sunt mente, vir-
tutum præclarissima dignitate.
Zelantes autem Judæi, id est, increduli 5
Judæi honori et gloriæ Jesu Christi disci-

pulorumque ejus invidentes, et legem Mo- A
saicam inordinate zelantes, seu diligen-
tes vel imitantes, *assumentesque de vulgo*
viros quosdam malos, ut multitudine ac
impetuoso et irrationabili strepitu præ-
valerent, qui nullam pro se rationem ha-
bebant, *turba facta, concitaverunt civi-*
tatem, id est habitatores Thessalonicæ,
verbis mendacibus eos contra Apostolos
provocando. *Et adsistentes domui Jaso-*
nis, hospitis Pauli et Silæ, *quærebant eos*
producere in populum, id est ad publi-
cum trahere, tanquam maleficos, ut eis B
visis, populus contra eos insurgeret.
6 *Et quum non invenissent eos,* quia jam
alibi occupabantur, *trahebant Jasonem et*
quosdam fratres, scilicet Christianos, *ad*
principes civitatis. Forte putabant Apo-
stolos ab istis præmonitos aut occultatos.
Clamantes : Quoniam hi sunt qui urbem
concitant, id est, discordiam inter cives
pariunt. Semper malitia, specie aliqua
bonitatis se palliat. Unde et hi quum es-
sent pravissimi, tamen reipublicæ ama-
tores se confinxerunt, ut eis celerius cre- C
deretur ; et quod ipsi fecerunt, Apostolis
et eorum imponebant discipulis. *Et huc,*
7 puta ad Thessalonicam, *venerunt, quos Ja-*
son suscepit hospitio, scilicet Paulus cum
suis. *Et hi omnes contra decreta Cæsaris*
faciunt, regem alium dicentes esse Jesum.
Romanus etenim imperator tunc fuit mo-
narcha, et sine sua licentia noluit ali-
quem regem vocari, præsertim qui non
fateretur se Romano subjectum imperio.
Paulus autem et Silas prædicaverunt Je-
sum esse Regem regum ; sed per hoc, D
temporali dominio imperatoris non dero-
8 gabant. *Concitaverunt autem plebem et*
principes civitatis audientes hæc verba,
et non intelligentes quo sensu essent pro-
9 lata. *Et accepta satisfactione a Jasone et*
ceteris fratribus. Quum enim veraciter fu-
erint innoxii, poterant se rationabiliter
excusare, et verba Apostolorum ita in-
terpretari quod non derogabant Romanis,
eo quod Christi regnum spirituale con-
sistat. *Dimiserunt eos.*

Fratres vero confestim per noctem di- 10
miserunt Paulum et Silam in Berœam,
Macedoniæ urbem sic dictam, non Beroam,
ut quidam scribunt. Opportuno etenim
tempore fugiendum esse a facie perse-
quentium de loco ad locum, Christus ver- *Matth.* x,
bo docuit et exemplo. Nam et ipse in 23; *Joann.* x, 39, 40; xi,
Evangelio scribitur sic operatus. *Qui quum* 54, etc.
venissent in Berœam, *in synagogam Ju-*
dæorum introierunt. Ineffabili enim et
ardentissima caritatis affectione sitiebat
Paulus Judæorum salutem ; et quo eum
durius persequebantur, eo cordialius eis
compatiebatur ; nec adversa in ipso ca-
ritatem tepere fecerunt, imo potius suc-
cenderunt. Hinc ab aliis ejectus, ad alios
accedere non cessavit, cupiens saltem ali-
quem salvare ex eis.
Hi autem, videlicet Berœenses, *erant* 11
nobiliores, nobilitate animi et virtutum,
eorum qui sunt Thessalonicæ, id est Thes-
salonicensibus nobiliores, seu de nobili-
oribus illorum. Et cur hoc, subdidit : *qui*
susceperunt verbum evangelicæ prædica-
tionis a Paulo *cum omni aviditate,* id est
perfecta mentis appetitione, qua verita-
tem appetierunt ac salutem, *quotidie scru-*
tantes, id est, diligenter investigantes ac
considerantes, *Scripturas* veteris Testa-
menti in quibus de Christo fit mentio, *si*
hæc quæ Paulus de Jesu prædicavit, *ita*
se haberent. Non enim levi incircum-
spectaque mente fuit lex nova suscipien-
da, aut aliquis Christus credendus, sed
Scripturæ fuerant revolvendæ, an nova
veteribus consonarent. Verum fide rece-
pta, non sunt Scripturæ scrutandæ ad vi-
dendum an hæc ita se habeant, sed ad
intuendum clarius, ad prædicandum pro-
bandumque fortius, quod utique ita se
habent. Itaque nobilitas mentis est, studio
Scripturarum sincero fine insistere, sa-
pientiæ operam dare, virtutibus animam
decorare. Et qui in his amplius occupa-
tur, illustrior comprobatur. *Et multi qui-* 12
dem crediderunt ex eis, et gentilium mu-
lierum honestarum, quæ sua honestate
ac probitate naturali ad fidei susceptio-

nem et veritatis amplexum magis erant
dispositæ, *et viri non pauci* : sicque ex
utroque populo et sexu utroque conversi
sunt plurimi.
13 *Quum autem cognovissent in Thessa-
lonica Judæi, quia et Berœæ prædicatum
est a Paulo verbum Dei, venerunt illuc,
commoventes et turbantes multitudinem*
Berœensium. Impiis quippe damnatio non
sufficit propria, sed aliorum quoque im-
pedire salutem nituntur, et parificare eos
14 sibi in vitiis. *Statimque Paulum tunc di-
miserunt fratres, ut iret usque ad mare,*
et per illud ad loca alia navigaret ad
prædicandum. Ipsum enim Judæi magis
Act. xiv, 11. persequebantur, quia erat dux verbi. *Si-
las autem et Timotheus remanserunt ibi,*
puta in Berœa, ad confirmationem et con-
solationem ibi credentium.
15 *Qui autem deducebant Paulum,* qui
erant credentes, *perduxerunt eum usque
ad Athenas,* famosissimam Græciæ urbem,
et philosophiæ studiis olim mancipatam.
I Cor. I, 22. Noverant hi Paulum ducentes, quod Græci
sapientiam quærerent : ideo eum tan-
quam sapientissimum ad urbem studen-
tium deduxerunt. *Et accepto mandato ab
eo,* scilicet Paulo, *ad Silam et Timotheum,*
quibus mandavit *ut quam celeriter,* id est
valde festinanter, *venirent ad illum, pro-
fecti sunt* ad eum, tanquam boni discipuli.
Paulus enim intendebat in Athenis for-
titer prædicare : idcirco illorum tam præ-
cipuorum virorum volebat adsistentiam
habere atque præsentiam, quatenus et ipsi
aliquibus loquerentur quæ Dei sunt. Si-
Prov. XVIII, 19. quidem frater qui adjuvatur a fratre, qua-
16 si civitas munita. *Paulus autem quum
Athenis eos exspectaret, incitabatur spi-
ritus ejus in ipso,* id est, anima ejus intra
se æstuavit dolore, compassione, deside-
rioque conversionis errantium, *videns ido-
lolatriæ deditam civitatem* tam inclytam.
Unde zelo divini honoris succensus est,
et a Spiritu Sancto inflammatus ad veræ
17 Divinitatis cultum denuntiandum. *Dispu-
tabat ergo in synagoga cum Judæis et co-
lentibus,* id est gentilibus ad Judaicam
A legem conversis, *et in foro, per omnes
dies* quibus ibi fuit, ex quo loqui exor-
sus est, *ad eos qui audierant,* qui scilicet
ibi præsentes fuerunt. Veritas enim non
quærit angulum, et omnis qui facit ve- Joann. III, 21.
ritatem, venit ad lucem.
Quidam autem Epicurei et Stoici phi- 18
losophi disserebant cum illo, contra eum
argumentando, ut moris est ipsis philo-
sophis, dum aliqua suis documentis con-
traria audiunt. De sectis vero et distin-
ctionibus philosophorum Augustinus in
B libro de Civitate Dei copiose pertractat.
Epicurei autem philosophi, a magistro et
principe suo Epicuro nomen sortiti sunt,
beatitudinem hominis in corporis volu-
ptatibus constituentes : quanquam, te-
ste Hieronymo, ipsemet Epicurus hoc do-
cens, continentissime vixerit, oleribus utens
exiguis. Stoici vero in sola animi vir-
tute felicitatem hominis posuerunt. Hi
inter se discordantes, contra Apostolum
concorditer argumentabantur. *Et quidam
dicebant : Quid vult seminiverbius hic*
C *dicere?* id est, quid iste fabulator, et in-
utilium prolator sermonum prætendit ?
Verumtamen sanctus Apostolus vere se-
miniverbius, id est verbi seminator, fuit.
Semen enim est verbum Dei. Et ipse ait : Luc. VIII, 11.
Nos vobis spiritualia seminavimus. Se- I Cor. IX, 11.
minator ergo erat verborum, et messor
morum, de hujusmodi messionibus uberes
fructus exspectans. *Alii vero* dicebant :
*Novorum dæmoniorum videtur annun-
tiator esse.*

Varios dæmonum ordines posuerunt
D gentiles, præsertim Platonici, scilicet, calo-
dæmones, catodæmones, et cacodæmones :
quorum quosdam dixerunt bonos, quos-
dam perversos. Calodæmones asserebant
multum virtuosos, et summo Deo jugi-
ter adsistentes : quod theologi de angelis
superiorum adstruunt ordinum. Catodæmo-
nes insuper appellabant substantias intel-
lectuales bonas, hominum custodiæ de-
legatas, atque ad bona cohortantes : quod
de angelis inferiorum chororum edocent
Sancti. Cacodæmones vero vocabant ma-

lorum persuasores ac punitores : quod nos A
dæmonibus convenire asserimus. Platonici
tamen, nomine dæmonis non semper intel-
lectum perversum intellexerunt, sed intel-
lectualem substantiam, quum dæmon di-
catur a δαίμων nomine Græco, quod Latine
interpretatum est, intellectus vel peritus.
Præfatas demum substantias inter deos
computaverunt et coluerunt, potissimum
quæ de primo secundoque ordine sunt :
imo et quidam etiam infernalibus diis sa-
crificaverunt, quatenus amicorum et pro-
pinquorum suorum spiritibus in inferno B
detentis, mitiores consisterent. De hac re
in Phædone et Timæo loquitur Plato. —
Itaque quibusdam Atheniensibus videba-
tur quod S. Paulus, ob nimiam doctrinæ
suæ incomprehensibilitatem inauditamque
altitudinem, prædicaret colenda esse dæ-
monia hactenus inaudita, sive de bonis,
sive de malis, sive de optimis secundum
eorum errores id intelligatur. Dæmones
equidem dicebant animalia mente ratio-
nalia, animo passiva, corpore aeria, tem-
pore æterna, sicut ex Porphyrii verbis et C
Apuleii innotescit.

Nos autem Christiani, dæmones dicimus
quidem in cœlo creatos, et de cœlo, eo-
rum exigente superbia, partim in infima
terræ dejectos, partim in aere tanquam
congruo sibi carcere damnatos, nocendi
semper cupidos, a justitia alienos, super-
bia tumidos, invidentia lividos, fallacia
callidos.

19 *Et apprehensum eum, ad Areopagum,*
id est vicum in quo Mars colebatur, *du-*
xerunt, dicentes. Notandum quod Athe- D
nienses singulos vicos a diis qui in eis
colebantur, nominaverunt. Ἄρεος autem
Græce, Latine Martis dicitur ; πάγος vero
vicus, seu villa. Inde Areopagus, id est
vicus Martis. *Possumus scire quæ est hæc*
20 *nova quæ a te dicitur doctrina ? No-*
va enim quædam infers auribus nostris.
Quasi dicant : Quum sint mira et incon-
sueta quæ doces, libenter audiremus ex-
planationem eorum et rationem. Hujus
interrogationis causam Lucas interponit,
subdendo : *Athenienses autem* [*omnes et* 21
advenæ hospites] *ad nihil aliud vacabant*
nisi aut dicere aut audire aliquid novi.
Quod partim curiositatis, partim studio-
sitatis fuisse videtur. Philosophi namque
veritatis sunt avidi. Civitas autem Athe-
niensis studio philosophiæ vacabat vehe-
mentissime : ideo omnium rerum rationes
scrutabantur et causas, et novis adinven-
tionibus gloriabantur.

Stans autem Paulus in medio Areopa- 22
gi, ait. Inter vicos Athenarum Areopagus
erat præclarior. Nam ibi erat curia ma-
gistratuum et schola liberalium artium.
Viri Athenienses, per omnia quasi super-
stitiosiores vos video. Quasi, non tantum
similitudinem hic designat, sed etiam ve-
ritatem. Veraciter enim fuerunt supersti-
tiosi, quia idololatræ. Superstitio quippe
est vitium religioni seu latriæ oppositum
secundum excessum, quoniam exhibet cul-
tum divinum cui non debet, vel eo modo
quo non debet. Quomodo autem in cultu
Dei possit esse superfluum, et quid sit
superstitio, de speciebusque ejus, Thomas
in secunda secundæ, quæstione 92, in-
ducit. *Præteriens enim et videns simu-* 23
lacra vestra, quæ ideo consideravi ut
eorum culturam diligentius reprobarem,
inveni et aram, id est altare, *in qua scri-*
ptum erat : Ignoto Deo. Et est sensus :
Ara hæc consecrata est Deo ignoto, quan-
tum ad particulares proprietates seu di-
stinctam cognitionem ipsius. Athenienses
enim singulis aris singulos titulos super-
ponebant, monstrantes quibus essent de-
dicatæ. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc*
ego annuntio vobis, id est, Deum cui con-
secrata est hæc ara, vobis ignotum, cui
tamen sacrificatis, ego prædico adoran-
dum atque colendum.

Deus qui fecit hunc *mundum, et omnia* 24
quæ in eo sunt. Mundus, tam a philoso-
phis quam a theologis, variis modis ac-
cipitur : quandoque pro elemento terræ,
interdum pro regione elementari, aliquan-
do pro tota machina mundi sensibilis seu
corporei quantum ad principales ipsius

partes, videlicet pro regione elementarium atque cœlestium corporum : et sic modo accipitur. *Hic cœli et terræ quum sit Dominus,* propria auctoritate universalique potestate, et perfecta providentia omnibus præsidens (de quo in libro Job habetur : Job XXXIV, 13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?), *non in manufactis templis habitat,* per aliquam circumscriptionem, localemve determinationem : sicut Stephanus Act. VII, 48. dixit supra, ibidemque expositum est.

25 *Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo.* Quod ait, Deum manibus humanis non coli, sic accipi potest quod exterioribus et corporalibus actibus Deus principaliter non honoretur. Principales namque et primarii actus religionis seu latriæ, sunt actus interiores; actus vero exteriores sunt secundarii et minus principales, quibus velut quibusdam signis, anima ad internos spiritualesque actus latriæ Rom. I, 20. excitatur. Siquidem, quum invisibilia Dei per visibilia cognoscantur, ad hoc quod mens nostra Deo uniatur, sensibilium indiget manuductione. Præterea Deum colimus et laudamus, non quod ipse indigeat, aut aliquid beatitudinis hinc ei accrescat, sed quoniam ipse dignus est summo honore omnique laude, et quoniam tot bona nobis largitus est. Propter quod ait Ps. XV, 2. Psalmista : Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Ipse etenim in se ipso vere et absolute perfectus est, sibi in se et per se prorsus sufficiens, infinitis divitiis in se ipso æternaliter opulentus, Deus supergloriosus et superbenedictus in sempiternum. *Quum ipse det omnibus vitam :* omnibus plane viventibus vitam dat Deus, quocumque genere vitæ viventes sint; *et inspirationem,* [his] qui per inspirationem conservantur in vita; *et omnia* quæ habent : nam omne esse, ab ipso primævo fonte essendi manavit.

26 *Fecitque ex uno* homine, scilicet protoplasto parente Adam, *omne genus hominum,* id est homines universos, *inhabitare super universam superficiem terræ :* ita quod Adam est principium totius speciei humanæ : nam et prima mater nostra Gen. II, 7, 21, 22. Eva, de ejus formata est costa. Hinc apud Malachiam scriptum est : Nonne pater Malach. II, 10. unus omnium nostrum? *Definiens statuta tempora,* id est, tempora ab ipso instituta determinans et distinguens, eisque finem imponens : de quo cantamus in Hymnis, quod temperet rerum vices, et lucis diurnæ tempora successibus determinet. De quo etiam in libro Job conscribitur : Ab Omnipotente non sunt abscon- Job XXIV, 1. dita tempora; et rursus in eodem, Tempus Ibid. XXVIII, 3. posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat; in Danielis quoque volumine, Ipse mutat tempora et ætates. Dan. II, 21. Definiens etiam *et terminos habitationis eorum,* id est, certa terræ loca hominibus pro habitatione concedens. Nam partem terræ aquis opertam reliquit, partem siccavit, et quousque loca habitabilia tenderentur, præfixit. Propter quod asserit Scriptura : Quando dividebat Altissimus gentes, quan- Deut. XXXII, 8. do separabat filios Adam, constituit terminos populorum.

27 *Quærere Deum,* id est, ad hoc tempora terminosque distinxit, ut homines in tempore hujus incolatus Deum creatorem mente quærant, colant et diligant, *si forte attrectent,* id est, mente attingant, *eum, aut inveniant.* Ideo additur, Forte, quoniam perfecte in vita hac attingi nequit aut inveniri, et quia in hominum liber- Eccli. XV, 14. tate est facere ista. In creaturis autem Creatoris relucet majestas, juxta illud Sapientiæ : Sap. XIII, 5. A magnitudine speciei creaturæ, poterit Creator horum cognoscibiliter videri. *Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum :* imo in omnibus nobis est, atque in cunctis creaturis, per essentiam, præsentiam, atque potentiam : qui apud Jeremiam protestatur, Cœlum et terram Jer. XXIII, 24. ego impleo. Sed parum sibi hoc est, quum magnitudinis ejus nullus sit finis, Ps. CXLIV, 3. cujus comparatione totus mundus est tanquam Is. XL, 15. pulvis exiguus. Ceterum, in bonis est Deus per bona gratiæ, in Beatis per dona glo-

riæ, in perversis per rigorem justitiæ, in damnatis per illationem vindictæ. Sic ergo quærendus est Deus, non quasi loco distans a nobis, sed incomparabili dignitate eminens universis : a quo impii dissimili-
Prov. xv, 29. tudine distant, juxta illud Salomonis, Longe est Dominus ab impiis. Quærendus est ergo Deus, ut clarius agnoscatur, ardentius diligatur, firmius conservetur, perfectius honoretur, ut ei per assimilationem propinquemus, ejus bonitatem imitando, ejusque dona participando : qui est ante omnia, non solus; post omnia, non præventus; in omnibus, non inclusus; extra omnia, non exclusus; supra omnia, non elatus; infra omnia, non oppressus; manens æternaliter, in sua superessentiali infinitaque simplicitate ac luce incommutabiliter habitans ac subsistens.

28 *In ipso enim,* id est divina virtute, ejusque incessabili manutenentia, *vivimus, et movemur, et sumus :* ita quod nec in momento subsisteremus, nisi ab ipso conservaremur : quia indesinenter dependemus ab ipso in esse et permanere, multo plus quam rivus a fonte, dies a sole, aut splendor a luce. His autem verbis ostendit Apostolus, Deum in his quæ creavit, indesinenter operari, secundum quod ait
Joann. v, 17. Salvator : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. In Sapientiæ quoque
Sap. viii, 1. libro legitur : Attingit sapientia a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Denique his concordat quod in prima parte, quæstione 18, loquitur Thomas : Res, inquiens, sunt in Deo dupliciter : Uno modo, sicut in conservante vel continente. Sicque res in se acceptæ seu consideratæ, sunt in Deo sicut in virtute eas regente : et ita dicit Apostolus, In ipso vivimus, movemur et sumus. Alio modo, sunt in ipso sicut in exemplari principio. Et sic omnia sunt vita in Deo, in quo idealiter vitaliterque consistunt, juxta illud
Joann. i, 3, 4. Joannis, Quod factum est, in ipso vita erat.

Sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt. Hoc enim dixit Aratus poeta cum suis sequacibus. Convenienter autem
A Apostolus contra gentiles disputans, non scripturas novi ac veteris Testamenti, sed gentilis viri testimonium profert, quoniam contra diversos fidei adversarios, diversis argumentandum est modis ac viis, utpote : contra Judæos per scripturas legis ac Prophetarum; contra hæreticos, etiam per novi Testamenti scripturas; contra gentiles, per naturalis rationis discursum. Oportet namque audientium considerare personas, et eas allegare cuique scripturas seu documenta quæ recipit. *Ipsius*
B *enim,* videlicet Dei, *et genus sumus,* id est genitura seu factura ipsius, ad ejus ima- Gen. i, 27.
ginem et similitudinem conditi, non quasi de ejus substantia vel pars suæ substantiæ exsistentes, sed ab eo in esse naturæ producti, per dona gratiæ reformati, per dona gloriæ beatificandi. Unde Beda fatetur : Genus Dei sumus, non ex ejus natura editi, sed ipsius Spiritu voluntarie creati, et adoptive recreati. Hinc Jacobus : Voluntarie, inquit, genuit nos verbo ve- Jacob. i, 18.
ritatis, ut simus initium aliquod creaturæ
C ejus. Prædicta autem verba, Ipsius enim genus sumus, sunt verba ab Arato poeta prolata : quæ Paulus quum sciret de Jove, gentilium deo maximo, errore dicta, subtiliter ad veri Dei prædicationem assumit.

Genus ergo quum simus Dei : sicut 29
supra expositum est; *non debemus æstimare, auro aut argento aut lapidi sculpturæ artis,* id est, in quo per artem est exarata sculptura, *aut cogitationis hominis, divinum esse simile,* id est, esse di-
D vinum seu Deum non debemus putare similem fore metallis aut saxis seu idolis manu factis, aut humana comprehensibilem ratione. Si enim ita sentimus, summo, superexaltato, incircumscriptibili ac simplicissimo Deo, injuriam maximam irrogamus, et nos ipsos viliter degeneramus. Idcirco, tanquam nobiles creaturæ, nobiliter, digne et vere de Deo nostro creatore debemus sentire. His verbis Apostolus idololatriam reprobat.

Et tempora quidem hujus ignorantiæ 30

despiciens Deus, id est, tempus quo idololatria viguit, imo potius ipsos idololatras qui ante evangelicam prædicationem fuerunt, Deus justo judicio deserens et contemnens. Tempori quippe adscribitur quod hominibus in tempore exsistentibus
Ephes. v, 16. competit seu contingit. Unde dies mali
Matth. vi, 34. dicuntur. Et crastinus dies sibi ipsi sollicitus erit. Et tempus quosdam juvare as-
I Mach. xii, 1. seritur. Hinc alibi dicit Apostolus : In præ-
Act. xiv, 15. teritis generationibus dimisit Deus gentes ingredi vias suas. *Nunc annuntiat hominibus,* per prædicationem scilicet Apostolorum discipulorumque Christi, *ut omnes ubique pœnitentiam agant,* se convertendo ad Christum per pœnitentiam saluta-
31 rem, *eo quod* Deus *statuit diem in quo judicaturus est orbem,* id est homines universos, *in æquitate,* unumquemque videlicet secundum quod meruit, secundum divinam procedendo justitiam in retributione mercedis, *in viro quem statuit,* id est per Christum, quem secundum naturam assumptam ordinavit atque constituit judicem universorum, per judicii exsecutionem atque sententiæ prolationem, quæ Christo secundum quod homo est, com-
Joann. v, 27. petit, quemadmodum ait : Dedit ei potestatem et judicium facere, quia Filius hominis est. Porro, in finali judicio Deus Trinitas per auctoritatem principaliter judicabit. Christus autem ut homo, ministerialiter judicium exhibebit. [*Fidem præbens omnibus,*] *suscitans eum a mortuis.*
32 *Quum audissent autem resurrectionem mortuorum* futuram in omnibus ante judicium, et jam in Christo completam, *quidam quidem* incorrigibiles, quorum corda non tetigit Spiritus Sanctus, *irridebant eum,* scilicet Paulum, tanquam irrationabilia ac impossibilia prædicantem : non enim ad Dei omnipotentiam, sed ad naturalem rationem, potestatem et ordinem adspiciebant. *Quidam vero dicebant : Audiemus te de hoc iterum,* ut diligentius conferamus, et quod verum est approbe-
33 mus. *Sic Paulus exivit de medio eorum.*
34 *Quidam vero viri,* vigore virtutum animi-

A que decore, *adhærentes ei, crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita,* qui ab Areopago, in quo ipse principalis fuit philosophus, magister et doctor præclarus, *et mulier nomine Damaris,* quam dicunt fuisse conjugem ejus, *et alii* quidam *cum eis.*

Postremo dicendum nunc esset, quare in Athenis consecrata fuit ara ignoto Deo. Quod quia in Legenda divini et magni Dionysii diffusius continetur, hic non nisi breviter est tangendum.

B Videntes philosophi tempore passionis Christi mirabilem illam eclipsim, naturalem causam invenire nequibant; imo per naturalem suam sapientiam agnoscebant illam eclipsim naturalem non esse, et multa supernaturalia in ea consistere. Vehementissime mirabantur, cernentes cœlestium corporum solitum cursum, naturalemque legem ac ordinem variari. Hinc velut in excessu quodammodo positi, loquebantur : Aut Deus naturæ patitur, aut machina mundi peribit, aut sidera fal-
C lunt. Propterea, Deo cujus virtute et causa mirabilia illa fiebant, aram constituerunt. Et quoniam Dei illius determinatam non habuerunt notitiam, pro titulo affixerunt, Ignoto Deo : quem etiam genuflexionibus ac precibus, non animalium oblationibus, censebant colendum. Quum ergo Paulus Atheniensium altaria perlustrasset, et causam, modum ac tempus dedicationis altaris Ignoti Dei novisset, dixit philosophis : Quem ignorantes colitis, ego annuntio vobis. Deinde specialiter prin-
D cipem philosophorum illorum Dionysium est affatus. Qui licet ad prædicationem Pauli faciliter crederet, non tamen nisi post acerrimam atque longissimam disputationem se credere fatebatur.

Porro, quam mirabilis fuerat præfata eclipsis, S. Dionysius in epistola ad Apollophanem, et item ad Polycarpum describit. Nam sicut ad Polycarpum disseruit, quatuor mirabilia in illa eclipsi considerata fuerant : Primum, quia tunc fuit oppositio et plenilunium. Naturalis vero

eclipsis fit tempore conjunctionis solis et A
lunæ. Secundum, quia quum luna fuisset soli opposita circa horam sextam in medio cœli, tamen in vesperis restituta fuit suo loco in oriente opposita soli. Unde temporum ordo non fuit turbatus. Tertium, quia eclipsis naturaliter incipit ab occidente, et pervenit ad orientem : quoniam motus lunæ in proprio orbe velocior est motu solis in circulo proprio, sicque pertransit solem ab occidente accedens. Sed tunc luna pertransiit solem, distans ab eo per circuli medietatem, in opposi- B
tione exsistens. Idcirco oportuit ut ab oriente reverteretur ad solem, et primo attingeret eum a parte orientali, illamque primitus eclipsaret. Quartum, quia in naturali eclipsi illa pars solis primo apparet, quæ primo fuerat obscurata ; tunc vero partem ultimo occupatam, primo reliquit.

Præterea Beda et Scholastica historia referunt, hunc esse Dionysium qui a Paulo episcopus ordinatus Corinthiorum, glorioso rexit Ecclesiam, multaque ad utilitatem Ecclesiæ pertinentia, quæ hactenus manent, ingenii sui reliquit volumina. Verumtamen in ejus Legenda habetur, quod ab Apostolo Atheniensium fuerit ordinatus episcopus. Sed forsitan dici potest, quod successive in diversis præfuerit locis. Hic est quem Gregorius vocat antiquum et venerabilem patrem ; Damascenus, divinissimum, sacratissimum theologissimumque appellat; Hugo, theologum, per antonomasiam, et principem theologorum affirmat. Postremo, sicut in ejus Legenda asseritur, Paulus ea quæ in tertium cœ- II *Cor.* XII, 4.
lum raptus vidit, et verba arcana quæ ibi audivit, huic viro eximio creditur revelasse.

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : POST HÆC EGRESSUS AB ATHENIS.

1 **P***OST hæc egressus* Paulus *ab Athenis,* C
2 *venit Corinthum. Et inveniens* ibi *quemdam Judæum, nomine Aquilam, Ponticum genere,* id est de Ponto Asiæ provincia oriundum. Unde et supra scriptum
Act. II, 9. est : Pontum et Asiam. Est autem Pontus lata regio complectens Colchum, Cappadociam, Armeniam, et alias provincias. *Qui nuper venerat de Italia, et uxorem ejus Priscillam.* Horum frequenter Apostolus in suis epistolis meminit. *Eo quod præcepisset Claudius* imperator *discedere omnes Judæos a Roma.* Hoc Josephus nar- D
rat nono anno imperii Claudii contigisse. Cujus ratio in Scholastica historia fertur, quoniam uxor Claudii tantam cum Judæis familiaritatem contraxit, quod ad illorum ritum tracta fuit, et judaizare jam cœpit.
3 *Accessit ad eos. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur,* propriis manibus victum sibi procurans, ne quemquam gravaret. Unde et infra profitetur : Ad ea quæ mihi necessaria erant, *Act.* XX, 34.
ministraverunt manus istæ. *Erant enim scenofactoriæ artis,* quia videlicet tentoria seu papiliones fecerunt, vel vela picta quibus aulæ teguntur divitum et nobilium : ut dicatur ars scenofactoria, a σκῆνος Græco, quod interpretatur habitatio vel tabernaculum. *Et disputabat in synagoga* 4
Paulus *per omne sabbatum,* id est quolibet sabbato, *interponens nomen Domini Jesu,* ut paulatim disponerentur ad fidem, *suadebatque Judæis, et Græcis* ex gentilitate ad Judaismum conversis, vel etiam adhuc in gentilitate manentibus : his rationabiliter suasit Evangelio credere.

Quum venissent autem de Macedonia 5

Silas et Timotheus, instabat verbo evan- A
gelicæ prædicationis *Paulus, testificans*
per miracula et Scripturas *Judæis esse Je-*
sum Christum, id est, quod Jesus Naza-
6 renus sit rex Messias. *Contradicentibus*
autem eis et blasphemantibus, id est, ver-
ba blasphema contra Christum Jesum lo-
quentibus, *excutiens vestimenta sua :* quæ
excussio fiebat eisdem de causis quibus
Act. XIII, 51. et excussio pulverum pedum, de qua di-
ctum est supra ; *dixit ad eos,* zelo justi-
tiæ, non commotione impatientiæ : *San-*
guis vester super caput vestrum, id est, B
iniquitas vestra redundabit in vos, et
inexcusabiles eritis, apprehendetque vos
debita ac districta damnatio. Hic modus
Ezech. XXIII, 13 ; XXXIII, 4, etc. loquendi in Ezechiele potissimum frequen-
tatur. *Mundus ego : ex hoc ad gentes va-*
dam, id est, ex tempore isto ibo ad evan-
gelizandum gentibus, innocens de vestro
periculo : quia quantum in me fuit, sat-
egi vos ad salutem reducere. Sed quum
sitis indurati, ego ultra causam non ha-
beo. Unde apud Ezechielem Dominus ait :
Ibid. XXXIII, 8, 9. Si dicente me ad impium, Morte morieris, C
non annuntiaveris ei, ut avertatur a via
sua impia, et vivat ; ipse in iniquitate sua
morietur, sanguinem autem ejus de manu
tua requiram. Si autem annuntiaveris im-
pio, et ille non fuerit conversus ; ipse qui-
dem in iniquitate sua morietur, tu autem
animam tuam liberasti.
7 *Et migrans inde, intravit in domum*
cujusdam, nomine Titi Justi, colentis
Deum : fuit enim de gentilitate ad Juda-
ismum conversus, et in lege Moysis digne
conversans, *cujus domus erat conjuncta* D
synagogæ, videlicet ædificio illi materiali
quo congregabantur Judæi in Corintho
8 manentes. *Crispus autem archisynagogus,*
credidit Domino cum omni domo sua. Iste
fuit inter Judæos Corinthios principalis,
atque ad Christum cum domesticis suis
conversus. *Et multi Corinthiorum audi-*
entes prædicationem Pauli, *credebant et*
baptizabantur.
9 *Dixit autem Dominus nocte per visio-*
nem Paulo. Hoc Deus in somno per mi-
nisterium angeli in Dei persona loquentis
ac apparentis, imaginaria visione locutus
est Paulo. *Noli timere* inordinato pavore
eos qui corpus occidunt ; *sed loquere* præ- *Matth.* x, 28.
dicando, *et ne taceas* a verbis prædicatio-
nis, *propter quod ego sum tecum,* id est, 10
eo quod me habeas jugiter adsistentem ac
subvenientem. Simili modo confortavit Do- *Jer.* I, 7, 8.
minus Jeremiam. *Et nemo apponetur tibi*
ut noceat te, id est, me protegente te, nul-
lus accedentium tibi inferet nocumentum,
læsionem seu mortem ; *quoniam populus*
est mihi multus in civitate hac, id est,
multi sunt æternaliter prædestinati, per
te convertendi, et gratia mea salvandi :
qui sunt populus meus, non creatione
dumtaxat, sed etiam prædestinatione. *Se-* 11
dit autem ibi, id est, in Corintho fuit et
mansit, juxta communem modum loquen-
di quo dicimus, Ille sedit Romæ tot an-
nis. Et in Deuteronomio Moyses filiis Israel
loquens : Sedistis, inquit, in Cadesbarne *Deut.* I, 46.
multo tempore. Itaque, Sedit ibi *annum et*
sex menses, docens apud eos verbum Dei.
Gallione autem proconsule, id est pro- 12
curatore et secundo a consule, *Achaiæ* re-
gionis, in qua continetur Corinthus, *in-*
surrexerunt uno animo, id est in peccatis
concordes, *Judæi in Paulum, et adduxe-*
runt eum ad tribunal Gallionis, *dicentes :* 13
Quia contra legem Moysis *hic* Paulus *per-*
suadet hominibus colere Deum, id est
novam servare legem, veteri derelicta. *In-* 14
cipiente autem Paulo aperire os ad satis-
faciendum, et exsufflandum, non veram,
sed apparentem lucem mendacii, *dixit*
Gallio vir gentilis *ad Judæos : Si quidem*
esset iniquum aliquid, aut facinus pes-
simum, o viri Judæi, in Paulo, *recte vos*
sustinerem, id est, juste vestram accusa-
tionem admitterem, et vestram molestiam
ferrem. *Si vero sunt quæstiones de verbo* 15
et nominibus legis vestræ, id est sermo-
nibus et personis de quibus in vestra lege
fit sermo, *vos ipsi videritis,* id est, inter
vos discernite quid de hoc vobis incum-
bat agendum. *Judex horum ego nolo es-*
se, quia incerta sunt mihi, nec ad meum

16 pertinent forum. *Et minavit,* id est, com- A
minando recedere fecit, *eos a tribunali.*
17 *Apprehendentes autem omnes,* puta genti-
les qui aderant infideles, *Sosthenem prin-*
cipem synagogæ Corinthi, *percutiebant*
eum ante tribunal, tanquam capitaneum
irrationabilis illius concursus : quod tanto
audentius fecerant, quanto viderant pro-
consulem minus fovere partem Judæorum.
Ideo subditur : *et nihil eorum Gallioni cu-*
ræ erat. — Paulo ante jam dictum est, quod
Crispus fuit archisynagogus : quomodo er-
go nunc Sosthenes princeps synagogæ il- B
lius vocatur ? Ad quod puto dicendum,
quod Judæi increduli, agnita Crispi conver-
sione, a principatu deposuerunt eumdem.
18 *Paulus autem quum sustinuisset adhuc*
dies multos in Corintho, vel circiter, *fra-*
tribus, id est Christianis qui erant ibi-
dem, *valefaciens, navigavit in Syriam*
(et cum eo Priscilla et Aquila), qui Pau-
lus *sibi totonderat caput,* id est, pilos ca-
pitis sui abrasit, *in Cenchris,* portu Co-
rinthio. De quo loco fuit Phœbe, de qua
Rom. xvi, 1. ad Romanos scribit Apostolus : Commen- C
do vobis Phœben sororem nostram, quæ
est in ministerio Ecclesiæ quæ est Cen-
chris. *Habebat enim votum :* quia fuit na-
zaræus ex voto. Nazaræi quippe usque ad
Num. vi, 5, 18. tempus determinatum ex voto comam nu-
triebant, completoque tempore voti, pilos
radebant, atque in sacrificii igne pone-
bant. Hæc Paulus fecit, ne Judæi conversi
et adhuc pusilli, scandalizarentur. Fuit
quoque id licitum pro tunc, scilicet lega-
lia observare, Judæis conversis, usque ad
Evangelii publicationem sufficientem : sic D
tamen ut in illorum observantiis non po-
neretur spes salutis seu fides, quod scili-
cet sine eis fides et gratia Christi non suf-
ficeret ad salutem.
19 *Devenitque Ephesum, et illos,* puta
Aquilam et Priscillam, *ibi reliquit. Ipse ve-*
ro ingressus synagogam, disputabat cum
20 *Judæis. Rogantibus autem eis ut amplio-*
ri tempore apud eos *maneret,* pro ple-
niore informatione eorum, *non consensit,*
omnium ardens amore, atque intendens

bonum commune ubique. *Sed valefaciens* 21
eis, *et dicens : Oportet me,* id est, expedit
mihi, *diem solennem advenientem,* qui
hic non specificatur, *facere,* id est cele-
briter agere, secundum spiritualem intel-
ligentiam, *Jerosolymis ; et iterum rever-*
tar ad vos, per quod eos consolabatur, *Deo*
volente. Quo instruit nos, ut dum aliqua
in futurum nos acturos proferimus, sobrie
et modeste loquamur : quippe qui igno-
ramus an crastino die vivemus. Idcirco
addamus, Deo volente, aut aliquid simile.
Sic enim et Jacobus docet in sua Canoni- *Jacob.* iv, 13-15.
ca. *Profectus est ab Epheso.*
Et descendens Cæsaream. Multæ in di- 22
versis provinciis constructæ vel instaura-
tæ civitates in honorem Cæsarum diverso-
rum noscuntur, et dictæ Cæsareæ. Unde
hoc loco non facile arbitror definiendum,
quænam hæc fuerit Cæsarea, ad quam
Paulus ab Epheso devenit, quum in textu
distincte non sit posita, et plures in Asia
sint hujus nominis civitates. Ego tamen
puto eam esse quæ vocatur Diocæsarea,
propter ea quæ in textu statim sequuntur.
Ascendit et salutavit Ecclesiam, quæ ibi
tunc fuit, *et descendit Antiochiam* Pisi-
diæ, ad quam per Diocæsaream ab Epheso
rectum est iter. *Et facto ibi aliquanto* 23
tempore, profectus est, perambulans ex
ordine Galatiam regionem, quæ conjun-
cta est Pisidiæ, *et Phrygiam, confirmans*
omnes discipulos.
Judæus autem quidam, Apollo nomine, 24
Alexandrinus genere, quia in Alexandria
natus, *vir eloquens, devenit Ephesum, po-*
tens in Scripturis veteris Testamenti. *Hic* 25
erat edoctus viam Domini, id est evan-
gelicam Christi doctrinam ; *et fervens spi-*
ritu, id est, Christi flagrans amore, et
zelo salutis proximorum, *loquebatur et do-*
cebat diligenter ea quæ sunt de *Jesu,*
quod scilicet ipse esset Christus Filius
Dei, *sciens tantum baptisma Joannis :* quo
et baptizatus fuit ; non autem Baptismo
Christi pro tunc, sed postea : nondum
quippe fuit plene instructus de sacramen-
tis Ecclesiæ, fideique mysteriis. *Hic ergo* 26

cœpit fiducialiter agere in synagoga, for-
titer prædicando Judæis quod Jesus esset
Messias. *Quem quum audissent Priscilla et
Aquila, assumpserunt eum, et diligentius
exposuerunt ei viam Domini,* id est, de
doctrina et sacramentis Christi distinctius
27 docuerunt. *Quum autem vellet ire Achai-
am,* puta Corinthum urbem Achaiæ, *exhor-
tati fratres* ab eo, vel eum ut in bono
cœpto persisteret, *scripserunt discipulis*
Corinthi, *ut susciperent eum* tanquam fi-
delem, cum caritate et gaudio. *Qui quum
venisset* Corinthum, *contulit multum,* id
est, valde profuit, *his qui crediderant,* fi-
dem eorum roborando. *Vehementer enim* 28
Judæos incredulos *revincebat,* id est, ite-
rum et frequenter convicit, *publice, osten-
dens per Scripturas* Prophetarum ac legis,
esse Christum Jesum. Ad hoc quoque elo-
quentia sua non parum deservivit eidem.

ARTICULUS XIX

EXPLANATIO CAPITULI NONIDECIMI : FACTUM EST AUTEM, QUUM APOLLO ESSET CORINTHI.

1 F*ACTUM est autem, quum Apollo esset
Corinthi, ut Paulus peragratis supe-
rioribus regionibus,* in quibus discipulos
confortavit, plurimosque convertit, *veni-
Act. xviii, 21. ret Ephesum,* a qua præcedenti capitulo
scribitur recessisse, *et inveniret quosdam
discipulos,* id est quosdam in brevi chri-
stianos factos, sed incomplete; dispositi
2 vero fuerant ad credendum perfecte. *Di-
xitque ad eos : Si Spiritum Sanctum ac-
cepistis* in signo visibili per manuum im-
positionem, *credentes* plenarie ? *At illi
dixerunt : Sed neque si Spiritus Sanctus
est, audivimus.* Asserunt quidam, quod
isti jam audierunt et crediderunt Deum
esse unum et trinum, et per consequens
Spiritum Sanctum. Idcirco verba hæc ita
exponunt : Sed neque si Spiritus Sanctus
est, scilicet hoc modo datus seu dandus,
audivimus. Sed hoc textui non satis con-
sonare videtur : et mirum, si audierunt
quod Deus sit unus et trinus, quod non
Ibid. ii, 1-4. audierunt Spiritum Sanctum datum Apo-
stolis in signo sensibili in die Pentecostes.
Verius ergo putatur, quod non habuerunt
adhuc distinctam de superbenedicta Tri-
nitate fidem, nec in articulis fidei fuerunt
competenter instructi, sed Jesum esse Mes-
siam credebant.

Ille vero ait : In quo ergo, id est cujus 3
baptismo, *baptizati estis ? At illi dixe-
runt : In Joannis baptismate. Dixit au-* 4
tem Paulus : Joannes baptizavit baptismo Marc. i, 4.
pœnitentiæ populum : quia ad agendam
pœnitentiam ille ordinabatur baptismus,
non autem delevit peccata; imo protesta-
tio fuit agendi pœnitentiam, ac præpa-
randi se ad Christi Baptismum; *dicens :
In eum qui venturus esset post ipsum, ut
crederent, hoc est in Jesum :* id est, Joan-
nes sub hac forma verborum baptizavit,
Ego te baptizo in nomine Venturi, videli-
cet Christi : qui jam tunc venit in car-
nem, sed nondum venit prædicando, et
miracula faciendo in publicum. Sic ergo
baptizavit Joannes, ut baptizatos induce-
ret ad credendum in Jesum. Nam dixit :
Ego vos baptizo in aqua, ille vos bapti- Matth. iii,
zabit Spiritu Sancto. Ideo ejus baptismus 11; Marc. i, 8.
non fuit plenarie sacramentum, sed eo
suscepto, nihilo minus suscipiendus fuit
Christi Baptismus.

His auditis, baptizati sunt in nomine 5
Domini Jesu. Cur et quomodo sub hac Cf. art. ii,
forma dabatur Baptismus in primitiva Ec- vers. 38.
clesia, dictum est ante. *Et quum impo-* 6
*suisset illis manus Paulus, venit Spiritus
Sanctus super eos,* id est, per sensibile

signum, se gratiam illis infudisse monstravit, et dona sua sensibiliter super eos effudit. Hinc subditur : *et loquebantur linguis,* id est diversis idiomatibus, *et prophetabant :* sicque duo hæc dona gratiæ gratis datæ, videlicet genus linguarum, et spiritus prophetiæ, per suos actus sensibiliter innotuerunt. Et hæc revera
7 fuit magna et admirabilis gratia. *Erant autem omnes viri* tanta gratia locupletati, *fere duodecim.* Temperate loquitur Lucas.

8 *Ingressus autem synagogam* Ephesi, *cum fiducia loquebatur per tres menses,* opportunis scilicet horis. Videns enim viris illis tantum gratiæ munus collatum, exhilaratus est spiritu, et ingenti impletus fiducia quod et in aliis fructificaret. *Disputans et suadens de regno Dei,* id est de statu et gratia Ecclesiæ militantis, vel de felicitate et gloria Ecclesiæ triumphantis, et quomodo per fidem et Christi mysteria ad illud regnum pertingitur.

9 *Quum autem quidam* audientium, præsertim Judæorum, *indurarentur* in sua malitia, *et non crederent :* sicut enim electi et boni ex auditu verbi Dei ad pœnitentiam emolliuntur, sic perversi et reprobi obstinantur; *maledicentes viam Domini,* id est Evangelium Christi, *coram multitudine* audientium prædicationem Pauli, ut sic eam a Paulo averterent; *discedens ab eis* tanquam incorrigibilibus, *segregavit discipulos,* separando credentes ab in-
Matth xxv, 32. credulis, sicut separantur agni ab hœdis, ne inficerentur boni ex verbis pessimo-
II *Tim.* II, 17. rum blasphemis, quorum sermo ut cancer serpit, *quotidie disputans in schola tyranni cujusdam.* Probabiliter dicitur, quod per tyrannum hoc loco intelligitur vir potens et nobilis, et forte satis rigorosus et ferus : a quo Paulus domum conduxit, faciens scholam de ea, in qua discipulos quotidie instruebat de fide atque Scripturis ac moribus, ut increduli formidarent eum in domo hac impedire, timore ejus cui domus attinebat. Aliqui tamen putant, quod Tyrannus sit hic proprium nomen.
10 *Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi atque gentiles.* De Asia minori est sermo. Et distributio ista qua dicitur, Omnes qui habitabant in Asia, accipienda est pro generibus singulorum, ad innuendum quod ex omni genere indigenarum terræ illius, valde multi confluxerunt ad Paulum, et convertebantur non pauci.

Virtutesque non modicas, id est opera 11
miraculosa, potentia, non qualiacumque, non parva, neque communia, qualia per minores Sanctos fieri solent, *faciebat Deus per manum Pauli,* ad confirmationem suæ doctrinæ, et conversionem populi audien-
tis; *ita ut etiam super languidos defer-* 12
rentur a corpore ejus sudaria, vel semicinctia, id est vestes medietatem corporis tegentes (a *semis,* quod est medium, et *cingo*), *et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur* ab obsessis per talium pannorum contactum : quod fuit grande miraculum, et quodammodo majus quam quod de Christo legitur, quod omnes qui tangebant fimbriam vestimenti *Matth.* IX,
ejus, sanabantur. Quo enim hujusmodi ac- 20; XIV, 36.
cidentalia corpori, remotius amoventur a corpore eo præclarius est si per ea fiunt miracula, quia per hoc virtus et sanctitas animæ latius se extendit, et in distantiora operatur atque redundat. Unde et Paulus in epistolis suis frequenter tangit, quemadmodum prædicatio sua non fuit in per- I *Cor.* II, 4;
suasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed I *Thess.* I, 5.
in ostensione signorum, virtutum et prodigiorum, et in plenitudine multa. Et hoc scribit ad eos quibus mentiri non potuit, quippe in quorum conspectu facta erant hujusmodi, ut et nos certissimi simus de veritate.

Tentaverunt autem quidam et de cir- 13
cumeuntibus Judæis exorcistis, id est dæmonum adjuratoribus, *invocare super eos qui habebant spiritus malos,* puta obsessos, *nomen Domini Jesu, dicentes : Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat.* Refert Josephus Salomonem excogitasse et docuisse populum suum modos exorcismi,

id est adjurationis, quibus immundi spiritus expulsi ab homine, ulterius reverti non sunt ausi. Et ut asserit Beda, fit hoc interdum etiam per reprobos, ad condemnationem eorum qui faciunt, vel ob utilitatem eorum qui vident et audiunt, ut licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cujus invocationem fiunt tanta miracula. Verum, sicut Scholastica narrat historia, quamvis per exorcismos Salomonis ejicerent dæmones, non tamen absque multo labore, sed quibusdam herbis et gemmis adhibitis, ut tradit Josephus. Ut ergo facilius expellerent dæmones, adjurabant eos hoc modo, Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat ; sicque exibant dæmones ab obsessis.

14 *Erant autem cujusdam Scevæ,* id est
viri sic dicti, *Judæi, principis sacerdotum*
inter suos in Epheso, *septem filii, qui hoc*
15 *faciebant. Respondens autem spiritus nequam, dixit eis : Jesum novi,* cognitione
informi, quia non diligo eum, *et Paulum*
scio, id est, nomina, personas, virtutes eorum agnosco. *Vos autem qui estis?* quasi
dicat : Non tales vos nosco, ut deceat vos
adjurare nos per Jesum, quemadmodum
16 Paulus, quum sitis increduli. *Et insiliens*
in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, id est crudelissimum et difficulter
ejicibile, *et dominatus amborum,* id est
duorum filiorum præfati principis sacerdotum, *invaluit contra eos,* ceteris forte
interim fugientibus, seu non præsentibus,
quia non semper omnes simul hoc faciebant, *ita ut nudi et vulnerati effugerent*
de domo illa.

17 *Hoc autem notum factum est omnibus*
Judæis atque gentilibus qui habitabant
Ephesi; et cecidit timor super omnes illos, agnita Christi potentia. Unde amplius
talia attentare nullus eorum præsumpsit.
Et magnificabatur nomen Domini Jesu,
id est, ipse Jesus ab omnibus illis magnificus cognoscebatur et prædicabatur, tanquam dæmonum omnipotens refrenator.
18 *Multique credentium veniebant* ad Pau-
A lum, *confitentes et annuntiantes actus*
suos culpabiles, quia compuncti sunt corde, et ore confessi. *Multi autem ex eis qui* 19
fuerant curiosa, videlicet magicas artes,
sectati, contulerunt libros artium harum,
et combusserunt coram omnibus, in signum quod talia nunc cordialiter abhorrerent, nec amplius exercere intenderent. *Et*
computatis pretiis eorum, scilicet quantum valuisse putabantur, seu quanti constitissent, *invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium :* quod scilicet
B tanti pretii erant. Ex quo patet, quod
multi valde libri fuerunt ibi combusti, et
ex ingenti devotione ; quod etiam multi
magi fuerunt ibidem conversi. *Ita forti-* 20
ter crescebat verbum Dei, id est, fructificabat evangelica prædicatio Pauli, in conversione audientium, *et multiplicabatur*
numero meritoque credentium.

His autem expletis, proposuit Paulus 21
in Spiritu, id est instinctu Spiritus Sancti, non propria excogitatione, *transita*
Macedonia et Achaia, id est discipulis in
C illis provinciis demorantibus, visitatis et
confortatis, *ire Jerosolymam,* ob loci reverentiam, sanctorumque locorum et primitivæ Ecclesiæ, præsertim S. Jacobi, visitationem, *dicens : Quoniam postquam*
fuero ibi, oportet me et Romam videre,
ad prædicandum ibidem, et quia a Deo
præordinatum est hoc ad sui ipsius honorem, mei meriti incrementum, et aliorum
conversionem. *Mittens autem in Macedo-* 22
niam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum et Erastum : quos idcirco præmi-
D sit, ut eleemosynam in Jerusalem sanctis
fidelibus deferendam per Paulum, colligerent, eamque Paulus adveniens inveniret paratam; *ipse remansit ad tempus in*
Asia. Adhuc enim mansit in Epheso, ut
verba pandunt sequentia.

Facta est autem illo tempore turbatio 23
non minima de via Domini, id est de fide
religioneque Christi in Epheso. *Demetrius* 24
enim quidam nomine, argentarius, id est
in argenti materia artificialiter operans,
faciens ædes argenteas Dianæ, id est ima-

ginibus Dianæ, quæ in ædiculis illis spe-
ciosis ponebantur, *præstabat artificibus*
non modicum quæstum, id est magnum
25 lucrum. *Quos convocans, et eos qui ejus-*
modi erant opifices, id est similes artifices,
dixit : Viri, scitis quia de hoc artificio
est nobis acquisitio, quia ædes imagines-
26 que formando, multa lucramur; *et videtis*
et auditis quia non solum Ephesi, sed et
totius pene Asiæ minoris, *Paulus hic sua-*
dens, id est, varias persuasiones pro sua
prædicatione adducens, *avertit multam*
turbam ab idolorum cultura, *dicens, Quo-*
niam non sunt dii, qui manibus fiunt.
Homo enim quum sit fragilis et mortalis, (Is. XLIV, 9 et seq.; Jer. II. 11. 27. 28; X, 3 5; Sap. XIII, XIV.)
Deum formare non valet, quemadmodum
in Isaia, Jeremia, et libro Sapientiæ de-
27 monstratur. *Non solum autem hæc peri-*
clitabitur nobis pars in redargutionem
venire, id est, non tantum periculose no-
bis opponetur quod non sunt dii, qui ma-
nibus fiunt humanis, et quod eis inaniter
facimus ædes, *sed et magnæ Dianæ tem-*
plum in nihilum reputabitur, id est, de-
spicietur, omnibus ad Christum conversis.
Dicitur autem magna Diana, quia inter
deas gentilium fuerat præfamosa. *Sed et*
destrui incipiet majestas ejus, id est vi-
lipendetur, quæ hucusque reputata est
magna, *quam tota Asia colit et orbis.* Fuit
enim cultus Dianæ undique dilatatus.
28 *His auditis, repleti sunt ira, et excla-*
maverunt, dicentes : Magna Diana Ephe-
29 *siorum. Et impleta est civitas confusione,*
id est, cives Ephesii inordinatione et tur-
batione impleti sunt, *et impetum fecerunt*
uno animo in theatrum. Theatrum, secun-
dum Bedam, est locus semicirculi habens
figuram, in quo stantes populi ludos sce-
nicos intus adspiciebant. Vel, ut alii di-
cunt, theatrum fuit locus in quo rei punie-
bantur, quoniam illuc etiam convenerant
ad speculanda reorum supplicia. Nam the-
atrum Græce, Latine spectaculum signi-
ficat. Forte utrumque istorum fiebat in
loco hujusmodi. *Rapto Gaio et Aristar-*
cho Macedonibus, id est de Macedonia ori-
undis, *comitibus,* id est sociis, *Pauli.* Hos

A enim violenter traxerunt ad theatrum,
Paulum non invenientes.
Paulo autem volente intrare in popu- 30
lum, ut falsitati resisteret, et quia pro
veritate et æquitate mori paratissimus
fuit, *non permiserunt discipuli,* propter
commune bonum Ecclesiæ volentes eum
conservare in vita, quemadmodum ipse
scribit ad Philippenses : Manere in carne (Philipp. I, 24.)
necessarium propter vos. *Quidam autem* 31
et de Asiæ principibus tunc in Epheso
consistentes, *qui erant amici ejus, mise-*
B *runt ad eum, rogantes ne se daret in*
theatrum, quia ex hoc aucta fuisset tur-
batio. Isti fuerunt ad fidem conversi.
Alii autem aliud clamabant : id est, 32
unusquisque furentium secundum passi-
onis suæ impetum vociferabatur. *Erat*
enim ecclesia, id est collectio hominum
illorum, *confusa, et plures nesciebant qua*
ex causa convenissent, id est, cur congre-
gatus fuisset hic cœtus. *De turba autem* 33
detraxerunt aliqui *Alexandrum,* ut a tu-
multu abstractus, redderet rationem, au-
C dientiamque haberet, *propellentibus eum*
Judæis : non enim faciliter egredi po-
tuit in tanta caterva. *Alexander autem*
manu silentio postulato, volebat ratio-
nem reddere populo. Quem ut cognove- 34
runt Judæum esse, et per consequens
idola reprobantem, *vox facta est una om-*
nium, quasi per horas duas clamanti-
um : Magna Diana Ephesiorum. Videntes
enim adversarios sui ritus, magis accen-
si sunt suæ religionis ac deæ amore ac
laude.
D *Et quum sedasset scriba turbas :* fuit 35
enim magister et doctor inter gentiles;
dixit : Viri Ephesii, quis [enim est homi-
num qui] nesciat Ephesiorum civitatem
cultricem esse magnæ Dianæ, Jovisque
prolis ? Nam Jupiter fuit pater Dianæ.
Quum ergo his contradici non possit, li- 36
cite secundum nostram sectam, *oportet*
vos sedatos esse, et nihil temere agere.
Adduxistis enim homines istos Pauli di- 37
scipulos, *neque sacrilegos, neque blasphe-*
mantes deam vestram. Quomodo verum

est hoc? Nonne idololatriam reprobabant? A
Et respondendum, quod utique; sed mo-
dus forte latuit scribam, vel favorabiliter
loquebatur pro illis violenter adductis, ut
38 seditionem sopiret. *Quod si Demetrius,*
et qui cum eo sunt artifices, habent ad-
versus aliquem horum *causam, conventus*
forenses aguntur in foro et publico, *et*
proconsules sunt, loco consulum constitu-
39 ti; *accusent invicem. Si quid autem al-*
terius rei quæritis præter causam Deme-
trii, *in legitima ecclesia poterit absolvi,*
id est, in congregatione ordinate collecta
poterit a judicibus ordinariis terminari.
Nam et periclitamur argui seditionis ho- 40
diernæ, id est, periculum nobis imminet
quod forsitan a superioribus redarguemur
et puniemur ob seditionem præsentem,
quum nullus obnoxius sit, de quo possi-
mus reddere rationem concursus istius,
id est, nullus hic ita excessit, ut ob id
excusari possit præsens concursus. *Quum*
autem dixisset hæc, dimisit ecclesiam,
scilicet unumquemque in sua.

ARTICULUS XX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI : POSTQUAM AUTEM CESSAVIT TUMULTUS, ETC.

1 P*OSTQUAM autem cessavit tumultus,* B
capitulo præcedenti descriptus, *voca-*
tis Paulus discipulis, et exhortatus eos,
ut usque in finem in fide et sanctitate
perseverarent, *valedixit, et profectus est*
ab Epheso, *ut iret in Macedoniam,* causa
2 admonendi ibidem discipulos. *Quum au-*
tem perambulasset partes illas, scilicet
Macedoniam et vicinas, *et exhortatus eos*
fuisset multo sermone, venit ad Græci-
am, scilicet quamdam Græciæ partem; et
ut in Scholastica historia dicitur, venit
3 Athenas. *Ubi quum fecisset,* id est, fru- C
ctuose expendisset, *menses tres,* aliorum
conversioni et confortationi insistens, *fa-*
ctæ sunt illi insidiæ a Judæis incredulis,
navigaturo in Syriam versus Jerusalem;
habuitque consilium ut reverteretur per
Macedoniam, ad evadendum insidias, et
ne spoliaretur eleemosynis seu collectis
quas detulit secum versus Jerusalem. An
vero insidias illas agnoverit ab homine,
aut ex revelatione superna, ambigitur.

Consequenter exprimuntur in textu, qui
4 ambulaverunt cum Paulo. *Comitatus est* D
autem eum Sosipater Berœensis, id est
5 de urbe Berœa, etc. *Hi quum præcessis-*
sent ex Pauli commissione, *sustinuerunt,*
id est exspectaverunt, *nos,* scilicet Pau-
lum et exsistentes cum eo, quorum et
unus ego fui, *Troade,* id est in urbe sic
dicta, de qua dictum est supra. *Nos vero* *Act.* XVI, 8.
navigantes post dies Azymorum, id est 6
post solennitatem paschalem, in qua Ju- *Exod.*
dæi azymis panibus vescebantur, *a Phi-* XXXIV, 18.
lippis, civitate Macedoniæ, *venimus ad*
eos Troadem in diebus quinque, ubi de-
morati sumus diebus septem, ad consola-
tionem et informationem credentium qui
ibi degebant.

Una autem sabbati, id est prima die 7
post sabbatum, seu prima die hebdoma-
dæ, puta die dominica, secundum Bedam,
quum convenissemus ad frangendum pa-
nem, id est ad sacra mysteria celebranda,
secundum eumdem. Unde supra dictum
est, quod perseverabant in communicati- *Act.* II, 42.
one fractionis panis. Vel, Ad frangendum
panem pro corporis refectione : et ita in
Scholastica historia explanatur, quum di-
citur, Una sabbati quum cœnaremus. *Pau-*
lus disputabat cum eis, de evangelica
veritate conferendo ac prædicando in Tro-
ade, *profecturus in crastinum :* ideo ante

suum recessum voluit eos diligenter in-
struere; *protraxitque sermonem usque in*
mediam noctem. In quo fervor ejus osten-
8 ditur zelusque animarum. *Erant autem*
lampades copiosæ in cœnaculo, ubi era-
mus congregati.
9 *Sedens autem quidam adolescens, no-*
mine Eutychus, super fenestram, quum
mergeretur gravi somno, id est, ab ex-
terioribus reduceretur ad intima, sicut qui
mergitur, et rationis jam usu privaretur
obdormiendo, *disputante diu Paulo, du-*
ctus somno, cui non restitit, victus sopo-
re, *cecidit de tertio cœnaculo deorsum :*
et sublatus, oblatus, id est præsentatus,
10 *est* omnibus *mortuus. Ad quem quum*
descendisset Paulus, incubuit super eum :
III *Reg.* xvii, 21; IV *Reg.* iv, 35. sequens in hoc Eliam et Eliseum : quo-
rum primus ter, secundus septies super
defunctum incubuit. Paulus vero semel
dumtaxat, moxque impetravit quod pe-
tiit : in quo ejus excellentia declaratur.
Et complexus defunctum ex amore et
compassione, *dixit : Nolite turbari.* Jam
enim certus fuit Apostolus se exaudien-
dum pro pueri suscitatione : ideo addit,
anima enim ipsius est in eo, id est, tam
prope est ut suscitetur, ut perinde sit
quasi nunc viveret : sicut de homine ago-
nizante mox morituro dicimus, Mortuus
11 homo est. *Ascendens autem* ad cœnacu-
lum tertium, in quo ante disputavit, *fran-*
gensque panem, et gustans, satisque allo-
cutus eos usque ad lucem, sic profectus
12 *est. Adduxerunt autem puerum viven-*
tem, et consolati sunt non minime.

Opportune, Deo disponente, inter verba
prædicationis, occurrit occasio curationis
tam miraculosæ, ut ostensione prodigii,
confirmaretur prædicatio Pauli, arctius-
que infigeretur mentibus discipulorum
memoria boni magistri ab eis mox disces-
suri. Innotescit quoque ex his sollicitudo
et fervor Apostoli pro proximorum salute.
Nam profecturus in crastinum, totam no-
ctem duxit insomnem, prædicationi inten-
dens usque ad mediam noctem : et tunc
juvene suscitato, et modico cibo sumpto,

A sermonem resumpsit, ac continuavit us-
que auroram, sicque recessit.

Nos autem ascendentes navem, naviga- 13
vimus in Asson, inde suscepturi Paulum.
Sic enim disposuerat ipse per terram
iter facturus. Itaque comites et discipu-
los suos præmisit in Asson, ut ibi præsto-
larentur ejus adventum : qui forte volebat
in terris intermediis, aliquibus loqui ver-
bum Dei. Porro Asson est civitas Asiæ
maritima. *Quum autem invenisset** *nos* 14
in Asson, assumpto eo, venimus Mityle- * alias *convenissemus in*
B *nen :* quæ urbs est in Lesbo, Ægæi maris
insula. *Et inde navigantes, sequenti die* 15
venimus contra Chium : quæ item est in-
sula Ægæi maris, habens ad orientem Ly-
diam, Asiæ provinciam; *et alia die appli-*
cuimus Samum. Samos est insula in Ægæo
mari, in qua traduntur vasa fictilia pri-
mo inventa, et vasa Samia appellata sunt.
Unde et in Isaia habetur : Testa de Samo, *Is.* xlv, 9.
etc. Est autem insula ipsa Epheso op-
posita, et vicina Andro. *Et sequenti die*
venimus Miletum, civitatem Asiæ mari-
C timam. *Proposuerat enim Paulus trans-* 16
navigare Ephesum, id est non accedere
eam, quamvis prope eam navigaret, *ne*
qua illi mora fieret in Asia minori, cu-
jus Ephesus una metropolis erat, nempe
Ioniæ Asiæ provinciæ. Ideo si accessis-
set ad eam, non tam cito dimisissent eum
discipuli Ephesii. *Festinabat enim, si pos-*
sibile sibi esset, ut diem Pentecosten fa-
ceret, id est celebraret, *Jerosolymis :* po-
tissimum quia in eo datus fuit Spiritus *Act.* ii, 1-4.
Sanctus. Illa quoque celebritas solennis
D fuit, propter legis dationem, cujus præ-
cepta Decalogi manent in Evangelio Sal-
vatoris.

A Mileto autem mittens Ephesum, vo- 17
cavit majores natu Ecclesiæ Ephesinæ.
Qui quum venissent ad eum, et simul 18
essent in Mileto, *dixit eis : Vos scitis a*
prima die qua ingressus sum in Asiam,
gratia prædicandi, *qualis per omne tem-*
pus vobiscum fuerim, serviens Domino 19
cum omni humilitate : juxta illud, Quan- *Eccli.* iii, 20.
to major es, humilia te in omnibus; *et*

mansuetudine : quæ tam decet prælatos, A
quam indecens eis est ira ; *et lacrimis multis,* quibus vestra peccata deplanxi, gratiam vobis postulavi, ad patriam adspiravi ; *et tentationibus,* id est persecutionibus, *quæ mihi acciderunt ex insidiis*
20 *Judæorum ; quomodo nihil subtraxerim vobis utilium :* id est, non omisi vobis communicare ea quæ animarum prosunt expediuntque saluti ; nilque de vestris substantiis seu facultatibus, ad boni utilis speciem pertinentibus, abstuli vobis, quacumque industria mihi talia colligen- B
do ; *quominus annuntiarem vobis* quæ salutem vestram concernunt, *et docerem vos publice, et per domos,* scilicet in privato,
21 *testificans Judæis et gentilibus in Deum pœnitentiam,* id est agendam esse pœnitentiam, perducentem ad Deum, seu per divinam clementiam. Hæc aliqui prælatorum subtrahunt subditis ex avaritia, palpando eorum peccata, ne eis offensis temporale damnum incurrant : qui non sunt veri pastores, nec digni appellatione præ-
lati. *Et fidem in Dominum nostrum Je-* C
sum Christum, id est fidem catholicam, tendentem in Christum, et secundum ejus doctrinam se habentem.

22 *Et nunc ecce alligatus ego Spiritu,* id est, Spiritu Sancto me ad id adstringente ac impellente, *vado in Jerusalem : quæ*
23 *in ea mihi ventura sunt, ignorans ; nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates protestatur mihi :* id est, in congregationibus christianis per varias urbes diffusis, sunt aliqui spiritu prophetico or-
nati, per quos Spiritus Sanctus mihi in- D
sinuat ; *dicens, quoniam vincula et tribulationes me manent,* id est exspectant, *Jerosolymis :* sicque certus sum revelatione illorum, quod ibidem ligabor, captusque tenebor ac tribulabor. Quibus verbis ostendit Apostolus, non sibi ipsi immediate a Spiritu Sancto, sed aliis fuisse revelata, quæ in Jerusalem passurus fuit adversa : quemadmodum etiam Deus per
II *Reg.* VII, XII, XXIV. Nathan et Gad prophetas multa revelavit sancto David de proprio suo statu, cui immediate multa alia revelavit de mysteriis Christi et statu Ecclesiæ.

Sed nihil horum vereor, id est, adversa 24
pro Christo pati non timeo, nec eos qui *Matth.* x, 28.
corpus occidunt formido, qui jam ad tantum patientiæ gradum culmenque deveni, ut in omni tribulatione læter ex animo, et inconcussus mente permaneam ; *nec facio animam meam,* id est vitam corporalem ac sensitivam, *pretiosiorem quam me* totum, seu quoad id quod sum secundum interiorem superioremque hominem, puta supremam animæ partem, videlicet intellectivam. Intellectus enim dicitur homo, dicente Philosopho quod homo maxime est suus intellectus, juxta modum loquendi quo totum a parte principaliori denominatur. Itaque vitam corporalem pro nihilo ducit, qui in futuro quærit vitam æternam. Ideo subditur : *dummodo consummem cursum meum,* id est, peregrinationem et conversationem meam ad finem felicem perducam, *et ministerium verbi,* id est officium prædicandi, *quod accepi a Domino Jesu, testificari,* id est cum protestatione et maxima affirmatione pronuntiare, *Evangelium gratiæ Dei :* quia in Evangelio Christi, gratia Dei potissime commendatur, docetur, refulget, et ipsum ex divina pietate ac gratia hominibus est collatum. Sed et lex evangelica gratiam confert, secundum quod sacramenta sua includit.

Et nunc ecce ego scio inspiratione di- 25
vina, *quia amplius non videbitis faciem meam* in præsenti vita, *omnes vos,* Ephesii, *per quos transivi prædicans verbum Dei.* Sciebat namque Apostolus se ad illas
partes amplius non venturum. *Quapropter* 26
contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium vestrum : id est, si quid periculi animæ incideritis, ego
immunis sum. *Non enim subterfugi quo-* 27
minus annuntiarem vobis omne consilium Dei : id est, ea quæ divina sapientia circa humani generis redemptionem instituit et effecit, præcepta quoque et documenta ipsius, vobis notificavi, mysteria

demum fidei christianæ, qualiter æterno summæ Trinitatis consilio seu decreto peractum est, ut per unius divinæ increatæ Personæ, puta per Verbi incarnationem et passionem, salvatum est genus humanum. Is. xl, 13; Rom. xi, 34. Sed quum alibi scriptum sit, Quis consiliarius ejus fuit? Sapiens quoque dixerit, Sap. ix, 13. Quis hominum poterit scire consilium Dei? quomodo potuit Paulus omne consilium Dei annuntiare hominibus? Et respondendum, quod non simpliciter de omni consilio Dei intendit, sed de omni consilio Dei quantum ad humanam spectat salutem : quemadmodum etiam ait Salvator, Joann. xv, 15. Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis. Præterea quum in ratione consilii includatur inquisitio, quæ nescientiam quamdam supponit, certum quod consilium proprie sumptum, non competit Deo : sic enim est ignorantis naturæ, secundum Damascenum. Sed ideo Deo adscribitur, quia nil agit improvide.

28 *Attendite vobis et universo gregi.* Primo inquit, Attendite vobis, id est, circumspecte in omnibus vos habete, Mich. vi, 8. coram Deo sollicite ambulate, Prov. iv, 23. omni diligentia cor vestrum in puritate servate; deinde similiter vestris subditis præestote ac providete. Eccli. xiv, 5. Caritas enim incipit a se ipsa. Et qui sibi nequam est, cui bonus est? Qui autem se ipsum in omnibus rationabiliter dirigit, alios quoque gubernare poterit esse idoneus. *In quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos.* Si soli Christiani de urbe Epheso ibi fuerunt, non erant ibi multi episcopi, nisi episcopi pro sacerdotibus accipiantur. Unde aliqui dicunt, convocasse Apostolum omnes majores natu de diœcesi Ephesina, et aliis fortassis. Nam id superioribus verbis innuitur, ubi ait : vers. 25. Omnes vos per quos transivi, prædicans verbum Dei. Neque enim pertransivit solam Ephesinam diœcesim. *Regere,* id est ad regendum, *Ecclesiam Dei,* id est congregationem fidelium Christi. Nam hic nomine Dei, persona Filii designatur, quia subjungitur : *quam acquisivit,* id est, de manu inimici eripuit et sibi incorporavit, *sanguine suo,* videlicet suæ dignissimæ passionis virtute ac merito. Quo utique testimonio divinitas Christi evidenter probatur.

Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam corporalem a vobis, *lupi rapaces in vos,* id est hæresiarchæ et falsi apostoli, dona gratiæ a fidelium mentibus rapientes, *non parcentes gregi,* sed spiritualiter eum letaliterque lædentes diversis erroribus et peccatis. *Et ex vobis ipsis* 29
exsurgent viri loquentes perversa, id est,
aliqui vestrum seu eorum qui prodibunt
ex vobis, a fidei sinceritate recedent, et
contraria fidei atque justitiæ affirmabunt,
ut abducant ab ecclesiastica unitate *post*
se, id est ad inhærendum eorum erroribus, *discipulos.* Hæretici enim libidine
dominandi, docendi et apparendi, suos
confinxerunt errores. De talibus in prima
sua Canonica ait Joannes : In nobis erant, I Joann. ii, 19.
sed non erant ex nobis. *Propter quod vi-* 31
gilate, id est, diligentes estote in custodiendo vos ipsos ac subditos : juxta illud
Habacuc, Super custodiam meam stabo ; Habac. ii, 1.
memoria retinentes, quoniam per triennium quo prædicavi in Asia, præsertim in Epheso, *nocte ac die non cessavi,* tempore congruo, *cum lacrimis monens unumquemque vestrum,* nunc in generali, nunc in speciali, et unumquemque secundum suam capacitatem, vocationem et statum informans.

32 *Et nunc commendo vos Deo.* Etenim nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam. Ps. cxxvi, 1. Divinæ igitur protectioni ac pietati omnem quem diligimus, jugiter commendemus. *Et verbo gratiæ ejus,* id est promissionibus divini eloquii, quibus misericordiam suam confugientibus ad ipsum promisit, ut illæ effectum sortiantur in vobis. Vel, Verbo, id est effectui, gratiæ ejus. Sæpe equidem in Scripturis verbum pro facto accipitur. *Qui potens est ædificare,* id est corda virtutibus confirmare, et unum per alium ad meliora provehere, *et dare hereditatem,* id est dona gloriæ in futuro, *in sanctifi-*

catis omnibus, id est, qui in Baptismo et A
in actibus virtuosis sanctificati sunt.
33 *Argentum et aurum aut vestem nullius*
34 *concupivi, sicut ipsi scitis*. Hoc contra pa-
stores et prædicatores avaros, qui tempo-
Ezech. ralia spiritualibus præferunt, qui lana
xxxiv, 3. ovium operiuntur, et lacte earum refici-
untur, ipsas vero perire permittunt. *Quo-*
niam ad ea quæ opus mihi erant, et his
qui mecum sunt, ministraverunt manus
istæ, id est, propriis manibus necessaria
corpori, tam mihi quam exsistentibus me-
II Thess. III, cum, procuravi, labori manuum insisten- B
8. do, ne quemquam gravarem. Unde Corin-
II Cor. XI, 9. thiis scribit : In omnibus sine onere me
35 vobis servavi, et servabo. *Omnia* ad per-
fectionem pertinentia, *ostendi vobis* ver-
bo et exemplo, *quoniam sic laborantes,*
oportet suscipere infirmos, id est corpo-
raliter languidos de labore propriarum
manuum sustentare; vel, Infirmos, utpote
imperfectos et pusillos, ad virtutes indu-
cere. Istud est perfectionis, non necessi-
tatis, nisi in casu. *Ac meminisse,* mente
et operis exhibitione, *verbi Domini Jesu,* C
quoniam ipse dixit : Beatius est magis
dare quam accipere. Hoc verum est, se-
cundum se, ceteris paribus, et juxta in-
tentionem Apostoli. Etenim ceteris pari-
bus, amplioris est meriti eleemosynam
dare, quam sumere, si sumens ejusdem
sit facultatis ad dandum, ut ille a quo ac-
cipit. Propter quod Beda ait : Non illis
Matth. XIX, qui relictis omnibus secuti sunt Domi-
27. num, divites et eleemosynarios præfert;
sed illos quammaxime glorificat, qui cun-
ctis quæ possident semel renuntiatis, ni-
hilo minus laborant operando manibus Ephes. IV,
quod bonum est, ut habeant unde tribu- 28.
ant necessitatem patienti. Hic tanquam
hæretici reprobantur, dicentes quod ma-
joris perfectionis est, divitias proprias in
sæculo erogare, quam in religione men-
dicare. Propter quod in libro de Ecclesia-
sticis dogmatibus dicitur : Bonum est, cum
dispensatione bona pauperibus erogare;
sed melius est, intentione sequendi Chri-
stum, totum simul donare, et absolutum
a sollicitudine, cum Christo egere. Præter-
ea constat ex his, multa esse dicta docu-
mentaque Christi quæ nullus Evangeli-
starum descripsit : quia verbum nunc
allegatum, in Evangelio non habetur.
Et quum hæc dixisset, positis, id est 36
flexis, *genibus, oravit cum omnibus illis,*
id est, ut Deus universos misericorditer
conservaret. *Magnus autem fletus factus* 37
est omnium. Et procumbentes super col-
lum Pauli, osculabantur eum, dolentes 38
maxime in verbo quod dixerat, quoniam
amplius faciem ejus non essent visuri. Et
utique ingens omnino fuit causa ploran-
di, et triste divortium a tam dulci ma-
gistro, tam præclaro doctore, tam libe-
ralissimo ac utilissimo benefactore, tam
caritativo et affectuosissimo patre, sine
revisendi spe separari. *Et deducebant eum*
ad navem : juxta quam valefecerunt sibi
invicem non sine grandi dolore, qui ex
præcordiali processit amore.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : QUUM AUTEM FACTUM ESSET UT NAVIGAREMUS.

1 QUUM *autem factum esset ut naviga-* D
remus, abstracti ab eis, id est ab
Ephesiis illis separati, *recto cursu* navis
venimus Coum, insulam oppositam Asiæ,
et sequenti die Rhodum, insulam claram
in Carpathio mari, oppositam Lyciæ, *et*
inde Pataram, quæ est civitas Lyciæ pro-
vinciæ in Asia, *deinde Myream* *. Istud * Myram

vero non est de textu, ut dicitur. Un- A
de nec Beda nomen hujus loci exponit
in libello, quem de expositione nominum
locorum quæ in hoc libro exprimuntur,
2 compilavit. [*Et quum invenissemus navem*
transfretantem in Phœnicen, ascenden-
tes navigavimus.]
3 *Quum apparuissemus autem Cypro, re-*
linquentes eam ad sinistram, navigavi-
mus in Syriam, et venimus Tyrum. Ibi
enim navis expositura erat onus : ideo
4 applicare oportuit. *Inventis autem disci-*
pulis, id est Christianis illic manentibus, B
quos diligenter tanquam fratres nostros
quæsivimus, *mansimus ibi diebus septem,*
ad eorum consolationem, et nostram re-
focillationem. *Qui Paulo dicebant per Spi-*
ritum, ne ascenderet Jerosolymam. Capi-
Act. xx, 22. tulo præcedenti dixit se Paulus a Spiritu
Sancto agi ad eundum Jerusalem : quo-
modo ergo isti Prophetæ, per spiritum
prophetiæ suaserunt oppositum? Numquid
Spiritus Sanctus verbis propriis contradi-
cit? Ad quod respondendum, quod unum
et idem, secundum diversas consideratio- C
nes, suadetur, et dissuadetur. Aliqui quo-
que respondent, quod isti per Spiritum
Sanctum noverunt et prædixerunt, Pau-
lum, si ascenderet Jerusalem, ibi plura
passurum. Quod vero suaserunt ne illuc
ascenderet, ex suo spiritu, pia quadam
compassione, protulerunt.
5 *Et expletis diebus* septem, *profecti iba-*
mus a Tyro, *deducentibus nos omnibus*
Tyriis Christianis, *cum uxoribus et libe-*
ris, id est filiis *suis, usque foras civita-*
tem. In quo patet quantus fuerit sanctæ D
dilectionis ardor in primitiva Ecclesia. *Et*
positis genibus in littore, oravimus pro
invicem, pro omnium nostrum communi
salute, et ut Deus omnia in melius ordi-
naret, nosque spiritualiter adunatos con-
servaret, et ad patriam tandem perdu-
6 ceret. *Et quum valefecissemus invicem,*
ascendimus navem; illi autem redierunt
7 *in sua. Nos vero, navigatione expleta, a*
Tyro descendimus Ptolemaidem. Ptole-
mais civitas est Terræ sanctæ maritima,
in tribu Aser, alio nomine Acon* dicta. *alias Acho
Est autem et altera Ptolemais in Penta-
poli provincia Africæ. *Et salutatis fratri-*
bus Christianis ibidem, *mansimus die una*
apud illos.
Alia die profecti, venimus Cæsaream 8
Palæstinæ : de qua dictum est supra. *Et* Act. VIII, 40; X, 1.
intrantes domum Philippi evangelistæ,
qui erat unus de septem diaconis, ad in- Ibid. VI, 5.
sinuandum quod non fuit Philippus apo-
stolus. Dicitur autem evangelista, non quia
Evangelii descriptor, sed fructuosus val-
de, continuus ac fervidus prædicator, ut
constat ex his quæ supra de ipso contenta Ibid. VIII.
sunt. *Mansimus apud eum,* ad reveren-
tiam tanti patris, viri apostolicæ perfe-
ctionis ac potestatis insignis. *Huic autem* 9
erant quatuor filiæ virgines prophetantes :
quæ, sicut in Scholastica fertur historia,
prædixerunt Paulo quod ei in Jerusalem
erat eventurum.
Et quum moraremur ibi *per dies ali-* 10
quot, supervenit quidam a Judæa Pro-
pheta nomine Agabus. Is quum venisset 11
ad nos, tulit zonam Pauli, et alligans si-
bi pedes ac manus, dixit. Quod ait, Sibi,
ad quem referatur, an scilicet ad ipsum-
met Agabum, vel ad Paulum, incertum
videtur : nisi quod Gregorius in quadam
homilia refert ad Paulum : quod et pro-
babilius reor. *Hæc dicit Spiritus San-*
ctus : Virum cujus est zona hæc, sic alli-
gabunt in Jerusalem Judæi, et tradent in
manus gentium. Agabus iste in modo lo-
quendi et opere imitatus est veteris legis
Prophetas, qui dicere consueverunt : Hæc
dicit Dominus. Interdum etiam verbis fa-
cta seu signa sensibilia ac visibilia adhi-
bebant, ad prænuntiandum quod incumbe-
bat : quemadmodum Ezechiel in caligine Ezech. XII, 3-7.
vasa sua efferens, parietemque perfodi-
ens, oculos quoque velavit. *Quod quum* 12
audissemus, rogabamus [*nos et qui loci*
illius erant,] *ne ascenderet Jerosolymam.*
Et dixit : Quid facitis flentes et affligen- 13
tes cor meum, quod vestro dolori compa-
titur, et non sine afflictione audit verba
quæ contrariantur instinctui Spiritus San-

eti in me, quamvis vos pia moveamini ra-
tione? *Ego enim non solum alligari, sed
et mori in Jerusalem paratus sum pro
nomine Domini Jesu.* Ecce vere strenuus
miles, ardens amator, fortis pugnator, im-
perterritus præco.
15 *Post dies autem istos, ascendebamus Je-*
16 *rusalem. Venerunt autem quidam et ex
discipulis a Cæsarea nobiscum, adducen-
tes secum apud quem hospitaremur, Ja-
sonem quemdam Cyprium* genere, *anti-
quum discipulum,* quia jam diu fuit fi-
deliter fixus in Christianismo. Ubi autem
hospitaverit Paulum et suos, non dicitur.
17 *Et quum venissemus Jerosolymam, liben-*
18 *ter exceperunt nos fratres. Sequenti au-
tem die introibat Paulus nobiscum ad Ja-
cobum,* Jerosolymitanæ Ecclesiæ primum
episcopum, de quo dictum est sæpe; *om-
nesque collecti sunt seniores* christiani,
audito Pauli adventu. Et forte a Jacobo
19 convocabantur. *Quos quum salutasset* Pau-
lus, *narrabat per singula, quanta fecisset
Deus in gentibus per ministerium illius,*
quanta videlicet signa atque miracula,
quantam gentilium conversionem, quan-
ta gratiarum charismata et immensa suæ
20 clementiæ opera. *At illi quum audissent,
magnificabant Deum,* gratias referendo
pietati divinæ ; *dixeruntque ei,* scilicet
Paulo :

*Vides, frater, quot millia sunt in Ju-
dæis qui crediderunt* Deo, fidem Christi
suscipiendo, *et omnes æmulatores sunt le-
gis,* id est amatores et imitatores legis
Mosaicæ, ne illam subito spernere videan-
tur, tanquam non esset data a Deo. Ve-
rumtamen isti non posuerunt spem salu-
21 tis in legalium observatione. *Audierunt
autem de te, quod discessionem doceas a
Moyse, eorum qui per gentes sunt Judæ-
orum,* id est, quod Judæos inter gentiles
dispersos informes dimittere observanti-
am legis Mosaicæ, *dicens non debere eos
circumcidere filios suos, neque secundum
consuetudinem* legis *ingredi,* scilicet con-
versari. Quidam infideles Judæi Paulum
mendaciter accusaverunt, quasi doceret

A legalia etiam pro tempore illo esse mor-
tifera : quod falsum fuit, quia ut patuit,
ipsemet Timotheum circumcidit, et pro- *Act.* xvi, 3.
prium caput totondit in Cenchris. Genti- *Ibid.* xviii, 18.
libus vero conversis talia prohibebat, sed
Judæis ea concessit usque ad pleniorem
Evangelii divulgationem, ob commendan-
dam veteris legis auctoritatem, et sacra-
mentorum illorum propheticam sanctita-
tem. Hæc autem superius tacta sunt sæpe.

Quid ergo est agendum? *Utique oportet* 22
convenire multitudinem Judæorum in Je-
B rusalem credentium, de te sinistre infor-
matam, ut veritate agnita contententur.
Audierunt * *enim te supervenisse,* non hi * alias *Audient*
tantum, sed et infideles Judæi. *Hoc ergo* 23
fac quod tibi dicimus. Sunt nobis, id est
inter nos, *viri quatuor* Judæi ad Christum
conversi, *votum habentes super se,* quia
aliquid Deo voverunt. *His assumptis, san-* 24
ctifica te cum illis, id est, secundum le-
gem Deo te exhibe sicut et illi; *et impen-
de in illis* oblationem seu exhortationem,
ut radant capita sua, secundum legis *Num* vi, 18.
C traditionem; *et scient omnes, quia quæ
de te audierunt* de legalium abolitione,
*falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens
legem,* etiam quoad cærimonialia, dum
tempus, causa et locus id exigunt, ad vi-
tandum scandalum infirmorum, atque ob
alias rationabiles causas frequenter præ-
tactas. *De his autem qui crediderunt ex* 25
*gentibus, nos scripsimus, judicantes ut
abstineant se ab idolis immolato,* id est,
ne edant sacrificia illis oblata, *et sangui-
ne, et suffocato, et fornicatione.* Quomodo
D factum et intelligendum sit hoc, supra In Act. xv, 20 *et seq.*
diffuse tractatum est.

Tunc Paulus, assumptis viris, postera 26
die purificatus cum illis, secundum ri-
tum legalem, *intravit in templum, an-
nuntians expletionem dierum purificati-
onis* observandæ secundum legem circa *Num.* vi, 13 *et seq.*
tales quales isti quibus junxit se Paulus,
fuerunt, *donec offerretur pro unoquoque
eorum oblatio.*

Quum autem septem dies consumma- 27
rentur : vel ab ingressu Pauli in Jerusa-

lem, ut aliqui dicunt; vel potius, secun-
dum Bedam et Glossam, nondum in toto
consummati erant hi septem dies, sed eo-
rum cursus et consummatio agebatur :
unde expressius in Græco habetur, Quum
autem incipiebant septem dies consum-
mari. Alioqui non potest stare quod Pau-
lus post quinque dies adventus sui in Cæ-
Act. XXIV, 11. saream, præsidi ait : Quia non sunt mihi
plus quam duodecim dies, ex quo ascendi
adorare in Jerusalem. Si enim his septem,
et illis quinque diebus, adjiciantur dies
Ibid. XXII, 30; XXIII, 1 *et seq.* concilii quo Paulus Pharisæos et Saddu-
cæos dissociavit, itemque dies quo se de-
Ibid. XXIII, 12. voverunt Judæi Paulum occisuros, qua-
tuordecim erunt dies. *Hi qui de Asia*
erant Judæi, in sua infidelitate obstina-
ti, *quum vidissent eum in templo, concita-*
verunt omnem populum tunc præsentem,
et injecerunt ei, scilicet Paulo, *manus,*
28 *clamantes : Viri Israelitæ, adjuvate. Hic*
est homo qui adversus populum Judæo-
rum, *et legem* Moysis, *et locum hunc,* ut-
pote templum, *omnes ubique docet,* quasi
populus Judæorum sit totaliter reprobus,
lexque eorum abolita, et templum vio-
landum. *Insuper et gentiles induxit in*
templum, et violavit sanctum locum is-
tum, quia a templi ingressu prohibet lex
gentiles. Cur autem de gentilium inducti-
one in templum id dixerint, subditur :
29 *Viderant enim Trophimum Ephesium* di-
scipulum Pauli *in civitate* Jerusalem *cum*
ipso, quem æstimaverunt quoniam in tem-
plum induxisset Paulus : sicque ex sola
suspicione in certam sententiam prorupe-
runt. Affectu namque corrupto, ratio pror-
sus inficitur, et modica orta occasione
turbatur.

30 *Commotaque est civitas tota* Jerusalem,
hoc rumore audito, *et factus est concur-*
sus populi. Et apprehendentes Paulum,
trahebant eum extra templum ; et statim
clausæ sunt januæ templi, ne ab aliquo
gentilium amplius violaretur, et ne Pau-
lus in illud refugeret.

31 *Quærentibus autem eum occidere, nun-*
tiatum est tribuno cohortis, videlicet Clau-
dio Lysiæ, misso a Felice præside : *Quia*
tota confunditur Jerusalem, id est, uni-
versus populus ejus turbatur. *Qui statim* 32
assumptis militibus et centurionibus, quo-
rum quilibet præfuit centum militibus,
decurrit ad illos, qui propria auctoritate
se vindicare usurpaverunt. *Qui quum vi-*
dissent tribunum et milites, cessaverunt
percutere Paulum. Tunc tribunus appre- 33
hendit eum, videlicet Paulum, *et jussit*
ligari catenis duabus, putans eum mul-
tum forefecisse, contra quem tota plebs
Judaica ita furebat; *et interrogabat* eum
quis esset, et quid fecisset, ut si proprio
testimonio convinceretur, non puniretur
per alios ad extorquendam notitiam suo-
rum excessuum, sed per tribunum judi-
caretur. [*Alii autem aliud clamabant in* 34
turba.] *Et quum non posset certum co-*
gnoscere præ tumultu, jussit eum duci in
castra, id est turrim regiam in qua po-
nebantur captivi. *Et quum venisset* Pau- 35
lus *ad gradus,* forte turris illius, *contigit*
ut portaretur a militibus propter vim po-
puli volentis eum discerpere. *Sequebatur* 36
enim multitudo, clamans : Tolle, id est,
aufer, *eum* a vita.

Et quum cœpisset duci in castra, Pau- 37
lus dicit tribuno : Si, id est an, *licet mihi*
loqui ad te aliquid? Qui dixit : Græce
nosti? id est, scis Græcum idioma? Lo-
cutus enim fuit Paulo tribunus Græce, ne
Judæi intelligerent, ut Scholastica narrat
historia. Quumque eadem lingua respon-
deret Paulus, mirabatur tribunus quod
linguam hanc nosceret. Idcirco adjecit :
Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies 38
tumultum concitasti, et duxisti in deser-
tum quatuor millia virorum sicariorum?
Quemadmodum Beda et Scholastica histo-
ria ex verbis Josephi recitant, Ægyptius
quidam, tempore Felicis præsidis, de quo
paulo post sermo est, magica arte prophe- *Act.* XXIII, 24 *et seq.*
tam se fecit putari ; congregatisque tri-
ginta millibus circiter Judæorum, duxit
eos per desertum usque ad montem Olive-
ti, volens super Jerusalem repente irruere,
ut caperet eam. Cui occurrens Felix præ-

ses cum multis militibus, fugavit eum A
cum paucis, et alios interfecit. Nec obstat
quod tribunus efficit mentionem de quatuor millibus, quia fortasse primo pauciores, deinde plures fuerunt. Dicunturque viri sicarii, quoniam sicas, id est gladios breves, manu gestabant, quibus populos clam letaliter vulneraverunt, ita ut mors præveniret querelam, et lateret percussor.
39 *Et dixit ad eum Paulus : Ego quidem
sum homo Judæus, non a tribu Juda, sed
prout omnes Israelitæ tunc Judæi dice-
Act. IX, 11. bantur, *a Tarso,* urbe *Ciliciæ,* ut dictum B
est, *non ignotæ,* id est non obscuræ, *civi-
tatis municeps,* id est civis. *Rogo autem
40 te, permitte me loqui ad populum. Et
quum ille permisisset, Paulus stans in
gradibus, annuit manu ad plebem,* ut
eum adverteret; *et magno silentio facto,*
non ob reverentiam Pauli, sed aviditate
sciendi quid excusationis prætenderet, *al-
locutus est* eos *Hebræa lingua, dicens.*

Circa hunc locum Scholastica ait historia : Distingue quatuor synodos, in primitiva Ecclesia celebratas in Jerosolymis : C
Ibid. I, 15 et seq. primam, de substitutione Matthiæ pro
Ibid. VI, 2-6. Juda; secundam, de electione septem dia-
Ibid. XV, 6 et seq. conorum ; tertiam, quod gentilibus conversis non esset imponendum onus legalium; quartam, de qua hic agitur, qua statutum est non prohiberi Judæos a legalibus observantiis tempore primitivæ Ecclesiæ, dummodo spem non constituerent sibi in eis.

Postremo, quia in præinductis frequenter jam habitum est, legem Moysis, quantum ad aliqua, puta præcepta moralia, in D lege evangelica observandam, non autem quoad præcepta cærimonialia : ut illud plenius innotescat, sciendum quod, sicut in prima secundæ Thomas edocuit, triplicia erant legis præcepta, videlicet moralia, cærimonialia, et judicialia. Moralia sunt decem præcepta Decalogi, quia ad bonos pertinent mores, et immediate de virtutum actibus conferuntur. Lex enim divina ad Dei amorem homines ordinare intendit : quod fieri nequit, nisi per actus virtutum. Divinæ quoque legis intentio est, homines convenienter disponere, tam ad se ipsos, quam in ordine ad Deum. Et horum utrumque in communi, est de naturali lege seu naturalis rationis dictamine : oportuit tamen utrumque determinari in speciali, videlicet quantum ad modum colendi Deum, et item quoad modum observandi justitiam inter homines. Illa ergo præcepta quæ determinant præcepta moralia quoad Deum, assignando speciales modos et ritus cultus divini, cærimonialia nominantur; quæ vero determinant præcepta moralia quantum ad homines, assignando speciales modos servandi justitiam inter homines, judicialia appellantur. Ad cærimonialia autem præcepta pertinebant oblationes et sacrificia legis. Quum autem præcepta moralia sint immediate de actibus justitiæ, ad caritatem Dei et proximi ordinatis, manent et obligant in evangelica lege; præcepta vero cærimonialia, quoniam figurativa erant Christi et mysteriorum ipsius ac cultus novi Testamenti, in nova lege non obligant, nec Evangelio divulgato fuerant observanda. Nam veritate veniente ac patefacta, cessat figura : et si adhuc observarentur, hoc esset ipso facto asserere Christum nondum venisse. Præcepta demum judicialia non erant sic figurativa : idcirco in lege nova possent servari, si ab aliquo, cujus est leges condere, instituerentur.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : VIRI FRATRES ET PATRES.

1 *VIRI fratres et patres, audite quam*
2 *ad vos nunc reddo rationem. Quum*
audissent autem quia Hebræa lingua lo-
queretur, magis præstiterunt silentium.
3 *Et dixit : Ego quidem sum vir Judæus,*
natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem
in civitate ista, secus pedes Gamalielis,
eruditus juxta veritatem paternæ legis,
id est legis Moysis, quam pater meus et
prædecessores mei servaverunt. Porro, se-
cundum Bedam, parentes Pauli de oppido
quodam Galilææ fuerunt : quo a Romanis
capto, per dispersionem venerunt et ha-
bitaverunt Tarsum Ciliciæ. Filium autem
suum Paulum miserunt Jerosolymam ob
studia legis, qui a Gamaliele viro doctis-
simo ibidem instructus est. *Æmulator le-*
gis, sicut vos omnes estis hodie. Sicut,
notat hic similitudinem aliqualem, non
totalem, imo nec magnam. Siquidem ante
conversionem suam Paulus, dum perse-
queretur credentes in Christum, habuit
æmulationem zelůmque legis indiscretum
et excæcatum, sicut et isti infideles Ju-
dæi; sed quando hæc dixit, æmulator fuit
legis secundum spiritualem ipsius intelli-
II *Cor.* III, 6. gentiam, non secundum litteram occiden-
tem, juxta quam isti æmulabantur eam.
4 *Qui hanc viam,* scilicet evangelicam fi-
dem ac legem, *persecutus sum usque ad*
mortem quorumdam, qui me procurante
Act. VII, 57-59. occisi fuerunt pro fide hac, quorum Ste-
phanus fuit unus, *alligans et tradens in*
custodiam, id est carcerem, *viros ac mu-*
5 *lieres, sicut princeps sacerdotum testimo-*
nium reddit mihi, etc.
6 *Factum est autem, appropinquante me*
Damasco, media die, subito de cœlo cir-
7 *cumfulsit me lux copiosa; et decidens in*
terram, audivi vocem dicentem mihi :
A *Saule, Saule, quid me persequeris?* etc.
Ista supra exposita sunt et descripta. *Et* In Act. IX, 3 *et seq.*
qui mecum erant, lumen quidem vide- 9
runt, vocem autem ejus qui loquebatur
mecum, non audierunt. Unde quod capi-
tulo nono ait Lucas, Vocem quidem au- *Ibid.* 7.
dientes, expositum est ibi de voce Pauli,
non Christi. Beda tamen hoc loco innuit,
utrumque de voce Christi intelligendum,
ita quod sonum confusum audierunt. Ideo
supra dixit Lucas, Vocem quidem audien-
tes, non autem vocis seu verborum distin-
B ctionem. Estque istud simile voci de qua
legitur in Joanne. Quum enim Christus
in Evangelio dixisset, Pater, clarifica Fi- *Joann.* XII, 28, 29.
lium tuum; venit vox dicens : Et clari-
ficavi, et iterum clarificabo. Cujus sonum
quidam confuse audientes, dixerunt toni-
truum factum esse; alii qui distinctius
perceperunt, dixerunt (quod verum est),
Angelus ei locutus est. *Et quum non vi-* 11
derem præ claritate luminis illius, sic-
ut qui soli intendit, impeditur in visu
alterius rei, *ad manum deductus, veni*
C *Damascum.*
Ananias autem... dixit mihi : Deus pa- 12-14
trum nostrorum præordinavit te, ut co-
gnosceres voluntatem ejus, qua vult ho-
mines fidem Christi suscipere, *et videres*
Justum, id est, Christum inspiceres sive
cognosceres, quando apparuit tibi in via,
et maxime infra triduum quo in Damasco *Act.* IX, 9.
cæcus fuisti, non comedens neque bibens:
tunc enim raptus fuit ad tertium cœlum; II *Cor.* XII, 2.
et audires vocem ex ore ejus : quia testis 15
eris illius ad omnes homines, eorum quæ
D *vidisti et audisti,* etc.
Factum est autem revertenti mihi in 17
Jerusalem, et oranti in templo, fieri me in
stupore mentis, id est ecstasim quamdam

incidere præ elevatione mentis in Deum,
sicut in propheticis visionibus fit aliena-
tio a sensu exteriori. Istud contigit Paulo
quum a Damasco redisset in Jerusalem :
Act. IX, 26. de quo reditu dictum est supra. *Et videre*
18 *illum*, scilicet Christum, *dicentem mihi*.
Visio ista fuit in spiritu, et imaginaria
erat, angelico famulatu exhibita, sicut et
Apoc. I, 10 et seq. illa quam sibi in Apocalypsi factam de-
scribit S. Joannes. *Festina et exi velociter*
ex Jerusalem, quoniam non recipient ha-
bitatores ejus *testimonium tuum de me*.
19 *Et dixi : Domine, ipsi sciunt quia ego*
eram concludens in carcerem et cædens
per manus aliorum *per synagogas eos qui*
20 *credebant in te. Et quum funderetur san-*
Act. VII, 57-59. *guis Stephani testis tui, ego adstabam.*
Quasi dicat : Ista possunt eis sufficere ad
credendum quod non nisi a Deo conver-
21 sus et missus sum. *Et dixit* Christus *ad*
me : Vade, quoniam ego ad nationes lon-
ge mittam te.
22 *Audiebant autem* Judæi *eum*, scilicet
Paulum, *usque ad hoc verbum* cum silen-
tio. Quo audito, impatientia superati, eo
quod diceret se divinitus missum ad gen-
tilium conversionem, reprobatis, obstina-
tis et derelictis ipsis Judæis, qui gentiles
velut canes spernebant, *et levaverunt vo-*
cem, dicentes. Fervor et impetus animi,
facit in magnam prorumpere vocem : nam
causa aucta, augetur effectus. *Tolle*, o tri-
bune, *de terra*, id est de hominum com-
munione, *ejusmodi* deceptorem. *Non enim*
fas est eum vivere. Isti incorrigibiles ver-
ba Pauli verificaverunt, quibus jam dixit
vers. 18. sibi a Christo prænuntiatum quod testi-
23 monium suum nequaquam reciperent. *Vo-*
ciferantibus autem eis, et projicientibus
vestimenta sua, et pulverem jactantibus
in aerem : per quæ omnia animorum
suorum turbulentiam et furorem mon-
24 strarunt, *jussit tribunus induci eum in*
Act. XXI, 34. *castra*, videlicet in turrim de qua jam
dictum est, *et flagellis cædi et torqueri*
eum, ut sciret propter quam causam sic
acclamarent ei. Suspicabatur enim tribu-
nus, quod non nisi ob gravem exces-
A sum, tam impetuose contra Paulum mo-
verentur.
Et quum adstrinxisset eum loris seu 25
funibus vel catenis, *dixit adstanti sibi*
centurioni Paulus : Si hominem Roma-
num, utpote civem urbis illius, *indemna-*
tum, id est de nullo excessu secundum
processum et ordinem juris convictum,
licet vobis flagellare ? quasi dicat, Nequa-
quam. Magnis enim privilegiis gaudebant
ubique cives Romani, inter quæ unum
fuit, ne ante judiciariam culpæ ostensio-
B nem aliqua pœna afficerentur. *Quo audi-* 26
to, centurio accessit ad tribunum, dicens :
Quid acturus es ? quasi dicat : Magno te
exposuisti periculo, quoniam Romani im-
peratoris incides iram, si quæ egisti per-
ceperit. *Hic enim homo civis Romanus*
est. Accedens autem tribunus, dixit : Dic 27
mihi, si civis Romanus es ? At ille dixit :
Etiam. Respondit tribunus : Ego multa 28
summa pecuniæ *civilitatem hanc assecu-*
tus sum, id est, cum magna eam emi pe-
cunia. *Et ait Paulus : Ego autem et natus*
C *sum*. Non quod Paulus natus sit Romæ,
sed quia pater ejus legatis Romanorum
honorifice obviavit, tam reverenter se et
sua eis exhibuit, quod civilitatem hanc
sibi largiti sunt, pro ipso et pro filiis suis,
antequam Paulus esset natus. Idque divi-
na factum est ordinatione pro commodo
Pauli, qui hanc civilitatem allegavit : non
quod pro Christo pati et mori paratus non
fuerit, sed quia humana industria potuit
uti ad excutiendum se de hostium mani-
bus, ut amplius fructificaret in mundo.
D *Protinus ergo discesserunt ab illo, qui* 29
eum erant torturi. Tribunus quoque ti-
muit, postquam rescivit, id est, vere co-
gnovit, inquisitione diligentiore peracta,
quia civis Romanus esset, et quia ligasset
eum, timens de hoc apud Romanos ac-
cusari.
Postera autem die, volens scire diligen- 30
tius qua ex causa accusaretur a Judæis,
solvit eum, et jussit sacerdotes convenire,
et omne concilium Judæorum, *et produ-*
cens Paulum, statuit inter illos.

ARTICULUS XXIII

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI TERTII : INTENDENS AUTEM IN CONCILIUM PAULUS.

1 *INTENDENS autem in concilium Paulus,* id est, Judæorum principes consulesque adspiciens, *ait : Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.* Conscientia secundum Thomam, non potentiam aut habitum nominat, sed actum : sicque in uno homine est conscientia una in genere, sed multæ in specie, secundum quod homo in variis actibus virtuosis, diversas in eis conscientias habet bonas. Itaque ait sanctus Apostolus, quod a tempore quo ad Christum conversus est, non fuerit sibi conscius de aliquo mortali peccato, imo in omnibus conscientiam bonam sortitus est : non tamen per hoc asserit se interim venialiter non peccasse; nec ista præsumptuose sive vane locutus est, sed opportune, ad gloriam Dei, veritatisque ostensionem et aliorum ædificationem. Nam et alibi fassus est : Nihil mihi conscius sum. (*I Cor.* iv, 4.) Sic namque et alii Sancti justitias suas professi leguntur, ut patet de Samuele, David et Ezechia in libris Regum : (*I Reg.* xii, 3; *II Reg.* vi, 21; *IV Reg.* xx, 3.) quia et Christus ait : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. (*Matth.* v, 16.)

2 *Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit adstantibus sibi* subditis suis, *percutere os ejus,* tanquam organum per quod verba præsumptuosa ac blasphema dixisset : et forsitan indignabatur occulte quod Paulus non exhibuisset sibi majorem reverentiam in loquendo, sed solum dixisset, Viri fratres, etc. Spiritualiter enim superbi, libenter patres et domini appellantur; et nomina quæ æqualitatem prætendunt, abominantur.

3 *Tunc Paulus dixit : Percutiet te Deus,* A *paries dealbate.* Secundum Bedam et Rabanum, verbum illud prophetia est, non maledictio. Et in hoc Augustinum sequi videntur. Etenim Beda ait : Non perturbatione animi Paulus commotus hoc dixit, sed utique prophetando locutus est : qua figura pontificium illud legale, quod erat in similitudine parietis dealbati compositum, percutiendum esset ac destruendum, quum jam verum sacerdotium Apostolis Evangelium Christi prædicantibus advenisset. Et inde est quod ait, Percutiet te B Deus; non ait, Percutiat : indicativo modo hoc ipsum futurum significans, non optativo maledicens. Unde in Scholastica historia dicitur : Forte prophetavit Paulus de abolitione sacerdotii Judæorum, dicens, Percutiet te Deus, paries dealbate : quasi dicat, Destruet sacerdotium tuum. — Verum his objici posset, quod si Paulus prophetando hæc protulit, tunc utique sensum verborum suorum intellexit (intelligentia enim est opus in visione), (*Dan.* x, 1.) nisi omnino improprie dicatur hæc prophetice C protulisse, quomodo Caiphas prophetavit de Christo, Quia expedit unum hominem mori pro populo. (*Joann.* xviii, 14.) Paulus autem in verbis his præfatum sensum propheticum non videtur intellexisse : non enim sciebat quod vir ille pontifex esset, sicut verba statim sequentia contestantur. Quomodo ergo loquendo ad eum, Percutiet te Deus, intellexit aut insinuavit pontificium Judæorum destruendum? Hoc tangendo, non reprobando, sit dictum. — Puto ergo beatum Apostolum apostolica auctoritate pro- D tulisse zelo justitiæ, futuram punitionem illius reprobi nuntiando : tanquam dicat, Percutiet te, id est, tuam impietatem vindicabit. Denique hoc modo Jeremias et alii

Sancti, frequenter contra adversarios suos A locuti noscuntur. Videam, ait Jeremias, *Jer.* XI, 20 ultionem tuam ex eis. Vocando autem pontificem, parietem, notat eum fuisse hypocritam, quia et foris æquitatem prætendebat, et intus passionibus pessimis erat plenus. Juxta quem etiam modum Christus in Evangelio Scribis Pharisæisque ait : Væ vobis, qui similes estis *Matth.* XXIII, 27. sepulcris dealbatis, quæ a foris pulchra apparent, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.

Et tu sedens in cathedra quasi episcopus, *judicas me secundum legem,* ut dicis, quamvis ita non sit, quum lex dicat innocentem non cædendum ; *et contra legem jubes me percuti,* quum in lege dicatur, Innocentem non condemnabis. Vel sensus est : Secundum legem judicas me esse blasphemum, et tamen non jubes mihi pœnam infligi blasphemiæ : quia secundum legem, blasphemi sunt extra castra ducendi ac lapidandi. *Lev.* XXIV, 14-16.

4 *Et qui adstabant, dixerunt : Summum sacerdotem Dei maledicis?* quasi dicant : C
In hoc præsumptuosissime facis, et contra legem quam te perhibes æmulari, et contra propria verba quibus dixisti te om-
5 ni bona conscientia conversatum. *Dixit autem Paulus : Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum.* Quasi diceret : Si hoc scivissem, ad vitandum scandalum pusillorum, moderatius essem locutus, propter eum a quo est omnis potestas. *Rom.* XIII, 1. Non tamen peccavit verba prædicta loquendo : nam æquitate instigante hæc dixit; et in quantum Apostolus, altioris D fuit episcopatus ac dignitatis, quam antistes legalis. Apostoli namque fuerunt primi pontifices evangelicæ legis; et sicut sacerdotium novi Testamenti præferendum est sacerdotio veteris legis, sic et pontificium istud illi est pontificio anteponendum. *Scriptum est enim* in Exodo : *Principem populi tui non maledices.* *Exod.* XXII, 28. Blande se excusavit Apostolus, ne illi in vitia laberentur. Sed pontifex iste principatum non habuit super Paulum, nec super quemquam credentium, qui Christi potestati subjecti, a legali dominatione fuerunt erepti.

Porro his dictis, cernens Apostolus quod omnes isti de concilio, concordes essent ad faciendum impetum contra eum, quum tamen inter se plurimum discordarent, decrevit malam eorum concordiam dissipare, et utilem inter eos divisionem conserere. Quemadmodum enim bonorum pax et unio bona est et plurimum utilis, sic impiorum concordia nocet, præsertim dum B bono contrariantur communi, aut unus
alteri cooperatur. Itaque sequitur : *Sciens* 6
autem Paulus quia pars una eorum *esset* de secta et numero *Sadducæorum, et altera Pharisæorum, exclamavit in concilio : Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum.* Non mendose hoc dixit, nam ante conversionem secundum Pharisæorum religionem sine querela est conversatus. *Philipp.* III, 5, 6. Conversus vero ad Christum, adhuc observantias sectæ istius tenebat pro loco, causa et tempore, quantum evangelica lex permisit, sicut jam patuit. *De spe et resurrectione mortuorum ego judicor,* id est, a vobis condemnor, quoniam resurrectionem ex mortuis prædico, et futuram beatitudinem credentibus evangelizo. Et hoc iterum verum est. Allegavitque causam suæ dijudicationis in genere, non in singulari. Non enim dixit, De resurrectione et glorificatione Christi judicor, sed, De spe et resurrectione mortuorum, quorum et Christus fuerat unus, cujus resurrectionem prædicando, Judæorum incurrit offensam. Ex quibus elicitur, quod vicissim liceat uti honesta industria, et veritatem sapienter velare, ut mala majora vitentur.

Et quum hæc dixisset, facta est dis- 7
sensio inter Pharisæos et Sadducæos, et soluta, id est divisa et disgregata, *est multitudo* concilii. *Sadducæi enim dicunt,* 8
non esse resurrectionem, quia et animas hominum asserebant mortales; *neque angelum, neque spiritum,* id est immateriales substantias : in quo eorum maxima

ruditas innotescit, quum et in libris Moy- A
sis toties fiat de angelis mentio. *Pharisæi
autem utrumque confitentur,* videlicet re-
surrectionem mortuorum et angelos. Erant
autem inter Judæos tres sectæ, videlicet
Sadducæi, qui libros Moysis tantummodo
receperunt; et Pharisæi, qui etiam libros
Prophetarum susceperunt; et Essæi, qui
fuerunt ceteris religiosiores ac meliores :
unde nec Christum in Evangelio persecuti
leguntur.

9 *Factus est autem clamor magnus,* qui-
busdam vociferantibus contra Paulum, et B
aliis inter se corrixantibus. *Et exsurgen-
tes quidam Pharisæorum, pugnabant* gla-
dio oris sui pro Paulo contra Sadducæos,
*dicentes : Nihil mali invenimus in homi-
ne isto.* Et hoc verum fuit, quamvis non
eo modo quo ipsi putabant. *Quid si spi-
ritus ei locutus est, aut angelus?* quasi
dicant : Non absurdum est hoc. Spiritum
autem et angelum, vel pro eodem accipi-
unt; vel spiritum pro anima defuncti, vel
pro Spiritu Dei, quamvis fidem Trinitatis
10 non habuerint, ut apparet. *Et quum ma-* C
*gna dissensio facta esset, timens tribu-
nus ne Paulus discerperetur ab eis, jus-
sit milites descendere, et rapere eum de
medio eorum, ac deducere eum in castra,*
Act. xxi, 34. puta in turrim custodiæ captivorum.

11 *Sequenti autem nocte adstans ei Domi-*
Tob. iii, 22. *nus* Christus, qui post fletum consolatio-
nem infundit, *ait : Constans esto.* Qualis
fuerit visio ista, non dicitur ; sed puto
quod imaginaria fuit atque in somno, an-
gelo in persona Christi apparente ac ad-
monente. *Sicut enim testificatus es de me* D
*in Jerusalem, sic te oportet et Romæ te-
stificari.* Hoc enim a divina providentia
est decretum : idcirco per comparationem
ad eam, necesse est adimpleri, quamvis
in se contingens sit. Tibi quoque et aliis
plurimis expediet testificatio seu prædi-
catio tua in Roma.

12-15 Deinde Lucas describit quemadmodum
quadraginta circiter Judæi voto se adstrin-
xerunt, quod nec biberent neque comede-
rent donec occiderent Paulum. Ideo con-
suluerunt pontifici ut faceret eum adduci
ad se, ad inquirendum de veritate, et ipsi
in via interficerent eum. Nec est difficul-
tas in textu. *Quod quum audisset filius* 16-22
sororis Pauli, puta *insidias* istas, *venit
et annuntiavit Paulo,* qui per centurio-
nem direxit nepotem suum ad tribunum,
ut hæc insinuaret eidem. Quo facto, tri-
bunus commisit cognato Pauli ne alicui
proderet quod hæc sibi intimasset. *Et
nunc parati sunt* Judæi suscipere Pau-
lum insidiose, *exspectantes promissum tu-
um,* quo eis dixisti quod adhuc mitteres
eis Paulum ad examinandum. Verum, ut
Beda hic ait, non est sapientia, non est *Prov.* xxi, 30.
prudentia, non est consilium contra Do-
minum. Nam et supra quamvis Paulus
hostias obtulerit, caput raserit, nudipeda- *Act.* xxi, 26.
lia exercuerit, et Judæus factus sit; vin-
cula tamen quæ prædicta fuerant, non *Ibid.* 11.
evasit. Et isti quamvis consilia cogitent,
voveant, insidias tendant ; servatur ta-
men Paulus, quatenus Romæ (sicut dictum *vers.* 11.
erat) Christo testimonium reddat. Sci-
endum quoque, quod sicut juramentum
servandum non est si desint comites ejus,
veritas, justitia, atque judicium seu di-
scretio; ita et de voto rite tenendum.

Tribunus ergo convocatis duobus cen- 23
*turionibus, dixit eis : Parate milites du-
centos, ut eant usque Cæsaream,* forte
pedestres, *et equites septuaginta, et lan-
cearios ducentos, a tertia hora noctis* inci-
piendo, tribus scilicet horis jam evolutis,
seu tertia hora post mediam noctem. Vel
sumitur horarum istarum distinctio secun-
dum diversas vigilias noctis. *Et jumenta* 24
præparate, videlicet equos, seu alia bruta
ad ferendos homines apta, *ut imponentes*
milites *Paulum* jumento, forte et socios
ac discipulos ejus aliis jumentis, *salvum
perducerent eum ad Felicem præsidem.*
Tot quippe homines pugnatores misit tri-
bunus cum Paulo, ne ei quid fieret a Ju-
dæis : quod etiam nocte peregit, ut lateret,
et seditio vitaretur. *Scribens* tribunus *ei* 26
præsidi *epistolam hæc* verba *continentem :*
Claudius Lysias optimo præsidi Felici

salutem. Videtur tribunus iste binomius A
27 fuisse. *Virum hunc*, scilicet Paulum, *comprehensum a Judæis, et interfici ab eis incipientem* : tam graviter enim inceperunt eum affligere, quod mors mox secutura videbatur; *superveniens cum exercitu eripui, cognito quod Romanus esset.* Quando tribunus eripuit primo Paulum, nondum sciebat quod esset Romanus, imo
Act. XXI, 38. putavit quod esset Ægyptius. Veruntamen ita scribit, quasi tunc id novisset, ad ornandum tenorem epistolæ, et ut videatur honorare Romanos : apud quos timuit B accusari quod Paulum civem Romanum indemnatum ligasset, ac flagellari jussis-
28 set. *Volensque scire causam quam objiciebant illi* Judæi, *deduxi eum in conci-*
29 *lium eorum. Quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum,* videlicet, an legalia essent servanda, an Messias venisset, et an Jesus Nazarenus esset Messias ; *nihil vero dignum morte aut vinculis ha-*
30 *bentem criminis. Et quum mihi perlatum esset de insidiis quas paraverunt ei, misi eum ad te, denuntians et accusatoribus* C ejus Judæis, *ut dicant apud te* ea quæ sibi objiciunt. *Vale.*

Milites ergo per noctem deduxerunt 31
Paulum in Antipatridem. Antipatris civitas est Palæstinæ, nunc diruta, quam Herodes Ascalonita rex Judææ, ex patris sui nomine appellavit. *Quum venissent* 33
Cæsaream, et tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum et Paulum. Cui præses dixit : *Audiam te quum ac-* 35
cusatores tui venerint. Jussitque in prætorio Herodis custodiri eum. Prætorium est domus majorum, ubi ad tractandum conveniunt. Est enim domus prætorum, id est præceptorum, secundum Bedam. O Felix præses, quam vere felix fuisses, si agnovisses qualis et quantus fuerat iste tibi directus, et manibus tuis ad tempus subjectus ! quam humiliter eum suscepisses, et quam reverenter tractasses, sicut Cornelius centurio Petrum ! Et nunc quia id non novisti, neque per Paulum converti meruisti, quem tamen pro tua conversione vicissim orasse non ambigo, miser potius quam felix fuisti.

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : POST QUINQUE AUTEM DIES.

1 POST *quinque autem dies descendit princeps sacerdotum Ananias cum senioribus quibusdam* Judæis, *et Tertullo* D *quodam oratore,* id est viro eloquente seu rhetore, qui esset advocatus, et verbis ornaret materiam, ut causa eorum rationabilior videretur. Eloquentia enim animam mollit, et ad consentiendum aures inclinat, nisi sapientia audientibus adsit atque justitia. *Qui adierunt præsidem* Felicem
2 in Cæsarea *adversus Paulum. Et citato Paulo, cœpit accusare Tertullus, dicens :*
Quum in multa pace agamus per te, id est, valde pacifice tuo vivamus regimine, *et multa corrigantur per tuam providentiam.* Præsidentis enim est, bona conservare, imo et in melius commutare, mala corrigere, et collapsa in pristinum statum reformare. *Semper,* id est omni tempore 3
quo nobis præfuisti, *et ubique* in nostra provincia, *suscipimus* te, *optime Felix, cum omni,* id est plena, *gratiarum actione.* In primis rhetor iste judicis benevolentiam captat, eumque vehementer commendat, ut blandis alliciatur sermonibus, nec ab eis dissentiat quos suis beneficiis conspexerit adeo gratos. *Ne autem diutius* 4
protraham te, id est, ne longiori te proœ-

mio occupem, quamvis multo amplius sis A
laudandus : nempe quum judex sis, multa
habes peragere, nec vacat tibi vacare præ-
ludiis ; *oro, breviter audias nos pro tua*
clementia, id est propter tuam pietatem,
si non ob merita nostra.
5 *Invenimus hunc hominem pestiferum,*
Ps. i, 1. id est animarum infectorem, in cathedra
pestilentiæ residentem, *et concitantem se-*
ditionem omnibus Judæis in universo or-
be, avertendo quosdam eorum a lege pa-
trum suorum ad novam legem : propter
quod inter eos et alios in pristina lege B
manentes seditio oritur ; *et auctorem se-*
ditionis sectæ Nazarenorum, id est unum
de principalibus prædicatoribus evangeli-
cæ novæque legis, quam non arbitramur
nisi seditionis originem, sectam seu hæ-
resim Nazarenorum, id est Christianorum :
qui tunc a Jesu Nazareno, Nazareni a Ju-
dæis quodam vocabantur opprobrio. Postea
vero in Judæa hæresis consurrexit quo-
rumdam, qui Jesum esse Christum et Dei
Filium de Virgine natum credentes, cum
Evangelio simul legalia observarunt. Unde C
quum Judæi voluissent esse et Christiani,
nec Judæi fuerunt, nec Christiani. Et isti
6 hæretici, vocati sunt Nazareni. *Qui etiam*
templum violare conatus est, inducendo
in illud gentiles. Quod sibi mendaciter im-
posuerunt, quanquam conversi gentiles di-
gniores fuerunt ingredi templum, quam
infideles Judæi. *Quem apprehensum,* id
est tentum et captum a nobis, *secundum*
legem nostram judicare voluimus, dam-
nando eum tanquam legis divinæ viola-
7 torem atque blasphemum. *Superveniens* D
autem Lysias tribunus cum magna vi,
8 *eripuit eum de manibus nostris : a quo*
Lysia *poteris* tu *ipse judicans, de omnibus*
istis cognoscere veritatem. Quasi dicat :
Ipse attestabitur verbis nostris.
10 *Respondens autem Paulus, annuente*
sibi præside, dixit : Ex multis annis te
esse judicem genti huic sciens, bono ani-
mo pro me satisfaciam. Non præmisit Apo-
stolus verba mulcentia, sicut Tertullus,
12 sed ipsa veritate fuit contentus. *Neque in*
templo invenerunt me cum aliquo dispu-
tantem, aut concursum facientem populi,
neque in synagoga, neque in civitate. Et 13
quamvis ista fecisset Apostolus, prædican-
do de Christo, non utique offendisset, quia
et alii Apostoli, præsertim Petrus et Joan- Act iii.
nes, ante eum ista fecerunt, quibus et
Christus præcepit : Eritis mihi testes in Ibid. i, 8.
Jerusalem. *Confiteor autem hoc tibi, quod* 14
secundum sectam, id est evangelicam le-
gem et fidem ab aliis divisam, *quam di-*
cunt hæresim, sic deservio Deo Patri
meo, qui per gratiam singularem et de-
votissimum cultum, est specialiter Deus
et Pater meus, *credens omnibus quæ in*
lege et in Prophetis scripta sunt, tan-
quam verbis divinitus revelatis aut scri-
ptis, *spem habens in Deum, quam et hi* 15
ipsi exspectant, videlicet *resurrectionem*
futuram in die novissimo *justorum et ini-*
quorum. Ex quo elicitur, istos de Phari-
sæorum secta fuisse, non Sadducæorum,
et quod Pharisæi instantius persecuti sunt
Paulum, quam Sadducæi.
Post annos autem plures a mea ad Chri- 17
stum conversione, *eleemosynam facturus*
in gentem meam, id est, Christianis in Je-
rusalem habitantibus allaturus collectas, Ibid. xi, 29. 30.
eis a gentibus conversis missas, *veni in*
Jerusalem, *et oblationes et vota* facturus
ibidem in templo, secundum quod Jaco-
bus et seniores Christiani cum ipso, mi- Ibid. xxi, 18-25.
hi suaserunt. *In quibus invenerunt me* 18
purificatum in templo, quia in hoc lega-
lia observavi, et dies purificationis præ- Ibid. 26.
dicavi : ut dictum est supra. [*Non cum*
turba neque cum tumultu.] *Et appre-*
henderunt me in templo, *clamantes* co- Ibid. 27 et seq.
ram tribuno : *Tolle inimicum nostrum.*
Quidam autem ex Asia Judæi, quos opor- 19
tebat apud te præsto esse, si accusatio ista
deberet reputari idonea, quoniam accusa-
tor et accusatus simul coram judice de-
bent consistere, *aut ipsi,* id est Judæi isti 20
hic stantes, *dicant si quid invenerunt in*
me iniquitatis : nam quæ mihi objiciunt,
ex Asianorum habuerunt relatu ; *quum*
starem in concilio eorum in Jerusalem ;

21 *nisi de una hac solummodo voce : Quo-* A
niam de resurrectione mortuorum ego ju-
dicor hodie a vobis.
22 *Distulit autem illos Felix*, non statim
expediendo Judæos, *certissime sciens de*
via hac : quia jam nomen Christianorum
sibi innotuit, et multos esse Christianos
cognovit; *dicens : Quum Lysias tribunus*
23 *descenderit, audiam vos,* o Judæi. *Jussit-*
que centurioni custodiri eum, videlicet
Paulum, *et habere requiem,* ut libere in-
gredi posset et egredi, *nec quemquam pro-*
hibere de suis, puta discipulis Pauli, *mi-* B
nistrare ei.
24 *Post aliquot autem dies veniens Felix*
cum Drusilla uxore sua, quæ erat Ju-
dæa. Fuit quoque, ut in Scholastica fer-
tur historia, pulcherrima; et relicto viro
priori, nupsit huic Felici. Et quoniam fuit
Judæa, Paulum libenter audivit. *Vocavit*
Paulum, et audivit ab eo fidem quæ est
25 *in Christum Jesum. Disputante autem*
Paulo de justitia, et castitate, et judicio
futuro, tremefactus Felix, respondit. De
his tribus Paulus disseruit, quoniam con- C
tra justitiam ex incontinentia Felix con-
jugem istam adeptus fuit. Quod et ipse
cognoscens, non immerito contremuit, au-
dito quod a Deo esset judicandus; sed non
tetigit eum Spiritus Sanctus complete, nec
convertebatur ad fidem, sed dixit : *Quid*
nunc attinet loqui de his? quasi dicat :
Non ideo te vocavi ut tractaremus de is-
tis. *Vade. Tempore enim opportuno accer-*
sam te. Simul et sperans quia pecunia 26
ei daretur a Paulo : quem vidit spiritua-
lem tot hominum patrem, a quibus puta-
vit eum plurima collegisse. *Propter quod*
et frequenter accersens eum, loqueba-
tur cum eo vir cupidus et voluptatibus
deditus, atque ob id ad evangelicæ sa-
pientiæ susceptionem indispositus et in-
dignus.
Biennio autem expleto, accepit succes- 27
sorem Felix Portium Festum. Hoc de
biennio conversationis Pauli in Cæsarea,
non præsidentiæ Felix, Beda exponit. In
Scholastica tamen historia dicitur, quod
nondum fluxerant duo anni ex quo Pau-
lus venit Jerusalem. Idcirco ibidem expo-
nitur de biennio ab accusatione qua Ju-
dæi accusaverunt Felicem apud Neronem
imperatorem, et biennio ab accusatione
ista expleto, amotus est a præsidatu, et
substitutus est ei Festus. *Volens autem*
gratiam præstare Judæis Felix, reliquit
Paulum vinctum, ut per hoc in fine præ-
sidatus sui placeret Judæis.

ARTICULUS XXV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : FESTUS ERGO QUUM VENISSET IN PROVINCIAM.

1-4 *FESTUS ergo quum venisset in pro-* D
vinciam Judææ seu Syriæ Palæstinæ,
cui præses fuit directus, *post triduum as-*
cendit Jerosolymam videre regiam urbem
atque metropolim Judæorum, et forte ob
alias causas, *a Cæsarea* Palæstinæ, de qua
sæpe dictum est. *Adieruntque eum prin-*
cipes sacerdotum, etc., ut Paulum ad eos
transmitteret, volentes eum in via ex-
stinguere. *Festus autem respondit servari*
Paulum in Cæsarea, se autem maturius
profecturum, id est tempore opportuno
ad Cæsaream descensurum.
Deinde *descendit Cæsaream, et sedit pro* 6-12
tribunali, et jussit Paulum adduci. Quo
adducto, *circumsteterunt eum Judæi, qui*
cum Festo contra eum *ab Jerusalem de-*
scenderant, multas et graves causas obji-
cientes, quas non poterant probare. Paulo
autem *rationem reddente, dixit* ei *Fe-*

stus : Vis Jerosolymam ascendere, et ibi A
de his judicari apud me? Dixit autem
Paulus : Ad tribunal Cæsaris sto : quia
et tribunal Festi, fuit imperatori subje-
ctum ; et ut aliqui dicunt, Paulus stetit
apud quamdam sedem, quam Herodes pa-
raverat Cæsari, si quando illuc veniret, ut
resideret in ea, vel judices mitteret; *ubi,*
utpote apud Cæsarem, *oportet me judica-*
ri. Cæsarem appello. Quod ideo fecit Apo-
stolus, ut prædicationi Romæ insisteret, et
Act. XXIII, 11. quia id Christus sibi prænuntiavit. *Tunc*
Festus cum concilio locutus, respondit : B
Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.
13-15 *Et quum dies aliqui transacti essent,*
Ibid. XII, 23. *Agrippa rex,* filius Herodis Agrippæ ab
angelo percussi, ut dictum est, *et Beroni-*
ce, quam Beda vocat sororem Agrippæ :
quod secundum Hebræum idioma accipi-
endum esse dicit Scholastica historia, quia
fuit cognata Agrippæ; et aliqui asserunt
quod fuit uxor ipsius, vel quasi uxor, quia
maxime diligebat eam, habuitque nomen
quod ea abuteretur; *descenderunt Cæsa-*
ream ad salutandum Festum. Qui *regi* C
indicavit de Paulo, dicens : Adierunt me
principes sacerdotum in Jerosolymis, *po-*
stulantes adversus illum damnationem.
16 *Ad quos respondi : Quia non est Romanis*
consuetudo damnare aliquem hominem,
priusquam is qui accusatur, præsentes
habeat accusatores, locumque defendendi

accipiat ad abluenda crimina quæ ei ob-
jiciuntur. Lex ista valde rationabilis fuit
et pia. Non enim leviter damnandus est
aliquis, nec omni credendum spiritui, sed I *Joann.* IV, 1.
audienda est altera pars, et causa utrius-
que diligenter tractanda, responsio quoque
partium advertenda. *Quæstiones quasdam* 19
de sua superstitione habebant adversus
eum, scilicet Paulum, *et de quodam Jesu*
defuncto, quem Paulus affirmabat vive-
re. Festus iste, tanquam homo gentilis, le-
gem seu ritum Judæorum superstitionem
quamdam putavit. *Paulo autem appellan-* 21
te ut servaretur ad Augusti cognitionem,
id est, vivus mitteretur ad imperatorem,
et audiretur ab eo, *jussi servari eum.* Ro-
mani autem imperatores, ab Octaviano po-
tentissimo imperatore, qui rempublicam
maxime auxit, atque ob id Augustus voca-
tus est, nomen Augusti sortiti sunt. *Agrip-* 22
pa dixit : Volebam et ego hominem au-
dire.

Altera die quum venisset Agrippa et 23
Beronice cum multa ambitione, id est
cum grandi apparatu et fastu, *jubente Fe-*
sto adductus est Paulus, etc. *De quo* Pau- 26
lo *quid certum scribam* ego Festus *domi-*
no imperatori Neroni, *non habeo,* etc. *Sine* 27
ratione enim, id est irrationabile, *mihi*
esse videtur, mittere vinctum ad judicem,
et causam ejus non significare verbis aut
scriptis.

ARTICULUS XXVI

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI SEXTI : AGRIPPA VERO AD PAULUM AIT.

1 AGRIPPA *vero ad Paulum ait : Per-* D
mittitur tibi loqui pro temetipso, id
est, damus tibi licentiam te excusandi ve-
ridice. *Tunc Paulus extenta manu,* more
concionantium, et ut verba ejus diligen-
tius auscultarentur, *cœpit rationem red-*
2 *dere, dicens : De omnibus quibus accusor*

a Judæis, rex Agrippa, me æstimo bea-
tum, id est innocentem, vel beatitudinem
quamdam adeptum, *apud te quum sim*
defensurus me hodie : quia quum sis no-
titiam legis habens, coram te tanquam
viro perito libentius respondeo; *maxime* 3
sciente te omnia, saltem in genere, *quæ*

apud Judæos sunt consuetudines et quæ-
stiones. Propter quod, obsecro, patienter
me audias.
4 *Et quidem vitam meam,* etc., qualiter
a juventute inter Judæos in Jerusalem vi-
5 xi, sciunt *Judæi, quoniam secundum cer-*
tissimam sectam nostræ religionis vixi
Pharisæus. Secta autem Pharisæorum, fa-
mosa atque notissima fuit. Connumerat
quoque Apostolus se Judæis, dicendo, No-
stræ religionis, videlicet Judaismi seu vete-
ris Testamenti, loquens de se pro tempore
6 juventutis suæ. *Et nunc in spe repromis-*
sionis æternæ hereditatis, seu Christi et
beneficiorum ipsius, *quæ ad patres no-*
stros facta est a Deo, qui ista Patriarchis
et Prophetis revelavit atque promisit, [*sto*
7 *judicio subjectus;*] *in qua duodecim tri-*
bus nostræ, id est aliqui de duodecim tri-
bubus Israel, *nocte ac die servientes* Deo,
sperant devenire, ut bona promissa obti-
neant. Quod de conversis Judæis certum
est veritatem habere. De incredulis quo-
que quodammodo verum est, quamvis in-
ordinate deserviant, et in modo exspectan-
di bona promissa, multipliciter errent. *De*
qua spe accusor a Judæis, o rex. Nam
mihi imponunt, quod mendaciter assero
spem istam in Jesu Nazareno partim im-
pletam, pleniusque complendam quando
electi per ipsum corporis et animæ glo-
Joann. I, 17. rificationem plenariam consequentur. Gra-
tia namque et veritas per Jesum Christum
facta est; et credentes in Christum, here-
ditatem cœlestem suscipiunt, a reatu ori-
ginalis peccati eruuntur, ac varia gratiæ
8 dona nunc capiunt. *Quid incredibile ju-*
dicatur apud vos, si Deus mortuos susci-
tat? id est, inter eos qui Moysis legem
suscipiunt, non debet incredibilis repu-
tari suscitatio mortuorum, quum quidam
III Reg. XVII, 19-22; IV Reg. IV, 32-35. in lege potestate divina id egerint, ut Elias
et Eliseus. Idcirco quod ego assero Jesum
a Deo resuscitatum, non debet incredibile
judicari.
9 *Et ego quidem existimavi me,* etc. Hic
Act. IX, 1, 2. resumit Apostolus modum suæ conversi-
11 onis, patetque littera ex præinductis. *Et*

A *per omnes synagogas puniens eos :* non
absolute per omnes, sed per omnes circa
vel intra Jerusalem. *Vidi super splendo-* 13
rem solis circumfulsisse me lumen, et eos
qui simul mecum erant : ita quod clari-
tas illa cœlestis videbatur splendore solis
lucidior, eo modo quo stella Magis appa- Matth. II, 2.
rens, ceteris stellis fertur fuisse mican-
tior, quia sic apparebat his quorum visui
fuit propinqua. Denique claritas illa de-
super fusa, fuit splendidior claritate solis
recepta in terrenis corporibus, eisque sub-
B jective inhærente. Ex quo tamen non se-
quitur, quod fuit major luce solis quæ
soli inhæret. *Omnesque nos quum deci-* 14
dissemus in terram. Superius dictum est,
quod Paulus in terram corruerit; hic vero Act. IX, 4.
adjicitur, quod omnes comites ejus in ter-
ram collapsi sint : utique præ timore et
admiratione. *Audivi vocem* dicentem *He-*
braica lingua. Quod vocem audierit, su- Ibidem.
pra jam dictum est, non autem quod fuit
Hebraica.
Saule, Saule, quid me persequeris?
C etc. *Exsurge et sta supra pedes tuos.* Hoc 16
quoque Dominus loquitur Ezechieli : Fili Ezech. II, 1.
hominis, sta supra pedes tuos, et loquar
tecum. Per quod designatur, quod intel-
lectu atque affectu mentali erigi debet ad
Deum, qui divinarum revelationum secre-
ta percipiet. *Ad hoc enim apparui tibi*
ego Jesus Nazarenus, *ut constituam te mi-*
nistrum, id est evangelizatorem, *et testem*
eorum quæ vidisti, et eorum quibus, id
est in quibus, *apparebo tibi,* id est, pro-
cedente tempore tibi revelabo, *eripiens te* 17
D *de populis et gentibus,* scilicet Judæis at-
que gentilibus, *in quos ego nunc mitto*
te : aperire oculos, id est illuminare cor- 18
da *eorum, ut convertantur de tenebris*
ignorantiæ et peccati, præsertimque ido-
lolatriæ, *ad lucem,* quæ Christus est (qui
ait, Ego sum lux mundi), ad lucem quo- Joann. VIII, 12.
que evangelicæ veritatis, *et de potestate*
Satanæ, cujus servi fuerunt, impie con-
versando, *ad Deum* : pœnitendo enim, et
in Christum credendo, taliter convertun-
tur ; *ut accipiant remissionem peccato-*

rum, et sortem, id est partem, *inter San-* A
ctos, videlicet dona gratiæ in præsenti, et
dona gloriæ in futuro, *per fidem quæ est*
in me, id est, tendit et ducit ad me, et
meam divinitatem sub ratione primæ ve-
ritatis habet pro objecto.
19 *Unde non fui incredulus cœlesti visioni,*
20 putando eam phantasticam, *sed* omnibus
annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et
converterentur ad Deum, contemptis bo-
nis variabilibus et caducis, *digna pœni-*
tentiæ opera facientes : ut scilicet tanto
majora ac strenuiora essent pœnitentiæ B
opera, atque ex præcordialiori contritione
prodeuntia, quanto plura et enormiora fu-
issent peccata. Sic et Joannes Baptista hor-
Luc. III, 8. tatur : Facite, inquiens, dignos pœniten-
22 tiæ fructus. *Auxilio autem Dei adjutus,*
sto in culmine virtutum immobilis *usque*
in hodiernum diem, testificans minori at-
que majori, quod Jesus sit Christus, et
sine conversione ad ipsum nulli sit salus,
nil extra dicens quam ea quæ Prophetæ
sunt locuti, id est, in nullo ab illis discor-
dans : imo ea dico impleta, quæ ipsi præ- C
23 nuntiaverunt implenda. *Si,* pro quia, *pas-*
sibilis Christus fuit. Nam eum pro mundi
salute passurum dixerunt Prophetæ. *Si*
primus ex resurrectione mortuorum, id
est inter mortuos suscitatos primus, non
tempore, sed dignitate et causalitate, et
quia propria virtute se ipsum suscitavit,
quamvis non secundum idem convenerit
ei mori, et suscitari a mortuis. Verbum
Cf. XXIII, 6. istud superiori plenius fuit expositum ca-
pitulo. *Lumen annuntiaturus est populo*
Judæorum *et gentibus.* Hoc enim præ- D
nuntiaverunt Prophetæ, hoc prædicave-
runt Apostoli, quod Christus sit lumen ho-
minum universorum : lumen utique corda
illuminans, evangelicam sapientiam do-
cens, ad felicitatem veram perducens. De
Luc. II, 30-32. quo Simeon justus professus est : Vide-
runt oculi mei Salutare tuum, quod pa-
rasti ante faciem omnium populorum, lu-
men ad revelationem gentium; et Isaias,
Is. IX, 2. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit
Joann. I, 9. lucem magnam ; itemque Joannes, Erat
lux vera quæ illuminat omnem hominem
venientem in hunc mundum.
Hæc loquente eo, scilicet Paulo, *Festus* 24
voce magna dixit : Insanis, Paule. Mul-
tæ te litteræ ad insaniam convertunt.
Quemadmodum stultam fecit Deus sapi- I Cor. I, 20.
entiam hujus mundi, ita et filiis hujus
sæculi stultitia videtur sapientia Dei. Rur-
sus, irrationabilis excessus visus est Festo
viro gentili, quod Paulus tot supernatura-
lia prædicavit, quod captivitatis et vincu-
lorum suorum quasi immemor factus, de
puritate conscientiæ suæ coram Deo, de
resurrectione mortuorum, de communi ho-
minum salute fecit sermonem.
Et Paulus : Non insanio, inquit, opti- 25
me Feste, sed veritatis et sobrietatis verba
loquor. Mirum videri potest, quod sanctus
veridicusque Apostolus, virum infidelem
gentilem, optimum nominat. Sed optimus,
id est valde bonus erat, loquendo de bo-
nitate morali, quantum ad virtutes acqui-
sitas ac naturales, sicut et multi gentilium
eminenter boni fuisse leguntur, ut Hector
et Julius. Unde de Hectore refert Philo-
sophus, quod potius videbatur filius dei
quam hominis. *Scit enim de his rex, ad* 26
quem et constanter loquor, non pavens,
ut moris est aliquibus, qui si cum aliqua
eminenti persona loqui debeant, contre-
miscunt. *Latere enim eum nihil horum*
arbitror. Neque enim in angulo quid-
quam horum gestum est. Non adulatorie,
sed veraciter locutus est ista Apostolus,
quia Agrippa imbutus fuit lege et ritibus
Judæorum. Rumor quoque miraculorum,
documentorum mysteriorumque Christi et
discipulorum ipsius, ad eum copiose per-
venit. Et ut refert hic Beda, Agrippa rex
in concione quadam ad Judæos habita fer-
tur dixisse : Si de religionis auxilio præ-
sumitis, quum urbem jam Romanam di-
scipuli Jesu repleverint, haud sine nutu
Dei putamus illam crescere religionem.
Agrippa autem dixit *ad Paulum : In* 28
modico, id est pro parte, *me suades fie-*
ri Christianum. Et Paulus : Opto apud 29
Deum et in modico et in magno, non tan-

tum te, sed etiam omnes qui audiunt, ho- A
die tales fieri qualis et ego sum, scilicet
Christianos omnino, *exceptis vinculis his,*
id est, dempto quod non essent vinculati
ut ego. Sed quum vinculatum esse, ut fu-
erat Paulus, fuerit maxime meritorium,
quare id excepit Apostolus? Et responden-
dum, quod illud excepit, non quia in se
malum, aut quia non meritorium, sed sub
ratione pœnæ duntaxat, ut scilicet quid
pœnale secundum se. Sic enim optandum
non fuit, sed per relationem ad fructum
multiplicem.

Agrippa autem Festo dixit : Dimitti 32
poterat homo iste, si non appellasset Cæ-
sarem.

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : UT AUTEM ADJUDICATUM EST.

1 U*T autem adjudicatum est,* id est, post- B
eaquam Agrippa et Festus judicave-
runt, *eum,* scilicet Paulum, *navigare in*
Italiam, puta ad Romam et imperatorem,
tradidit Paulum Festus præses *cum re-*
liquis custodiis, id est ceteris captivis,
centurioni, nomine Julio, cohortis Augu-
stæ : quia hic Julius fuit magister atque
centurio super cohortem seu turbam mi-
litum quos imperator Romanus misit :
Act. XXV, 21. qui etiam Augustus nominatus est, ratio-
2 ne præhabita. *Ascendentes autem navem*
Adrumetinam. Adrumes, Adrumetis, no- C
men est civitatis in Africa : inde dicitur
navis Adrumetina, quasi de oppido illo.
Incipientes navigare circa Asiæ loca, sus-
3 *tulimus. Sequenti die venimus Sidonem :*
quæ olim insignis fuit urbs Phœniciæ. *Hu-*
mane autem, id est urbane, caritative et
pie, *tractans Julius Paulum,* cujus sapi-
entiam et virtutes fuerat sæpe expertus,
permisit ad amicos suos *ire, et curam sui*
agere, ad necessitatem, non ad volupta-
4 tem, in his quæ corpus requirit. *Et inde,*
utpote a Sidone, *quum sustulissemus, sub-* D
navigavimus Cyprum, contra propositum,
propterea quod essent venti contrarii no-
5 stro optato processui. *Et pelagus Ciliciæ*
et Pamphyliæ, de quibus locis dictum est
supra, *navigantes, venimus Lystram* ci-
6 vitatem, *quæ est* urbs provinciæ *Lyciæ;*
et ibi inveniens centurio navem Alexan-
drinam, id est de Alexandria civitate Ægy-
pti, *navigantem in Italiam, transposuit*
nos in eam.

Et quum multis diebus tarde navigare- 7
mus, et vix venissemus contra Gnidum :
quæ civitas est vel promontorium Doridæ,
provinciæ minoris Asiæ, Cretam respi-
ciens ; *vento nos prohibente, adnaviga-*
vimus Cretæ civitati seu insulæ, *juxta*
Salmonem, civitatem maritimam illius in-
sulæ. *Et juxta* Salmonem *navigantes, ve-* 8
nimus in locum quemdam, qui vocatur
Boniportus, cui juxta erat civitas Tha-
lassa.

Multo autem tempore ibi *peracto, quum* 9
jam non esset tuta navigatio, eo quod je-
junium jam præterisset, id est, fames ma-
gna præterisset et fatigasset nautas in na-
vi, reddens eos ad laborem infirmos, ut
quidam exponunt : quod tamen non vide-
tur competere, quia ut infra habetur, in
navi erat copia rerum. Unde quidam ex-
ponunt de quodam jejunio legis circa hie-
mem vel in hieme. In hieme autem non
est tutum navigare. *Consolabatur eos Pau-*
lus, dicens : Viri, video, id est, ex signis 10
tempestatum considero, seu Deo revelante
cognosco, *quoniam cum injuria, et multo*
damno, non solum oneris, id est rerum
quæ vehuntur in navi, *et navis, sed etiam*

animarum nostrarum, incipit esse navi-
gatio, id est cum periculo vitæ nostræ.
Anima enim hic pro vita animali sensitiva
11 accipitur. *Centurio autem gubernatori et*
nauclero, id est rectori et domino navis,
magis credebat quam Paulo, sequens in
hoc sensum humanum, quo unicuique in
sua arte experto amplius creditur. Quod
et ideo fecit, quia portus in quo erant,
non fuit ad hiemandum idoneus : ideo ad
naucleri consilium, contra consilium Pau-
12 li, transnavigaverunt. Ideo subditur : *Et*
quum aptus portus non esset ad hieman-
dum, quamvis comparative loquendo, ap-
tus fuisset, prout Paulus consuluit, *pluri-*
mi statuerunt consilium navigare inde, si
quomodo possent, devenientes Phœnicen
provinciam, *hiemare* apud *portum Cretæ*
respicientem ad Africum et ad Corum,
ventos sic dictos.
13 *Adspirante autem Austro,* id est vento
australi, *æstimantes propositum se tenere,*
id est portum aptiorem attingere, *quum*
sustulissent de Asson. Superius dictum
vers. 8. est, Thalassam vocari urbem Cretæ, ubi
centurio cum nautis et captivis multum
temporis peregerunt, a quo loco non le-
guntur solvisse. Quomodo ergo hic dicitur,
Quum sustulissent de Asson, quum As-
Act. xx. 13. son superius commemorata sit esse civitas
Asiæ maritima? Ego opinor, salvo docti-
orum judicio, eumdem locum qui prius
Thalassa dictus est, nunc dici Asson : quod
forte scriptorum vitio accidit. Alias vide-
rentur hic a Luca multa omissa : quod
non patitur consequentia historiæ. *Lege-*
bant Cretam, hoc est, littus illius insulæ
prætornavigabant.
14 *Non post multum autem,* id est post
breve tempus, *misit se contra ipsam* Cre-
tam seu navem *ventus Typhonicus, qui*
vocatur Euroaquilo. Dicitur ventus Ty-
phonicus, qui inflat et intumescere facit
mare, maxime navigantibus infestus, non
solum antennas, sed etiam navigia ipsa
confringens. Generatur autem hic ventus,
dum exhalatio terrestris, unctuositatis non
omnino expers, in nube conclusa, per fo-
A ramen egreditur, et pars egressa a terra
resiliens, ratione caloris reascendens, parti
alteri descendentis circulariter involvitur.
Arbores quandoque eradicat, tecta atque
ædificia alta dejicit. Dicitur autem Typho-
nicus, a verbo Græco τύφω, id est, accen-
do. *Quumque arrepta esset navis* impulsu 15
venti istius, *et non posset conari in ven-*
tum, id est resistere ei, *data nave,* id est,
pristina directione cessante ab ea, et in-
certo eventui commodata, *flatibus fereba-*
mur, scilicet in incertum, quia colligere
B vela cœperunt.
In insulam autem quamdam decurren- 16
tes, quæ vocatur Cauda, quam tamen oc-
cupare non potuerunt, *vix potuimus obti-*
nere, id est comprehendere seu attrahere,
scapham : quam de navi deposuerunt in
mare in adjutorium navis. Scapha nam-
que impetu fluctuum pene rapta fuit. Et
dicitur scapha levis navicula, ex una tan-
tum arbore excavata, vel navis modica ex
vimine facta, et crudo corio tecta. Est au-
tem nomen a Græcis sumptum, apud quos
C σκάφη, alveus, concavitas, fossura dicitur.
Deferuntur hujusmodi naviculæ in navi-
bus, et imminente naufragio, deponuntur
in mare ad succurrendum navi, ut accin-
gatur et in procinctu tempestatis armetur.
Hinc subditur : *Qua sublata, adjutoriis* 17
utebantur, accingentes navem, ne vi ven-
torum et fluctuum læderetur. *Timentes*
autem *ne in Syrtim inciderent, submisso*
vase, id est, aliquo ponderoso in aquam
demisso ad retardandum cursum navis,
sic ferebantur. Porro Syrtes vocantur are-
D nosa loca in mari valde horrenda, in fine
Africæ sita, quæ inaccessa reddit vado-
sum ac reciprocum mare : suntque peri-
culosa valde propter æstus, id est motus
inquietos, et arenæ copiam.
Valida autem tempestate nobis quassa- 18
tis, sequenti die jactum fecerunt, utensi-
lia ejiciendo de navi pro relevamine ejus;
et tertia die suis manibus armamenta na- 19
vis projecerunt. Neque sole autem in die, 20
neque sideribus apparentibus per plures
dies, et tempestate non exigua imminen-

te, jam sublata erat spes salutis nostræ. A
corporalis videlicet evasionis de mari, ita
quod desperavimus nos posse mortem eva-
dere. Et hoc verum est quantum ad illos
gentiles, et quoad naturalem potentiam ac
spem. Paulus tamen et ejus discipuli, di-
vina virtute crediderunt se evasuros, eo
quod sæpius Paulo fuisset divinitus reve-
latum, quod Romæ foret prædicaturus.

21 *Et quum multa jejunatio fuisset*, id
est, quum diu jejunassemus, vel pro eva-
sione periculi, vel ex victualium inopia,
vel ex desolatione qua cibus vertebatur in B
nauseam, *tunc stans Paulus in medio eo-
rum, dixit : Oportebat quidem, o viri,
audito me, non tollere a Creta*, id est,
contra consilium meum non debuissetis
a loco illo præfato navigasse, *lucrique fa-
cere injuriam hanc et jacturam*, id est
non incurrere tantum damnum rerum ve-
22 strarum. *Et nunc suadeo vobis bono ani-
mo esse. Amissio enim nullius animæ*, id
est personæ seu vitæ, *erit ex vobis :* sæpe
enim ponitur pars pro toto; *præterquam
23 navis*, quæ destruetur. *Adstitit enim mihi* C
hac nocte angelus Dei, vel in imaginaria
visione tempore somni, vel in vigilia ma-
nifeste, *cujus* Dei veri ac omnipotentis
sum ego, non tantum per creationem, sed
et per præcipuam dilectionem ac devoti-
onem, providentiamque specialem circa
24 me, *et cui deservio* in actibus latriæ; *di-
cens : Ne timeas, Paule; Cæsari te opor-
tet adsistere. Et ecce donavit tibi Deus
omnes qui navigant tecum*, id est, meritis
tuæ sanctitatis omnes illos ab imminente
25 præservabit periculo tempestatis. *Propter* D
*quod bono animo estote, viri. Credo enim
Deo meo*, qui licet sit omnium Deus crea-
tione et gubernatione ac remuneratione,
specialiter tamen Deus meus est, per sin-
gularem quam ad ipsum habeo caritatem
et cultum, *quia sic erit quemadmodum
26 dictum est mihi. In insulam autem quam-
dam oportet nos devenire.* Hoc eis præ-
dicit, quatenus id impleri cernentes, de
veritate verborum Pauli non dubitent.
Denique Paulus ista dicendo, non semet-
ipsum jactabat, sed illos ad fidem provo-
cabat. Nam et ideo pelagus turbari per-
missum est, ut per id quod Paulus auditus
non est, et per id quod auditus est, spe-
cialis ejus gratia panderetur.

Sed posteaquam quartadecima dies nox 27
*supervenit, navigantibus nobis in Adria
circa mediam noctem, suspicabantur nau-
tæ apparere sibi aliquam regionem. Et* 28
submittentes, id est, in aquam dimitten-
tes, *bolidem*, hoc est pondus plumbi, aut
similis rei, quo maris profunditas investi-
gatur, *invenerunt passus viginti* profun-
ditatis maris ubi erant. *Et pusillum inde
separati, invenerunt passus quindecim*,
ita quod profunditas cœpit minor inveni-
ri. *Timentes autem ne in aspera loca in-* 29
cideremus, ubi navis progredi non vale-
ret, *de puppi mittentes ancoras quatuor*
in aquam ad navem figendam, *optabant
diem fieri*, ut cautius sibi providerent.

Nautis vero quærentibus fugere de na- 30
vi : non enim credebant verbis Pauli,
quibus asseruit sibi divinitus affirmatum
quod meritis suis omnes evaderent; *quum
misissent scapham in mare* (quid sit sca- vers. 16.
pha, prædictum est), *sub obtentu quasi
inciperent a prora ancoras extendere, di-* 31
xit Paulus, intentionem nautarum Deo
revelante cognoscens, *centurioni et mili-
tibus : Nisi hi in navi manserint, vos
salvi fieri non potestis.* Non quod Deus
unum illorum sine alio non posset eripe-
re, sed quia ab eo decretum fuit ut om-
nes pariter de periculo pelagi salvarentur.
Nec tamen providentia aut prænuntiatio
Dei imponit rebus absolutam necessita-
tem. *Tunc absciderunt milites funes sca-* 32
phæ, et passi sunt eam excidere, id est
perire seu perdi.

Et quum lux inciperet fieri, rogabat 33
*Paulus omnes cibum sumere, dicens :
Quartadecima die hodie exspectantes je-
juni permanetis, nihil accipientes.* Non
est verisimile quod intra quatuordecim
dies nihil comederint; sed quod parum
est, pro nihilo computatur. Vel, quarta-
decima die qua Paulus hæc dixit, nihil

34 de cibo sumpserunt. *Propter quod rogo*
vos cibum accipere pro salute vestra, id
est corporis sanitate et confortatione, seu
etiam animæ salute, ne inordinate jeju-
nando, se ipsos interemisse judicarentur;
quia nullius vestrum capillus de capite
peribit hac vice, præsentive tempestate.
35 *Et quum hæc dixisset, sumens panem,*
gratias egit Deo in conspectu omnium. Et
36 *quum fregisset, cœpit manducare. Ani-*
mæquiores autem facti omnes, et ipsi
37 *sumpserunt cibum. Eramus autem uni-*
versæ animæ id est homines, *in navi,*
38 *ducentæ septuaginta sex. Et satiati cibo,*
alleviabant navem, jactantes triticum in
mare. Jam enim et Paulus eis prædixit
navem periclitandam. Ponit autem hoc lo-
co Lucas partem hominis, scilicet animam,
pro toto homine, sicut in Genesi legitur
Gen. XLVI, 26. Jacob in Ægyptum descendisse in anima-
bus sexaginta sex.
39 *Quum autem dies factus esset, terram*
non agnoscebant; sinum vero, id est por-
tum seu alium locum consimilem, *quem-*
dam considerabant, habentem littus, in
quem cogitabant, si possent, ejicere na-
40 *vem. Et quum ancoras sustulissent,* quas
paulo ante in aquam miserant, *committe-*
bant se mari sine conatu navigii, videntes

A quod se ipsos juvare multum non pos-
sent, *simul laxantes juncturas guberna-*
culorum navis, *et levato artemone,* id est
modico velo, directioni potius quam ce-
leritati navis accommodato, *secundum au-*
ræ flatum, tendebant ad littus. Et quum 41
incidissemus in locum dithalassum, id est
concursum duorum marium, vel isthmum,
id est linguam quamdam terræ in mare
protensam, mari utrinque circumdatam,
impegerunt navem, quæ in hunc locum
offendit. *Et prora quidem fixa, manebat*
B *immobilis,* utpote ipso æquoris fundo vio-
lenter infixa, et solo retenta; *puppis vero*
solvebatur a vi maris, id est, maris impe-
tu frangebatur. Puppis autem est posterior
pars navis.
Militum autem consilium fuit ut custo- 42
dias, id est vinctos et captos, *occiderent,*
ne quis, quum enatasset, effugeret. Cen- 43
turio vero volens servare Paulum, pro-
hibuit fieri : quia et Paulus unus fuit
vinctorum; *jussitque eos qui possent na-*
tare, mittere se in mare primos, et eva-
C *dere,* ut eorum evasione conspecta, alio-
rum augeretur fiducia; *et alios in tabulis* 44
ferebant. Et sic factum est ut omnes ani-
mæ, id est homines, *evaderent ad ter-*
ram : ut Paulus veridicus monstraretur.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI OCTAVI : ET QUUM EVASISSEMUS.

1 ET *quum evasissemus* periculum tem-
pestatis marinæ, *tunc cognovimus* ab
habitatoribus loci illius, *quia Mitylene in-*
sula vocabatur. Naufragium tamen hoc,
ut quibusdam placet, in Adriatico mari ac-
cidisse videtur. Nam proxime præcedenti
Act. XXVII, 27. capitulo scriptum est, Navigantibus nobis
in Adria. Adria autem, ut dicunt, non so-
lum urbs est Italiæ ad mare quod vocatur
ab ea Adriaticum vel Adriacum, sed po-

D nitur etiam Adria pro ipso mari Adriati-
co. Unde hoc loco haud esse legendum,
Mitylene insula vocabatur; sed legendum
eis apparet, Meligina insula vocabatur.
Nam Meligina, vel ut alii appellant, Mili-
tine, est insula in Adriatico mari, Dalma-
tiæ adjacens, non longe a Corcyra nigra
distans, et Garganum Apuliæ montem ex
opposito conspectans. Sunt alii qui putant
legendum esse, Melita insula vocabatur.

Namque Pachyno Siciliæ promontorio, in-
sula Melita versus meridiem adjacet. Ex
hac insula post naufragium esse naviga-
tum, hoc illis est argumento, quod post
egressum de insula, immediate in textu
vers. 12 subditur : Et quum venissemus Syracusas.

Barbari vero præstabant non modicam
humanitatem nobis, id est, multum be-
nigne se habuerunt ad nos, quum tamen
Barbari soleant esse crudeles et inhumani;
sed tunc ad misericordiam moti sunt, con-
sideratione gravissimæ tribulationis quæ
tam diu afflixerat istos. Porro, præter He-
bræos, Latinos et Græcos, ceteri Barbari
2 appellantur. *Accensa enim pyra*, id est
lignorum strue, *reficiebant nos omnes pro-*
pter imbrem qui imminebat et frigus :
unde desiccatione vestium et corporis ca-
lefactione indiguimus.

3 *Quum congregasset autem Paulus sar-*
mentorum aliquantam multitudinem, id
est lignorum fasciculum, *et imposuisset*
super ignem pro ejus fomento et incre-
mento, *vipera* occulte latens inter sarmen-
ta, *a calore quum processisset*, id est, ca-
lorem fugiens erupisset, *invasit manum*
4 *ejus. Ut ergo viderunt Barbari penden-*
tem bestiam de manu ejus, ad invicem
dicebant : Utique homicida est homo hic.
In hoc non multum errabant, quod eum
homicidam dicebant, licet manu propria
non interemerit quemquam : quamvis in
judicando de causa erraverunt. Non enim
in peccati ultionem, sed ad sanctitatis suæ
ostensionem divinæque potestatis declara-
tionem ista res contigit. Unde quod sub-
dunt, verum non est : *quia quum evaserit*
5 *de mari, ultio eum non sinit vivere. Et*
ille quidem excutiens bestiam venenosam
in ignem, nihil mali pœnalis *passus est*
6 ab ea. *At illi æstimabant eum in tumo-*
rem convertendum, instar eorum qui ve-
neno infecti sunt, *et subito casurum, et*
mori. Et naturaliter ita fuisset, nisi su-
pernaturalis virtus actionem naturalium
impedivisset causarum.

Diu autem illis exspectantibus, et vi-
dentibus nihil mali in eo fieri, converten-
A *tes se*, id est, mutuo se adspicientes, *dice-*
bant eum esse deum. Et hoc aliqualiter
verum fuit, quamvis non eo modo ut illi
putabant. Fuit autem deus quidem per
gratiam excellentem, modo quo scriptum
est : Ego dixi, Dii estis; et item, Dii for- *Ps.* LXXXI, 6.
tes terræ vehementer elevati sunt. Natura *Ps.* XLVI, 10.
equidem operantis, quodammodo transfor-
matur in id cujus operationibus præci-
pue conformatur, jugiterque insistit. Ideo
sicut carnalis homo dicitur porcus, sic
spiritualis et virtuosus et contemplativus
B dicitur deus. Judices quoque et prælati in
Scripturis dii vocantur, secundum quod
Moyses ait : Dominus domus applicabitur *Exod.* XXII, 8.
ad deos; et rursus, Ad deos causa per- *Ibid.* 9.
veniet; itemque, Diis non detrahes. Rur- *Ibid.* 28.
sus, propter eminentiam potestatis Pauli
ad facienda miracula, deus quodammodo
fuit. Sic enim ad Moysen Dominus ait :
Constitui te deum Pharaonis. Juxta hos *Ibid.* VII, 1.
modos, etiam secundum philosophos, ho-
mo solus, dicitur deus vel bestia. Præter-
ea, gentilium stulta cæcitas deum puta-
C vit, quidquid ultra communem cursum
aut seriem, magnum atque insolitum ali-
quid peragebat.

In locis autem illis erant prædia prin- 7
cipis insulæ, nomine Publii, qui nos sus-
cipiens, triduo benigne exhibuit. Publius
iste, postea factus est vir eximiæ perfe-
ctionis et sanctitatis. *Contigit autem pa-* 8
trem Publii febribus et dysenteria, id est
profluvio ventris, *vexatum jacere :* et hoc
ordinatione divina, ut per ejus curatio-
nem multi converterentur ad Christum.
D *Ad quem Paulus intravit; et quum oras-*
set, et imposuisset ei manus, salvavit eum,
id est, sanum effecit, et deinceps con-
vertit. *Quo facto et omnes qui in insula* 9
habebant infirmitates, accedebant, vel per
se, vel adducti per alios, *et curabantur.*
In quo divinæ sapientiæ dispensatio est
pensanda, quemadmodum miracula ad ali-
orum conversionem seu admonitionem fi-
unt, et injustis quandoque potius quam
justis impenduntur. Unde Paulus Timo-
theum stomacho languidum, prece non 1 *Tim.* V, 23.

II *Tim.* IV, 20. curat. Trophimum quoque discipulum suum, Mileti infirmum reliquit, qui tamen gentibus convertendis tot signa exhibuit.
10 *Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, et navigantibus imposuerunt quæ necessaria erant.* Dignum etenim fuit ut Apostolo ejusque discipulis atque comitibus de corporalibus providerent, a quo tot spiritualia beneficia susceperunt, et per quem ad fidem fuerunt conversi. Unde et ipsum tanquam Apostolum spiritualemque patrem venerabantur, et propter eum et ejus discipulos.

11 *Post menses autem tres,* infra quos Paulus prædicationi ibidem fuit intentus, *navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hiemaverat, cui* insulæ *erat insigne castrorum :* quia adhuc apparebant, ut dicitur, in insula antiquorum castrorum vestigia. Vel, Cui navi erat insigne castrorum, quia in modum castrorum erant insignia vel intexta. Porro, secundum Bedam, verior translatio habet, non, Castrorum, sed, Castorum, ita quod vitio scriptorum in secunda syllaba adjuncta est littera *r :* quia videlicet Castor et Pollux gemini fratres fuerunt, quos gentiles præcipue in periculo maris invocabant; maxime autem a piratis mare tueri putabantur. Unde in littore maris eis templa struxerunt. Alia translatio continet, Cui erat insigne filiorum Jovis. Fabulantur namque gentiles, præsertim poetæ, Castorem et Pollucem fuisse filios Jovis ex Leda Thesei conjuge, quam constupraverit Jupiter.

12 *Et quum venissemus Syracusas,* urbem pulcherrimam Siciliæ (beatissimæ Luciæ virginis martyrio famosam), *mansimus ibi*
13 *triduo. Et inde circumlegentes, devenimus Rhegium.* Rhegium in ultimo Italiæ seu Calabriæ (quo loco Sicilia ab Italia dirupta est) situm est oppidum, a quo et Rhegini habitatores vocantur. Et Rheginensis Ecclesia divum Brunonem, Cartusiani ordinis initiatorem, in archiepiscopum dum adhuc viveret, elegit. Sed episcopatui eremiticam vitam præferens, in ultimo Calabriæ solitariam vitam læto fine terminavit, illic in domo S. Stephani, a se constructa, sepultus. *Et post unum diem afflante austro, sequenti die venimus Puteolos :* quæ est civitas coloniæ Campaniæ, secundum Bedam. Tamen in Scholastica historia legitur, quod nomen sit insulæ. Fertur quoque in Glossa, quod sit locus ubi Virgilius invenit balnea medicinalia.

S Bruno Cartusianus archiepiscopus Rheginensis electus.

Ubi inventis fratribus, scilicet Christia- 14
nis, qui tunc se mutuo omnes fratres vocabant, Dei et proximi caritate in omnibus æstuante cum omni humilitate, *rogati sumus* ab eis *manere apud eos diebus septem,* ad nostram refocillationem, et ipsorum informationem ac consolationem. Jam enim fama Pauli apud universos Christianos celeberrima fuit. *Et sic venimus Romam.*

Et inde, puta a Roma, *quum audissent* 15
fratres, id est Christiani Romani, nostrum adventum, sive ab homine sive ab angelo, *occurrerunt nobis* ex caritate et reverentia sua ad nos, præsertim ad Paulum, *usque ad Appii forum et Tribustabernis.* Secundum quosdam, unum vocabulum est, Appiiforum. Estque nomen fori Romæ, ab Appio quondam consule constituti : a quo Appio et via Appia cognominata est. Præterea, in Scholastica recitatur historia, quod forum hoc fuit ab Appio in maris littore constitutum, ut de nocte applicantes, ibi invenirent victualia. Ibidem quoque constituit Appius tres tabernas, utpote tres domus in quibus cibi exponerentur venales. Unde, Tribustabernis, est hic unum nomen indeclinabile, significans locum illum, seu tres domos præfatas. *Quos* fratres *quum vidisset Paulus :* nam ex habitu, occursu et apparatu pensavit quod essent fideles, timorati et justi ; *gratias agens Deo,* quod jam Romæ conversi essent nonnulli ad Christum, et quod hi tam caritative sibi occurrerent, *accepit fiduciam* majorem quam ante, seu fiduciæ incrementum, quod adventus suus ad Romam fieret fructuosus.

Quum autem venissemus Romam, per- 16

missum est Paulo permanere sibimet, id A
est ad suum libitum libere ambulare in
urbe, *cum custodiente se milite* : ita quod
unus miles fuit a centurione deputatus ad
ejus custodiam, de cujus fuga timendum
non fuit. Nempe quum Romam venissent,
nondum fuit Nero in imperio confirma-
tus, nec innotuit ejus crudelitas ; audiens-
que controversiam esse de lege Christia-
norum ac Judæorum, parvi pendit nego-
17 tium, nec Paulum reclusit. *Post tertium*
autem diem convocavit Paulus primos
Judæorum, qui Romæ manebant, scilicet B
principaliores.

Quumque venissent, dicebat eis : Ego,
viri fratres, nil adversus plebem faciens,
id est contra Judæos : quorum compara-
tione gentiles increduli, durante cursu
legis, reputati sunt canes ; imo non Moy-
ses tantum, sed et Christus ita eos ap-
Matth. xv, 26. pellat, Non est (inquiens) bonum sumere
panem filiorum, et mittere canibus ; *aut*
morem paternum, id est legis ritum seu
Judaismum, *vinctus ab Jerosolymis tradi-*
tus sum in manus Romanorum, videlicet C
tribuni ac præsidis, centurionis ac militis.
18 *Qui quum interrogationem de me habuis-*
sent, causam meam inquirendo et discu-
tiendo, *voluerunt me dimittere, eo quod*
19 *nulla causa mortis esset in me. Contra-*
dicentibus autem Judæis, coactus sum ap-
pellare Cæsarem, non quasi gentem me-
am Judaicam, de cujus semine ego sum,
20 *habens aliquid accusare. Propter hanc*
ergo causam rogavi vos videre et alloqui,
ne forte contingat vos informari sinistre.
Propter spem enim Israel, id est propter D
bonum speratum Israeli promissum, vide-
licet propter testimonium seu prædicatio-
nem qua dico hanc spem esse impletam,
quantum ad primum Christi adventum,
passionem ac resurrectionem, *catena hac*
circumdatus sum. Quo constat quod Apo-
stolus vinctus seu catenatus incessit tem-
pore tanto : cujus exemplo patientiam
addiscamus.

21 *Dixerunt : Nos neque litteras accepi-*
mus de te a Judæa, id est, nulla nobis
a Judæis terræ promissionis scripta est ac-
cusatio contra te, *neque adveniens aliquis*
fratrum de populo Judæorum, *locutus est*
quid de te malum. Rogamus autem au- 22
dire a te quæ sentis de Christi adventu
atque mysteriis. *Nam de secta hac*, id
est Christianorum lege, *notum est nobis,*
quia ubique ei contradicitur a multis,
tam gentilibus quam Judæis, qui et par-
ticulares persecutiones contra Christianos
moverunt.

Quum constituisset autem eis diem, con- 23
venerunt ad eum in hospitium plures :
quibus exponebat testimonia Christi, *te-*
stificans regnum Dei, id est statum et
regimen Ecclesiæ militantis, beatitudinem-
que patriæ cœlestis, cum testificatione af-
firmans nunc advenisse Christum, *sua-*
densque de Jesu quod esset verus Messias
rex Israel, *ex lege Moysis et Prophetis,*
a mane usque ad vesperam : in quo fervor
Apostoli innotescit. *Et quidam* Judæorum 24
illorum *credebant his quæ a Paulo dice-*
bantur, et *quidam non credebant*.

Quumque invicem non essent consenti- 25
entes, discedebant, dicente Paulo unum
verbum, id est allegante unum testimoni-
um prophetale : *Quia bene locutus est Spi-* 26
ritus Sanctus per Isaiam prophetam : Va- Is. vi, 9.
de ad populum istum, et dic ad eos, o tu
Isaia : *Aure* corporali *audietis*, o Judæi,
verba Christi discipulorumque ejus, *et non*
intelligetis ea, virtutem et veritatem eo-
rum percipiendo ac intuendo ; *et videntes*
visu carnali, *videbitis* opera Christi ac
Apostolorum, *et non perspicietis*, hoc est,
ex hoc non penetrabitis acie mentis vim
operum horum, quomodo scilicet non nisi
Deo agente fieri queant, et qualiter evan-
gelicæ legis veritas per ea monstretur :
quemadmodum ait Salvator, Opera quæ Joann. v, 36.
dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa ope-
ra quæ ego facio, testimonium perhibent
de me. *Incrassatum est enim cor populi* 27
hujus, id est, mens Judæorum obtusa et
obtenebrata est nebula propriæ perversi-
tatis : sicut et Moyses ait, Incrassatus est Deut. xxxii, 15.
dilectus, et recalcitravit. Crassitudo hæc

cordis Judæorum, fuit eorum carnalitas, A qua terrenis potissimum inhæserunt. Propter quod Christi documenta ad omnium terrenorum contemptum hortantia, aspernabantur, dicentes : Insanit ; quid eum auditis ? (*Joann.* x, 20.) Præterea, sicut crassitudo corporalis efficit corpus minus agile minusque mobile, sic crassitudo cordis reddit animam veritatum cœlestium incapacem, acediosam ac tenebrosam. *Et auribus* mentis et corporis *graviter audierunt :* quia et verba Christi indignanter atque invite corporaliter audierunt; ad considerandam B quoque eorum efficaciam fuerunt tardissimi. Quibus dixit Salvator : Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. (*Ibid.* viii, 47.) *Et oculos suos* mentales *compresserunt,* hoc est, ab intuitu evangelicæ theoriæ spontanee averterunt, Spiritui Sancto obicem ponentes. *Ne forte videant oculis* interioribus quæ sunt veræ salutis, *et auribus audiant* diligenter quæ Dei sunt, *et corde intelligant,* ea quæ fidei sunt per donum intellectus penetrando, *et convertantur* C per cordialem agnitæ veritatis amorem ad Deum, *et sanem eos* ab infidelitate ac ceteris vitiis, animarum languoribus, secundum quod per Jeremiam dico : Convertimini ad me, et sanabo aversiones vestras. (*Jer.* iii, 22.)

Hanc autem scripturam allegat Lucas secundum translationem Septuaginta interpretum. Hieronymus autem, quantum ad tenorem seu formam verborum, aliter transtulit; sensus vero redit in idem, quemadmodum super Isaiam ostendi. (*Is.* vi, 9, 10.) D

Joannes quoque evangelista allegat hæc verba pro tempore Christi prædicta atque impleta. (*Joann.* xii, 40.) Ubi etiam quædam istorum verborum asserit in persona Filii Dei esse ad Isaiam prolata, videlicet, Ne forte convertantur, et sanem eos. Paulus vero primum horum verborum dicit a Spiritu Sancto prolatum, sicut nunc patuit : ex quo Didymus (quem Beda hoc loco beatum appellat) in libro de Spiritu Sancto, divinitatem Spiritus Sancti probavit. Quod enim nunc Paulus ait a Spiritu Sancto dictum, id Isaias a Domino dictum perhibet : et ibi per Dominum, intelligitur verus Deus. Ex quibus omnibus S. Hieronymus durissime increpat Origenem, qui per Dominum sedentem in solio elevato, istaque verba Isaiæ loquentem, intelligit Deum Patrem, (*Is.* vi, 1.) per Seraphim vero, Filium et Spiritum Sanctum. (*Ibid.* 2.) Nunc enim ostensum est, per Dominum ibi designari Spiritum Sanctum, imo Deum absolute, seu unamquamque divinam Personam. Ex quo liquido demonstratur, unam esse et voluntatem et naturam Dei et Spiritus Sancti. Quod et Didymus subtilissime docet.

Notum ergo sit vobis, quoniam genti- 28
bus missum est hoc Salutare Dei, hoc est, Christus mundi Salvator ad gentium conversionem et gloriam, a Patre per incarnationis mysterium missus est, et per Apostolos deportatus, despicientibus Christum Judæis, quemadmodum capitulo tertiodecimo dictum est; (*Act.* xiii, 46.) *et ipsi audient* auribus mentis et corporis, prædicationem Evangelii Christi, juxta illud : Notum fecit Dominus Salutare suum; in conspectu gentium revelavit justitiam suam. (*Ps.* xcvii, 2.)

Mansit autem biennio toto in suo con- 30
ductu, hoc est in hospitio quod ipse sibi
conduxerat, *et in custodia libera ; et sus-*
cipiebat, hoc est, ad audientiam suæ præ-
dicationis pie et caritative admisit, *om-*
nes qui ingrediebantur ad eum, Judæos
ac gentiles, *prædicans regnum Dei,* hoc 31
est statum et gratiam Ecclesiæ militantis (quæ frequenter a Christo regnum cœlorum et regnum Dei vocatur), statum quoque et gloriam Ecclesiæ triumphantis, *et docens quæ sunt de Domino Jesu Christo,* utpote præcepta, consilia, documenta et testimonia Salvatoris, *cum omni fiducia* adsistentiæ Dei, conversionisque plurimorum, *sine prohibitione.* Nam ante adventum Pauli ad Romam, Nero annis regnavit duobus, nondum tamen fuit confirmatus in regno. Propter quod dimisit Apostolum toto biennio infra Romam in suo conductu, liberaque custodia. Postea vero per

decennium, scilicet decem annis, dimisit eum in libertate majori, ut etiam extra Romam in occidentalibus partibus prædicaret. Postea quartodecimo anno imperii Neronis, Paulus ab ipso, martyrio coronatur pro fide catholica, quæ radius est primæ et inviolabilis Veritatis, omni admiratione, gratiarum actione, honore et gloria superdignissimæ, quum ipsa sit super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN ACTUS APOSTOLORUM

ENARRATIO
IN APOCALYPSIM
BEATI JOANNIS

PROŒMIUM

ECCE *puer meus electus quem elegi, dilectus meus, in quo bene placuit animæ meæ : ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit.* Is. XLII, 1; Matth. XII, 18.

Verba hæc juxta sensum ab Isaia, atque a Matthæo in forma, quantum ad litteram de unigenito Dei, vero, æterno naturalique Filio Domino nostro Jesu Christo conscripta sunt. De Joanne tamen evangelista juxta mysticam intelligentiam congrue assumuntur. Ipse enim est unus puerorum illorum quibus post resurrectionem suam locutus est Christus : Pueri, numquid pulmentarium habetis? De quibus per Isaiam dixit Sal- *Joann.* XXI, 5. vator : Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus. *Is.* VIII, 18.

Joanni itaque loquitur evangelistæ Deus sublimis : *Ecce puer meus :* puer utique ab innocentiæ puritate ac sanctimonia vitæ, quomodo Paulus hortatur, Nolite pueri I *Cor.* XIV, 20. effici sensibus, sed malitia parvuli estote; et Psalmista, Laudate, pueri, Dominum ; *Ps.* CXII, 1. *meus,* plane per gratiam adoptionis, per providentiam æternæ prædestinationis, per communionem præcipuæ familiaritatis, per eminentiam apostolatus; *quem elegi* præ millibus, quem et ore proprio a navi ad discipulatum, deinde ad apostolatum vocavi ; *Matth.* IV, 21; X, 1-3. *dilectus meus,* et tam singulariter prædilectus, ut ipse toties de se ipso loquens vera- *Joann.* XIII, 23; XIX, 26, XXI, 7, 20. citer dicat, Discipulus quem diligebat Jesus; *in quo bene placuit animæ* Christi, ita ut in Cœna super pectus ejus et in sinu ejus recumberet; vel, ut ad Deum Patrem seu *Ibid.* XIII, 23, 25. totam Trinitatem referatur quod dicitur, Bene placuit animæ meæ. Anima Deo trino ac simplici metaphorice adscribitur, voluntatem seu mentem intelligendo per animam, secundum quod per Jeremiam Dominus asserit : Numquid in gente hujuscemodi non *Jer.* V, 29. ulciscetur anima mea? Et in Amos Propheta habetur : Juravit Dominus per animam *Amos* VI, 8. suam.

Super hunc felicem Joannem posuit Deus spiritum suum, utique Spiritum Sanctum, præsertim in die Pentecostes, quum sedit Spiritus Sanctus super singulos discipulo- *Act.* II, 1-4. rum. Nec tantum posuit Deus spiritum suum super eum, dando ei gratiam gratum facientem, et virtutes ac dona concomitantia illam; sed insuper dona gratiæ gratis datæ accumulavit in eo, fecitque eum apostolum, evangelistam, prophetam, doctorem, mirabilium operatorem, cœlestium secretorum altissimum contemplatorem, omnium linguarum atque totius divinæ Scripturæ tribuens ei notitiam. Hic Joannes judicium, id est divinæ æquitatis effectus et ultiones, æternæ sapientiæ decreta ac instituta, discretionem quoque inter verum et falsum, inter bonum et malum, itemque finale judicium gentibus nuntiavit. Per quem Deus omnem militantem Ecclesiam præcipue illustravit. Nam totius Asiæ minoris Joannes fundavit rexitque Ecclesias. Quumque ad Domitiani imperatoris præceptum, Romam usque esset deductus, atque in bullientis

olei dolium missus, nec læderetur in eo, in Patmos insulam exsul est relegatus. Ubi quum solus soli Deo vacaret, cognovit per Spiritum quanta mala in Ecclesiis Asiæ pullularent. Super quo dolens ac Dominum deprecans, raptus fuit, et non solum quæ fiebant in Asia, sed quæ toto orbe in Ecclesiis tunc fiebant, et principalia usque ad finem mundi ventura universali Ecclesiæ, angelo revelante cognovit. Super quibus librum istum composuit, suis eum mittens discipulis, non ad eorum dumtaxat, sed ad omnium Christianorum profectum.

Præterea, quædam expositioni hujus libri possent præmitti, videlicet quid sit prophetia, de gradibus, speciebus, et ordine prophetiæ, de multiplici expositione sacræ Scripturæ, et de septem regulis intelligentiæ Scripturarum valde proficuis : de quibus nunc transeo, quia in exordio expositionis libri Psalmorum ea utcumque induxi. Postremo, quemadmodum librorum veteris Testamenti quidam dicuntur legales, ut libri Moysis; alii historiales, ut libri Regum et Paralipomenon; alii sapientiales, ut libri Salomonis; alii prophetales : ita in novo Testamento libri legales sunt quatuor evangelia; historialis liber est Actus Apostolorum; sapientiales libri, epistolæ Pauli et aliæ septem canonicæ; prophetalis autem liber est Apocalypsis. Nec ista intelligenda sunt per præcisionem, sed per quamdam appropriationem, quum certum sit, in quolibet genere librorum istorum, aliqua de aliorum librorum contineri materia.

ENARRATIO

IN APOCALYPSIM

BEATI JOANNIS

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO PRIMI CAPITULI : APOCALYPSIS JESU CHRISTI, QUAM DEDIT ILLI DEUS.

1 *APOCALYPSIS Jesu Christi, quam* A *dedit illi Deus palam facere servis suis.* Apocalypsis revelatio dicitur. Unde I Cor. xiv, 26. Corinthiis scribit Apostolus : Quum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet. Itaque : *Apocalypsis Jesu Christi,* id est revelatio facta Christo secundum naturam assumptam, a Patre, vel tota superbenedicta Trinitate, cujus indivisa sunt opera. Denique omnium rerum cognitio, universorumque secretorum revelatio facta est animæ Christi in primo incarnationis instanti, in quo omnium præteritorum, præsentium, ac futurorum plena notitia Christo homini est infusa. Propter Joann. v, 20. quod ait in Joanne : Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit. Et Ibid. viii, 28. denuo protestatur : A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, sic loquor. Vel, Apocalypsis Jesu Christi, id est, quam Dominus Jesus per angelum revelavit Joanni, et per Joannem toti Ecclesiæ. *Quam dedit illi Deus,* scilicet Filio secundum quod homo est, Deus Pater, *palam facere,* id est manifestare, *servis suis,* omnibus Christianis, secundum ordinem jam prætactum : quia Pater revelavit Filio, Filius angelo, angelus Joanni, Joannes fidelibus, qui servi sunt Dei servitute filialis timoris, non servilis formidinis. Imo Filius secundum quod Deus, sibi ipsi secundum quod homo, hanc revelationem peregit. Nihilo minus Filius etiam secundum divinam naturam, omnia habet a Patre, sicque a Patre habet virtutem et sapientiam qua revelat.

Quæ oportet fieri cito : id est, revelatio ista continet atque prænuntiat tribulati- B ones Ecclesiæ, quas fideles cito passuri sunt. Et ista futura, non oportet fieri necessitate absoluta, quum in se sint futura contingentia, non sine magno impiorum peccato implenda; sed eo modo quo necesse est ut veniant scandala, et sicut Matth. xviii, 7; I Cor. xi, 19. oportet hæreses esse, videlicet necessitate conditionata, et ex hypothesi consequentiæ, non consequentis. Quum enim a Deo prævisa sint, et ab ejus sapientia ad electorum profectum sint præordinata, non possunt non evenire secundum respectum. C Verumtamen providentia Dei mutabilibus necessitatem non imprimit, nec libertatem hominibus tollit. Oportet demum hæc fie-

ri cito, id est in hac ultima mundi ætate, de qua ait in prima Canonica sua Joannes (I Joann. II, 18): Novissima hora est. Vel ideo ait, Cito, quia a tempore Apostolorum tribulationes istæ sumpserunt exordium. Hinc etiam ait, Cito, quoniam præsens tempus futuro sæculo comparatum, est velut momentum. (Jacob. V, 9) Propter quod Jacobus : Ecce, inquit, judex ante januam adsistit. Præterea, oportet, id est expedit, hæc fieri cito, quia expediens est electis in præsenti tribulationibus exerceri, ut a vitiis emundentur, ad gratiam disponantur, a futuris pœnis per temporales afflictiones eruantur, Christo (Is. XXVIII, 19) conformentur. Vexatio quoque dat intellectum, et futuram beatitudinem facit avidius desiderari, imo et mundi contemptum inducit.

Et significavit, mittens per angelum suum, id est, Jesus Christus mittens angelum suum, per eumdem manifestavit quæ cito fieri oportet, *servo suo Joanni*. In hoc Joannis commendatur humilitas, quod se Christi servum potius quam apostolum vocat. Huic autem expositioni al- (Apoc. XXII, 16) ludit, quod infra fertur : Ego Jesus misi angelum meum testificari hæc in Ecclesiis.

2 *Qui testimonium perhibuit verbo Dei*, id est Unigenito Patris æterni. In quo Verbo docuit S. Joannes duplicem esse naturam, et unam hypostasim seu personam : (Joann. I, 1, 14) In principio, inquiens, erat Verbum ; et Verbum caro factum est. Vel, Testimonium perhibuit verbo Dei, id est, sermones Dei in Scripturis contentos, veros esse disseruit. Nec solum loquendo aut scribendo, sed et sanctissime conversando, præclarissima miracula perpetrando, martyrio se exponendo, exsiliumque ferendo, perhibuit testimonium verbo Dei, secundum utrumque hunc sensum. *Et testimonium Jesu Christi*, id est, de Christo perhibuit, *quæcumque vidit* : quoniam testimonium istud fuit assertio operum passionisque Christi, et ceterorum quæ in ejus conversatione ac passione, post resurrectionem quoque usque ad ascensionem et Spiritus Sancti missionem, conspexit Joannes oculis mentis et corporis. Unde in evangelio suo testatur : Et qui vidit, testimonium (Joann. XIX, 35; XXI, 24) perhibet de his, et scripsit hæc. Et in primæ suæ Canonicæ ait principio : Quod (I Joann. I, 1-3) vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, annuntiamus vobis. — Sed quomodo ait nunc, Quæcumque vidit, quum in fine sui evangelii protestetur, Multa alia fecit Jesus, quæ (Joann. XXI, 25) non sunt scripta in libro hoc? Et respondendum, quod quando Joannes hunc edidit librum, nondum scripsit evangelium, nec in eo universa scripsit quæ prædicando perhibuit. Distributio quoque ista qua ait, Quæcumque, intelligi potest de generibus singulorum, non de singulis generum : quia de omnibus aliqua enarravit. Juxta quem modum ait Psalmista : Narrabo (Ps. IX, 2) omnia mirabilia tua ; et in Ecclesiastico : Nonne Deus fecit Sanctos enarrare omnia (Eccli. XLII, 17) mirabilia sua, quæ confirmavit omnipotens Dominus, stabilis in gloria sua? Nihilo minus in eodem libro conscribitur : Quis sufficiet enarrare omnia mirabilia (Ibid. XVIII, 2) ejus? et, Pauca vidimus operum ejus. (Ibid. XLIII, 36)

Consequenter pandit Joannes quam fructuosa sit hæc ejus doctrina, et quanta
attentione sit advertenda. *Beatus* nunc 3
beatitudine viæ ac spei sive per meritum, nondum beatitudine patriæ seu rei per præmium, *qui legit*, alios erudiendo, vel per se ipsum studendo, *et* qui *audit*, discendo seu advertendo, vel auribus mentis percipiendo, scilicet obediendo, *verba prophetiæ hujus*, id est libri istius prophetici, qui vaticiniis plenus est, in quo etiam verba Prophetarum frequenter introducuntur ; *et servat*, id est, memoriter retinet, efficaciter implet, patienterque sustinet, *ea quæ in ea scripta sunt*, id est quæ in prophetia hujus voluminis docentur, jubentur, prænuntiantur. Siquidem in libro isto contenta sunt saluberrima documenta, seriosa præcepta, futura adversa. Itaque quod ait, Beatus qui legit, audit et servat, conjunctim est intelligendum. Non enim sufficit legere vel audire,

nisi et serventur lecta vel audita. Propter A *Luc.* XI, 28. quod ait Salvator : Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ; et Jacobus, *Jacob.* IV, 17. Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi. Verumtamen, quia non omnes sciunt hæc legere, sufficit audire et observare. Si tamen quod dicitur, Legit et audit, intelligatur de lectione et auditione caritativa, interna, attenta (quomodo ait I *Cor* XII, 3. Apostolus, Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto), utrumque per se sufficiens erit : quia et tunc tertium virtualiter includunt seu comprehendunt. — Circa hunc locum dicit Berengandus* : Multi præcepta Dei legunt vel audiunt ; sed nihil eos juvat. Aut enim acquirendis terrenis mens eorum dedita est, aut libidine agitatur, aut proximum dijudicat, aut contra prælatum superbit, aut fingit se potentem vel magnum futurum, aut ceteris vanissimis rebus distenditur. Alii divinas Scripturas legunt et audiunt, ut sapientes et egregii apud homines habeantur, et in sæculi prosperitatibus floreant, non ut reprobam corrigant vitam.

* *alias* Berengaudus

Cur vero qui verba libri hujus legit, audit, servat, beatus sit, subditur. *Tempus enim prope est,* id est dies judicii particularis singulorum, imo et universalis, tempus quoque æternæ retributionis. Unde futuræ vitæ æternitatem attendens Apo- II *Cor.* IV, 17. stolus, dixit : Momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

4 *Joannes* mandat et scribit *septem Ecclesiis quæ sunt in Asia.* Quando enim Joannes hæc scripsit, erant in Asia septem Ecclesiæ particulares et principales, videlicet septem congregationes fidelium in septem civitatibus Asiæ minoris, cujus Ephesus fuit metropolis : quæ Ecclesiæ et civitates infra exprimuntur. Per has autem septem Ecclesias, universæ designantur Ecclesiæ : quoniam septenario numero universitas significari solet, eo quod septem dierum numero omne tempus comprehendatur, et septem diebus omne tempus evolvitur ; et propter septemplicem gratiam Spiritus Sancti, qua impletur Ecclesia. Denique universæ Ecclesiæ sunt una Ecclesia catholica, quæ per septem Ecclesias explicatur, propter septem dona Spiritus Sancti, quibus illustrata in mundo refulget.

Gratia vobis et pax. Gratia proprie sumpta, est habitus supernaturalis menti per creationem infusus, esse spirituale, deiforme, atque idoneum ad promerendam vitam æternam, conferens ei. Hanc habet B omnis qui est in statu salutis. Sed sicut caritas, ita et gratia ista perficitur. Itaque gratiam non habentibus optat gratiam dari, habentibus vero appetit perfici. Potest tamen hoc loco per gratiam, quodcumque spirituale donum conferens ad salutem, intelligi. Pax autem est tranquillitas mentis, et quies ejus in Deo : quam maxime habere condecet Christianum. Nam et Christus sic suos salutavit discipulos : Pax vobis. Et ascensurus in cœlum, locutus est eis, passioni jam proximus : Pacem *Luc.* XXIV, 36 ; *Joann.* XX, 21, 26. C relinquo vobis, pacem meam do vobis. *Joann.* XIV, 27. Insuper hanc salutationis formam ipsis præfixit : In quamcumque, inquiens, domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui. *Luc.* X, 5. Quam vero desiderabile, deificum ac beatum sit pacem habere, ostendit, dicendo : Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth.* V, 9. Ideo monet Apostolus : Pax Christi exsultet in cordibus vestris. *Coloss.* III, 15. Nullam itaque turbulentiam animi, nullam inquietudinem vitii aut amaritudinem spiritus admittamus, sed tranquilla D Deo mente vacemus.

Itaque, Gratia disponens ad pacem veram, spiritualem, internam, et pax consequens illam, insit, detur et conservetur vobis *ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est,* id est a Deo Patre æterno. Cujus æternitas quamvis sit inextensa, invariabilis, totaque simplicissime simul, per temporum tamen differentias designatur, quoniam omne tempus ambit, includit, et tempori omni adsistit ; nec a nobis intelligitur, nisi ex tempore, et per com-

parationem ad tempus, eo modo quo incorporalia atque simplicia, per corporalia et composita intelligere dicimur, puta per abnegationem, et etiam aliis modis. Itaque Deus Pater nunc incommutabiliter est, et ante omnia erat, et venturus est ad Ecclesiam militantem ac triumphantem, per caritatem, gratiam seu gloriam inhabitando, seque suis electis manifestando, ac nova et mira agendo, non locum mutando. Sic nempe ait Christus : Qui diligit me, sermonem meum servabit ; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. (*Joann.* XIV, 23.) Venturus est itaque, omnium electorum remunerator, et corporum glorificator. Quamvis autem juxta hunc sensum unicuique divinæ Personæ conveniat esse, fuisse, venturumque esse, tamen hoc loco Patri appropriatur, propter verba sequentia. Sequitur enim :

Et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. Per septem spiritus, multi expositorum accipiunt Spiritum Sanctum, eo quod in donis sit septiformis, quamvis sit simplex unusque in natura. Cujus dona (quæ apud Isaiam spiritus nomine exprimuntur, quum dicitur : Spiritus sapientiæ et intellectus, etc.), (*Is.* XI, 2.) sunt in conspectu throni ejus, id est in mente ac intelligentia animæ Christi, cujus humanitas thronus Patris vocatur. Vel per septem spiritus, intelliguntur angeli sancti, ita ut per Septem, universitas angelorum insinuetur, eo modo quo Tobiæ Raphael loquitur : Ego sum unus de septem qui adstamus ante Deum. (*Tob.* XII, 15.) Vel certe per septem spiritus, specialiter denotantur illi septem angelici spiritus qui septem Ecclesiis Asiæ præfuerunt. Quidam etenim uni privatæ personæ, quidam communitati sunt præsidentes. Omnes autem angeli sunt in conspectu throni Dei, id est, ipsi Deo omnipotenti adsistunt, tanquam obsequi præparati. Thronus quoque Dei vocatur uno modo, ipsum tertium intellectualeque cœlum, in quo residet Trinitas adoranda. Ad quod, secundum unam ex- (*II Cor.* XII, 2.) positionem, raptus est Paulus. Nec aliud est thronus iste, quam ipsa residentis auctoritas ac majestas, qui in se ipso esse et quiescere perhibetur. — Obiter advertendum, quod non eodem modo gratia et pax sunt a Deo, et angelis ejus. A Deo enim sunt effective ac principaliter ; ab angelis, impetrative et instrumentaliter. Orant quippe pro nobis, et nostra obsequia offerunt Deo. (*Tob.* XII, 12 ; *Act.* X, 3, 4.)

5 *Et a Jesu Christo,* qui secundum divinitatem, est idem dator pacis et gratiæ cum Patre et Spiritu, et eodem modo cum illis hæc tribuit. Propter quod ait : Quæcumque facit Pater, hæc et Filius similiter facit. Etenim trium Personarum est una essentia, una potestas : idcirco et actio ad extra, indivisa. Porro Christus secundum quod homo et mediator, est causa pacis et gratiæ meritoria, instrumentalis, secundaria, quum ejus humanitas sit instrumentum proprium, conjunctum, animatum immediatumque divinitatis seu Verbi : per quam humanitatem Verbum incarnatum, seu Christus homo, promeruit nobis dona gratiæ, imo et gloriæ. Et precamur virtute ac merito Christi dona spiritualia nobis præstari.

Qui est testis fidelis, id est verax in verbis, factis et promissis, in tantum ut dicat : Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. (*Luc.* XXI, 33.) Dedit autem testimonium fidele de Patre, dicendo, Exivi a Patre, et veni in mundum ; (*Joann.* XVI, 28.) et alia multa sublimia, quæ in Evangelio Joannis potissimum sunt descripta. Verbis quoque et factis testimonium perhibuit de se ipso : qui in die judicii testimonium perhibebit contra reprobatos, et pro electis, juxta illud, Ego sum judex et testis. (*Jer.* XXIX, 23.) Denique evangelicæ legis doctrinam testatus est populo. De quo loquitur Pater : Ecce testem populis dedi eum. (*Is.* LV, 4.)

Primogenitus mortuorum. Quum innumerabiles mortales et mortui fuerint ante Christi adventum, quomodo dictus est primogenitus mortuorum ? Ad quod Berengandus respondet, quod primogenitus hic

pro primo accipitur, sicut primos eos in A populo vocamus, non qui ætate, sed honore ac dignitate ceteros antecellunt. Et hoc verum est, sive per mortuos intelligamus corpore mortuos, sive spiritualiter atque salubriter mortificatos, quales fu-
Coloss. III, 3. erunt quibus scribit Apostolus : Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Primogenitus itaque mortuorum Christus est, quoniam est primus et caput omnium hominum electorum. Vel sic : Primogenitus mortuorum,
I *Cor.* XV, 20, 23. id est inter resurgentes a morte, primus B ad immortalem vitam resurgens; primus etiam inter hos dignitate et causalitate. Qui autem ante Christum a morte suscitati leguntur, ad vitam mortalem rursus morituri resuscitabantur. Hinc ad Colos-
Coloss. I, 15, 18. senses scribit de Christo Apostolus : Qui est primogenitus creaturæ, et primogenitus mortuorum.

Hebr. II, 8. *Et princeps regum terræ.* Omnia enim subjecta sunt Christo, etiam secundum naturam assumptam. Unde et passione in-
Joann. XVII, 2. stante dixit ad Patrem : Sicut dedisti ei C potestatem omnis carnis. Et teste Aposto-
Philipp. II, 10. lo, in nomine Jesu omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. De
Dan. VII, 14. quo Daniel ait : Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Sed quomodo princeps regum terræ dicitur Christus, quum tam multi reges terræ ei non pareant, imo rebelles sint? Et respondendum, quod plenariam potestatem super eos sortitus sit, et quum sibi placuerit, potestatem hanc ostendet in eis.

Qui dilexit nos amore æterno et increa- D to, secundum quod Deus; amore quoque creato, gratuito et infuso, imo et naturali amore, tanquam naturæ suæ consortes et fratres, secundum quod homo. Unde mo-
Ephes. V, 2. net Apostolus : Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Quam perfe-
Joann. XV, 13. cte autem dilexerit nos, demonstrat : Majorem, inquiens, hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Si hanc dilectionem volumus
Ibid. 12. nobis prodesse, obediamus jubenti : Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. *Et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo,* id est, merito passionis suæ et pretio sanguinis sui a peccato originali et actuali nos emundavit tempore passionis : et hoc, quantum ad sufficientiam, quoniam quantum in se est, pro omnibus satisfecit; sed quantum ad efficientiam seu efficaciam, lavat nos a peccatis in sacramento Baptismi ac Pœnitentiæ, quæ a passione Christi efficaciam sortiuntur, sicut et cetera sacramenta, quæ sunt velut vasa medicinalia, dominicæ passionis virtutem et gratiam quodammodo continentia, per quæ meritum Christi nobis applicatur. Præterea, quandocumque veniam ex toto corde precamur, lavat nos a peccato in sanguine suo. Nam preces nostræ et omnis nostra operatio, per hoc redduntur Deo acceptæ ac vigorosæ, quod Christo capiti nostro per fidem conjungimur. Hinc ad Ephesios inducitur : Christus dilexit Ecclesiam, et *Ephes.* V, 25, 26.
tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret. Nam quia dilexit, tradidit se et lavit, non quia digni eramus.

Et fecit nos regnum, id est, ex homi- 6
nibus constituit sibi, ædificavit et fecit Ecclesiam, tales eos efficiens ut in ipsis habitare et regnare in via per gratiam atque in patria per gloriam dignaretur. Unde in Evangelio Ecclesia frequenter re- *Matth.* XIII, 24, 31, etc.; *Marc.* IV, 26, 30, etc.
gnum cœlorum vocatur, imo et regnum Dei. Fecit quoque nos regnum, quia cœlestis regni cives nos adscripsit, dicente Apostolo : Jam non estis hospites et adve- *Ephes.* II, 19.
næ, sed cives Sanctorum et domestici Dei. *Et sacerdotes :* quod ad sacerdotes Ecclesiæ potest referri, quibus competit corpus Domini consecrare; generaliter quoque ad omnes fideles, qui per similitudinem, proprietatem et actus quosdam, sacerdotes dicuntur : primo, quia se ipsos offerunt Deo; et quoniam corpora sua mortificant per pœnitentiæ actus, sicut Apostolus instruit, Exhibete corpora vestra hostiam *Rom.* XII, 1.
sanctam, viventem, Deo placentem ; et quia per compunctionem internam ani-

Ps. l, 19. mas suas immolant Creatori. Sacrificium A enim Deo spiritus contribulatus. Sed et orationes, laudes ac cetera virtutum exercitia, offerunt Deo indesinenter. Unde in Eccli. xxxv, 2. Ecclesiastico scriptum est : Salutare sacrificium, attendere in mandatis; et in Ps. xlix, 14. Psalmo, Immola Deo sacrificium laudis. Postremo summi atque æterni Sacerdotis sunt membra, videlicet Christi.

Fecit ergo nos regnum et sacerdotes *Deo et Patri suo,* id est ad gloriam Dei Patris, qui est Deus Christi secundum humanitatem, et Pater ejus secundum divi- B Joann. xx, 17. nitatem. Propter quod ait : Ascendo ad Patrem meum et Deum meum. *Ipsi gloria,* id est, beatitudo perfecta inest et competit; vel, Gloria, id est excellentia, seu clara cum laude notitia. Ipsi quoque glorificatio ab omnibus impendatur. *Et imperium :* nam ipse summus est imperator, cujus est cunctis præcipere. Ipsi ergo obedientia exhibeatur. Hoc verbo docemur, Deo cordialiter de suis beneficiis regratiari, ejusque beatitudini toto corde congratulari. Ideo sequitur : *Amen,* id C est, fiat.

7 *Ecce venit cum nubibus,* id est, in nubibus ad judicandum venturus est, quemadmodum testatur : Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potestate magna et majestate. Sic enim ascendit, et de ipso angeli prædixerunt : Matth. xxvi, 64; xxiv, 30; Act. i, 11. Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, sic veniet. Venit quoque cum nubibus, id est cum angelicis spiritibus, sanctis Apostolis, ceterisque perfectis ac Is. lx, 8. prædicatoribus, qui in Scripturis nubes D vocantur. *Et videbit eum omnis oculus.* Hic ponitur pars pro toto, et genus pro specie : per omnem oculum intelligendo omnem hominem; et rursus, per omnem oculum, omnem oculum humanum. Christus quippe, quum sit Deus et homo, in forma humana a bonis ac malis corpora- Matth. xxv, 33 et seq. liter conspicietur. Et electis quidem dulcis ac blandus, reprobis vero severus atque terribilis apparebit. Dicuntque aliqui, quod terror et blandities nascetur, non ex videntium conscientiis tantum, sed etiam ex ipso Judicis apparatu : qui justorum visum tanquam convenientissimum objectum immutabit, eosque serenissimo vultu adspiciet, reproborum vero visum tanquam objectum valde contrarium, et se ipsum eis iratum ac indignabundum, in vultu terrifico exhibebit. Insuper, quamvis electi qui ante judicium Deum beatifice cernunt aut cernent, Christum in ipso judicio sint in sua divinitate clare feliciterque visuri; illi tamen electi qui usque ad judicium nondum judicati exstiterint, vel de suo præmio nondum securi effecti, non videbunt eum durante judicio in divinitate sua per speciem, sed per fidem, quæ non aufertur electis nisi ad beatificam pervenerint visionem.

Postquam autem Joannes asseruit, Videbit eum omnis oculus, de interfectoribus tamen Christi, quibus visio ejus erit specialiter molesta, confusibilis ac pœnosa, subjungit : *et qui eum pupugerunt :* ut Judæi qui ejus crucifixionem procuraverunt, Pilatus qui dedit sententiam, milites qui illam sunt exsecuti. Testimonium istud, sumptum est ex eo quod per Zachariam loquitur Christus : Adspicient Zach. xii, 10. ad me quem confixerunt. Quod quantum ad sensum verborum, alibi allegatur, quum dicitur : Scriptura dicit, Videbunt Joann. xix, 37. in quem transfixerunt. Unde et tempore passionis Christus testatus est Caiphæ et Judæis : Amodo videbitis Filium hominis Matth. xxvi, 64. sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.

Et plangent se super eum omnes tribus terræ, id est multi de tribubus universis, vel, omnes qui terrena potius quam divina dilexerunt. De quibus loquitur Jeremias : Recedentes a te, in terra scri- Jer. xvii, 13. bentur. Isti plangent se super eum, id est, malitiam, blasphemiam, ingratitudinem suam in Christum deflebunt. Non quod de ipsa culpa, secundum quod culpa est vel Dei offensiva, vere dolebunt, sed in quantum est causa punitionis eorum, juxta quod scriptum est : Videntes, Sap. v, 2-4.

turbabuntur timore horribili, gementes A præ angustia spiritus, dicentes intra se, pœnitentiam agentes : Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam. Istud quoque testimonium ex præallegata pro-
Zach. XII, 10. phetia Zachariæ assumptum est. Quod et in Matthæo Christus commemorat, ubi ait:
Matth. XXIV. 30. Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, et plangent omnes tribus terræ. *Etiam. Amen.* Reduplicatio ista designat, quod ita certissime et inevitabiliter fiet. Etiam namque et Amen, idem significant.

Deinde verba Christi inducit Joannes.
8 *Ego sum Alpha et Omega.* A, est prima littera Græcorum, et Ω, ultima. Litteris itaque istis se comparat seu exprimit Christus, ad innuendum quod ipse sit universorum primum principium ac ultimus
Prov. XVI, 4. finis. Omnia enim propter se ipsum operatus est Dominus, ut in Proverbiis dicitur. Hinc quasi verba præfata exponens, addidit Christus : *principium et finis.* Est nempe principium effectivum, quia creator ; et beatificus finis, quia veræ felicitatis objectum, et ipse beatitudo objectalis est electorum. Qui per Isaiam testatur : Ego primus, et ego novissimus. Ad ipsum Is. XLIV, 6.
ergo nos ipsos et omnia nostra jugiter ordinemus, eum semper sinceriter intendamus ; nec possumus esse beati aut bene dispositi, nisi ad ipsum stemus conversi a quo sumus exorti. *Dicit Dominus Deus,* qui solus est propria auctoritate omnium Act. X, 36.
Dominus. *Qui est,* quoniam esse verum, plenum, perfectum, immensum, invariabi-
B le possidet, sicut ad Moysen ait : Ego sum Exod. III, 14.
qui sum ; hæc dices, Qui est, misit me. *Et qui erat* ab æterno, *et qui venturus est* ad judicandum de omnibus, *omnipotens,* quia in judicio omnipotentiam suam demonstrabit potissime, juxta illud in Psalmo : Cognoscetur Dominus judicia faciens. Ps. IX, 17.
Possunt quoque hæc verba absolute de Deo, et de qualibet divina exponi Persona, dummodo ultima ista particula, Qui venturus est omnipotens, exponatur sicut jam paulo ante exposita est, de Patre. vers. 4.

ARTICULUS II

PROSECUTIO EXPLANATIONIS HUJUS CAPITULI PRIMI, AB EO LOCO QUO AIT : EGO JOANNES FRATER VESTER.

PROOEMIO, titulo, ac salutatione præ- C missis, ponit narrationem, et materiam libri hujus tangit sub quadam communi-
9 tate. *Ego Joannes frater vester* natura, religione atque Baptismatis regeneratione. Frater quoque, quia de eisdem protoplastis parentibus secundum carnem, et de eodem Deo secundum animam, juxta illud
Malach. II, 10. Malachiæ : Numquid non pater unus omnium nostrum ? Numquid non Deus unus creavit nos ? Iterum frater, quia ejusdem matris, puta Ecclesiæ, filius ; et ratione
Job XXXIII, 6. materiæ, juxta illud in Job : Ecce me sic- D ut te fecit Deus, et de eodem luto formatus sum. Discipulos itaque suos ac filios nominat tantus pater atque Apostolus fratres, dans humilitatis exemplum, ut prælati in humilitate permaneant, et se quasi unum de grege existiment, juxta illud Ecclesiastici : Rectorem te posuerunt ? no- Eccli. XXXII, 1.
li extolli ; esto in illis quasi unus ex ipsis.

Et particeps in tribulatione, id est in persecutionibus propter Christum illatis, vobis conformis : tunc enim Domitiani persecutio totam infestavit Ecclesiam ; *et regno,* id est cœlestis patriæ præmio, vobis et mihi parato (qui enim socii sunt II Cor. I, 7.
tribulationis propter Christum, socii erunt

consolationis in regno cœlesti cum Christo), vel in regno militantis Ecclesiæ, cujus membrum sum ego, sicut et vos; *et patientia*, sine qua tribulatio ad regnum non duceret, nec prodesset: patientia, inquam, *in Christo Jesu*, id est secundum voluntatem ejus et ad honorem ipsius, a quo vera patientia datur: de quo ait Psal-
Ps. LXI, 6. mista, Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea;
Ps. LXX, 5. et, Quoniam tu es patientia mea, Domine.

Fui in insula quæ vocatur Patmos, propter verbum Dei, id est Unigenitum Patris, vel propter prædicationis instantiam, *et testimonium Jesu*, id est propter testificationes quibus quotidie testificabar Jesum esse regem Messiam, omnium creatorem ac salvatorem. Hac nempe de
causa missus est in exsilium Patmos a Do-
10 mitiano. *Fui in spiritu*, id est mentis
excessu seu ecstasi, utpote ab exterioribus sensibus alienatus, et ad divina vehementer ac supernaturaliter elevatus, quemadmodum in imaginariis simul et intellectualibus visionibus Prophetarum
Ezech. III, 12. fieri consuevit. Unde Ezechiel: Statim, inquit, fui in spiritu. *In dominica die*, qui est dies divinorum occupationibus deputatus, plus quam ceteri dies. — Sicque verbis prætactis tangitur congruentia revelationis desuper factæ S. Joanni, ex parte loci ac temporis: Loci, in eo quod ait, Fui in insula Patmos. Locus enim ab aliorum habitatione semotus, quanto quietior, tanto contemplationi, revelationi orationique aptior. Temporis vero, dum addit, In dominica die. Denique, quum liber iste sit de visionibus, quibus secundum Albertum Magnum, virum subtilissimum atque doctissimum, non est de facili credendum, S. Joannes plura tangit per quæ verba sua credibilia fiunt. Propter quod etiam Beda disseruit: Personam, locum, tempus, causamque visionis insinuat, ne carnali phantasmate putaretur illusus.

Et audivi interiori, non corporali, au-
ditu, *post me vocem magnam tanquam*
11 *tubæ dicentis*, id est tubalem, angelicam,
alta, magna et mystica significantem. Per quod angeli loquentis idoneitas ad sui officii exsecutionem innuitur. Simile huic est illud Ezechielis: Audivi post me vocem commotionis magnæ. Ezech. III, 12. Sed cur ait, Post me, et non potius, Intra me (quemadmodum Zacharias, Angelus, inquit, loquebatur in me), vel, Supra me? Zach. I, 9, 13, etc. Respondet Berengandus: Quasi post nos est quod ignoramus. Post se Joannes vocem audivit, quia mysteria quæ tunc ei revelata sunt, nondum perfecte cognoverat. Profecerunt enim Apostoli et Prophetæ in revelationibus divinorum. Quæ vox tubæ assimilatur: nam sicut per tubam ad pugnam homines provocantur, ita per verba libri hujus, fideles ad prælia contra peccata, diabolum, ac persecutorum insaniam, invitantur ac animantur. Verumtamen aliqui dicunt, quod ista per angelum revelata, fuerunt Joanni antea manifesta: quod intelligi potest quantum ad aliqua principalia, et in quodam communi. Propterea etiam ait, Post me, quoniam angelus a contemplatione divinorum vocavit eum ad considerationem actuum humanorum. Nam et prælati ab apice contemplationis quodammodo retrahuntur, dum ad subditorum curam et providentiam revocantur. Insuper de hac voce tubali Haymo scribit: Vox quam audit Joannes, bene tanquam vox tubæ dicitur, quæ ab interioribus sine strepitu sonum accipit quem promit exterius, quia ille sine sono vocis prius audivit in corde, quod postea exterius sonuit in voce. In visionibus quippe imaginariis, omnia per similitudines rerum geruntur ac repræsentantur.

Quod vides, id est ea quæ nunc tibi revelo, et me monstrante intelligis, *scribe* ad informationem fidelium, *in libro; et mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia.* De quibus Ecclesiis, et quomodo per eas universæ Ecclesiæ designentur, jam dictum est in præcedenti articulo. *Ephesum*, vers. 4. id est, ad fideles in Epheso metropoli Asiæ minoris mitte hunc librum. Sic quoque mitte ad *Smyrnam, et Perga-*

*mum, et Thyatiram, et Sardis, et Phila-
delphiam, et Laodiciam.* Ista sunt nomina
septem civitatum Asiæ quarum Ecclesiis
præsidebat Joannes. Interpretationem ci-
vitatum istarum, et quomodo per eas ce-
teræ Ecclesiæ designantur, omitto, quia
non videtur magni momenti.

12 *Et conversus sum* spirituali conversio-
ne, adspiciendo ad eum quem post me au-
divi ; vel, Conversus sum, aciem mentis
a contemplatione supernorum ad horum
advertentiam dirigendo. Præterea, quia in
visione imaginaria videbatur Joanni quod
post tergum suum vox loqueretur ad eum,
etiam in eadem imaginatione sibi appa-
ruit quod retrospiceret ad loquentem. *Ut
viderem* visione mentali, et diligenter ad-
verterem, *vocem quæ loquebatur mecum*
allocutione interna, quæ exteriori non per-
cipiebatur auditu. Solet tamen visus pro
omni sensu accipi. Unde in Exodo habe-
Exod. XX, 18. tur : Populus videbat voces, id est toni-
trua. Vel, Viderem vocem, id est vocife-
rantem tubaliter, scilicet angelum.

Et conversus ad alloquentem me, *vidi
septem candelabra aurea.* Quid autem per
vers. 20. ea significetur, in fine hujus capituli di-
citur. Significant enim septem Ecclesias
Asiæ, imo per eas totius Christianitatis Ec-
clesias, septemplici dono Spiritus Sancti
splendentes. Dicitur autem Ecclesia per
assimilationem quamdam candelabrum,
quoniam super se portat lumen clarissi-
mum, scilicet Christum, et munera ejus,
quæ sunt splendiflua lumina mentis, puta
gratiam gratificantem, virtutes ac dona,
eorumque actus, qui beatitudines appel-
lantur et fructus. Istud quoque candela-
brum dicitur aureum, vel propter caritatis
ardorem et sapientiæ salutaris fulgorem,
vel propter martyrum sanguinem, et fide-
lium quotidianam persecutionem, tribula-
tionem ac mortificationem. Iterum, Eccle-
sia aureum candelabrum nuncupatur, quia
per Scripturarum notitiam lucida, per ca-
ritatem et gratiam pretiosa, per patienti-
am solida, per obedientiam ductilis, per
prædicationem sonora, per perseveranti-
A am longa, per spem erecta, per fidem in
Deo fundata. Huic autem visioni Joannis
simile est quod Zacharias ait : Vidi cande- *Zach.* IV, 2.
labrum aureum totum, et lampas super
illud. Ubi per candelabrum aureum alle-
gorice, hic autem litteraliter, designatur
Ecclesia, sicut ibidem exposui.

Et in medio septem candelabrorum au- 13
reorum, id est Ecclesiarum, vidi *similem
filio hominis,* id est angelum in specie
humana, vel potius in persona Christi,
quem repræsentavit. Quod autem angelus
B Christi personam gerens, visus est in me-
dio candelabrorum istorum, id figuravit
quod Christus est in medio electorum fi-
delium, secundum quod ait : Ubi fuerint *Matth.*
duo vel tres congregati in nomine meo, XVIII, 20.
ibi in medio eorum sum ; et denuo, Ego *Ibid.* XXVIII,
vobiscum sum omnibus diebus usque ad 20.
consummationem sæculi. Propter quod in
Isaia scriptum est : Exsulta et lauda, ha-
bitatio Sion, quia magnus in medio tui
Sanctus Israel.

Vestitum podere, id est veste sacerdo-
C tali usque ad talos dependente. Unde Sa-
piens asserit : In veste poderis quam ha- *Sap.* XVIII,
bebat Aaron, totus erat orbis terrarum ; et 24.
magnificentia tua, Domine, in diademate
capitis illius erat scripta. Per vestem hanc
Beda intelligit sacerdotium Christi, sum-
mi sacerdotis Ecclesiæ, qui Apostolos fecit
sacerdotes, et in ara crucis semetipsum
immolavit pro nobis. Alii per poderem
intelligunt Christi humanitatem, vel car-
nem in qua humiliavit se usque ad mor- *Philipp.* II, 8.
tem, deditque se pro nobis oblationem et *Ephes.* V, 2.
D hostiam Deo in odorem suavitatis, secun-
dum Apostolum ad Ephesios. Unde de ve-
stimento hoc angeli Christum sciscitati
sunt ascendentem : Quare rubrum est in- *Is.* LXIII, 2.
dumentum tuum ? Alii per poderem intel-
ligunt totam Ecclesiam, usque ad finem
sæculi permanentem, qua Christus quasi
vestimento cingitur ac ornatur, quum sit
mysticum corpus ipsius. De qua vestitione
in Isaia recolitur : His omnibus quasi or- *Ibid.* XLIX,
namento vestieris. Postremo, quum pode- 18.
ris sit vestis linea, quæ communiter dici-

tur alba, potest per eam Christi innocentia A
puritasque illibata intelligi.

Et præcinctum ad mamillas zona aurea. Per hanc præcinctionem suam Christus docet atque insinuat, cor esse restringendum ab indiscreto scrutinio divino-
Prov. xxv, 27. rum. Juxta quod Salomon ait : Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. In Ecclesiastico quoque
Eccli. iii, 22. legitur : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. Præterea con-
Matth. v, 27, 28. templandum, quod in veteri Testamento B prohibetur ipsa luxuria, in novo autem concupiscentia inordinata. Idcirco in Da-
Dan. x, 5. niele legitur Dominus apparuisse præcinctus ad renes, per quod restrictio carnis innuitur; in novo autem Testamento, scilicet loco præsenti, apparuit Dominus ad mamillas præcinctus, per quod restrictio cordis insinuatur. Aurea autem zona caritatem designat, per quam mentem in Deo ligatam tenemus, et ab illicitis refrenamus. Porro, secundum Bedam, mamillæ sunt duo Testamenta; zona aurea, chorus C Sanctorum, seu multitudo fidelium unanimi caritate Deo adhærens, et Testamenta quibus spiritualiter nutritur, complectens,
Ephes. iv, 3. et servans (ut docet Apostolus) unitatem spiritus in vinculo pacis. Apparuit ergo angelus ad mamillas præcinctus, ad innuendum quod Christus Ecclesiam sibi connexam, per utriusque Testamenti fovet Scripturas. Possumus etiam convenienter asserere, ideo ad mamillas zona aurea præcinctum, quoniam pectus Christi caritate plenissimum est atque ornatum, et suis D fidelibus intime copulatum.

14 *Caput autem et capilli ejus erant candidi tanquam lana alba, et tanquam nix.* Caput Christi, est ejus divinitas, vel superior animæ portio, ab omni labe peccati, instar lanæ albæ ac nivis, immunis. Per capitis quoque albiformem candorem, antiquitas seu æternitas, ac immortalitas majestatis Christi ostenditur. Unde in Daniele
Dan. vii, 9. scribitur : Antiquus dierum sedit; capilli capitis ejus quasi lana munda. Per capillos autem designantur fideles ex Christo spiritualiter geniti in esse gratiæ ac virtutum : qui sunt oves ad dexteram col- *Matth.* xxv, 33.
locandæ, et Christo capiti proxime inhærentes; qui Christi munditiam ac sanctimoniam imitantur, et loti ab eo, super *Ps.* l, 9.
nivem dealbantur. Quibus Petrus in prima sua scribit Canonica : Secundum eum *I Petr.* i, 15.
qui vocavit vos Sanctum, et vos sancti in omni conversatione sitis. At vero, sicut lana est alba, mollis et calefactiva, sic isti sunt albi per cordis munditiam, molles per docilitatem ac mititatem, habentes cor *Ezech.* xi, 19.
carneum, ad susceptionem devotionis aptissimum, calefactivum propriæ mentis ac proximorum per infusum sibi divinum amorem. Nix vero est frigida : ita et ipsi concupiscentiæ carent fervore, et frigidi sunt a mundi hujus amore.

Et oculi ejus tanquam flamma ignis. Nam visus Christi clarissimus, acutissimus calidissimusque consistit, dicente Apostolo : Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. *Hebr.* iv, 13.
Mens etenim Christi plena est zelo æquitatis ac sapientia. Per hoc quoque ostenditur, quod Christi adspectus valde terribilis erit injustis. Unde custodes sepulcri, viso angelo, cujus adspectus erat ut fulgur, *Matth.* xxviii, 3, 4.
facti sunt velut amentes et mortui. Oculi insuper Christi vocantur septem dona Spiritus Sancti, quæ fuerunt et sunt in anima Christi. De quibus scriptum est : Super *Zach.* iii, 9.
lapidem unum septem oculi sunt. Lapis enim angularis est Christus. Oculi isti, in *Act.* iv, 11; *Ephes.* ii, 20.
anima Christi lucent et ardent ut flamma. Quidam per oculos Christi, intelligunt Apostolos, prædicatores, doctores, quorum est aliorum corda illuminare ac inflammare.

Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. 15
Per quod datur intelligi, quod finis Christi in sæculo isto, per amarissimam passionem fuit, cujus et pedes clavis transfixi, conformati sunt aurichalco. Haymo autem et Beda per pedes intelligunt Christianos in fine sæculi tempore Antichristi : qui erunt extremi et ultimi, sicut pedes sunt extremum et ul-

timum corporis. Isti similes erunt auri-
chalco, quod est æs per ignem et plura
medicamina perductum ad auri colorem.
Sic illi per acerbissimas persecutiones ex-
ercebuntur, ac perducentur ad plenum
caritatis fulgorem. Ideo subditur, Sicut in
camino ardenti, id est tribulatione ingen-
ti. Qui etiam aurichalco potius quam auro
assimilantur, quia etsi primis Ecclesiæ
Sanctis similes sint futuri in perfectione
virtutum, non tamen ita splendebit aut
innotescet eorum perfectio per miracula,
sicut priorum Sanctorum.

*Et vox illius tanquam vox aquarum
multarum,* id est, eloquentia ejus sonora
atque magnifica fuit. Per quod loquentis
auctoritas designatur, sicut et supra per
Apoc. XVII, 15. tubam. Sed quia per aquas populi expri-
muntur, ideo vox ejus quasi vox aquarum
multarum auditur, quoniam gentes quam
plurimæ fidem Christi amplexæ sunt. Un-
de Berengandus : Per vocem aquarum mul-
tarum, multitudo gentium quæ ad fidem
Christi cucurrit, signatur. Et Beda : Vox,
inquit, confessionis, prædicationis et lau-
dis, non in Judæa tantum, sed in diversis
Is. XXIV, 16. populis resonat, juxta illud in Isaia : A
finibus terræ laudes audivimus, gloriam
Justi. Quod autem hujusmodi vox deceat
Ezech. I, 24. Christum, patet per illud Ezechielis : Au-
diebam sonum alarum, quasi sonum aqua-
rum multarum, quasi sonum sublimis Dei.
Rursus, vox Christi tanquam vox aqua-
rum multarum asseritur, quoniam ipse est
Joann. VII, 37, 38. fons opulentissimus, ex quo flumina gra-
tiarum procedunt, fluenta sapientiæ de-
rivantur, rivi virtutum nascuntur.

16 *Et habebat in dextera sua stellas sep-
tem.* Stellæ hæ, sunt episcopi seu pastores
præfatarum Asiæ Ecclesiarum : qui stellæ
dicuntur, quia illuminant subditos, et in
Christo (tanquam in firmamento fixæ et
altæ) sunt collocati, magna etiam pote-
state ac influentia præditi. Unde in Da-
Dan. XII, 3. niele legitur : Qui ad justitiam erudiunt
plurimos, quasi stellæ in perpetuas æter-
nitates fulgebunt. Denique, sicut candela
ponitur super candelabrum, ita episcopus
A super Ecclesiam ; et ut stella orbem cœle-
stem, sic prælatus dignus ornat Ecclesi-
am. Stellæ istæ ad dexteram sunt Christi :
quia ejus gratioso auxilio jugiter inni-
tuntur, sine quo nil meritorie operantur
(secundum quod ait : Sine me nihil po- *Joann.* XV, 5.
testis facere) ; et quia in spiritualibus
Christi bonis atque internis consolationi-
bus, quæ nomine dexteræ designantur,
quiescunt ; item quia in die judicii sta- *Matth.* XXV, 33.
bunt ad dexteram. Nunc quoque in cœlis
sunt per amorem et vitæ imitationem. De-
B nique de ipsa Ecclesia dicitur Christo :
Adstitit regina a dextris tuis in vestitu *Ps* XLIV, 10.
deaurato. Episcopi autem tanquam succes-
sores Apostolorum, sunt principalis pars
hujus Ecclesiæ.

*Et de ore ejus gladius ex utraque parte
acutus exibat,* id est sententia justi judi-
cii nimis durissima reprobis, et verbum
asperrimum, scilicet : Ite, maledicti, in *Matth* XXV, 41.
ignem æternum. Vel gladius iste est evan-
gelica doctrina Christi, vitia resecans, par-
tem carnalem occidens, homines mutuo *Ibid.* X, 35.
C carissimos ab invicem propter Deum cor-
poraliter dividens. Unde ait : Non veni *Ibid.* 34.
pacem mittere, sed gladium ; et Psalmista,
Accingere gladio tuo super femur tuum, *Ps.* XLIV, 4.
potentissime. In Isaia quoque loquitur
Christus ut homo : Posuit Dominus os me- *Is.* XLIX, 2.
um quasi gladium acutum.

Præterea advertendum, quod angelus Jo-
anni apparens in specie Christi, repræsen-
tavit Christum ut sacerdotem ac judicem.
Idcirco enim podere videbatur vestitus et
canos habens, quia ad sacerdotem ac judi-
D cem canities atque ætatis maturitas perti-
nent condecenter. Nempe, væ terræ cujus *Eccle.* X, 16.
princeps puer. Ad judicem vero gladium
certum est pertinere. Verum in Canticis,
ubi Christus describitur ut sponsus, ad
quem spectat juventus, capilli ejus nigri *Cant.* V, 11.
dicuntur. Berengandus per gladium istum
intelligit Christianos qui in fine contra
Antichristi errores prædicando pugnabunt.

*Et facies ejus sicut sol lucet in virtute
sua.* Christus enim est lux mundi, et cla- *Joann.* VIII, 12.
rior omni creato : qui et ante passionem

Matth. XVII, 2. in transfiguratione visus est vultu radiare ut sol, et cum admirabili fulgore apparuit Joanni. Quidam autem per solem intelligunt Ecclesiam, quantum ad statum suæ glorificationis post generalem resurrectionem, quando, Christo testante, justi fulgebunt ut sol in regno Patris eorum. Ibid. XIII, 43. Porro, quod ait, In virtute sua, potest referri ad Christum, qui sua virtute ita splendebat; vel ad solem, cujus virtus illuminativa, hora meridiana maxime demonstratur. Quemadmodum autem a sole cuncta sidera ac reliqua corporalia clarificantur, sic a Christo, æterno sole justitiæ ac sapientiæ, omnes electi irradiantur, et signatum est super nos lumen vultus ejus. Sap. V, 6. Ps. IV, 7.

17 *Et quum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.* Totum istud in imaginaria visione fiebat. Est autem homini naturale, ut in talium insolitorum adspectu ex sua fragilitate debilitetur, resolvatur, et obstupescat, quemadmodum Daniel ait ad angelum : Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium; sed et halitus meus intercluditur. Dan. X, 16, 17. Unde Prophetæ, visis mirabilibus Dei, communiter se corruisse fatentur. Is. XXI, 3; Ezech. II, 1; Dan. VIII, 17; etc. Tres quoque Apostoli quum Christum transfiguratum adspicerent, corruerunt in terram. Matth. XVII, 6. Cecidit quoque Joannes per humilitatem, et Christi majestate conspecta, propriam parvitatem magis perpendit. Ex quo etiam casu innuitur, quod quanto quis Divinitatis sublimitatem clarius cernit in via, tanto plus videt se ab ejus comprehensione deficere, nec posse se aciem mentis in ejus claritatem, secundum quod in se ipsa est, figere : sicque profundius se ipsum humiliat, et Deo altissimo reverentialius se prosternit.

Et posuit dexteram suam super me, dicens. Sic enim in imaginaria visione Joanni apparuit. Per quod datur intelligi, quod spiritualiter eum consolabatur, confortavit, erexit. *Noli timere* immoderanter ex majestatis meæ metuendo et inconsueto adspectu. Juxta hunc modum dictum est Ezechieli : Fili hominis, sta supra pedes tuos. Ezech. II, 1, 2, 6. Et ingressus est in me spiritus, et dixit : Ne timeas. Et Jeremias ait : Misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, etc. Jer. I, 9. Daniel quoque similitudinem manus ad se perhibet missam, quæ se confortavit. Dan. X, 10. *Ego sum primus et novissimus :* eo sensu quo jam dixit, Ego sum Alpha et Omega, principium et finis. vers. 8. Quælibet autem divina Persona, dici potest prima atque novissima; et omnes simul, sunt unus primus et unus novissimus : quia in hac superbeatissima Trinitate nihil est prius aut posterius, et ipsæ tres Personæ, sunt omnium rerum unum primum principium, et unus ultimus finis, sicut sunt unus Deus, unus creator, una natura.

18 *Et sum vivus* vita divina et increata, vita quoque creata humana, *et fui mortuus* secundum naturam assumptam, Joann. XIV, 6. *et ecce sum vivens in sæcula sæculorum.* Christus enim resurgens ex mortuis, jam ultra non moritur. Rom. VI, 9. Quasi dicat : Quum talis ac tantus sim, debes mihi congratulari tanquam carissimo Domino cui in passione condoluisti, non formidare. Ex his confunduntur omnes qui Christum puram creaturam esse mentiti sunt. Tunc enim primus non esset.

Et habeo claves mortis et inferni. Qui clavem domus habet, quem vult intromittit, quem vult ab ingressu repellit. Christus itaque claves mortis et inferni habere se asserit, quia quem vult a morte peccati ac pœnis inferni misericorditer eripit vel præservat, et quem vult juste relinquit atque condemnat. Unde claves istæ, sunt judiciaria Christi potestas, virtus et sapientia. Si autem infernus pro loco quo patres sancti detinebantur accipiatur, sic Christus de inferno quosdam in resurrectione eduxit. Propter quod in Osee loquitur : Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne. Osee XIII, 14. Et in Sapientia : Tu, Domine, vitæ et mortis habes imperium. Sap. XVI, 13. Itemque alio loco : Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. I Reg. II, 6. Præfatam autem potestatem etiam Ecclesiæ suæ Christus proportiona-

liter communicavit, quum Spiritum San- A
ctum insufflando in Apostolos, locutus
Joann. xx, 23. est : Quorum remiseritis peccata, remit-
tentur eis; et quorum retinueritis, reten-
ta erunt.
19 *Scribe ergo quæ vidisti,* et quæ nunc
tibi ostendi, et opera mea quæ te cernen-
Baruch. III, 38. te egi, cum hominibus conversando in ter-
ra, *et quæ sunt,* id est, quæ nunc in Ec-
clesia peraguntur, et quæ fideles quotidie
patiuntur, *et quæ oportet fieri cito post
hæc* præsentia, quæ per decursum tempo-
rum fient in populo christiano, potissime B
tempore Antichristi, videlicet tribulatio-
nes justorum ex hoc usque in finem sæ-
culi eventuras. Itaque, Scribe et expone
20 *sacramentum septem stellarum,* id est sa-
crum secretum, sive mysterium quod de-
signant (ubi aliud videtur, aliudque intel-
ligitur), *quas vidisti in dextera mea, et
septem candelabra aurea.*

Porro, quid stellæ istæ significent, an-
gelus pandit : *Septem stellæ, angeli sunt,*
id est, septem episcopos seu prælatos re-
præsentant, *septem Ecclesiarum* Asiæ : jux- C
ta modum præhabitum. Et quomodo illæ
septem Ecclesiæ universas designant Ec-
clesias, ita hi septem angeli seu prælati
cunctos Ecclesiarum prælatos sive ponti-
fices. Quum enim angelus nuntius inter-
pretetur, episcopi, qui a Deo sunt destina-
ti ac ordinati ut voluntatem præceptaque
Dei nuntient, recte angeli sunt vocati. Imo
quum in Malachia, non tantum episcopus,
sed et sacerdos angelus nuncupetur : con-
stat episcopos, qui sacerdotum sunt prin-
cipes, congruentius angelos dici. Sic enim
scriptum est illic : Labia sacerdotis cu- Malach. II, 7.
stodiunt scientiam, et legem requirent de
ore ejus, quia angelus Domini exercituum
est. Denique, juxta divinum Dionysium,
supremum ordinis inferioris, cum infimo
ordinis superioris præcipuam habet con-
venientiam, et interdum nomen unius
transit ad alium. Quum ergo angelus pro-
prie sit nomen cœlestium spirituum in-
fimi chori seu ordinis, episcopus vero
supremum quid sit in ecclesiastica hierar-
chia, convenientiam magnam sortiti sunt,
et unum nomine alterius designatur. —
Et septem candelabra, scilicet aurea, *sep-
tem Ecclesiæ sunt :* secundum sensum et
rationes præhabitas. Nam et prælati sub-
ditorum facultatibus sustentantur, sicut
candelæ a candelabro.

Totus vero hic liber obscuritatibus et
metaphoricis locutionibus plenus est; sed
quædam ab angelo exponuntur, ut per ea
detur nobis introitus ad intelligentiam ali-
orum : quæ idcirco ab ipso non expo-
nuntur, ut studiosis detur occasio bonæ
exercitationis, et Spiritus Sancti illumi-
nationem indesinenter efflagitent, et ne
sanctum canibus detur, ne scilicet myste- Matth. VII, 6.
ria Ecclesiæ propalentur indignis. Etenim
sacramentum regis abscondere bonum est. Tob. XII, 7.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : ET ANGELO EPHESI ECCLESIÆ SCRIBE.

PRÆCEDENTI capitulo dixit angelus D
Apoc. I, 11. Joanni, ut sibi ostensa Ecclesiis Asiæ
scriberet; nunc ei insinuat quid unicui-
que Ecclesiarum illarum scribere debeat.
1 *Et angelo,* id est præsuli et pastori,
Ephesi Ecclesiæ, qui Ephesiis præfuit,
scribe. Cui idcirco primo scribitur, quia
in Asia minori Ephesus fuit metropolis.
Sicque episcopus ejus, tanquam metro-
politanus, auctoritate et dignitate exstitit
major. Unde, sicut ejus defectus aliis no-
cuit, sic emendatio ejus aliis ædificatoria

fuit. Sacerdos autem et pontifex, præter A rationes præcedenti articulo introductas, angelus nominatur, quia in terris angelicam vitam imitari tenetur : per mentis et corporis castitatem (in carne siquidem sine carne vivere, angelicum perhibetur) ; secundo, per contemplationis sinceritatem ; tertio, per gregis sui vigilantem custodiam ; quarto, per eam qua inter Deum et hominem sequester est, mediationem. Joh. xii, 12; Dan. x, 12; Act. x, 3, 4. Nam sicut angeli nostra obsequia offerunt Deo, orantque pro nobis, et Dei munera gratiosa nobis referunt et procurant ; ita B sacerdos et pontifex gregis sui preces, vota, hostias immolat Deo, cujus gratiam impetrat populo. Quinto : nam sicut angelus superior inferiorem purgat, illuminat, perficit ; sic prælatus sibi subjectos purgare, illuminare, perficere debet.

Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, id est, episcopos septem Ecclesiarum Asiæ gratiose conservat ac dirigit Apoc. i, 16. : sicut præcedenti articulo plenius fuit expositum. *Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum,* id est Eccle- C siarum. Dicitur autem Christus ambulare in medio fidelium, non hinc inde localiter progrediendo, sed corda credentium visitando, variosque in eis affectus agendo, et nunc prosperis, nunc adversis exercendo. Unde Moyses ait : Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum. Deut. xxiii, 14. Et Apostolus : Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus : Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo, et ero illorum Deus. II Cor. vi, 16. Hoc modo Deus vadit cum suis, secundum quod Moyses orat : Si non tu ipse ambu- D laveris nobiscum, ne educas nos de loco isto. Exod. xxxiii, 16, 15. Jacob quoque in Genesi protestatur quemadmodum Deus fuerit socius sui itineris. Gen. xxxv, 3. Justum namque deduxit Dominus per vias rectas. Sap. x, 10. Imo, in tantum ducit Deus clementissimus suos electos, corda eorum in omnibus dirigendo, clarificando, tuendo, fovendo, ut dicat vir sanctus : Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. Ps. lxxii, 24. Denique electos tenet Christus in dextera sua per prædestinationem, ambulatque in eis per donorum infusionem.

Scio per approbationem *opera tua* quæ 2
ante fecisti, quia ex caritate fluxerunt, vel etiam quæ nunc agis. Si enim in bono non perseverasset, bona præterita fuissent mortificata, et omnium justitiarum ejus Deus non fuisset memoratus, sicut per Ezechielem fatetur : Si justus fecerit iniquitatem, omnes justitias ejus non recordabor. Ezech. iii, 20; xviii, 24. De hac approbationis scientia loquitur Paulus : Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo. I Cor. viii, 3. Et Moysi Dominus loquens : Te, inquit, cognovi ex nomine. Exod. xxxiii, 12. *Et laborem tuum* in ministerio Dei, et cura atque regimine subditorum (de quo hortatur Apostolus : Labora sicut bonus miles Christi), II Tim. ii, 3. laborem quoque quem habuisti resistendo hæreticis ac perversis, corporis etiam afflictionem, omnemque conatum pro vitiis exstirpandis atque virtutibus inserendis. *Et patientiam tuam* actualem et habitualem, qua adversa æquanimiter sustines, non admittendo inordinatam tristitiam contra aliquem, nec ad te ipsum. Patientia nempe est virtus moralis passionem tristitiæ moderans ac refrenans : quæ virtus omni Christiano potissimum necessaria est, quum per multas tribulationes oporteat nos salvari. Act. xiv, 21.

Et quia non potes sustinere malos, id est, vitia eorum dissimulare et palpare non vales, quamvis naturam personamque diligas. Nam et inimicos jubemur diligere, cibare, potare, imo bonum pro malo reddere. Matth. v, 44; Rom. xii, 20, 21. Et Psalmista testatur : Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Ps. cxix, 7. Itaque huic verbo, quo laudatur iste episcopus quia malos sustinere non potuit, non repugnat illud Gregorii, Qui malorum pravitatem æquanimiter sustinere non potest, ipse sibi per impatientiam suam testis est quia bonus non est ; illudque Augustini, Bonus non fuit, qui malos sustinere non potuit. Non enim ex aliorum malitia sive molestia frangi vel concuti debet patientia nostra. Nihilo minus illorum impietas per caritatem et zelum

justitiæ est increpanda ac punienda, po- A
tissimum a prælato, et quando est spes de
correctione eorum. Rursus, quidam sunt
mali qui commune bonum Ecclesiæ co-
nantur corrumpere : et isti non sunt susti-
Tit. III, 10. nendi, sicut hæretici, dicente Apostolo, Hæ-
reticum hominem post unam et secundam
correptionem devita. Alii sunt peccatores
qui bonum commune corrumpere non in-
tendunt : et isti sunt sustinendi, dum
speratur eorum correctio.

Unde circa hunc locum loquitur Beren-
gandus : De hæreticis mihi dictum vide- B
tur. Nam proximorum mala aliquando re-
prehendendo corrigere debemus, tempore
scilicet opportuno ; aliquando tolerare,
ut quos correctio non emendat, patientia
ad emendationem provocet. Sunt namque
nonnulli qui reprehendere proximos ne-
sciunt nisi ira accensi. Horum aliquis si
non solum pro magna, verum etiam pro
parva aliqua re, contra proximum com-
motus fuerit, tamdiu iram in corde ge-
stat, usque dum in actibus proximi ali-
quid videat quod reprehendere possit. Et C
tunc lætus efficitur, quum reprehensio-
nis vindictam intulerit proximo. Quod si
alicui viderit displicuisse, dicit se zelo Dei
id fecisse. Ad te ergo loquor, qui talis es.
Ps VII 10. Cur quæris fallere Deum, qui cordium oc-
culta considerat? Si zelus Dei in te est,
cur oculi tui per diversa vagantur, more
diabolico, desiderans potius malum vide-
re quam bonum, desiderans in proximo
videre malum quod reprehendas, non bo-
num unde ædificeris? Sunt etiam multi
qui eos a quibus aliquam injuriam pertu- D
lerunt, etiam pro minimis culpis impati-
enter insectantur ; eos vero quos diligunt,
non solum non reprehendunt, imo tota
virtute defendunt. O infelix amicitia, quæ
illum quem diligit tacendo et defendendo
diabolo tradit! Illum vero cui iratus est,
reprehendendo a diabolo abstrahit. Hæc
ille.

*Et tentasti eos qui se dicunt apostolos
esse, et non sunt :* hos tentasti, doctrinam
eorum sapienter pensando, cum eis sol-
licite conferendo, opera eorum conside-
rando. Sic enim ait Salvator : A fructibus *Matth.* VII,
eorum cognoscetis eos. De quibus Roma- 16.
nis scribit Apostolus : Hujusmodi pseu- *Rom.* XVI,
doapostoli, non Christo, sed suo ventri 18.
deserviunt. Isti fuerunt hæretici qui se
a Christo missos dicebant, ut Ebion, Mar-
cion, et Cerinthus, qui tunc in Asia con-
surrexerunt. *Et invenisti eos mendaces*
verbis et actibus. *Et patientiam habes,* 3
vitiosam tristitiam seu turbulentiam non
admittendo. Sicque non obviat huic verbo
quod dictum est, Non potes sustinere ma-
los. *Et sustinuisti* infestationes illorum
ac persecutiones atque laborem in gregis
tui defensione ab illorum infestatione,
propter nomen meum, id est amore mei
et propter majestatis meæ honorem, et
non propter proprium emolumentum, seu
bonum privatum ; *et non defecisti,* diffi-
cultate quæ est in adversitatum perpes-
sione succumbendo. Hinc in Ecclesiastico
scriptum est : In humilitate tua patientiam *Eccli.* II, 4.
habe. Et Apostolus : Benefacientes, inquit, II *Thess.*
nolite deficere. III, 13.

Sed habeo adversum te pauca. Com- 4
mendatione præmissa, increpationem sub-
jungit : quam tamen sobrie promit, di-
cendo, Pauca. Nam in multis offendimus *Jacob.* III, 2.
omnes. Per quod informamur, ut si quem
reprehendere volumus, primo bona ejus
commemorando, benevolentiam ejus ca-
ptemus, et ne nimis aspere increpatio
proponatur, sed magis in spiritu bonita-
tis, nisi forte ratio aliud postulet propter
causas. *Quod caritatem tuam primam re-
liquisti.* Secundum Haymonem, non re-
prehenditur præsul iste ratione sui, sed
quorumdam subditorum ipsius malorum.
Idem videtur Beda sentire. Porro Beren-
gandus hic ait : Multi sunt qui initio
conversionis suæ in servitio Dei ferventes
exsistunt, sed processu temporis tepe-
scunt : quod præsuli Ecclesiæ Ephesi ma-
nifestum est contigisse. Alii asserunt in-
crepationem istam dirigi ad episcopum
hunc, non solum pro se, sed et pro sub-
ditis suis. Sed litteræ magis consonare

videtur, quod episcopus principaliter increpatur : non quod caritatem absolute amiserit, in mortale ruendo, sed quod pristinum caritatis ardorem, et quædam opera caritatis omiserit. Jam enim dixit Dominus approbare se opera ejus, et quod non defecerit. Idcirco, dicendum quod defecit, et non defecit : defecit quidem a præfato fervore, non penitus ab amore et actibus caritatis.

Refert Lyra, quod expositores communiter dicunt episcopum istum fuisse Timotheum, quem Paulus Ephesiis præfecerat. Ego tamen in nullo expositore id legi. Reprobat etiam Lyra dictum illorum expositorum : quia ut ipse affirmat, illi ex hoc moventur quod circa tempora illa nullus excellentior Timotheo legitur Ephesiorum rexisse Ecclesiam. Fateor quod istud motivum invalidum esset. Verumtamen dicto istorum aliquid certius posset apparentiam facere. Siquidem in exordio secundæ epistolæ ad Timotheum scribit
II *Tim.* I, 6, 8. idem Apostolus : Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te ; noli erubescere testimonium Domini nostri Jesu Christi. Ubi expositores concorditer adstruunt, quod Timotheus abundantia tribulationum aliqualiter fractus fuit, ac remissius egit. Propter quod in epistola illa ad martyrium hortatur eum Apostolus. Sed quidquid de isto dicatur, incertum puto an episcopus hic increpatus fuerit Timotheus.

5 *Memor esto itaque unde excideris,* id est de quali caritatis fervore, operumque instantia, tepescendo paulatim, et tuum circa subditos officium remissius adimplendo, *et age pœnitentiam* quod in via Dei non continue profecisti, *et prima opera fac,* id est, tam ferventer ac abundanter operare quæ bona sunt, sicut tempore primi tui fervoris. Sed quia remissi vicissim comminatione magis quam blanda admonitione corriguntur, subjungitur : *Sin autem,* id est, si ita non feceris, *venio tibi cito,* inferendo vindictam celeriter, *et movebo candelabrum tuum de loco suo,*

A *nisi pœnitentiam egeris,* id est, Ecclesiam tuam tollam a te, ita quod non præeris ei, nec quiescet in te, sicut in patre et capite : secundum quod per Isaiam Dominus indigno ait prælato, Expellam *Is.* XXII, 19.
te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.

Rursus, ne episcopus iste ex increpatione hac exasperetur vel ab aliis contemnatur, a Domino commendatur. *Sed* 6
hoc habes bonum, *quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi.* Secundum
B Augustinum, libro de Hæresibus, Nicolaus iste fuit unus de septem diaconis primis. *Act.* VI, 5.
Qui quum culparetur quod uxorem suam, quæ pulcherrima erat, nimis zelaret, volens se de hoc excusare, dixit : Non curo quid faciat ; qui vult, utatur ea. Unde ut dicitur, transiit in usum communem. Quod factum imitati sunt aliqui. Thomas in Summa contra gentiles affirmat, quod Nicolaus prædicavit mulieres debere esse communes, sicut et cetera bona exteriora, quæ in primitiva Ecclesia erant commu- *Ibid.* IV, 32.
C nia. Porro in Scholastica historia dicitur, quod Nicolaus iste vixit sancte et caste ; sed volens se excusare de vitio zelotypiæ, dixit coram Apostolis : Ecce uxor mea ; qui vult, eam accipiat : non intendens per hoc eam communicare, sed se excusare. Verum incontinentes, verbum ejus in pejus interpretantes, dixerunt uxores debere esse communes, et id Nicolaum dixisse. Et isti vocati sunt Nicolaitæ, contra quorum errorem et opera vitiosa prædicavit hic Ephesiorum antistes.

D *Qui habet aurem,* scilicet interiorem, 7
puta mentem capacem, *audiat* auditu corporali, si eum habuerit, atque mentali, id est, diligenter advertat, *quid Spiritus dicat Ecclesiis,* id est, Spiritus Sanctus, de quo ait Salvator : Spiritus blasphemia *Matth.* XII, 31.
non remittitur hominibus. Vel, Spiritus, id est Deus trinus et unus. Spiritus enim *Joann.* IV, 24.
est Deus. Et Apostolus ait : Dominus spiritus est. *II Cor.* III, 17.
Hunc modum loquendi Christus in Evangelio habet, dicendo : Qui habet *Matth.* XIII, 9.
aures audiendi, audiat. Et ad Ezechielem

Ezech. XII, 2. Dominus ait : Domus Israel aures habent A
ad audiendum, et non audiunt.

Vincenti cuncta adversa per patientiam,
et perseveranti usque in finem, dominanti
animo suo, superanti mundi vanitates,
carnales affectus, diabolica tentamenta,
dabo edere de ligno vitæ, id est, mei ipsi-
us beatifica fruitione reficiam eum, *quod*
est in paradiso Dei mei, id est in patria
Beatorum, in loco voluptatis deificæ, in
Ecclesia triumphanti. Christus autem se-
cundum quod homo, Deum suum nominat
cœlestis paradisi dominatorem. Christus B
vero lignum vitæ vocatur, secundum quod
Prov. III, 18. de sapientia Salomon loquitur : Lignum
vitæ est omnibus apprehendentibus eam.
Ipse siquidem est viride lignum, et fru-
ctuosissima arbor, a qua vita gratiæ, vi-
taque gloriæ emanavit, qui suis electis
immortalitatem concedit. Qui licet ubique
sit per divinitatis naturam, et in Ecclesia
militanti per sacramentalem præsentiam,
in regno tamen cœlesti proprie et aperte
consistere dicitur, ubi facie ad faciem cer-
Ps. XV, 11. nitur. Cui ait Psalmista : Adimplebis me C
Ps. XVI, 15. lætitia cum vultu tuo ; et, Satiabor quum
apparuerit gloria tua. Hoc præmium etiam
Joann. XIV, 21. Christus spondet, dicendo : Qui diligit me,
diligetur a Patre meo, et ego diligam eum,
et manifestabo ei me ipsum.

His verbis universi fideles ad patien-
tiam atque constantiam animantur. Patet
quoque ex his, quod ea quæ uni episco-
po vel uni Ecclesiæ, cunctis episcopis Ec-
clesiisque scribuntur, sicut et Christus
Marc. XIII, 37. in Evangelio ait : Quod vobis dico, omni-
Apoc. I, 11. bus dico. Unde et supra jubetur Joan- D
ni, ut scribat et mittat Ecclesiis : et ta-
men hic jubetur angelis Ecclesiarum scri-
bere, quia episcopus est principalis pars
suæ Ecclesiæ, et quod ei dicitur, omni
Christiano dicitur, qui ejusdem defectibus
subditur. Hinc præinductis verbis omnes
episcopi, prælati, et subditi, qui a pri-
stino caritatis fervore prolapsi sunt, ad-
monentur pœnitentiam agere, et ad pri-
orem fervorem ac agilitatem in sanctis
operibus sine dilatione reverti. Quod ta-
men prælatis omnibus summe necessa-
rium exstat.

Consequenter dirigitur sermo ad Smyr-
næorum Ecclesiæ præsulem. *Et angelo* 8
Smyrnæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit pri-
mus et novissimus, qui fuit mortuus, et
vivit, scilicet Jesus Christus : de quo ver-
ba ista ante scripta sunt atque exposita. Apoc. I, 17, 18.
Scio, id est, attendo, approbo, remunerare 9
dispono, *tribulationem tuam,* id est mo-
lestias quas ab hæreticis et tyrannis, a
rebellibus et perversis, imo et ab invisi-
bilibus hostibus sustines, non solum in
te ipso, sed et in populo tibi commisso,
quorum tribulatio tuam auget, quibus in
prosperis congratularis, in adversis com-
pateris, *et paupertatem tuam* in tempo-
ralibus rebus, quia et tua pauperibus
erogasti, et infideles te ac tuos spoliasse
creduntur ; *sed dives es,* id est, in spiri-
tualibus opulentus, virtutibus, quæ sunt
veræ divitiæ animi, plenus. Divitiæ enim Is. XXXIII, 6.
salutis, sapientia et scientia. Et minimum
bonum gratiæ ac virtutum, præstantius est
cunctis terrenis divitiis. Denique, quanto
quis Dei amore perituras divitias amplius
spernit, eo in anima exuberantius locuple-
tatur, sicut in B. Francisco ostensum est ;
et quanto quis temporales divitias diligen-
tius quærit, eo in anima exstat pauperior.

Et blasphemaris, id est, blasphemus
vocaris, vituperaris, contemneris, *ab his*
qui se dicunt Judæos esse, et non sunt,
sed sunt synagoga Satanæ, id est congre-
gatio ad diabolum pertinens. Isti fuerunt
Judæi secundum carnis propagationem,
non secundum virtutum imitationem, nec
secundum nominis sui interpretationem.
Judæi enim confitentes interpretantur ;
isti autem Christum negabant. De qui-
bus ait Apostolus : Videte Israel secundum I Cor. X, 18.
carnem. Hinc non fuerunt digni Judæi vo-
cari ; secundum quod incredulis Judæis
ait Salvator : Si filii Abrahæ estis, opera Joann. VIII, 39.
Abrahæ facite. Quasi dicat : Quum ejus
virtutes non imitemini, non estis digni
ejus filii nuncupari. Ideo subdit : Vos ex Ibid. 44.
patre diabolo estis.

10 *Nihil horum timeas quæ passurus es,* A id est corporales afflictiones, et varias impugnationes. Sic enim hortatus est Christus : Matth. x, 28. Nolite timere eos qui occidunt corpus. Et alibi dicitur : Is. LI, 12. Quis tu ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum arescet ? Porro, qui Deum sibi adsistere æternumque præmium dare paratum considerat, potest dicere cum Psalmista : Ps. XXVI, 1. Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo ? Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo ? et, Ps. III, 7. Non timebo millia populi circumdantis me.

Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, id est, suggerente diabolo, aliqui de grege tuo ab infidelibus incarcerabuntur. Potestque nomine carceris quælibet tribulatio designári. *Ut tentemini,* id est, patientia vestra per adversa probetur, et aliis ad ædificationem innotescat : juxta illud, Sap. III, 6. Tanquam aurum in fornace probavit justos Dominus ; et, Eccli. XXVII, 6. Vasa figuli probat fornax, homines autem justos tentatio tribulationis. *Et habebitis tribulationem diebus decem.* Per hoc intelligi potest, quod tribulatio hæc diebus decem durius sæviebat. Sic enim Berengandus exponit. Alii per decem dies intelligunt totum tempus vitæ præsentis, in quo in decem præceptis exerceri debeamus ; et quia frequenter per numerum determinatum, indeterminatus exprimitur : sicut in Psalmo, Ps. CIV, 8. Memor fuit testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes ; et in Job, Job XIX, 3. En decies confunditis me.

Esto fidelis, id est constans in fide atque justitia, *usque ad mortem* inclusive : sicut sanctus Job ait, Ibid. XXVII, 5. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Eccli. IV, 33. Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te ; et rursum, Ibid. V, 12. Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui. Debemus autem Deo fidelitatem immobiliter observare. *Et dabo tibi coronam vitæ,* id est præmium essentiale Beatorum in patria : quod aurea dicitur, et mentem coronat reginamque efficit, ac omnem mortis occasum exclu-dit. De quo fertur in Psalmo : Ps. XX, 4. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso ; et alibi : Sap. V, 17. Accipient justi regnum decoris et diadema speciei de manu Domini. Huic verbo consonat illud Jacobi : Jacob. I, 12. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Itaque perseveremus usque in finem : qui enim in finem perseveraverit, Matth. X, 22 ; XXIV, 13. Christo tebB stante, salvus erit. Qui perfectus est, amore boni perseverat in bono : occidi potest, flecti non potest. Qui imperfectus, saltem amore præmii perseveret. Non enim sunt Rom. VIII, 18. condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Hinc Hebræos monet Apostolus, dicens : Hebr. XII, 1-3. Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei Jesum, ut non fatigemur animis nostris.

11 vers. 7. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus* C *dicat Ecclesiis.* Hoc nunc expositum. *Qui vicerit* ea quæ adversantur saluti, ac displicent Deo, *non lædetur a morte secunda,* id est a damnatione æterna, seu pœna inferni, quæ infra mors secunda vocatur. Apoc. XXI, 8. Potest quoque per mortem secundam intelligi culpa, quæ animam lædit ac perimit. Porro, secundum Albertum, peccatum recte mors dicitur : quoniam, sicut mors corporalis separat animam a corpore, ab amicis, a divitiis, a visu, imo ab omni corporeo sensu ; sic peccatum separat men- D tem a Deo, ab angelis cunctisque Sanctis, a spiritualibus divitiis, a visu interno ac ceteris spiritualibus sensibus. Rursus, mors animæ, puta peccatum, morti corporis assimilatur in multis. Nam primo corpus distemperatur, deinde infirmatur, postea moritur, hinc effertur, sepelitur, lapide operitur, novissime a vermibus consumitur. Sic anima primo distemperatur per malam affectionem, infirmatur per noxiam delectationem, moritur per consensum, effertur per opera, sepelitur per con-

suetudinem malam, operitur lapide per obdurationem, ignibus vermibusque gehennæ torquetur in finem.

Præterea advertendum, quod memoratum Smyrnæ pontificem quidam affirmant fuisse B. Polycarpum, et Judæos incredulos in urbe illa morantes, excitasse persecutionem contra Polycarpum et ejus discipulos, inflammando gentiles contra hos Christianos. In qua persecutione multi Christianorum fuerunt occisi, sanctusque Polycarpus in ignem projectus : ubi quum non læderetur, tandem gladio cæsus, migravit ad Christum.

Consequenter ad præsulem Pergamensis
12 Ecclesiæ sermo dirigitur. *Et angelo Ecclesiæ Pergami scribe. Hæc dicit qui habet rhomphæam ex utraque parte acutam,* scilicet Christus : de quo supra dicebatur,
Apoc. I, 16. De ore ejus procedebat gladius ex utraque parte acutus : quod ibidem expositum est. Per quod utique insinuatur rigor divini
Hebr. X, 31. judicii, quamque horrendum sit incidere in manus Dei viventis. Quidam autem per rhomphæam intelligunt sacram Scripturam, quæ vitia resecando, mentem ad cœlestia acuendo, intima cordis penetrando, animam a rebus sæcularibus desideriisque carnalibus occidendo, acuta vocatur; et, ex utraque parte acuta, propter duo Testamenta, quorum scripturæ hæc agunt.
Malach. III, 2. Hinc de Christo dicitur : Ipse quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum.

13 *Scio ubi habitas,* scilicet in quali oppido atque consortio. Quasi dicat : Hoc te laudabiliorem ampliorique præmio efficit dignum, quod inter tam pravos non relinquis justitiam. Difficilius etenim est inter perversos juste vivere, quam inter devotos. *Ubi sedes est Satanæ,* id est infidelium hominum multitudo, in quorum cordibus manet diabolus. *Et tenes nomen meum,* id est, fortiter prædicas, confiteris, exaltas, et christiano nomine dignum te exhibes, christiformiter conversando; *et non negasti fidem meam,* timore persecutorum, vel molestia impugnationum. *Et in diebus illis* quibus inter illos mo-

A ratus est, *Antipas testis meus fidelis* fuit in urbe hac, *qui occisus est apud vos* ab infidelibus Pergami, *ubi Satanas habitat* in vasis suis pravis hominibus. Unde in
Evangelio ait Salvator, quod immundi spi- *Luc.* XI, 26.
ritus ingressi hominem, habitant ibi. Constat virum istum, qui ceteris omissis, tam solenniter a Domino commemoratur et commendatur, singularis sanctitatis atque constantiæ exstitisse. Qui dicitur testis Christi, quoniam verbo, facto, et sanguinis sui effusione testimonium perhibuit
B veritati fidei christianæ. Martyr autem Græce, Latine dicitur testis.

Sed habeo adversum te pauca emenda- 14
tione digna : *quia habes illic,* scilicet inter tuos, *tenentes doctrinam Balaam,* qui consilio Balaam æquivalenter consentiunt, *qui docebat Balac* regem Moabitarum, *mittere scandalum,* id est offendiculum oculorum et occasionem peccandi, *coram*
filiis Israel. Nam suggerente Balaam ario- *Num.* XXV, 1, 2; XXXI, 16.
lo, Balac misit feminas speciosas prope filios Israel, ut earum pulchritudine tra-
C cti, in luxuriam ruerent, atque de sacrificiis idolorum comederent. Ideo subditur: *edere* de sacrificiis idolorum, *et fornica-*
ri. De hoc in Psalmo : Et initiati sunt *Ps.* CV, 28.
Beelphegor, et comederunt sacrificia mor-
tuorum. *Ita habes et tu tenentes doctri-* 15
nam Nicolaitarum, id est, hæreticos quosdam inter tuos esse permittis, nec eos expellis, seu idonee reprobas, qui instar Balaam docent cum illegitimis commisceri, asserentes mulieres debere esse com-
munes : sicut dictum est plenius supra *vers.* 6.
D de erroribus Nicolaitarum. De talibus quo-
que in Canonica Judæ habetur : Væ illis *Judæ* 11-13.
qui via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt; hi sunt in epulis suis convivantes sine timore, semetipsos pascentes, arbores infructuosæ, bis mortuæ, despumantes suas confusiones : quibus procella tenebrarum conservata est in æternum.

Similiter pœnitentiam age, id est, sicut 16
episcopo Ephesi jussi, sic jubeo tibi pœnitentiam agere; vel, similiter, id est sic-

ut et isti decepti. Nam pari reatu tenetur, qui peccat, et qui peccantem, quum potest et debet, non corripit, vel peccare permittit. *Si quo minus* feceris, id est, nisi pœnitueris, *veniam tibi cito*, id est, per castigationem districtam te visitabo, vel ante mortem, vel in morte seu in judicio generali, quod comparatione futuræ perpetuitatis mox erit, *et pugnabo cum illis* errantibus, quos reprimere negligis, id est, contra illos disceptabo, *in gladio oris mei*, id est per sententiam damnationis et per judiciariam potestatem, eosque damnabiles esse convincam. Itaque, tu cum illis peribis nisi pœnitentiam egeris. Quo patet quam periculosa sit cura animarum, quum pastor damnetur nisi oves errantes pro posse reduxerit, diligenter instruxerit, seriose arguerit, et quantum valet represserit. Vel : Pugnabo cum illis in gladio oris mei, id est, te de statione tua amoto, meliorem in tuo loco substituam, per cujus verba adversarios veritatis dejiciam, ac deceptos reducam.

17 *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Istud frequenter repetitur. Et quoties clausula hæc in hoc loco, vel alibi in Scripturis inseritur, signum est notabile, magnum, aut mysticum, salubre, omni quoque advertentia dignum esse quod dicitur. *Vincenti* passiones et vitia, tentationes et cuncta adversa, *dabo manna absconditum*, id est refectionem internam, consolationem occultam, panem cœlestem. De quo in Evangelio legitur :
Luc. XIV, 15. Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Vel manna absconditum, est ipsemet dulcissimus Dominus Jesus, cujus figura fuit manna filiis Israel præstitum. Unde
Joann. VI, 32, 48. ait Judæis : Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Ego sum panis vitæ. Hunc panem dat nobis Deus, seu ipsemet Christus, in via per quemdam dulcem prægustum, per contemplationem et spem, per quotidianam appropinquationem ; in patria autem per plenariam communicationem ac beatificam refectionem. Denique Christus suo corpore et sanguine nos in præsenti exsilio fovet, consolatur, ac reficit, tanquam per gratiæ instrumentum, gratiæ veraciter contentivum. Per divinitatem vero nos alit, tanquam per principale, objectale, beatificativum edulium.

Manna insuper istud, absconditum fertur : quia secundum divinitatem Christus est incomprehensibilis, juxta illud Isaiæ, Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Is. XLV, 15.
salvator ; et quia nunc per fidem ambula- II Cor. V, 7; I Cor. XIII, 12.
mus, atque per speculum in ænigmate cognoscimus. In Sacramento etiam non parum absconditur, nec a carnalibus ejus sapor percipitur, sed devotis, dicente Propheta : Quam magna multitudo dulcedinis Ps. XXX, 20.
tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! Similiter de sapientia scriptum est : Abscondita est ab oculis omnium vi- Job XXVIII, 21.
ventium, nec invenitur in terra suaviter viventium. Trahitur autem sapientia de occultis. Unde, secundum Berengandum : Manna absconditum dicitur, quia sapientia Dei superbis absconditur, humilibus autem revelatur, Christo dicente : Confi- Matth. XI, 25.
teor tibi, Domine Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.

Et dabo ei calculum candidum, id est corpus incorruptionis gloria in futuro refulgens, secundum Bedam. Sicque per manna potest intelligi præmium essentiale, et per calculum præmium accidentale. Sed et ipsemet Christus, qui est pretio- Ibid. XIII, 46.
sissima margarita pro qua cuncta spernuntur, splendidissimusque carbunculus in tenebris lucens easque fugans, candidus calculus appellatur, qui per humilitatem se parvum exhibuit, electorum vero corda suo splendore perfudit. Rursus, per calculum candidum, intelligi potest aureola martyrum : nam ad martyrium verbis his Christus suos milites animavit. Sicut enim per lapidem pretiosum, præmium essentiale seu aurea ; ita per calculum candidum, puta carbunculum, præmium accidentale atque aureola intelligitur.

Et in calculo nomen novum scriptum,

quo beatus vocabitur, et filius Dei per A
dona gloriæ censebitur. Recipiendo enim
hunc calculum, sortietur et nomen no-
vum, in calculo ipso relucens, ut perfecte
glorificatus et duplici stola indutus dica-
tur. *Quod nemo scit* per notitiam experi-
mentalem, plenariam seu formatam, *nisi*
qui accipit ipsum. Quid enim sit Deo sic
frui, ita beatificari, ita per similitudinem
donorum gloriæ Dei filius esse et appel-
lari, nunc perfecte cognoscere non vale-
I *Cor.* II, 9. mus, dicente Apostolo : Oculus non vi-
dit, nec auris audivit, nec in cor hominis B
ascenderunt, quæ præparavit Deus dili-
gentibus se. Vel per nomen istud, intelli-
gitur ipsemet Christus nomine designatus,
ut sit sermo de nomine nominato. De quo
Act. IV, 12. legitur : Non est aliud nomen datum ho-
minibus sub cœlo, in quo oporteat nos
salvos fieri. Christus autem tanquam pu-
rissimus amator, ac liberalissimus dator,
dando dona gratiæ et gloriæ, simul cum
illis præstat se ipsum : quem nemo novit
nisi qui per caritatem ipsum suscepit, lo-
quendo de cognitione formata. Siquidem C
I *Joann.* II, 4. qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus
non custodit, ab apostolo Joanne, imo a
Spiritu Sancto, mendax vocatur.

Berengandus per calculum candidum in-
telligit Evangelium, et per nomen in eo
Joann. I, 1. scriptum, illud quod legimus, In principio
erat Verbum, etc. — Quidam episcopum
istum Pergami asserunt fuisse S. Carpum.

Consequenter ad episcopum Ecclesiæ
18 Thyatirensis dirigitur sermo. *Et angelo*
Thyatiræ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit Fi-
lius Dei, qui habet oculos tanquam flam- D
mam ignis, et pedes ejus similes aurichal-
Apoc. I, 14, 15. *co.* Hoc totum semel expositum constat.
19 *Novi opera tua* virtuosa, quæ approbo, *et*
fidem vivam, formatam, rationibus cre-
dendorum ornatam, et purificatæ mentis
intelligentia decoratam, quæ est fides se-
cundum statum perfectum, *et caritatem,*
qua Deum et proximum amas, *et ministe-*
rium, id est officii exsecutionem in actibus
episcopatus ac sacerdotii, *et patientiam*
tuam inter tot aspera, *et opera tua novis-*
sima plura prioribus, ita quod in bonis
actibus abundanter crevisti.

Sed habeo adversus te, quia permittis 20
mulierem Jezabel, quæ se dicit prophe-
tem, docere et seducere servos meos, for-
nicari et manducare de idolothytis. Fuit
itaque in Ecclesia hujus antistitis mulier,
quæ, vel proprio nomine dicta est Jeza-
bel, vel propter parem impietatem cum Je-
zabel uxore quondam Achab regis Israel, III *Reg.* XVI, 31; XVIII, 4; XIX, 2; XXI, 5 *et seq.*
de cujus pravitate tertio Regum habetur,
sic dicta fuit. Dicuntque aliqui, quod fuit
uxor hujus episcopi. Unde, secundum Al-
bertum, alia translatio habet : Habeo ad-
versus te, quod sinis uxorem tuam Jezabel.
Et ita audacius dixit se esse prophetis-
sam, tanquam antistitis, et quidem tam
sancti antistitis, conjugem. Idcirco etiam
dixit se prophetissam, ut dum crederetur
inspirata divinitus, facilius ejus doctri-
na susciperetur. Docuit ergo fallaciter,
et docendo induxit fideles ad fornicatio-
nem carnalem, eo modo quo Nicolaitæ;
vel ad fornicationem spiritualem, quæ est
cum dæmonibus, dum rebus caducis ma-
gis quam Deo altissimo inhæretur. Non
autem docuit idololatriam corporalem, se-
cundum Bedam, quia tunc non potuisset
se fingere prophetissam. Dicit quoque Al-
bertus, quod per mulierem hanc, scilicet
ejus imitatione sive exemplo, introducta
fuit perfidia Mahometi, qui etiam finxit
se esse prophetam. Porro, per idolothyta
intelliguntur, quæ idolis immolata seu
consecrata fuerunt : de quibus manduca-
re licet, secundum Apostolum, quando fit I *Cor.* X, 19 *et seq.*
sine scandalo proximi, et non in venera-
tionem idolorum; sed mulier ista docuit
illud passim licere.

Sed mirum videtur quod episcopus iste
tantæ perfectionis, tam grande malum per-
misit. Ad quod Haymo respondens : Nul-
la, inquit, ratio permittit ut iste hoc vitio
notetur, quem Dominus tanta laude pro-
sequitur; sed a corpore electorum conver-
tit sermonem ad partem reproborum, quæ
in doctoribus intelligitur qui sua negli-
gentia prædicta mala in Ecclesia esse si-

nunt. Alii tamen de episcopo isto verba
inducta exponunt. Et potuit fieri quod
episcopus in aliis occupatus, pravitatem
feminæ hujus non satis advertit, vel ejus
culpam non tam cito, vel tam efficaciter
increpavit ut debuit.
21 *Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam
ageret.* In quo misericordia Dei ostendi-
Eccli. V, 4. tur. Omnipotens enim est patiens reddi-
II Petr. III, 9. tor, nec animas vult perire. *Et non vult
pœnitere a fornicatione sua* quam docet
et facit, præteritam deplorando, et futu-
ram vitando. Unde impletum est in mu-
Job XXIV, 23. liere hac illud Job : Deus dedit illi locum
pœnitentiæ, et ille abutitur eo in pecca-
tum. Sed quia tanto districtior est Dei vin-
dicta, quanto longanimior atque clemen-
22 tior fuit exspectatio sua, subjungitur : *Et
ecce mitto eam in lectum,* id est, gravi
languore eam visitabo, et per mortem cor-
poralem mittam eam ad mortem ac le-
Luc. XVI, 22. ctum infernalem, ubi sepultus est dives.
Et qui mœchantur cum ea, id est, ejus
doctrinis ac vitiis participant, vel ei mi-
scentur, *in tribulatione maxima erunt,*
ita quod dira morte consumentur, deinde
æterna supplicia patientur, *nisi pœniten-
tiam egerint ab operibus suis,* imo et ab
affectionibus suis, verbis, et cogitationi-
bus : quæ omnia, actus et opera hominis
frequenter in Scriptura dicuntur. Hinc in
Ibid. XIII, 3. Evangelio Christus ait : Nisi pœnitentiam
egeritis, omnes similiter peribitis. Et in
Eccli. II, 22. Ecclesiastico habetur : Nisi pœnitentiam
egerimus, incidemus in manus Dei, et non
23 in manus hominum. *Et filios ejus,* id est
imitatores qui præ ceteris ei in vitiis con-
formantur : propter quod non solum par-
ticipes, sed et filii ejus vocantur; *inter-
ficiam in morte,* formaliter, scilicet ipsa
morte, id est insanabili plaga, vel morte
Apoc. XXI, 8. gehennæ, quæ est mors secunda damna-
tioque perpetua.

Et scient omnes Ecclesiæ ex effectu
meæ justitiæ, *quia ego sum scrutans cor-
da et renes,* id est intime cernens, dili-
genter discutiens, usque ad unguem di-
judicans desideria et opera carnis, quæ
nomine renum signantur, et cogitatus af-
fectionesque cordis ; *et dabo unicuique
vestrum secundum opera sua,* ita quod
nullum bonum dimittam irremuneratum,
nullumque malum impunitum. Hæc idem Job XXIV, 12.
per Jeremiam dicit : Ego Dominus, in- Jer. XVII, 10.
quiens, scrutans cor, et probans renes,
qui do unicuique juxta vias suas, et juxta
fructum adinventionum suarum. Quod et
in Psalmo cantatur. Verumtamen, nomine Ps. VII, 10.
scrutationis quandoque datur intelligi in-
quisitio quædam de re ignota vel nota
aliqualiter, ut noscatur certitudinaliter.
Sicque Deo non competit, et juxta hoc
scriptum est : Numquid sicut dies homi- Job X, 5, 6.
nis, dies tui, ut quæras iniquitatem me-
am, et peccatum meum scruteris? Præ-
terea, quum ratio meriti atque demeriti
magis consistat in actibus interioribus,
potissime voluntatis, quam exterioribus,
qui rationem virtutis aut vitii ab interio-
ribus sortiuntur, quum Deus dicitur uni-
cuique redditurus secundum opera sua,
per opera intelliguntur actus interiores et
exteriores, ita ut et passiones sub nomine
actus comprehendantur. Unde quod actus
interior opus dicatur, patet ex eo quod
in Evangelio loquitur Christus Judæis :
Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem Joann. VI, 29.
misit ille.

Vobis autem fidelibus meis *dico, et ce-* 24
teris qui Thyatiræ estis, id est cunctis
qui estis in domo episcopi, et in tota urbe
hac commorantes : *Quicumque non ha-
bent doctrinam hanc* impiissimæ Jezabel,
id est, ei non acquieverunt, *et qui non
cognoverunt* per approbationem *altitudi-
nem Satanæ,* id est superbias atque astu-
tias diaboli, filiorumque ejus hæresiar-
charum, Ebionis, Cerinthi, ac Marcionis,
*quemadmodum dicunt; non mittam super
vos aliud pondus,* id est, ego non impo-
nam vobis observationem legalium, quam
Petrus apostolus vocat importabile pon- Act. XV, 10.
dus, quemadmodum hæretici jam præfati
dixerunt, et me missurum asseruerunt.
Docuerunt enim legalia cum Evangelio
observanda, ita quod Deus mitteret hoc

pondus super cervices discipulorum, ul-
25 tra pondus evangelicæ legis. *Tamen id*
quod habetis tenete, id est, evangelica do-
cumenta firmiter observate, quæ jam du-
dum accepistis, *donec veniam,* id est us-
que ad mortem, quando vos visitabo, et
perseverantes de via ad patriam elevabo.
26 *Et qui vicerit :* secundum sensum jam
sæpe inductum; *et* qui *custodierit usque*
in finem opera mea, id est, sine reprehen-
sione et macula exhibuerit opera mihi
placita, et mea virtute peracta, in omni-
bus custodite, circumspecte, caute, solli-
cite, timorate se habens, *dabo illi potesta-*
tem super gentes. Sancti enim, secundum
I Cor. VI, 2. Apostolum, de hoc mundo judicabunt. Qui-
Matth. XIX, 28. bus et Christus promisit : Sedebitis super
sedes, judicantes duodecim tribus Israel.
Sap. III, 8. Unde in libro Sapientiæ scriptum est : Ju-
dicabunt nationes, et dominabuntur po-
pulis. Nam simul cum Christo judicabunt,
27 et ejus sententiam approbabunt. *Et reget*
Ps. II, 9. *eas in virga ferrea,* id est in rigore justi-
tiæ; vel, cum damnationis sententia mit-
tet seu diriget eas ad finem eis debitum,
Ibidem. puta ad pœnas inferni. *Et tanquam vas*
figuli confringentur, non esse, sed omne
bene esse, perdendo. Denique, Sancti in
patria potestatem sortiti sunt subveniendi
viatoribus, et gratiam boni regiminis eis
procurandi, impiosque torquendi.

Vel : *Qui custodierit usque in finem opera mea,* id est, in bonis actibus stabilis manserit, et vere ac efficaciter in bono perseverare decreverit, *dabo illi potestatem super gentes,* id est, aliis eum præficiam, tanquam dignum prælatum, aliosque docere idoneum. *Et reget eas in virga ferrea,* id est constanti inflexibilique justitia, vel in evangelica lege seu rigore disciplinæ ; *et tanquam vas figuli confringentur* a sua duritia, amittendo non esse naturæ, sed propriæ perversitatis et libertatis irrefrenatæ, secundum quod Salomon ait : Verte impios, et non erunt. (Prov. XII, 7.) Hæc est salubris confractio, qua quis vincit se ipsum, et frangit proprium animum : quod est abnegare se ipsum. Quod qui fecerit, dicere potest illud Apostoli : Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus. (Galat. II, 20.)

Sicut et ego accepi a Patre meo pote- 28
statem præfatam, acceptione æterna secundum quod Deus, et acceptione temporali secundum quod homo. Omnia enim Filius habet a Patre, juxta illud : Omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt; itemque : (Joann. XVII, 7.) Mea omnia, tua sunt; et tua, mea sunt. (Ibid. 10.) Et in ipso incarnationis instanti, prælata est humanitas Christi omni creaturæ, et data est ei tunc omnis potestas in cœlo et in terra, (Matth. XXVIII, 18.) videlicet potestas judiciaria, sacerdotalis, ac regia, miraculorumque operativa, auctoritas quoque jubendi angelis bonis ac malis, propter hypostaticam suam unionem cum Verbo; sed quantum ad manifestationem, dicitur ista potestas Christo in resurrectione collata. Unde ipse tunc dixit : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Porro, hæc verba in Psalmo de Christo ad litteram scripta sunt, ubi Pater ait ad Filium secundum formam servilem, Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam : (Ps. II, 8.) quæ, secundum hanc eorum introductionem, de membris ipsius exponuntur.

Et dabo illi stellam matutinam, id est me ipsum, secundum quod infra dicitur : Ego sum radix David, stella splendida et matutina. (Apoc. XXII, 16.) Iterum : Dabo illi stellam matutinam, id est, angelum sanctum suæ vitæ custodem, socium habebit in gloria, eritque sicut angelus Dei, atque in cœlo empyreo matutina stella figetur. (Matth. XXII, 30.) Quod enim angeli sancti stellæ sint matutinæ, beato Job Dominus pandit, dicendo : Ubi eras, quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? (Job XXXVIII, 4, 7.) Vel stella matutina, est lucidissima illa contemplatio divinorum.

Denique, sicut prædictum est, quidquid in istis capitulis ad præsules Asiæ scribitur, cunctis prælatis, imo et partim universis Christianis denuntiatur. Defectus itaque propter quos antistites illi reprehenduntur, omnis prælatus seu Christia-

nus in se et suis debet corrigere, si de eis sibi conscius fuerit. Virtutes quoque de quibus illi laudantur, exsequi debet. Unde si quis primæ caritatis fervorem, et pristinæ devotionis alacritatem reliquerit, memor sit unde exciderit, et pœnitentiam
Galat. III, 3. agat, ne quum spiritu cœperit, carne con-
Job XIV, 2. summetur et pereat. Quum enim in eodem statu homo non maneat, qui non
Eccli. XIX, 1. proficit, deficit; et qui negligit modica, paulatim penitus evacuatur, nisi sollicite
Ibid. XXVII, 4. se emendet. Propter quod tali dicitur : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Etenim timor filialis et castus, qui est fuga mali culpæ, ab omni abstrahit Divinitatis offensa, a torpore atque ignavia, secundum
Eccle. VII, 19. illud dictum Salomonis : Qui timet Deum, nihil negligit. Præterea, si quis prælatus in grege sibi commisso percipiat aliquos

A esse pestiferos, perversa docentes, et scandalizantes pusillos, trahentes ad carnis inquinamenta vel spiritualia vitia, omnem mox diligentiam ac laborem apponat ut tantum malum exstirpet, animarum subversores corripiat, excludat, devitet, si se emendare noluerint.

Consideremus solerter quanta sit pietas Dei, quantum nostram optet salutem, quomodo nunc minando pœnas, nunc promittendo jucunda, satagat nos a vitiis revocare, ad virtutes inflammare, ad bea- B titudinem sublimare. Non parvi pendamus gratiam Dei, nec providentiæ ejus simus ingrati. Alioqui omnia cooperabuntur nobis in malum; et quanto majora et plura sunt ejus beneficia, tanto enormiora erunt nostra facinora, et duriora supplicia.

[*Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*] 29

ARTICULUS IV

EXPLANATIO CAPITULI TERTII : ET ANGELO ECCLESIÆ SARDIS SCRIBE.

CAPITULO præcedenti, scripta sunt quæ ad quatuor episcopos quatuor Ecclesiarum Asiæ pertinent; nunc quæ ad reliquos tres episcopos ejusdem provinciæ spectant, scribuntur.

1 *Et angelo,* id est præsuli, *Ecclesiæ,* scilicet Christianorum qui sunt in civitate *Sardis, scribe. Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei,* id est Christus, in quo
Is. XI, 2, 3. septem dona Spiritus plenissime fuerunt et sunt; qui et septem spirituum, id est omnium angelicorum spirituum, Dominus est, qui per septem spiritus designantur, D
Apoc. I, 4. ut dictum est super illud, Et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt; *et septem stellas,* id est septem episcopos Ecclesiarum Asiæ : per quos universarum significantur Ecclesiarum episcopi et prælati, quia omnes in manu sunt Salvatoris. Unde in fine primi capituli

C scribitur : Septem stellæ, angeli (id est Apoc. I, 20.
episcopi) sunt septem Ecclesiarum.

Scio opera tua, quæ displicent mihi. Bona scit Deus per approbationem; mala, per simplicem cognitionem et detestationem, juxta illud, Cognovi multa scelera Amos V, 12.
vestra; et illud Psalmi, Dominus scit co- Ps. XCIII, 11.
gitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Nec obstat quod legitur Habacuc primo, Mundi sunt oculi tui, Domine, ne videas Habac. I, 13.
malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. Hoc enim non asserendo, sed conquerendo, et ex contrario dicitur sensu. *Quia nomen habes quod vivas,* id est, ab aliis per caritatem et gratiam vivere æstimaris, et famam bonam per hypocrisim tuam sortitus es. Fama autem nomen vocatur, juxta illud Ecclesiastici, Curam habe Eccli. XLI, 15.
de bono nomine; et illud Machabæorum, I Mach. V, 57.
Faciamus et ipsi nobis nomen. *Et mortuus*

Matth. VIII, 22. *es* morte peccati : de qua ait Salvator, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Spiritualis siquidem vita animæ est caritas, quam, qui mortaliter peccat, amittit, spiritualiterque moritur, nec aliquem actum Deo placentem ac meritorium operatur, sed est velut turpe fœtidumque cadaver coram supersanctissimo Deo. A

2 *Esto vigilans,* id est diligens in custodia cordis tui ac subditorum; et quo pluribus præes, tanto sollicitior et agibilior consistas. Omnem enim prorsus torporem abjicere debet prælatus, et omni metu, timore atque tremore suam ac gregis operari salutem. Philipp. II, 12. B Unde de indignis pastoribus dicitur : Speculatores ejus cæci omnes, videntes vana et dormientes. Is. LVI, 10. Hinc Romanos monet Apostolus : Qui præest, in sollicitudine, supple, præsit. Rom. XII, 8. *Et confirma cetera quæ moritura erant,* id est, opera tua parva, quæ facis, et de genere bona sunt, majore puritate exerce, ut ex caritate nascantur, et meritoria comprobentur : quæ alias nihil tibi proficient ad salutem. Vel : Confirma cetera quæ moritura erant, id C est, infirmos seu imperfectos gregis tui, orando, docendo, exemplariter conversando, ad virtutes erige : sicut et Petro ait Salvator, Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Luc. XXII, 32. Grex nempe cito in vitia labitur, et mortem culpæ mox patietur, nisi a prælato juvetur, informetur et deducatur, secundum quod Dominus per Prophetam ait : Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor. Ezech. XXXIV, 5.

Non enim invenio opera tua plena, id est veraciter virtuosa, *coram Deo meo,* se- D cundum quod homo sum. Qui enim vana intentione, quæ bona sunt agit, mente est vacuus, peccato exhaustus, vere pauperrimus. Tales sunt qui quærunt placere hominibus, qui apparentiam magis quam exsistentiam sanctitatis assumunt : qui etsi coram hominibus aliquid videantur, Deum tamen fallere nequeunt. Unde et fatuarum virginum lampades exstinguuntur. Matth. XXV, 8. Et teste Ambrosio, plenitudinem vita justi habet, inanes autem sunt dies malorum.

3 *In mente ergo habe,* id est, diligenter considera, *qualiter acceperis* gratiam Dei in Baptismo, deinde sacerdotium episcopatusque gradum, *et audieris* a me ceterisque Sanctis ea quæ ad episcopum pertinent, ac reliqua evangelicæ legis documenta, præcepta, consilia, *et serva,* hæc omnia memoriter recolendo, et efficaciter prosequendo. Unde et Timotheum admonens Paulus : Noli, inquit, negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii; I Tim. IV, 14. et rursus, Confortare in gratia, et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus. II Tim. II, 1, 2. *Et pœnitentiam age* de bonis omissis et malis commissis.

Si ergo non vigilaveris, id est, nisi officium tuum solerter fueris exsecutus, oculosque direxeris ad considerandos defectus tuos ac subditorum, *veniam ad te,* per potentiæ meæ effectum, et æquitatis vindictam, *tanquam fur,* id est improvise : juxta illud Apostoli, Dies Domini tanquam fur in nocte ita veniet; I Thess. V, 2. *et nescies qua hora veniam ad te,* nisi quum pœnam ipsam cœperis experiri. Nam hora mortis incerta est. Quapropter Christus hortatur : Vigilate (nescitis enim qua hora Dominus veniat, sero an media nocte, an galli cantu, an mane), ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes; videte, vigilate, et orate. Marc. XIII, 35-37, 33. Denique corporaliter dormit, qui oculos carnis tenet clausos, nec utitur ratione, nec quidquam facit advertens : sic spiritualiter ac miserabiliter dormit, qui oculos mentis ad ea quæ Dei sunt ac suæ salutis non aperit, qui rationem quæ ad optima instigat non sequitur, qui nil meritorium operatur.

4 *Sed habes pauca nomina in Sardis,* id est quosdam fideles in tua Ecclesia, *qui non inquinaverunt vestimenta sua,* id est, vestem innocentiæ in Baptismo collatam servaverunt incontaminatam, postea mortaliter non peccando, et de venialibus quotidie satisfaciendo, imo in splendore gratiæ ac virtutum creverunt. Vestimenta quoque animæ sunt virtutes ac dona Spi-

ritus Sancti, quibus mens decoratur, et A
contra frigora vitiorum atque ardores con-
cupiscentiarum ac tentamentorum muni-
tur. Unde et caritas dicitur vestis nuptia-
lis. Et de Sponsa cantatur : Vidi speciosam,
cujus inæstimabilis odor erat nimis in
vestimentis ejus. Quibus se indutam glo-
Is. LXI, 10. riatur quæ dicit : Gaudens gaudebo in Do-
mino, quia induit me vestimento salutis,
et indumento justitiæ circumdedit me.
Hæc vestimenta non fœdat, qui in mor-
tale non ruit, et de venialibus omni hora
se purgat mentem frequenter elevando B
ad Deum, bonisque actibus jugiter insi-
stendo. Iterum, vestimenta sunt opera.
Rom. XIII, 12. Unde quæ opera tenebrarum abjecit, ait :
Cant. V, 3. Exui tunicam meam, quomodo induar il-
lam? Qui itaque satagit Deo in puritate
II *Cor.* VI, 3. servire, nemini (quantum in se est) dans
ullam offensionem, iste vestimenta sua
non inquinat. Ad quod Philippenses hor-
Philipp. I, 9, 10. tatur Apostolus : Caritas vestra magis ac
magis abundet, ut sitis sinceri, et sine
offensione.

Sed quomodo potest quis vestimenta C
ista servare non inquinata, quum conque-
Is LXIV, 6. ratur Propheta, dicens, Facti sumus ut
immundi omnes nos, quasi pannus men-
struatæ universæ justitiæ nostræ? Et re-
spondendum, quod comparatione lucis et
puritatis divinæ id dicitur. Sic enim et
Job XV, 15. cœli non sunt mundi. Hinc in libro Job
Ibid. IX, 2. dicitur : Non justificatur homo composi-
Ibid XV, 14. tus Deo; et item : Quid est homo, ut im-
maculatus sit, et justus appareat natus de
Ps. LXXXV, 2. muliere? Nihilo minus ait Psalmista : Cu-
stodi animam meam, quoniam sanctus D
I *Cor.* IV, 4. sum; et Apostolus, Nihil mihi conscius
sum. Propterea advertendum, quod dupli-
citer dicitur quis vestimenta præfata non
inquinasse : Primo, quum post primam ju-
stificationem seu gratiæ infusionem nun-
quam peccavit mortaliter : quod paucis-
simis competit. Secundo, quum actualiter
in caritate et gratia est, studens Deo in
Luc. I, 74, 75. sanctitate et justitia cunctis diebus suis
servire : quod omnibus vere pœnitentibus
ac proficientibus certum est convenire.

Quæritur, quare potius ait Dominus,
Habes pauca nomina, quam, paucos ho-
mines, quum de hominibus sermo sit. Et
respondendum quod ideo, ut innuat quod
electos et bonos noscit per modum spe-
cialem, per acceptionem et directionem
præcipuam, dicente Apostolo : Quos præ- *Rom.* VIII, 30.
destinavit, hos et vocavit. Et Moysi ait qui
omnia novit : Te ipsum novi ex nomine. *Exod.* XXXIII, 12.
Unde de se ipso loquens Christus sub no-
mine boni pastoris, ait : Proprias oves *Joann.* X, 3.
vocat nominatim. In parabola quoque pur-
purati divitis, electum pauperem exprimit *Luc.* XVI, 20, 19.
nominatim, reprobum divitem appellatio-
ne communi.

Et ambulabunt mecum in albis, id est,
mecum erunt in regno cœlesti, stola glo-
riæ ac immortalitatis induti ; in albis
quoque, id est, corporibus glorificatis ac
splendidissimis gloriæ donis. In Ecclesia
etiam militanti *ambulabunt mecum,* id
est coram me, et vestigia mea sequendo.
Qui enim se dicit in Christo manere, de- I *Joann.* II, 6.
bet sicut ille ambulavit, et ipse ambula-
re. Sic David commendat Scriptura, quod
coram Domino ambulaverit. Et Abrahæ III *Reg.* VIII, 25; II *Par.* VII, 17.
dicitur : Ambula coram me, et esto per-
fectus. *In albis,* id est innocentiæ indu- *Gen.* XVII, 1.
mentis, si gratiam baptismalem non perdi-
derunt; vel in bonis operibus, secundum
Berengandum. Unde, ut Haymo asserit,
non solum qui in innocentia permanse-
runt, sed et hi qui per pœnitentiam sur-
rexerunt, puta omnes electi, ambulabunt
cum Christo in albis, qui dicit : Pater, *Joann.* XVII, 24.
quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et
illi sint mecum, ut videant claritatem me-
am. *Quoniam digni sunt.* Ex quo sequi
videtur, quod aliquis de condigno merea-
tur vitam æternam, quum tamen dicat
Apostolus : Non sunt condignæ passiones *Rom.* VIII, 18.
hujus temporis ad futuram gloriam. Et
Salvator : Quum feceritis, inquit, omnia *Luc.* XVII, 10.
quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi
inutiles sumus; quod debuimus facere,
fecimus. Sed dicendum, quod homo exsi-
stens in caritate meretur vitam æternam
de condigno, in quantum Spiritus Sanctus

caritatem movet et excitat ad agendum, non in quantum [opus] procedit, vel passio acceptatur a libero arbitrio, etiam habitu caritatis adjuncto. Hæc est S. Thomæ responsio.

5 *Qui vicerit* vanitates sæculi, desideria carnis, suggestiones diaboli, *sic vestietur vestimentis albis,* id est, præinductis bonis gratiæ ac gloriæ donis ornabitur. *Et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Minus dicit, et plus significat, ut sit sensus : Ostendam eum scriptum esse in libro vitæ.

Ubi quærendum est, quomodo aliquis dicatur deleri de libro vitæ. Et respondendum, quod liber vitæ in Deo est electorum conscriptio, tenax memoria, seu firma notitia in mente divina : qui liber est ipsa prædestinatio. Itaque, secundum Thomam, aliquis dicitur scriptus in libro vitæ dupliciter : Primo, secundum ordinationem prædestinationis, ut hi quos Deus salvare decrevit : et sic nullus deletur. Secundo, quantum ad prædestinationis effectum, scilicet caritatem et gratiam : quam qui habet, dignus est vita æterna, ideo scriptus dicitur in libro vitæ ; et quum eam peccando amittit, deletur secundum istum respectum, videlicet quoad effectum prædestinationis divinæ. — In idem redit quod alii dicunt, aliquem scriptum in libro vitæ per præscientiam æternam : et sic scriptus nunquam deletur, sicut nec Dei præscientia fallitur. Propter quod scriptum est (*Is.* IV, 3.) : Sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem. Secundo, per præsentem justitiam : et sic potest deleri. Unde, quum Moyses dixisset ad Dominum (*Exod.* XXXII, 31, 32.), Aut dimitte populo hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti ; Dominus mox respondit (*Ibid.* 33.), Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. Porro qui scriptus est in libro vitæ primo modo, dicitur simpliciter scriptus ; qui secundo modo, scriptus dicitur secundum quid. Ideo absolute loquendo, nullus proprie deletur de libro vitæ, sicut nec prædestinatus damnatur.

A *Et confitebor nomen ejus,* id est, in hora judicii ejus particularis ac universalis, ipsum ad me pertinere testabor, *coram Patre meo, et coram angelis ejus.* Quæ confessio, est honor præclarus, ob quem contemnendus est omnis honor terrenus.

6 *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Ista admonitio pollicitationi divinæ nunc præponitur, nunc subjungitur, ad innuendum quod verba Dei ac divina promissa diligenter auscultare B debemus, sive ad hoc præmonemur, sive non.

Consequenter præsuli Philadelphiæ Ec-
7 clesiæ sermo dirigitur. *Et angelo Philadel-*
phiæ Ecclesiæ, id est episcopo congregationis christianæ in urbe hac commorantis, *scribe. Hæc dicit Sanctus et Verus,* id est Christus, qui secundum divinam naturam, essentialiter sanctus et verus est, secundum naturam quoque assumptam, sanctior universis, et verus in verbis atque operibus : qui testatur (*Joann.* XIV, 6.), Ego sum via, veritas et vita ; C de quo apud Danielem dicitur (*Dan.* IX, 24.), Ungatur Sanctus Sanctorum. *Qui habet clavem David.* Clavis est qua abdita reserantur, et clausa panduntur, ac janua aperitur. Ita clavis hæc David quam habet Christus, est virtus sua illuminativa, seu sapientia, per quam aperit nobis mysteria Scripturarum, sicut et Apostolis aperuit sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV, 45.). Per hanc autem virtutem, aperit nobis et ipsum David seu librum Psalmorum, in quo secundum divinum Dionysium, vir- D tualiter continetur quidquid in Scripturis habetur. Unde et clavis ista vocata est clavis David, qui præ ceteris de Christo prophetavit, cujus psalmos Christus elucidavit. Verumtamen, secundum Berengandum et Haymonem, per clavem David intelligitur Christi humanitas, de semine David assumpta (*Rom.* I, 3.) : per quam reserata sunt omnia, et quæ David de Deo, et quæ Deus ad David locutus est ; per quam etiam janua regni cœlestis est patefacta, et tota Ecclesia illustrata.

Qui aperit, id est, Scripturarum noti- A tiam menti infundit, corda ad gratiam, caritatem et fidem patula facit, *et nemo claudit* ei cui Christus sic aperit : quoniam Christi operationem nullus prohibere impedireve potest directe, et dum Christus noluerit : quanquam diabolus et homines pravi, nonnunquam dispositive illuminatos ad tenebras falsitatis ac vitiorum declinent, sicut in Evangelio ait Sal-
Luc. VIII, 12. vator : Venit diabolus, et tollit verbum Dei de corde ipsorum, ne salvi fiant; et
Matth. XXIII, 13. denuo : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui claudilis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare, scilicet, quantum in vobis est. *Claudit*, id est, gratiam subtrahit, intellectum Scripturarum salutarem non influit superbis ac reprobis, *et nemo aperit* eis tanta bona. Ipse utique clausit Judæis, et aperuit gentibus, sicut in Evangelio lo-
Joann. IX, 39. quitur : In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant. — At vero verba hæc scripta sunt in Isaia de Eliacim, secundum quod fuit Christi figura, quum
Is. XXII, 22. dicitur : Dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet; et non erit qui claudat, etc.

8 *Scio opera tua* per approbationem. *Ecce dedi coram te ostium apertum*, id est, patefeci tibi ingressum ad intelligentiam Scripturarum, mentem tuam claritate scientiæ salutaris illuminando, *quod nemo potest claudere* tibi, quum ego id aperuero, qui potens sum te in data divinorum notitia conservare. Hoc etenim ostium est infusa clarificatio animæ, per quam Scripturas intelligit. Denique, præter ostium hoc, loquitur Scriptura adhuc de multiplici ostio. Est enim prædicatio ostium,
I *Cor.* XVI, 9. juxta illud Pauli : Ostium mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi. Fides etiam dicitur ostium, ut in Acti-
Act. XIV, 26. bus : Retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, quia aperuisset Deus gentibus ostium fidei. Insuper, præparatio cordis ad ea quæ Dei sunt, ostium appellatur, dicente

Apostolo : Quum autem venissem Troa- II *Cor.* II, 12.
dem, et ostium mihi apertum esset in Domino. Christus nihilo minus etiam ostium cœlestis patriæ nuncupatur : Ego (inquit) *Joann.* X, 9.
sum ostium.

Quia modicam habes virtutem. Hoc multipliciter exponitur. Quidam enim per modicam virtutem intelligunt humilitatem, per quam efficitur homo divinam illustrationem suscipere aptus, juxta illud :
Declaratio sermonum tuorum illuminat, et *Ps.* CXVIII, 130.
intellectum dat parvulis. Alii dicunt, quod B ideo fertur habere modicam virtutem, quia non habuit potestatem seu gratiam faciendi miracula, sicut episcopi communiter tunc habebant : idcirco Deus in intelligentia Scripturarum ei recompensavit quod in illa ipsi gratia defuit. Berengandus videtur istud subtilius elucidare, dicendo : Videtur mihi, quod iste angelus Philadelphiæ Ecclesiæ, in divinis Scripturis non satis fuerit eruditus. Et ideo dixit eum modicam habere virtutem ad convincendos fidei inimicos. Ideo, Dedi coram C te ostium apertum in divinis Scripturis, ut intelligas mysteria Scripturarum : quod nemo poterit claudere, id est, sapientiæ quæ tibi dabitur, nullus poterit resistere inimicorum. Potest quoque sic accipi : Modicam habes virtutem, id est, naturalis et propria virtus atque scientia tibi non sufficit : idcirco auxilium gratiæ tibi impendo.

Et servasti verbum meum, id est, ser- 9
monibus meis obedivisti, *et non negasti nomen meum*, id est me ipsum, sed te esse D Christianum, et me esse Dei Filium, libere es professus.

Et ecce dabo tibi *de synagoga Satanæ*, id est, aliquos incredulorum Judæorum per tuam prædicationem convertam, et tibi subjiciam, *qui se dicunt Judæos esse* vere ac proprie, secundum nominis proprietatem et virtutum patrum suorum imitationem. Judæi enim quasi confitentes dicuntur; et isti antequam fidem Christi reciperent, jactabant se Deum fideliter colere et confiteri, patrumque suorum fi-

dem ac opera sequi : quod ita non fuit. A Ideo subditur : *et non sunt* hoc modo Judæi, *sed mentiuntur :* quia secundum carnem tantum Judæi sunt. Christiani vero spiritualiter circumcisi, secundum proprietatem spiritualem atque virtutem Judæi vocantur, confitendo Christum de semine Judæ exortum. Propter quod ait Rom. II, 28, 29. Apostolus : Non qui in manifesto, Judæus est ; neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio ; sed qui in abscondito, Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, Galat. III, 7. non littera. Et iterum : Qui ex fide sunt, B hi sunt filii Abrahæ. *Ecce faciam illos* tales per gratiam, *ut veniant, et adorent ante pedes tuos :* id est, tibi humiliter se, fide suscepta, subjicient, teque ut patrem honorabunt, Deum cultu latriæ, et te cultu duliæ venerantes ; *et scient quia ego dilexi te,* quem ad tantam abundantiam gratiæ gratum facientis ac gratiæ gratis datæ promovi, ita illuminavi, episcopum ordinavi, aliorum pædagogum constitui. Quum enim diligere sit alicui bonum velle, hos diligit Deus quos ad bona gratiæ C donaque gloriæ præordinavit.

10 *Quoniam servasti verbum patientiæ meæ,* id est documentum meum quo patientiam præcepi ac docui, quam et opere demonstravi, *et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra.* Per hanc horam tentationis, quidam intelligunt tempus persecutionis Ecclesiæ ab Antichristo, qui ubique persecuturus est Christianos ; alii, diem judicii. Potest autem magis ad litteram, ad hujus epi- D scopi tempus referri, et de persecutione Christianorum a Romanis imperatoribus eorumque satellitibus accipi. Jam enim quando Joannes hæc scripsit, cœperunt hi Ecclesiam generaliter persequi ; et quidam post eos gravius persecuti sunt eam. Promittitur ergo huic episcopo, quod instantibus gravissimis quibusque tribulationibus, per virtutem et gratiam Spiritus Sancti servabitur, non ut adversa non patiatur, sed ne eis vincatur, ne in tentationem ducatur, id est, tentationibus obruatur atque consentiat. Unde, ut Haymo asserit, tentatio hic pro deceptionis lapsu accipitur. Nihilo minus quælibet persecutio ac tribulatio dici potest tentatio, quia per eam homo examinatur, et qualis sit noscitur. Sic enim Deus tentat electos, Sap. III, 5. quia per adversa et aspera de eorum perfectione accipit experimentum, probationem, seu evidentiam, non ut ipse agnoscat, sed ut aliis ad ædificationem patescat. Sic enim legitur, quod Deus tentaverit Abra- Gen. XXII, 1. ham. Moyses quoque populo Israel loquitur : Recordaberis cuncti itineris per quod Deut. VIII, 2. adduxit te Dominus, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ versabantur in corde tuo, utrum custodires mandata illius, an non. Unde et in libro Sapientiæ : Deus probavit illos, et invenit illos Sap. III, 5. dignos se.

Præterea, ex eo quod Dominus ait, Quia servasti verbum meum, faciam ut veniant, et adorent ante pedes tuos : elicitur, quod dum homo humilitatem patientiamque observat, adversarii ei reconciliantur, quemadmodum scriptum est : Quum placue- Prov. XVI, 7. rint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.

11 *Ecce venio cito* transferendo te de via ad patriam, de tribulatione ad gloriam, de merito ad præmium. Hoc verbo consolationem infundit, et ad patientiam excitat. *Tene quod habes,* id est, in donis gratiæ persevera, *ut nemo accipiat coronam tuam,* id est, ne præmio disposito destituaris per propriam culpam, et alius loco tui subrogetur. Quum enim certus sit numerus salvandorum, si unus justus ceciderit atque perierit, alius in gradum ejus seu locum succedet. Quamvis autem nec prædestinatus posset corona privari, nec præscitus eam sortiri in sensu composito, puta ut talis, et per comparationem ad providentiam Dei, uterque tamen manet liberi arbitrii, et in sensu diviso ille potest damnari, et iste salvari.

12 *Qui vicerit,* id est, peccata contempserit, nec alicui illicito consensum præbue-

rit, *faciam illum columnam*, id est fortem,
* Dei mei fixum, ac eminentem, *in templo meo* *, id
est in Ecclesia, ut possit aliorum imbe-
cillitatem portare, et simpliciores docere.
Unde per columnam perfecti et prædica-
tores ac prælati signantur, quorum est
ceteros per caritatem portare, roborare,
Galat. II, 9. constabilire. Sic enim Paulus, Petrum, Ja-
cobum et Joannem columnas appellat. *Et
foras non egredietur amplius,* ab eccle-
siastica unitate ac individua caritate re-
cedendo : imo usque in finem, me ope-
rante, in sanctis operibus perseverabit. *Et
scribam super eum nomen Dei mei,* id
est, Dei filium eum faciam appellari,
quandoquidem et virtuosi homines dii vo-
Ps. LXXXI, 6. cantur, juxta illud : Ego dixi, Dii estis;
*et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusa-
lem,* id est, nomen Ecclesiæ militantis
imprimam ei, ita quod catholicus, seu ec-
clesiasticus, ac fidelis per omnia assere-
tur. Ecclesia enim est civitas Dei nova per
gratiam : quæ Jerusalem nuncupatur, quia
in ea est visio pacis, inchoatio ac con-
templatio quietis cœlestis. *Quæ descendit
de cœlo a Deo meo,* id est, a supernis, et
a Spiritu Sancto profluxit, regenerata est,
Jacob. I, 17. ordinatur, ac regitur. Omne enim datum
optimum, et omne donum perfectum, de-
sursum est, descendens a Patre luminum.
Nihilo minus Ecclesia ascendit ad cœlum,
ad bona gloriæ adspirando. Hæc loquitur
Christus secundum quod homo, dicens,
A Deo meo. *Et nomen meum novum* scri-
bam super eum, ut a me Christo christia-
nus vocetur. Nam Filius Dei ex tempore
cœpit Christus vocari.

Sed quia nonnulli fidelium qui in Ec-
clesia videbantur columnæ, ceciderunt, et
per pravam doctrinam foras egressi sunt,
quorum unum dicit Berengandus fuisse
Origenem; hinc locum hunc exponit de
præmio atque Ecclesia triumphanti, ut
sit sensus : *Qui vicerit, faciam illum co-
lumnam in templo Dei mei,* id est, in re-
gno cœlesti firmissima stabilitate locabi-
tur, nec beatitudinem illam amittet, hoc
est, *foras non egredietur amplius. Et scri-*

A *bam super eum nomen Dei mei.* Nomen
Dei est, esse æternum : quod super vin-
centes scribitur, quum eis æternitas com-
municatur, ita quod sine fine cum Domi-
no commorantur. *Et nomen civitatis Dei
mei novæ Jerusalem,* id est Ecclesiæ tri-
umphantis : quæ Jerusalem dicitur, quia
in ea increata pax Dei, omnem sensum Philipp. IV, 7.
exsuperans, facie ad faciem cernitur. Hu-
jus ergo civitatis novæ per dona gloriæ
nomen scribitur super electos, quando
eam ingressi, cives ac filii ejus vocantur.
B *Quæ descendit de cœlo,* quia Domino Jesu
Christo de cœlis ad nostram redemptio-
nem descendente, simul et Sancti descen- * [13. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*]
derunt, quia jam per prædestinationem
illi conjuncti erant. Sic ille exponit. *

Consequenter ad Laodicensis Ecclesiæ
præsulem sermo dirigitur. *Et angelo Lao-* 14
*diciæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit Amen,
testis fidelis et verus,* id est Christus, qui
est verus et veritas, testisque Dei Patris Joann. XV, 6.
et actuum humanorum. Amen quandoque
nominaliter sumitur, ut hic, et tunc signi-
C ficat verum : sicque competit Christo, qui
est ipsum primum, summum et exempla-
re verum. Quandoque sumitur adverbia-
liter, et tunc significat vere. *Qui est prin-
cipium creaturæ Dei,* id est universorum
creator, per quem Pater omnia fecit, jux-
ta illud : Omnia per ipsum facta sunt. Ibid. I, 3.
Propter quod ait Judæis : Ego principi- Ibid. VIII, 25.
um, qui et loquor vobis. Vel, Principium
creaturæ Dei, id est inter creata primus
dignitate et gratia, secundum naturam as-
sumptam, quemadmodum supra plenius In Apoc. I, 5.
D dictum est.

Scio opera tua simplici notitia, *quia* 15
neque frigidus es per infidelitatem, *neque
calidus* per caritatem infusam. *Utinam
frigidus esses aut calidus,* id est in altero
extremorum, videlicet totaliter sine noti-
tia Dei et simulata justitia, vel fervens
amore. Tunc enim minus esset tuum pec-
catum, eo quod servus sciens voluntatem Luc. XII, 47.
domini sui, nec implens, gravius peccet.
Facilius quoque tunc convertereris ad fer-
vorem amoris, quia audito Dei verbo te

peccatorem apertum perpenderes, nec te aliquid reputares, sed accusares : sicque *Rom.* v. 20. ubi abundavit culpa, abundaret et gratia.

16 *Sed quia tepidus es,* id est piger, acediosus, et negligens, habens fidem informem, et aliquid esse te reputans, *et non frigidus, neque calidus; incipiam te evomere de ore meo,* id est mea sententia reprobare, a fidelium numero segregare, ab officio tuo deponere. Fideles autem et fervidi, Christo sunt incorporati, a quo rejiciuntur dum in mortale labuntur. Quemadmodum autem aqua tepida, tanquam fastidium generans, cito evomitur, sic tepidi isti sunt Deo specialiter detestabiles atque ingrati. Et videmus ad oculum, quod hi qui manifeste sunt vitiosi, ita ut nec aliquid boni se egisse aut agere putent, facilius convertantur, quam tepidi, seu illi qui volunt partim Deo, partim sæculo cohærere, placere, servire. Tepidum demum hoc loco non sumitur quasi medium, de caritatis calore aliquid participans : sic enim melius est esse tepidum, quam frigidum.

17 *Quia dicis* verbo mentali sive vocali : *quod dives sum* per virtutes et dona Spiritus Sancti, *et locupletatus,* per opera meritoria copiosa, *et nullius egeo,* id est, major profectus seu gratia, vel aliorum oratio, seu doctrina mihi necessaria non est ad salutem. *Et nescis,* id est, non attendis vel scire non vis, sicque habes ignorantiam affectatam, quæ inexcusabilis per- *Ps.* xxxv. 4. hibetur : de qua fertur in Psalmo, Noluit intelligere ut bene ageret; *quia tu es mi-* *Prov.* xiv, 34. *ser* per culpam (juxta illud : Justitia elevat gentem; miseros facit populos peccatum), *et miserabilis* aliis propter pœnam tibi imminentem ac debitam, *et pauper,* id est donis gratiæ spoliatus, *et cæcus,* sapientiam non habendo, et vitiis excæcatus, *et nudus* a bonis operibus ac virtuosis habitibus.

18 *Suadeo tibi emere a me* opulentissimo fonte omnium bonorum, *aurum ignitum probatum,* id est caritatem ferventem, divinitus commendatam, adversitatibus ex- A ercitatam, veram, non fictam, ab omnibus vere sapientibus approbatam. Hæc caritas sic inter ceteras excedit virtutes, ru- *I Cor.* xiii, 13. bet, fulget, perornatque thalamum mentis, quemadmodum aurum inter metalla præstantius est, et corporalem structuram decorat. Caritas autem et gratia emi asseritur, non quod aliquis in mortali exsistens, eas de condigno mereatur, sed utcumque de congruo, quando se ad eas habilitat et disponit, faciens quod in se est. Hinc enim ait Apostolus : Si autem *Rom.* xi, 6. B gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia non est gratia. Rursus per aurum intelligitur sapientia, potissime illa quæ est *Is.* xi, 2. primum inter dona : quæ est saporosa et affectuosa divinorum cognitio. Idcirco ignita vocatur atque probata, quoniam eos a quibus habetur, amorosos et Deo acceptos constituit. Unde et Salomon : Thesau- *Cf. Prov.* xxi, 20. rus (inquit) desiderabilis in ore sapientis.

Quomodo autem caritas vel sapientia emitur, quum sanctus Job contestetur, Non dabitur pro ea aurum obryzum, et *Job* xxviii 15, 13. C nescit homo pretium ejus? Sed et Salomon : Pretiosior est (ait) sapientia cunctis *Prov.* iii, 15. opibus; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Ad quæ propheticus sermo respondet : Omnes sitientes, *Is.* lv, 1. venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite; venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Itaque non temporali re emitur, sed bonis operibus, continuis precibus, misericordiæ actibus, pœnitentiæ studiis, omnium terrenorum D contemptu, postremo carissimo nummo, puta se ipso, seu propriæ voluntatis abnegatione, spontanea paupertate. Ideo loquitur Christus : Si vis perfectus esse, vende *Matth.* xix, 21. omnia quæ habes, et da pauperibus; et veniens, sequere me.

Ut locuples fias in spiritualibus bonis. Nempe qui caritatem vel sapientiæ donum adeptus est, omnes habet virtutes et omnia dona. *Et vestimentis albis induaris,* id est, mundis operibus adorneris : sicut ait Scriptura, Omni tempore vesti- *Eccle.* ix, 8.

menta tua sint candida. Passiones autem A et vitia nigredini comparantur. *Ut non appareat confusio nuditatis tuæ*, id est, ne coram Deo et ejus ministris tam inhonestus ac spiritualiter turpis, menteque vacuus ac detestandus appareas. Si enim de corporis nuditate coram hominibus verecundamur, potissime propter inhonestiora corporis membra, incomparabiliter plus erubescere nos oportet coram Deo et angelis ejus de animæ nuditate, deformitate, sordidatione. Hæc est erubescentia salutaris, qua divinæ puritatis adspectui B erubescimus maculati et sordidi apparere.

Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Per collyrium, quod de terra nascitur, quo oculus primo turbatur, deinde a noxio humore purgatur, sicque clarioris visus efficitur, cordis contritio seu compunctio designatur, quæ primo per dolorem de peccatis mentem amaricat, a vitiorum squalore emundat, lacrimas elicit, illuminationem procurat. Hoc collyrio oculi cordis unguntur, dum in Deo vere compungimur, sicque videmus in lumine C gratiæ, et defectus nostros cognoscimus, Deum perpendimus, quidquid salus nostra requirit consideramus. Rursus, collyrium dici potest sermo divinus, vel dominicæ passionis memoria, vel scientia salutaris. Unde, ut Beda disseruit, collyrio oculos inungere, est boni operis exsecutione Scripturarum intelligentiam promereri.

Sed quia increpatio præinducta satis aspera videtur, clementissimus Deus increpatum, ne plus induretur, dulcissime consolatur. Quo dat prælatis increpatori- D busque exemplum, ut verbis asperæ increpationis, caritatis dulcia jungant elo-
(Luc. x, 34.) quia, instar boni Samaritani, qui vino
19 oleum miscuit. *Ego quos amo,* puta electos et bonos, *arguo* per me et meos vicarios verbis, *et castigo* verberibus seu adversis, ne quid mali in eis remaneat. Quum ergo hos taliter tractem, quanto magis tu imperfectus debes hæc cum gratiarum actione gaudenter recipere, tanquam animæ medicinam? Hinc Spiritus Sanctus monet : Disciplinam Domini, fili (Prov. III, 11, 12.) mi, ne abjicias; et ne deficias, quum ab illo argueris : quem enim diligit Dominus, corripit; et quasi pater in filio complacet sibi. Et alibi : Beatus homo qui corripi- (Job v, 17.) tur a Domino. Hinc ait Apostolus : Si ex- (Hebr. XII, 8.) tra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii estis. Itaque gravissima Dei ira ac ultio est, dum peccatorem prosperari atque ad libitum peccare impune permittit, quemadmodum de reprobis ait in Psalmo : Dimisi eos secundum desideria cordis eo- (Ps. LXXX, 13.) rum; ibunt in adinventionibus suis. *Æmulare ergo,* id est, bonos sequere : juxta illud, Æmulamini bonum in bono sem- (Galat. IV, 18.) per; et iterum, Æmulamini charismata (I Cor. XII, 31.) meliora; *et pœnitentiam age,* quod hucusque tam negligens exstitisti. Nam et ego paratus sum tibi succurrere. Et ideo subditur :

Ecce sto ad ostium, id est, ostio cordis, 20
scilicet libero arbitrio, seu voluntati adsisto seu præsens sum, qui omnia im- (Jer. XXIII, 24.) pleo, et nullibi desum, *et pulso* per sacram Scripturam hortando, per vicarios meos loquendo, per angelicam inspirationem, per motionem internam, qua moveo mentem ad supernaturale bonum, per beneficiorum collationem, per adversitatum exercitationem. His siquidem modis, Deus omnipotens cordis nostri pulsat quotidie januam. Unde et loquitur Sponsæ seu animæ amorosæ : Aperi mihi, soror mea, ami- (Cant. v, 2.) ca mea, columba mea. Hinc de increata Sapientia legitur : Sapientia præoccupat (Sap. VI, 14, 15.) eos qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat; qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim illam foribus suis inveniet. Itaque Christus pulsat, sicut scriptum est : Vox dilecti mei (Cant. v, 2.) pulsantis.

Præterea contuendum, quod gratia interdum accipitur pro habitu essentiam rationalis creaturæ Deo gratam faciente, interdum pro divina motione qua Deus animam movet ad supernaturale bonum, quemadmodum motione naturali ac generali movet omnia ad sibi connaturalia.

Sap. VIII, 1. Propter quod dicitur : Attingit a fine us-
que ad finem fortiter, et disponit omnia
suaviter. Hic autem divinus instinctus si-
ve influxus, vel motio hæc, communiter
fit cunctis hominibus, quamdiu in vita
præsenti subsistunt. Quem quidem influ-
xum quidam sequuntur, per liberi cona-
tum vel cooperationem arbitrii ad super-
naturale bonum se disponentes. Alii non
sequuntur : propter quod merentur sibi
ipsis relinqui, sicque ex sua defectibili-
tate de peccato in peccatum labuntur.
Si quis audierit vocem meam, id est,
inspirationi divinæ sive angelicæ, vel ver-
bis sacræ Scripturæ consenserit atque
paruerit, *et aperuerit mihi januam* cor-
dis sui, id est, mentem cum affectu spi-
ritualiter dilataverit seu patefecerit ad
me suscipiendum : secundum illud Pro-
Amos IV, 12. phetæ, Præparare in occursum Dei tui ;
intrabo ad illum, dona gratiæ infunden-
do, infusa augendo, misericorditer conso-
lando, varios effectus in secretis animæ
producendo ; *et cœnabo cum illo,* id est,
ejus saluti atque profectui congratulabor :
Ps. CXLIX, 4. sicut scriptum est, Beneplacitum est Do-
II Esdr. VIII, 10. mino in populo suo ; et iterum, Gaudium
Domini est fortitudo vestra ; *et ipse me-
cum,* delectando in me per conscientiæ
puritatem, et de cœlestis gloriæ promisso
lætando per spem. Et in isto ineffabiliter
commendatur nobis clementia, caritas at-
que dignatio Dei nostri ad nos tantillos
vermiculos. Hinc etenim in Proverbiis con-
Prov. VIII, 31. testatur, dicens : Deliciæ meæ esse cum
Jer. XXXII, 41. filiis hominum ; et iterum in Jeremia, Læ-
tabor super eis, quum benefecero eis.
Tantum igitur pulsatorem non repella-
mus, cum tanto hospite cœnare quoti-
die properemus ; quidquid ejus introitum
impedit, quidquid vultum ipsius offendit,
Joann. VIII, 12. vitemus. Porro ipse lux est ; peccata et
passiones sunt tenebræ : et scimus quod
II Cor. VI, 14. non sit conventio luci ad tenebras. Ab his
ergo mentis cœnaculum emundare opor-
tet. — Sed cur potius ait, Cœnabo cum
illo, quam, Prandebo ? Et respondendum,
ut insinuet scilicet se velle pernoctare no-

A biscum, atque in thalamo mentis quiesce-
re, ut in pace in id ipsum dormiamus et Ps. IV, 9.
requiescamus. Sic cœnat cum Christo, at-
que in ejus castis quiescit amplexibus,
qui corde devoto pergit ad stratum, et in
meditationibus sanctis obdormit. Talis non
timet a timore nocturno, sed de mentis Ps. XC, 5.
securitate reficitur. Secura enim mens Prov. XV, 15.
quasi juge convivium.
Qui vicerit impedimenta salutis suæ, 21
dabo ei sedere mecum in throno meo, id
est in regno cœlesti, in cœlo empyreo. Te-
B ste enim Propheta, Cœlum mihi sedes est. Is. LXVI, 1.
Hinc in Evangelio ait : Vado parare vo- Joann. XIV, 2.
bis locum ; et, Iterum venio, et assumam Ibid. 3.
vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos
sitis. Dabo quoque ei sedere mecum in
throno meo, id est potestatem judicandi
mecum in finali judicio : secundum pro-
missionem illam, Sedebitis et vos super Matth. XIX, 28.
sedes duodecim, judicantes duodecim tri-
bus Israel.
Sicut et ego vici per patientiam cuncta
adversa, per passionem meam diabolum,
C per aciem virtutum aciem vitiorum, per
inflexibilem æquitatem blanda et aspera
mundi. Christus enim fortem armatum li- Ibid. XII, 29.
gavit, vasa ejus diripuit, mundi gloriam
stravit, sed et adversarios suos induratos
Judæos dejecit. Hinc ait militibus suis :
In mundo pressuram habebitis ; sed con- Joann. XVI, 33.
fidite, ego vici mundum. *Et sedi cum Pa-
tre meo in throno ejus* in cœlesti palatio :
juxta illud Apostoli, Sedet ad dexteram Hebr. I, 3.
majestatis in excelsis. De quo throno scri-
ptum est : Mitte sapientiam a sede magni- Sap. IX, 10.
D tudinis tuæ ; itemque, Adeamus cum fi- Hebr. IV, 16.
ducia ad thronum gratiæ ejus. Qui thronus
intelligi potest, vel ipsum cœlum, vel ju-
diciaria regiaque potestas, dignitas, sive
auctoritas Dei in se ipso invariabiliter
quiescentis. Unde quod ait, Sedi cum Pa-
tre meo in throno ejus, sic potest expo-
ni : Potestatem judicandi a Patre accepi.
Pater enim omne judicium dedit Filio. Et Joann. V, 22.
Psalmista ait : Deus, judicium tuum regi Ps. LXXI, 2.
da. Quamvis autem Christo secundum di-
vinitatem conveniat judicare per auctori-

tatem, tamen judicii exsecutionem meruit per suam humiliationem ac passionem, sicut et corporis glorificationem et exaltationem super omnes cœlos, per palmam præfatam meruit. Ideo loquens Christus
Joann. v, 27. de Patre et de se ipso testatur : Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.

22 *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Exhortatio ista jam septima vice repetitur; atque in epistola cujuslibet Ecclesiæ Asiæ ponitur, quatenus omnes Christiani ista perpendant, et quidquid episcopis Asiæ scriptum est, ad suam informationem convertant : quod tamen episcopis ac prælatis summe incumbit. Videamus itaque ut opera nostra plena sint coram Deo, et ne nomen sanctitatis habendo mortui simus coram Altissimo : quod eis eveniet qui laudes quærunt humanas ac commodum temporale. Insuper, caveant pigri, potissimum religiosi remissi, quod Dominus cuidam tunc improperavit : Quia nec frigidus es, neque calidus, etc. Quum enim religiosi teneantur quotidie ad perfectionem, juxta suæ professionis exigentiam, tendere; hi qui pervigilem curam non adhibent per passionum suarum reformationem et Ordinis observationem ac operum Dei reverentialem exsecutionem, tepidi comprobantur, et non progrediendo in Dei itinere, infeliciter retrogrediuntur.

Postremo, ex præinductis certissimum est, per angelos septem Ecclesiarum Asiæ, in istis duobus capitulis non intelligi spiritus supernos beatos, quibus præscripti defectus nullatenus competunt.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : POST HÆC VIDI : ET ECCE OSTIUM APERTUM IN COELO.

POSTQUAM in præcedentibus capitulis B. Joannes septem Ecclesias Asiæ, præsertim earum episcopos, informavit, et per eos universam Ecclesiam; nunc totius Ecclesiæ statum, sublimitatem, decursum, generalius pleniusque prosequitur seu describit. Est autem totus hic liber mirabiliter difficilis et obscurus, etiam præ cunctis libris propheticis. Nam per imaginarias visiones ac species est descriptus, ita quod sensus litteralis ipsius est qui per similitudines et res, non qui per voces signatur. Unde et expositores variis modis hunc librum exponunt, nec aliquis plene eum intelligit : ita quod expositiones hujusmodi pro magna parte sunt infra certitudinem, nec aliquid certum intuentur in his, nisi ut secundum fidem sint. Hinc et ego pusillus, nil novi introducere præsumens, ea quæ ab aliis catholice dicta sunt, quantum Deus præstiterit, breviter tangam et colligam.

Post hæc vidi : et ecce ostium apertum 1
in cœlo. Quod ait, Post hæc, ad ordinem visionis, non ad intervalla seu vicissitudinem temporis refertur, secundum Haymonem et Glossam. Eodem enim die vidit omnes visiones in libro isto descriptas, sicut superius insinuavit, dicendo, Fui in spiritu dominica die. Apoc. i, 10. Porro septem sunt visiones hujus voluminis, quarum secunda hic incipit. Itaque, *Post hæc,* id est, post revelationem primam hucusque protensam, *vidi* visione imaginaria ac intellectuali. Eadem quippe visio interior, imaginaria et intellectualis fuit : imaginaria, quia per corporalium rerum similitudines seu materiales imagines, in interiori sensu angelico ministerio formatas, fiebat; intellectualis, quia per illuminationem su-

pernam Joannes, quid illæ species designarent, veraciter intellexit : alias non
Dan. x, 1. fuisset propheta, quia intelligentia est opus seu principale in visione, prout in Daniele legitur. — Verumtamen quod ait, Post hæc, etiam ad temporis distinctionem videtur posse referri. Quamvis enim omnia ista intuitus sit uno die, et forte una hora vel tempore breviori, non tamen simul et semel, seu eodem tempore præcise, sed quælibet visio suam habuit morulam. Simul enim non intelliguntur, nisi quæ per eamdem speciem repræsentantur. Porro hæ visiones per diversas ostensæ sunt species. Sed quia inter visionum istarum impressiones non fuit notabilis interstitio temporis, imo una alteri mox successit, dicunt expositores, non ad ordinem temporis sed visionis referendum quod ait, Post hæc.

Et ecce ostium apertum in cœlo. Per ostium istud communiter expositores in-
Joann. x, 9. telligunt Christum, qui ait : Ego sum ostium ovium; per me si quis introierit, salvabitur. Quod apertum asseritur, quoniam Christus notitiam sui aperuit mundo, et ore suo aperto per se ipsum docuit homines. In passione quoque corpus ejus multis vulneribus fuit apertum, quando
Ibid. xix, 34. et unus militum lancea latus ejus aperuit. Insuper, Christus omnibus ad se venientibus gremium offert clementiæ, et misericordiæ suæ aperit januam, secundum
Matth. xi, 28. quod ait : Venite ad me, omnes qui la-
Joann. vi, 37. boratis; et item, Eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Hoc ostium apertum est in cœlo, id est in Ecclesia militanti, quam Christus sæpissime in Evangelio regnum
Matth. xxv, 1. cœlorum appellat, dicendo : Simile est regnum cœlorum decem virginibus. Quarum
Ibid. 2. utique fatuæ quinque fuerunt : quod Ecclesiæ triumphanti nullatenus competit.

Aliqui vero dicunt, quod Joannes in isto capitulo describit majestatem Dei, qui unus est in natura, trinus in Personis : qui Christo homini Apocalypsim, seu visiones hujus libri, per se immediate revelavit seu indidit. Idcirco primo describitur
A ejus majestas, quantum ad eminentiam sui throni seu loci quo residere censetur. Et ita per hoc quod dicitur, Ecce ostium apertum in cœlo, datur intelligi, quod Joanni in visione imaginaria apparebat quod janua quædam aperiretur in cœlo, ut Dei omnipotentis majestas ipsi ostenderetur sub corporalium speciebus, atque ad innuendum quod desuper ipsi revelaretur status Ecclesiæ. Juxta quem modum Ezechiel dicit : Aperti sunt cœli, et vidi Ezech. i, 1.
visiones Dei; itemque, Thronus super fir- Ibid. 26.
B mamentum, et super similitudinem throni similitudo quasi adspectus hominis desuper. Per quod Deus altissimus omnibus præsidens designatur, prout ibidem plenius dixi.

Et vox prima quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc. Per vocem istam tubalem, quæ prima fuit in hac visione, quidam intelligunt vetus Testamentum seu doctrinam propheticam, quam per illuminati-
C onem supernam audivit interiori auditu Joannes, quæ admonuit eum ascendere huc, scilicet ad Christum, spiritualemque intellectum. Hæc autem expositio videtur nimium spiritualis, nec apparet quomodo ista vox dixerit Joanni, Ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc, nisi forte formaliter. Denique in die sancto Penteco- Act. ii, 1-4.
stes, veniente super Apostolos Spiritu Sancto, infusa fuit Joanni excellens notitia legis et Prophetarum. Alii ergo per vocem hanc intelligunt inspirationem divinam.
D — Sed quoniam Deus non docuit hæc Joannem immediate per se ipsum, imo nec per Christum, sed per angelum in persona Christi apparentem, aptius, ut arbitror, posset per vocem hanc angelica allocutio seu inspiratio accipi, vel ipsemet angelus Joannem interius alloquens et informans. Cur autem vox angeli quasi vox tubæ dicatur, semel jam expositum est, quum de hac voce dixit Joannes, Conver- Apoc. i, 12.
sus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum : intelligendo per vocem, vocis

prolatorem. Sed et Dionysio contestante, A
propheticæ revelationes per angelos fa-
ctæ sunt.

Itaque ait : *Vox prima :* quasi dicat,
Eadem quam jam ante audivi. Nam quod
præcessit, primum vocare solemus. Ve-
rumtamen Berengandus per vocem pri-
mam intelligit Joannem Baptistam, qui de
Joann. I, 23. se ipso fatetur : Ego vox clamantis in de-
Luc. I, 76. serto. De quo fuit prædictum : Tu, puer,
Propheta Altissimi vocaberis. *Ascende huc,*
id est, ad contemplationem te erige. De
spirituali namque, non de corporali ascen- B
su hoc dicitur. *Et ostendam tibi quæ opor-*
tet fieri cito post hæc, id est processum,
statum et tribulationes Ecclesiæ, quæ ex
hoc usque in finem mundi protrahentur
ac fient.

2 *Et statim fui in spiritu,* id est aliena-
tus ab omni exteriorum sensuum usu, at-
que in ecstasi mentis, per intentissimam
eorum quæ mihi ostendebantur interius
* *erat* considerationem. *Et ecce sedes posita fuit**
in cœlo. Si per cœlum intelligamus mili-
tantem Ecclesiam, sedes in eo posita, est C
quævis congregatio devota, seu corda amo-
re Dei accensa, in quibus Deus regnat, re-
I Cor III, 17. sidet et quiescit, dicente Apostolo : Tem-
plum Dei sanctum est, quod estis vos. Nam
et anima justi, sedes est sapientiæ. Un-
Ps. LXXXVIII, 15. de Scriptura asserit, Justitia et judicium
præparatio sedis tuæ : quia videlicet per
justitiæ exsecutionem atque judicii dis-
cretionem, anima Deo disponitur ut in
ea residere dignetur. Si vero per cœlum
intelligatur patria Beatorum, seu trium-
phans Ecclesia, per sedem in ea positam D
intelliguntur angelicæ potestates, omnes-
que mentes Deo beatifice perfruentes, qui-
bus Deus sublimiter præsidens, interius
cuncta disponit. Rursus, per sedem hanc,
auctoritas et potestas Dei Ecclesiam gu-
bernantis exprimitur. Deus etenim nullibi
verius quam in se ipso esse et quiescere
perhibetur. Postremo, quia et ipsa Ecclesia
sedes est Dei, sedes in cœlo est posita, quia
Ecclesia militans, quamvis adhuc in carne
versetur, mente tamen cœlum inhabitat.

Et supra sedem sedens, scilicet Deus
unus et trinus omnibus dominans, de quo
fertur in Psalmo : Dominus in cœlo sedes *Ps.* X, 5.
ejus ; et : Deus sedet super sedem sanctam *Ps.* XLVI, 9.
suam. Quidam autem per sedentem, spe-
cialiter intelligunt Christum, de quo scri-
ptum est : Dominus quidem Jesus post- *Marc.* XVI, 19.
quam locutus est eis, assumptus est in
cœlum, et sedet a dextris Dei.

Et qui sedebat, similis erat adspectui 3
*lapidis jaspidis *et sardii.* Per adspectum
jaspidis ac sardii, color eorum exprimi-
tur. Jaspis autem viridis est coloris : qui
color visum oblectat atque confortat. Sar-
dius vero rubeum habet colorem. Hinc Be-
rengandus et Haymo, per jaspidis viridi-
tatem intelligunt Christi divinitatem, quæ
interiorem visum summe oblectat, reficit
et confortat ; per sardii rubedinem, ejus
humanitatem pro nobis sanguine sacro
perfusam accipiunt, juxta illud : Quare *Is.* LXIII, 2.
ergo rubrum est indumentum tuum ? Rur-
sus, quoniam jaspis apparentiam aquæ
habet, sardius vero ignis, Christus omni- *Act.* X, 42.
um judex, secundum Bedam, his com-
paratur : quia jam unum judicium per
aquam exercuit, aliud per ignem exerce-
bit. Albertus, per jaspidis virorem intel-
ligit immarcescibilem felicitatis coronam,
quam Christus electis donabit ; per sardii
ruborem, æterni ignis incendium, quod
reprobis irrogabit. Alii, qui per sedentem
intelligunt Deum unum ac trinum, dicunt
quod imaginariæ illæ propheticæ appa-
ritiones fiunt secundum congruentiam ad
id quod per imagines designatur ac re-
velatur. Deus autem apparuit ut militan-
tis Ecclesiæ gubernator, ad quam se habet
ut dulcis consolator et caritatis accensor :
quorum primum designat viriditas jaspi-
dis ; secundum, sardii rubor.

Porro in visione Ezechielis, Deus sedens
in throno, videtur in similitudine electri *Ezech.* I, 27.
velut adspectus ignis. Et ibidem per splen-
dorem electri, quod aurei igneique colo-
ris est, providentia et sapientia Dei de-
signatur. Hinc ergo hoc loco per sardii
igniformem ruborem, divina sapientia ;

per jaspidis vero virorem, incommutabilitas, decor ac dignitas divinæ naturæ, quæ æternaliter ejusdem vigoris est, vel etiam assumptæ humanitatis, quæ in resurrectione refloruit, intelligi potest.

Et iris erat in circuitu sedis. Sicut in
Gen. IX, 13. Genesi legitur, Dominus dixit ad Noe : Arcum meum ponam in nubibus cœli, et erit signum fœderis inter me et inter terram. Itaque per irim seu arcum, clementia et fœdus amicitiæ Dei ad Ecclesiam
Joann. III, 16. insinuatur. Sic enim dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret ei ; et pro
Is. IX, 6. eo, Isaia testante, Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Itaque, Iris erat in circuitu sedis, id est Ecclesiæ seu electorum : qui thronus sunt Dei, quoniam misericordia Dei et pactum amicitiæ ejus
Ps. CII, 17. circumdat, munit, tuetur Ecclesiam. Misericordia enim Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum. *Similis visioni smaragdinæ.* Smaragdus est lapis viriditatis clarioris ac plenioris quam jaspis. Est enim nimiæ atque gratissimæ viriditatis, in tantum ut intuentium animos in admirationem convertat. Quod ergo iris, in qua tripartitus color apparet, visioni seu colori smaragdi assimilatur, designat quod misericordia, gratia et dilectio Dei ad Ecclesiam, sit electis admirabilis, summe accepta, evidentissime cognita, confortativa et consolatoria. Unde per irim evangelica lex, quæ est lex amoris et gratiæ, potest intelligi. De qua per Jeremiam
Jer. XXXI, 31. loquitur Dominus : Feriam domui Israel et domui Juda pactum novum. Rursus, per arcum seu irim designatur quod Deus omnibus elementis, eorumque impressionibus et alterationibus dominetur.

4 *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores sedentes.* Secundum Berengandum, per viginti quatuor seniores in libro hoc, interdum patres veteris Testamenti, interdum patres novi Testamenti, aliquando simul utrique significantur. Nunc autem per eos, secundum dictum Berengandum, signantur patres veteris Testamenti;

A et per sedilia viginti quatuor, insinuantur viginti quatuor libri veteris Testamenti, in quorum lectione ac meditatione, quasi in sedibus, veteres Sancti a laboribus curisque sæculi quiescebant.

Sed quum secundum hunc expositorem, per sedem intelligatur Ecclesia militans, cujus decursus ac status hoc libro describitur, non videtur quod patres veteris Testamenti, tempore hujus revelationis, dicti sint esse in circuitu Ecclesiæ militantis, qui jam ad triumphantem Ecclesiam in
B Christi ascensione erant translati : nisi forte dicantur esse in circuitu Ecclesiæ, eam suis præsidiis muniendo, non ad ejus numerum pertinendo. Quod si dicatur, nondum apparet quod tunc in libris veteris Testamenti seu eorum lectione ac meditatione quiescebant, quando jam non per fidem, sed per speciem cognoscebant. Omnis enim Scriptura novi ac veteris Testamenti, ad fidei obscuram spectat notitiam, quum juxta Apostolum, per speculum in ænigmate cognoscamus. — Quod *I Cor.* XIII, 12.
C si quis dixerit, per Ecclesiam jam signari universos fideles a principio mundi usque ad ultimum electorum qui nascetur in mundo, sicut Gregorius in parabola evangelica de vinea tangit, hoc rursus non approbatur. Nunc enim describitur Ecclesiæ status prout a Synagoga distinguitur, utpote prout a Christi adventu et evangelicæ legis prædicatione, seu novo Testamento, sumpsit exordium. Et quamvis illud quis diceret, nihilo minus tempore hujus revelationis patres veteris Testamenti ex-
D tra statum et ordinem militantis Ecclesiæ fuerunt. — Porro, si per sedem auctoritas et potestas trini ac simplicis Dei intelligatur, non inconvenienter patres veteris Testamenti in circuitu sedis hujus ac sedenti assedisse feruntur, qui jam tempore hujus prophetiæ ad patriam devenerunt, et cum angelicis mentibus Regi gloriæ adsistebant. Sed tunc in præfatis sedilibus non sederunt.

Alii ergo per viginti quatuor seniores, veteris ac novi Testamenti sanctos patres

intelligunt, ut Beda et Haymo, qui propter duodecim Apostolos atque duodecim Patriarchas, a quibus spiritualiter sive corporaliter nati sunt, viginti quatuor describuntur. Unde, sicut apud Matthæum
Matth. xix, 28. per duodecim sedes in quibus ad judicandum sessuri dicuntur Apostoli, universitas sedium ac perfectorum qui in eis ad judicandum sedebunt, exprimitur, propter duodenarium numerum Apostolorum eorumque dignitatem, quorum filii, universi sunt Christiani; ita hoc loco, per viginti quatuor sedes, universitas Sanctorum utriusque Testamenti, quibus judiciaria communicatur aliquo modo potestas, innuitur : sicque per numerum determinatum indeterminatus numerus denotatur. Verum, contra hoc videtur præinducta instantia quantum ad patres veteris Testamenti, procedere : nisi forte quis dicat, quod Joannes hoc loco more prophetico ponit tempus præsens pro præterito, quantum ad Sanctos Mosaicæ legis.

Alii ergo per viginti quatuor sedes intelligunt universas evangelicæ legis cathedrales ecclesias, et per totidem seniores, earum episcopos : et hoc, propter concordantiam novi Testamenti ad vetus. Nam primo Paralipomenon scriptum est, quemadmodum David divinum cupiens cultum
I Par. xxiv, 4-19. augere, constituit viginti quatuor sacerdotes, successive per hebdomadas in templo ministrantes. Et sic rursus per numerum determinatum indeterminatus exprimitur. Interdum siquidem septenario, quandoque denario, subinde centenario, aliquando millenario, nonnunquam et aliis numerorum speciebus, universitas designatur, secundum varias considerationes, numerorumque proprietates vel perfectiones. Sed quia præfati viginti quatuor sacerdotes a David dispositi, non erant pontifices, imo sub pontifice : apparet quod per eos convenientius universitas sacerdotum evangelicæ legis exprimeretur ; per sedes autem, eorum potestas et gratia, seu virtus et merita eis collata, in quibus velut in sedibus spiritualiter conquiescunt. Dicuntur quo-

A que ista sedilia et eorum sessores esse in circuitu sedis, puta Ecclesiæ, quia eorum est alios ab antiquo hoste cunctisque veræ salutis adversariis tueri.

Verumtamen ista atque similia, solum probabiliter sentio : plenam certamque notitiam Deo, et his quibus ipse revelare dignatur, committens ; nec aliorum atque majorum meorum, quorum comparatione nihil sum, dicta in aliquo reprehendens.

Circumamicti stolis albis : quia, ad litteram, albis tempore sacrificii induuntur,
B castitate quoque corporis et mentis puritate debent fulgere ; *et in capitibus eorum coronæ aureæ :* sunt enim regale sacerdotium, et rectores fidelium. Porro in Scripturis, per caput mens, per aurum sapientia exprimi solet. Aureas ergo in capitibus suis habent coronas, quia mentes eorum dono sapientiæ decorantur. Vel coronæ istæ sunt merita quibus futuræ beatitudinis promeruerunt coronas.

Et de throno, id est de Ecclesia militan- 5
ti, quæ sedes est Dei, *procedebant fulgura,*
C puta miracula : quæ instar fulguris terrent atque illuminant, sicut scriptum est, Timebunt, qui habitant terminos terræ, a signis tuis. Ps. lxiv, 9. Et in Evangelio sæpius legitur, quomodo turbæ visis Christi prodigiis timuerunt. Matth. ix, 8; Marc. iv, 40; v, 15. Fulgura etiam sunt comminationes futuri judicii et pœnarum inferni. *Et voces,* id est prædicatio mediocris et simplex : sicut de se ipso loquens commemorat Apostolus, Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non solidum cibum. I Cor. iii, 2. Unicuique enim proponendum est
D verbum Dei secundum suam capacitatem. *Et tonitrua,* id est prædicatio sublimis, sonora, profunda. Unde in Evangelio Christus quosdam Apostolorum filios tonitrui nuncupavit. Marc. iii, 17. Et alibi sermo divinus testatur : Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum Dei ; et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri ? Job xxvi, 14. Tonitrua sunt verba Joannis : In principio erat Verbum ; et Verbum caro factum est. Joann. i, 1, 14. Et illud quod Paulus dicit : Audivi arcana II Cor. xii, 4.

verba, quæ non licet homini loqui; item- I Cor. II, 6. que, Sapientiam loquimur inter perfectos.

Et septem lampades ardentes ante thronum, id est in conspectu Ecclesiæ, et ante oculos fidelium interiores, vel potius in mente ipsorum. Quid autem significent lampades ardentes, ipse subdendo exposuit : *qui sunt septem spiritus Dei,* id est septem dona Spiritus Sancti, quibus mens velut lampadibus illustratur ac inflammatur. Vel septem spiritus Dei, intelligendi sunt omnes angeli sancti, quorum ministerio corda fidelium irradiantur et accenduntur. Unde et superius dicebatur : Apoc. I, 4. A septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt.

6 *Et in conspectu sedis,* id est Ecclesiæ militantis, quæ thronus est Dei, *tanquam mare vitreum,* id est Baptismatis sacramentum : in quo submergitur exercitus Exod. XIV, 27, 28. vitiorum, sicut in mari Rubro exercitus Ægyptiorum; quod instar vitri pellucidum est, animasque clarificat; per quod, velut per vitrum, splendor Solis justitiæ mentem subintrat; *simile crystallo* ratione sui effectus. Ab omni enim culpa ac pœna emundat, omnium virtutum atque donorum speciositatem inducit, ita ut evolet qui ipsum suscepit, nisi aliunde fœdetur. Rursus crystallo, quod ex nimia congelatione non fluit neque resolvitur, assimilatur Baptismus ob sui effectus soliditatem. Nam indelebilem characterem imprimit : unde nec iteratur. — Quidam per mare vitreum simile crystallo, intelligunt Pœnitentiæ sacramentum, in quo esse debet fons lacrimarum.

Porro Berengandus per mare vitreum simile crystallo, intelligit novum Testamentum. In hoc etenim mari tria insinuantur, videlicet mare, et vitrum, item crystallum. Per mare ergo, historia; per vitrum, moralis intelligentia, in qua velut in speculo, homo quidquid in se vitiosum est perspicit; per crystallum, quod cunctis gemmis splendidius est, radiosque splendoris emittit, spiritualis intelligentia designatur, quæ obscura quæque Scriptu-

A rarum elucidat, mentes spiritualium sensuum flammis illuminat, et quosdam Dei ac cœlestis patriæ amore succendit. Denique, secundum eumdem venerabilem patrem, in templo Salomonis mare æneum II Par. IV, 2-6. fuisse legimus, in quo lavabantur sacerdotes, antequam accederent ad hostias offerendas. Æris vero splendor quadam nigredine cito obnubilatur. Per mare itaque æneum lex Moysis designatur, quæ fulgorem spiritualis intelligentiæ, litteræ nigredine obscurat. Et sicut æs si lima teratur, B splendor ejus aperitur; ita et spiritualis intelligentia, quæ litteræ superficie obscuratur in lege, si a fidelibus viris diligenter discutiatur, per Dei gratiam manifestatur. In hoc ergo mari sacerdotes lavabantur : quia per sacrificia et quasdam observationes legales, quædam peccata veteris populi delebantur.

Et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Hoc, ut asserit Berengandus, secundum historiam stare non potest : neque C enim tam parvus numerus ambitum sedis et medietatem ejus potuit obtinere. Sed spiritualiter intelligenda sunt. Hæc quatuor ergo animalia in hoc libro, non semper quatuor Evangelistas, sed et omnes doctores Ecclesiæ qui eorum doctrinam sequuntur, designant. Huic assertioni etiam Beda et Albertus subscribunt. Ait enim Beda, per quatuor animalia in hoc libro, non semper quatuor Evangelistas intelligi, sed quandoque Ecclesias. Et Albertus ait, quod per quatuor animalia, D omnes prædicatores, et præcipue quatuor Evangelistæ, signati sunt. Dicuntur autem prædicatores quatuor animalia, quia de quatuor Evangeliis eorum prædicatio sumitur. — Itaque sensus est : *Et in medio sedis,* id est in sustentatione Ecclesiæ, seu inter fideles, *et in circuitu sedis,* id est in protectione atque custodia Christianorum, *quatuor animalia,* id est universi doctores et prædicatores, consistunt, quorum est gregem dominicum ab omni animarum munire dispendio : qui pleni sunt

oculis ante et retro, id est Scripturarum A sententiis, et consideratione præteritorum ac futurorum.

Verumtamen, quoniam teste Gregorio super Ezechielem, et secundum plurimorum doctorum consonam assertionem, per quatuor animalia quatuor Evangelistæ notantur : dicendum, quod ipsi suis prædicationibus ac doctrinis seu evangelicis libris usque in præsens Ecclesiam Christi sustentant, custodiunt ac defendunt. Unde et spiritualiter ambiunt eam.

Nihilo minus huic expositioni difficul- B
7 tatem facit quod subditur : *Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti.* Qui enim animalia ista Evangelistas interpretantur, per faciem hominis Matthæum accipiunt, qui primus est in ordine Evangelistarum, et primus Evangelium scripsit, secundum Hieronymum. Quum ergo hoc loco animal habens faciem quasi hominis, tertio loco ponatur, non videtur per ipsum signifi- C cari Matthæus.

Ista objectio, quam aliqui ponderant, non videtur mihi alicujus momenti : Primo, quoniam teste B. Gregorio, Hieronymo, multisque sanctis doctoribus, quemadmodum apud Ezechielem, ita et hoc loco per præfata animalia Evangelistæ signantur. Ezechiel autem faciem hominis ponit primo loco, et per eam ibidem significatur Matthæus. Similiter hic non obstat variatio ordinis : nam diversis respectibus idem alicui præponitur, aut postponitur. Hinc, D ut Haymo ait, Ezechiel primo ponit hominem, secundo leonem, tertio vitulum, quarto aquilam, servans historiæ ordinem : quoniam primo, natus est Christus ut homo; secundo, terribiliter prædicans vocem emisit ut leo; tertio, in passione oblatus est ut vitulus; postremo, ascendit in cœlum ut aquila. Porro Joannes primo ponit leonem, quoniam Christus jam surrexit a mortuis, cujus resurrectioni fides præsertim innititur : ideo Joannes tanquam testis resurrectionis, primo expressit leonem.

Quamvis autem prætacta Gregorii expositio, qua per hominem Matthæus, per vitulum Lucas, etc., insinuatur, communis sit ; aliqui tamen Sanctorum aliam habuerunt considerationem. Nam, sicut hic retulit Beda, B. Augustinus per leonem intellexit Matthæum, quoniam regiam Christi prosapiam in exordio evangelii sui conscripsit ; per vitulum autem Lucam, quoniam sacerdotalem Christi originem scripsit, ut fertur, et Hilarius tangit ; per hominem Marcum, quoniam ceteris jam prætactis omissis, humanos Christi actus conscribit ; per aquilam vero omnes Joannem intelligunt, ob sensuum sui evangelii sublimitatem. Præterea, ut recitat Berengandus, quidam aliter moti, per leonem ut dictum est, Matthæum ; per vitulum vero, Marcum, propter eloquii simplicitatem ; et per hominem intellexerunt Lucam, quoniam humanam Christi generationem est plenius prosecutus : videlicet, quemadmodum angelo nuntiante conceptus sit, qualiter natus, in præsepio collocatus, circumcisus, in templo oblatus, in eodem, duodecim habens annos, inventus.

Aliqui demum per quatuor animalia ista, quatuor patriarchales Ecclesias intelligi volunt : Primam, videlicet Jerosolymitanam, per leonem, propter constantiam Apostolorum ac primitivæ illius Ecclesiæ ; secundam, scilicet Antiochenam, per vitulum, propter obedientiam qua primi illius Ecclesiæ filii parati fuerunt Apostolis obedire ; tertiam, utpote Alexandrinam, per hominem, quia in ea a principio fuerunt doctissimi viri ; quartam, puta Constantinopolitanam, per aquilam, quia in ea fuerunt viri per contemplationem elevati. Sed hoc Jerosolymitanæ Ecclesiæ multo sublimius competit, quando in ea fuerunt Apostoli, et primi Christi discipuli apostolicæ perfectionis viri, qui omnes in contemplationis gratia prorsus omnibus præfulserunt.

Finaliter, per quatuor animalia, quatuor A Evangelistas hic designatos opinor, quanquam per ea etiam Christus et membra ejus, scilicet viri christiani, queant intelligi, sicut Gregorius eleganter edocuit. Fuit enim Christus homo in nativitate, vitulus in passione ac obedientia, leo in prædicatione ac resurrectione, aquila in contemplatione et ascensione. Sic et quilibet Christifidelis, homo est rationem sequendo; Galat. v, 24. vitulus, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo; leo, spiritualiter resurgendo, et hostibus suæ salutis fortiter ac magnanimiter reluctando; aquila, cœlestium contemplationibus insistendo, orationi, devotioni, laudi divinæ vacando.

8 *Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas.* Alæ Sanctorum sunt virtutes, quibus in alta conscendunt. Quoniam ergo senarius numerus est perfectus, et per ipsum frequenter perfectio designatur, ideo quodlibet animal sex alas habere asseritur : quia in uniuscujusque Evangelistæ libro omnium virtutum perfectio edocetur, ac novæ legis doctrina perfectionaliter continetur. Rursus, sex alæ Sanctorum sunt lex naturæ, lex Moysis, doctrina prophetica, lex evangelica, apostolica documenta, et catholicorum patrum instructio seu generalium conciliorum statuta. His alis homines virtuosi per amorem et contemplationem ascendunt, et ad proximorum ædificationem descendunt. Volant quoque ad dexteram, gratias agendo in prosperis; item ad sinistram, per patientiam in adversis. Præterea Seraphim Is. vi, 2. quæ Isaiæ apparuerunt, sex alas habebant. Hinc et animalia ista sex alis alata feruntur, quoniam per Evangelistarum doctrinam ad angelicam perfectionem beatitudinemque pertingitur. Iterum, per sex alas, sex species contemplationis (secundum quod quidam eas assignant) intelligi possunt. — Quæritur, cur hoc loco animalia sancta sex alas habere scribantur, Ezech. i, 6. quum apud alium Prophetam quatuor pennas habere commemorentur. Huic quæstioni respondere difficile arbitror, nisi quis contendat mysterium animalium horum Joanni evidentius atque sublimius revelatum fuisse, quam illi.

Et in circuitu, id est per totum corpus suum (sicut et Ezechiel vidit) : unde alia Ezech. i, 18; x, 12. translatio habet, Ante et retro; *et intus plena sunt oculis,* id est considerationibus sapientialibus et Scripturarum sententiis, Creatoris ac creaturarum notitiis : quia in omnibus circumspecte se habent, reverenter ad Deum, exemplariter ad proximum, discrete ad se ipsos; præterita recolunt, B præsentia pensant, futura provident; et ipsi Evangelistæ non sibi dumtaxat, sed toti Ecclesiæ Christi providerunt. Nec fuit quidquam in congerie actionum eorum, quod oculo directionis careret. Quod et sapientibus et virtuosis competit, secundum quod ait Salvator : Si fuerit oculus Matth. vi, 22. tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Unde et nos in omnibus oculati esse debemus, nec aliquid sine prudenti consideratione peragere, prout Salomon loquitur : Palpebræ tuæ præcedant gressus Prov. iv, 25. C tuos; et Apostolus, Sine præjudicio (id est 1 Tim. v, 21. prævio judicio) nihil facias; et in Ecclesiastico, Fili, sine consilio nihil facias, et Eccli. xxxii, 24. post factum non pœnitebis.

Et requiem non habebant. Sancti enim in hac vita variis tribulationibus exercentur, nec modo corporalem pausationem libenter admittunt, ut in futuro æternaliter conquiescant. Reprobi vero in hoc sæculo pacem suam carnalem et requiem quærunt, quibus æterna tribulatio imminet. Requiem quoque animalia non ha- D bebant, quoniam Evangelistæ, et universi qui eorum doctrinam sectantur, a Dei laudibus, orationibus ac bonis operibus non cessaverunt, neque desistunt. Oportet Luc. xviii, 1. enim, Christo testante, semper orare, et non deficere, juxta Davidicam professionem : Benedicam Dominum in omni tem- Ps. xxxiii, 2. pore, semper laus ejus in ore meo. Ideo subditur : *die ac nocte,* id est congruis horis dierum ac noctium, in prosperis et adversis, *clamantia* : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui* *dicentia

erat ante omnia ab æterno, *et qui est* A
invariabiliter in ipso æternitatis instanti
atque momento, *et qui venturus est*, id
est, æternaliter erit, et in judicio suam
æquitatem ac potestatem monstrabit, venturusque est omnium justissimus remune-
Apoc. I, 4. rator. Istud supra plenius fuit expositum.
Huic autem cantico simile est et illud an-
Is. VI, 3. gelicum : Clamabant alter ad alterum :
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus
exercituum. Itaque Ecclesia militans in
laudibus Creatoris se triumphanti conformat, tanquam ventura ad illam, et sine B
fine Deum cum ea feliciter laudatura. Porro, in eo quod ter, Sanctus, profertur, superbeatissimæ Trinitatis mysterium commendatur; unitas vero divinitatis, per id
quod singulariter subditur, Dominus Deus
omnipotens.

Est autem Deus gloriosus et summus
essentialiter sanctus, tanquam in sui ipsius natura vere purissimus, supermundissimus, lux immensa, sapientia infinita,
virtus fontana : a quo omnis sinceritas
derivatur; in quem solum per naturam C
culpa cadere nequit, quum ipse sibi ipsi
sit finis, et a nullo dependeat. Quo autem
quis sanctior est, eo fœditatem peccati
plus detestatur. Quum autem Deus adorandus ac benedictus sit sanctitatis omnifarie infinitæ, constat quod detestatione
immensa abominatur turpitudinem culpæ. Si igitur ei placere, uniri, conformari
optamus, deformitatem peccati tota mente
Ps. V, 6. odiamus, vitemus, purgemus. Non enim
habitabit juxta eum malignus, nec permanebunt injusti ante oculos ejus. Adde, D
quod quantumcumque quis in sanctitate
profecerit, si ad divinæ mentis sanctitatem se conferre contenderit, obscurum et
maculatissimum se proclamabit.

9 *Et quum darent illa quatuor animalia
gloriam, et honorem, et benedictionem,* id
est, quatuor Evangelistis verbis et scriptis
per mundum Christi mysteria et evangelicam legem disseminantibus, per quod
glorificabant, honorabant, ac benedicebant, *sedenti super thronum,* id est Deo
præsidenti Ecclesiæ, et propria auctoritate omnibus dominanti, *viventi in sæcula sæculorum,* id est æternaliter, quum
ipse sit per essentiam vivens et vita, totiusque vitæ superopulentum principium;
procidebant viginti quatuor seniores an- 10
te sedentem in throno, id est, universi
sacerdotes, prædicatores ac patres novi
Testamenti Deo se profunde humiliarunt
ac paruerunt, *et adorabant Viventem in
sæcula sæculorum,* scilicet Deum verum,
cui soli cultus latriæ est impendendus,
non idolis. Quo datur intelligi, per Evangelistarum prædicationem idololatriam pro
maxima parte destructam, secundum quod
Propheta vaticinatus est, dicens : In die Zach. XIII, 2.
illa, dicit Dominus, disperdam nomina idolorum de terra. *Et mittebant coronas suas ante thronum,* id est, Deo altissimo
humiliter gratissima mente adscripserunt
quidquid sapientiæ ac virtutum, quidquid
victoriæ de hostibus suæ salutis obtinuissent, non in se sed in Domino gloriantes, Jer. IX, 23, 24.
dicentes :

Dignus es, Domine Deus noster : omnium utique Deus per creationem et præ- 11
sidentiam omnipotentem, in cujus ditione Esther XIII, 9.
cuncta sunt posita; specialiter autem Deus
noster, per singularia beneficia tua super
nos, atque per nostram devotionem ad te;
accipere gloriam, et honorem, et virtutem, id est, ut tibi a cunctis gloria, honor, omnisque virtus attribuatur, seu impendatur, vel adscribatur, et omnia ad
tuam gloriam ordinentur; non proprius,
sed tuus semper honor quæratur; tu solus virtuosus, omnipotens, per te sufficiens, omnis quoque virtutis collator, ab omnibus prædiceris : sicut Psalmista ait, Non Ps. CXIII, 1, sec. Hebr.
nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo
da gloriam; et Apostolus, Soli Deo honor I Tim. I, 17.
et gloria. *Quia tu creasti omnia,* qui solus es ens per essentiam, et alia universa
sunt entia per participationem. Creavit
autem Deus omnia, vel totaliter quantum
ad id quod sunt, vel quoad primordialem
materiam, vel quantum ad eorum primarias causas. *Et propter voluntatem tuam*

erant, non antequam crearentur, sed quod ex eo instanti ex quo creata sunt, erant, et usque in præsens perseverant, tuæ est liberrimæ voluntatis : propter quam, seu ex qua, *et* secundum quam, *creata sunt* libere, non per modum naturalis emanationis, vel de necessitate naturæ, sicut radius procedit a sole; imo potius eo modo quo dona procedunt a dante, et artificiata ab artifice. Propter quod dicit Apostolus :
Ephes. I, 11. Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Et de increata Sapientia
Sap. VII, 21, 23. dicit quidam : Omnium est enim artifex, omnem habens virtutem.

Vel sic : *Propter voluntatem tuam erant,* id est, secundum voluntatem tuam per complacentiam fuerunt æternaliter, quantum ad esse ideale in increata tua arte ac dispositione seu prædestinatione, juxta il-
A lud : Quod factum est, in ipso vita erat; *Joann.* I, 3, 4.
et creata sunt, de esse ideali procedendo ad esse propriæ speciei et exsistentiæ actualis, tunc et taliter, quando et qualiter tibi supergloriosissimo Creatori complacuit, quemadmodum vestis seu domus est in mente artificis antequam in opere fiat. Propter quod septimo Primæ philosophiæ Aristoteles ait, quod domus est a domo, et sanitas a sanitate : domus videlicet materialis et sanitas corporalis, a domo et sanitate quæ sunt in conceptu artificis per
B intelligibile esse. Itaque, quoniam omnia profluxerunt a Deo, omnia ad eum sunt referenda, ut unde exeunt flumina, revertantur. Et de omnibus atque in omnibus exhibenda sunt Deo honor, gloria et virtus, tanquam principio et fini absolute perfecto.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : ET VIDI IN DEXTERA SEDENTIS SUPER THRONUM.

1 *ET vidi in dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.* Quidam hunc librum in aliquibus locis tot modis exponunt, ut expositionis multiplicitas confusionem, obscuritatem, atque fastidium parere videatur. Hinc planius procedendo, et quantum Deo agente potero, juxta litteram permanendo, id quod ordini litteræ magis convenire apparet, inducam. Jam autem satis præhabitum est, quod in isto volumine decursus ac status Ecclesiæ a tempore Christi vel Apostolorum usque in finem sæculi describatur.

Vidit ergo Joannes imaginaria visione in dextera sedentis super thronum, id est Dei omnipotentis toti Ecclesiæ præsidentis, librum scriptum intus ac foris, et septem sigillis signatum. Sic namque in imaginaria visione apparebat Joanni, quod
C hujuscemodi librum videret, quemadmodum etiam Ezechiel asserit : Vidi, inquiens, et ecce manus missa ad me, in qua *Ezech.* II, 9.
erat involutus liber; et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris. Quemadmodum ergo in visione Ezechielis per librum imaginaria repræsentatione visum, scriptum, expositum et comestum, designatur eorum cognitio quæ Deus Ezechieli per angelum revelavit, quæ et in Ezechielis libro conscripta sunt; ita hoc loco per librum Joanni ostensum, intelli-
D gitur notitia vel scientia eorum quæ Joanni de ipso Ecclesiæ statu fuerant revelanda : quæ et nunc in hoc Apocalypsis volumine sunt descripta. Qui liber intus et foris scriptus apparuit, scilicet ab utraque parte, vel in ambobus lateribus, ad innuendum quod valde multa mysteria contineret, et sensibus redundaret; item,

quod quædam obscura, et aliqua clara haberet; imo et aliqua de præsenti militanti Ecclesia, et aliqua de futura vita nondum nobis patente, sed quasi intus scripta sive inclusa servaret. Porro quid septem designent sigilla, infra Deo implente dicetur. Nunc vero in tantum tangatur quod tot sigillorum signatio difficultatem, obscuritatem, pretiositatem sententiarum libri hujus significat.

2 *Et vidi angelum fortem, prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum,* id est sententias hujus libri exponere, *et solvere signacula ejus,* id est causas difficultatis ejus amovere, ut quæ latent, patescant? Quidam hunc angelum dicunt fuisse Gabrielem, qui fortitudo Dei interpretatur. Potius tamen apparet quod fuerit angelus Joanni in Christi persona apparens, eumque de omnibus his informans, secundum quod superius dicebatur. (In Apoc. III, 1.) Denique angelus iste tam tubaliter inquisivit quis librum hunc aperiret, quatenus mentem Joannis ad horum advertentiam provocaret, atque sciendi hæc desiderio inflammaret. Non enim ex ignorantia interrogavit. Clamavit quoque voce tam grandi, ad insinuandum quod magna prorsus exsisterent quæ erant scripta atque pandenda.

3 *Et nemo poterat in cœlo,* id est nullus angelorum, *neque in terra,* id est nullus viatorum, *neque subtus terram,* id est nullus eorum qui sub terra sunt, scilicet mortuorum, vel dæmonum, ut quidam exponunt : quod tamen improprie (ut arbitror) sonat. Idcirco per eos qui sub terra sunt, potius designari videntur defuncti salvandi qui in locis purgatoriis sunt, vel angeli boni qui ad eorum consolationem descendunt. *Aperire librum,* id est horum scientiam elucidare, *neque respicere illum,* id est secreta ejus comprehendere aut rimari.

Quidam per librum istum, utriusque Testamenti Scripturam intelligunt; per angelum vero fortem, patres veteris Testamenti. Sed hanc Scripturam sancti angeli intelligunt, aperireque possunt; Prophetæ A quoque ea quæ de Christo prædixerunt, ejusque mysteria sibi ostensa, intellexerunt, quum intelligentia sit opus in visione. (Dan. X, 1.) Insuper sanctus iste Joannes, quando in die Pentecostes Spiritum Sanctum suscepit, (Act. II, 1-4.) utriusque Testamenti Scripturas atque mysteria eminenter cognovit. Hinc per librum istum, potius arbitror designari horum secretorum notitiam secundum quod est in mente divina, cujus scientiam incomprehensibilem esse constat; vel certe hanc ipsam notitiam secundum quod B Christo homini fuit revelata atque infusa, quia in tanta plenitudine nulli alteri communicatur. Sicque liber iste visus est in dextera Dei, ad innuendum quod in pia ac gratiosa Dei virtute consistat, cui et quantum velit aliis hæc secreta manifestare.

Et ego flebam multum, quoniam nemo, 4
id est nullus præfatorum, *dignus inventus est aperire librum, nec videre illum :* secundum sensum prætactum. Potuit tamen aliquo modo videri, quum Joannes dicat C se eum vidisse. Sed scientiam increatam, vel animæ Christi infusam, nullus horum potuit penetrare. In quibus utique verbis pandit Joannes, quanto fervore optavit horum notitiam, ac futurum Ecclesiæ decursum et statum agnoscere, ita quod vere cum Daniele et plus quam Daniel, vir desideriorum possit vocari. (Dan. IX, 23; X, 11, 19.)

Et unus de senioribus dixit mihi, me 5
consolando. Nempe tam sancto dolori ac fletui consolatio debebatur, quia post fletum virtutis Deus consolationem infundit, (Tob. III, 22.) D docente Christo : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. (Matth. V, 5.) *Ne fleveris* tam amare; *ecce vicit leo de tribu Juda,* id est Christus : qui dictus est leo propter fortitudinem, regiam dignitatem ac imperterritum animum; ortusque est de semine Juda per David; (Ibid. I, 3, 6, 16.) qui moriendo mortem destruxit, atque in resurrectione victor apparuit. Hic vicit diabolum, ejus vasa diripiendo, ejusque potentiam debilitando. (Ibid. XII 29.) Unde passioni jam proximus, dixit : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; et (Joann. XII, 31, 32.)

ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Insuper spoliavit infernum, captivam duxit captivitatem, et per patientiam omnia superavit adversa. *Radix David :* quia de radice ipsius David, secundum assumptam naturam, descendit, sicut prophetatum fuerat : Egredietur virga de radice Jesse. Christus quoque secundum suam divinitatem, fuit origo, radix ac fundamentum David et omnium. Rursus, Christus est radix David, id est radix ad David secundum carnis propaginem pertinens. De qua radice fideles quasi virgulta nascuntur ; imo et ipsa Ecclesia tanquam oliva, arbor ac vinea fructuosa, est nata. *Aperire librum, et solvere septem signacula ejus,* id est, Christus, quoniam victor surrexit, potens est tibi libri hujus mysteria revelare, et quidquid scire cupis ostendere, ita quod increata Dei cognitio futurorum ac secretorum, per ipsum tibi secundum tuam capacitatem nunc patefiet. Christo quippe etiam secundum formam assumptam, competit omnem mentem creatam purgare, illuminare, perficere ex plenitudine sibi collata.

Ps. LXVII, 19; *Ephes.* IV, 8. — *Is.* XI, 1.

Notandum, quod per unum seniorum qui Joanni ista locutus est, quidam Matthæum apostolum, quidam Petrum archiapostolum putant expressum, qui tempore hujus revelationis jam sub Nerone per martyrium migravit ad Dominum. Probabilius autem loqui videntur, qui omnia ista per eumdem angelum Joanni revelata affirmant, qui tamen in vi imaginativa Joannis, diversarum personarum formavit effigiem. Sicque in illorum persona sermo dirigebatur interno affatu ad hunc Sanctum.

Consequenter prosequitur quomodo Chri-
6 stus aperuerit librum. *Et vidi : et ecce in medio throni et quatuor animalium et seniorum,* id est in medio militantis Ecclesiæ, quæ sedes est Christi, ad quam Evangelistæ ac ceteri pertinent Sancti : nam et secundum Berengandum, per thronum et quatuor animalia ac seniores, una Ecclesia cum cunctis suis ordinibus designatur ;

A *stantem Agnum,* scilicet Christum : de quo ait præcursor Baptista, Ecce Agnus Dei ; et de quo item Jeremias, Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. Agnus namque propter innocentiam, mansuetudinem, obedientiam, et immolationem vocatur. De quo et Isaias prædixit : Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet. Christus itaque in medio Ecclesiæ visus est a Joanne. Nam et hoc spopondit : Ecce, inquiens, ego vobiscum sum omnibus die- B bus. Præterea Christus dicitur in medio fidelium ambulare, in quantum dona sua eis distribuit ; et in throno sedere, ut omnium princeps ac judex : nunc vero dicitur stare, quasi paratus juvare certantes. *Tanquam occisum :* quia revera ante fuit occisus, et nunc quasi occisus apparuit cum cicatricibus vulnerum, quum indubitanter ad immortalem resurrexerit vitam.

Joann I, 29. — *Jer.* XI, 19. — *Is.* LIII, 7. — *Matth.* XXVIII, 20.

Habentem cornua septem, id est omnium regum atque regnorum potestates, juxta illud : Omnes populi, tribus et linguæ C servient ei ; potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. Item in Psalmo : Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei. Berengandus, per septem cornua, omnes electos intelligit, qui regnum Dei vocantur, et per septem mundi ætates distinguuntur. *Et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei.* Itaque oculi isti sunt septem dona Spiritus Sancti, quæ spiritus, id est spirituales influxus, appellantur. *Missi in omnem terram,* id est per D totam Ecclesiam fidelium animabus infusi. Istis donis plena est anima Christi. De quibus sermo propheticus loquitur : Super lapidem unum oculi septem sunt. — Sed quia per oculum intellectus exprimitur, possunt per septem oculos universæ angelicæ mentes, quæ propter cognitionis eminentiam oculi nominantur, intelligi : quæ ad Ecclesiam custodiendam ac gubernandam mittuntur, sicut Apostolus adstruit : Nonne omnes administratorii spiritus sunt, in ministerium missi propter

Dan. VII, 14. — *Ps.* LXXI, 11. — *Zach.* III, 9. — *Hebr.* I, 14.

eos qui hereditatem capiunt salutis? Qui
Ps. cxxii, 2. omnes sunt in manu Christi, sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum.

7 *Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum.* Sic nempe in imaginaria visione apparebat Joanni, quod Christus homo ad Patrem in throno sedentem accedens, librum præfatum de dextera ejus acciperet. Simile et in Daniele scri-
Dan. vii, 13. ptum est : Adspiciebam in visione noctis ; et ecce quasi Filius hominis veniebat, et ad Antiquum dierum pervenit. Per hoc igitur quod vidit Joannes, figurabatur quod Christus ut homo, a Patre, imo a tota superfelici Trinitate, omnem suam scientiam efficaciamque aperiendi librum sortitus sit : non tunc quando Joannes hæc vidit, sed a primo incarnationis momento. Sed nunc ista monstrantur illi, ut videat se per Christum mediante angelo edocendum.

8 *Et quum aperuisset librum,* divina secreta ac statum Ecclesiæ ac Scripturarum mysteria reserando, *quatuor animalia, et viginti quatuor seniores,* id est primi doctores ac prælati et sacerdotes Ecclesiæ,
In Apoc. iv, 4. prout in præcedentibus plenius dictum est, *ceciderunt coram Agno,* ei humiliter gratias de tantæ illuminationis beneficio referentes. Quum enim fideles in Asia, deinde et ceteri, revelationem hoc libro contentam a Christo per angelum et Joannem suscepissent, in Domino sunt gavisi. *Habentes singuli citharas et phialas aureas.* Per citharam, carnis mortificatio, quæ in auribus Dei bene sonantem facit harmoniam, exprimitur. Porro, per phialas aureas, quæ latæ ac lucidæ sunt, mentes devotæ per caritatem dilatatæ, per sapientiam clarificatæ, signantur. *Plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Exponit hoc loco se ipsum, ut per hoc in aliis ad expositionem mysticam manuducamur. Hæc itaque odoramenta, sunt spiritualia, puta orationes Sanctorum istorum, quas pro se ipsis ac aliis fundunt, et sicut incensum coram Deo ascendunt, eique suaviter redolent, et per eas
II Cor. ii, 15. bonus odor Christi Deo efficimur, multo amplius quam per sacrificia legis, quorum odorem Deus toties legitur odoratus : quod non est aliud nisi quod ea propter devotionem offerentium acceptavit. *Gen. viii, 21 ; Exod. xxix, 25 ; Lev. i, 9 ; etc.*

Et cantabant canticum novum, id est 9
ad evangelicam pertinens legem, et de humani generis innovatione tractans, novaque gesta continens, *dicentes : Dignus es, Domine Deus,* Jesu Christe, qui in una persona est verus Deus verusque homo, *accipere librum et solvere signacula ejus,* id est præfata mysteria fidelibus elucidare, *quoniam occisus es, et redemisti nos Deo,* id est ad gloriam Dei, qui unus ac trinus est, *in sanguine tuo,* id est pretiosi tui sanguinis effusione. Ex quo sequi videtur quod Christus sua passione libri hujus acceptionem meruit ac revelationem : quem tamen, ut dictum est, ab incarnationis exordio sumpsit ac novit.

Itaque advertendum, quod secundum Damascenum, humanitati Christi ratione suæ hypostaticæ unionis cum Verbo, data est et competit ab incarnationis instanti plenitudo gratiæ ac sapientiæ, potestas quoque atque prælatio super omnem creaturam : ita quod quidquid Deus scit scientia visionis, quæ est de exsistentibus secundum quamcumque differentiam temporis, scit etiam anima Christi a primo suæ creationis momento. *Coloss. i, 19.* Nihilo minus corporis sui glorificationem, exaltationem, judiciariam dignitatem, dicitur sua passione ac humiliatione promeruisse, quamvis hæc ratione præfatæ unionis ei competerent. *Philipp. ii, 8 et seq.* Unde quod nunc dicitur Agnus dignus accipere librum et solvere ejus signacula quia occisus est, intelligendum est quantum ad manifestationem hujus acceptionis : sicut et Agnus ipse Christus Dominus est post passionem contestatus, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : quia tunc cœpit potestas hæc manifestari. *Matth. xxviii, 18.* Verumtamen aliqui dicunt, quod solutionem signaculorum libri, videlicet revelationem mysteriorum ejus, Christus sua passione promeruit, sicut et corporis sui glorificationem.

Itaque, Redemisti nos *ex omni tribu et* A
lingua, et populo et natione. Hoc duplici-
ter exponitur : Primo, quod ipsa Ecclesia
ex omnibus istis constet sive collecta sit,
Ps. XXI, 28. juxta illud : Reminiscentur et converten-
tur ad Dominum universi fines terræ. Se-
cundo, quod fideles, præsertim electi, ex
omni tribu, lingua et populo ita redem-
pti sunt Deo, quod alii multi ejusdem po-
puli, linguæ ac tribus, relicti et reprobi
Act. XIII, 48. sunt : secundum quod Lucas ait, Credide-
runt quotquot præordinati erant ad vi-
10 tam. *Et fecisti nos Deo nostro regnum et* B
Apoc. I, 6. *sacerdotes.* Hoc ipsum supra scriptum est
atque expositum. *Et regnabimus super*
terram, id est, corpori nostro dominabi-
mur, ejus carnalitatem ac passiones fre-
Matth. V, 4. nando : juxta quod ait Salvator, Beati
mites, quoniam ipsi possidebunt terram.
Denique Christo servire, regnare est, et
ingenuitas summa, quemadmodum beatis-
sima protestata est Agatha. Quid enim est
Christo servire, nisi diabolo, mundo, carni
ac propriæ voluntati victorialiter domina-
ri? Quemadmodum namque vitiosi sunt C
servi diaboli, sic virtuosi sunt domini
ejus. Vel, quia non dicunt, Regnabimus in
terra, sed, Super terram : exponi potest
quod dicitur, Super terram, id est in cœ-
lo. Sed et cœlum, terra viventium appel-
latur. Imo, quum sint verba quatuor ani-
malium et seniorum, per quos prælati,
doctores et sacerdotes intelliguntur, exponi
potest de præsidentia qua isti inferiores
gubernant.

Præterea, quoniam angeli sancti huma-
num genus, tanquam sibi in intellectu- D
ali perfectione simile, diligunt, ejusque
salutem desiderant; et quoniam per homi-
num salvationem, eorum instauratur rui-
na, præmium quoque et gaudium acciden-
tale augetur : idcirco salvationi hominum
11 congratulati sunt, sicut subjungitur. *Et*
vidi, id est, spiritualiter intuitus sum, *et*
audivi interiori auditu, *vocem angelorum*
multorum in circuitu throni et animali-
um et seniorum, id est per gyrum totius
Ecclesiæ : quam angeli sancti circumeunt,
custodiunt, protegunt, sicut et dæmones
eamdem circumeunt ad devorandum. I *Petr.* V, 8.

Et erat numerus eorum millia millium,
id est pene innumerabilia millia. Siqui-
dem per hunc maximum numerum innu-
merabilis eorum multitudo exprimitur :
quæ etsi Deo sit certa, viatoribus tamen
innumerabilis exstat. Hinc vox illa admi-
rantis : Numquid est numerus militum *Job* XXV, 3.
ejus? Hic autem, secundum Berengandum
et alios, fit sermo de angelis ad hominum
custodiam destinatis, qui de inferioribus
consistunt ordinibus : nisi quis dicat, om-
nium cœlestium ordinum spiritus ad ex-
ternum mitti obsequium : quod S. Diony-
sio non concordat. — Si ergo tantus est
numerus angelorum Ecclesiam custodien-
tium, quantus est numerus universorum,
præsertim quum juxta divinum Dionysi-
um, quanto in cœlestibus hierarchiis cho-
rus seu ordo est altior, tanto plures in se
angelicos continet spiritus? Hinc asserit
S. Thomas, quod sicut cœlestia corpora
excedunt inferiora quasi incomparabiliter
in magnitudine, ita angelici spiritus in
multitudine. Propter quod ait Daniel : Mil- *Dan.* VII, 10.
lia millium ministrabant ei, et decies mil-
lies centena millia adsistebant ei.

Voce magna, id est jucundissima et ve- 12
hementer affectuosa, *dicentium : Dignus*
est Agnus qui occisus est, accipere virtu-
tem, et divinitatem, et sapientiam, et for-
titudinem, et honorem, et gloriam, et be-
nedictionem : id est, rationabile est, justum
et opportunum, ut omnia ista Christo ad-
scribantur, convenire seu inesse dicantur,
eique competere manifestentur. Accipit er-
go ista a nobis, quando laudamus et con-
fitemur ei ista inesse seu convenire. Ipse
quippe est virtus et sapientia Patris, Uni- I *Cor.* I, 24.
genitus Dei, et verus Deus. Fortitudo quo-
que creata ei maxima est collata secundum
quod homo. Benedicimus autem Christo
benedictione laudis, et benedicit nobis be-
nedictione consecrationis seu sanctificati-
onis, munera gratiæ infundendo. De qua
benedictione ait Apostolus : Sine ulla con- *Hebr.* VII, 7.
tradictione, quod minus est, a majore be-

13 nedicitur. *Et omnem creaturam quæ in* A *cælo est*, id est, universos Sanctos dignus est possidere et subjectos habere, etiam secundum naturam assumptam, *et quæ super terram, et quæ sub terra,* id est homines viatores et damnatos, imo et cuncta creata, *et quæ sunt in mari, et quæ sunt in aere,* id est pisces et aves. Unde ad Christum maxime pertinet illud Davidi- Ps. viii, 8, 9. cum : Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris. Hinc Dan. vii, 13, 14. alius Propheta testatur, quod Antiquus B dierum, videlicet Pater æternus, dedit Christo potestatem, honorem et regnum.

Omnes, id est angelos universos et militantis Ecclesiæ seniores ac filios, *audivi dicentes sedenti in throno,* id est Deo excelso uni ac trino, *et Agno,* id est Christo secundum naturam assumptam : *Benedictio* laudis et gratiarum actionis, *et honor* latriæ, seu hyperduliæ quantum ad Christi humanitatem, *et gloria, et potestas in sæcula sæculorum.* Hæc competunt Deo, et hæc ei ab omnibus adscribi optare, et ejus C perfectioni ac beatitudini congaudere debemus.

14 *Et quatuor animalia dicebant, Amen,* divina præconia confirmando, et de laude ac excellentia Dei cordialissime exsultando. Quod et Evangelistis præcipue competit. *Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas,* Deo omnipotenti mente et corpore se humiliter prosternendo : quod et quotidie agunt electi fideles ; *et adorabant Viventem in sæcula sæculorum,* scilicet Deum, qui essentialiter vita est : in quo idem sunt vivens, vita et vivere. Cujus vita tantæ est eminentiæ, ut ejus respectu nullum aliorum vivens dicatur, quia ab illius vitæ puritate, felicitate ac plenitudine, distat in infinitum. Juxta quem modum solus Deus dicitur bonus, solus ens, solusque sapiens. Ab hoc Vivente primo, fontano, purissimo, cujus vita in se ipsa mundissima est, nobilissima, deliciosissima, invariabilis, infinitis divitiis plena, profluit omnis vita : vita vegetativa, vita sensitiva, vita secundum locum motiva, et intellectiva ; vita naturæ, vita gratiæ, vita gloriæ.

Denique ex prædictis patet consensus militantis ac triumphantis Ecclesiæ in laudibus Dei, et quantum omnes Sancti regratiati sunt Christo pro beneficiis ejus, præsertim quod suo nos sanguine liberavit. Hinc ergo et nos debemus Deum indesinenter, cordialiter, concorditerque laudare, beneficia Christi, potissimum ejus salutiferam passionem, incessabiliter menti nostræ proponere, gratias agere, imitari ac obedire.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : ET VIDI QUOD APERUISSET AGNUS UNUM DE SEPTEM SIGILLIS.

Apoc. v, 1. PRÆCEDENTI capitulo dictum est, li- D brum in dextera Dei visum fuisse, septem sigillis signatum ; nunc de reseratione sigillorum istorum, et quid cujuslibet sigilli apertionem secutum sit, edocetur.

1 *Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis,* id est primum sigillum quo clausus fuit liber hic. — Nunc incumbit ostendere quid ista sigilla designent. Qui ergo per librum intelligunt totam utriusque Testamenti Scripturam, per ista sigilla intelligunt involutiones seu obscuritates quibus Christi atque Ecclesiæ mysteria in Scripturis velantur. Sed quia probabilius visum est, ut per librum istum intelligatur increata scientia Dei, qua Deus

Ecclesiæ decursum et statum prænoscit; consequenter per septem sigilla, intelligendæ sunt occultationes quibus Deus scientiam istam ab oculis omnis viatoris abscondit. Et hæ occultationes in re aliud non sunt nisi ipsemet Deus, secretum suum abscondens ac pandens pro libito suo. Porro sigillorum apertio, est divinæ hujus scientiæ manifestatio. — Vidit ergo Joannes imaginaria visione, quod Christus librum in dextera Patris seu Dei trini ac simplicis apparentem, in manum accepit, primumque ejus sigillum aperuit. Ita, inquam, apparebat Joanni in visione præfata. Per quod intellectualiter designabatur, quod Christus præscientiam Dei de statu Ecclesiæ cœpit Joanni per angelum communicare, revelare seu aperire.

Et audivi interiori auditu, *unum de quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui,* id est tubaliter, auctoritative, ac terribiliter loquens : *Veni, et vide.* Quum per quatuor animalia quatuor Evangelistæ signentur, per animal unum seu primum quidam intelligunt Marcum, qui per leonem signatur. Leo autem in ordine quatuor animalium primo exprimitur. Quidam autem per animal primum, intelligunt apostolum Jacobum Minorem, alii evangelistam Matthæum. — Insuper, aliqui asserunt quod Sancti per quatuor animalia significati, qui in isto capitulo scribuntur affari Joannem, fuerunt tempore hujus revelationis defuncti, et quod animæ eorum in visione apparuerunt Joanni, alloquentes eumdem. Aliis magis apparet quod non ipsi veraciter apparuerunt, sed aliqua effigies eos repræsentans, angelico ministerio in vi imaginativa S. Joannis formata, sicque angelus in eorum persona ipsum affatus est. Et juxta hanc viam, non oportet eos fuisse defunctos qui hic cum Joanne loqui scribuntur. Nam infra, quartum animal, scilicet aquila, Joannem designans, inducitur ipsum affari : similiter animal secundum, scilicet Lucas, qui post hanc revelationem multis vixit diebus. Cur ergo animalia ista scribuntur allocuta Jo-

A annem, vel angelus in persona eorum, nisi propter congruentiam quamdam, ad denotandum quod tota Ecclesia (cujus vicem gerit, typum servat, personamque repræsentat Joannes) a quatuor Evangelistis informationem sortitur?

Itaque primum animal dixit : *Veni* spirituali appropinquatione, desiderando et advertendo divina, *et vide,* id est, intellige ea. Juxta quem modum ait Psalmista : Accedite ad eum, et illuminamini. *Ps.* XXXIII, 6.

2 *Et vidi : et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum.* Sic imaginarie apparebat Joanni. Cujus rei intelligentiam seu significatum ipse angelo instruente cognovit, sed non expressit : ideo obscuritatem induxit, expositoribusque laborem reliquit. Beda et eum sequentes, per equum album intelligunt primitivam Ecclesiam, in Baptismo lotam, et super nivem dealbatam, vesteque innocentiæ decoratam. *Ps.* L, 9. Alii per equum album accipiunt cœtum seu chorum Apostolorum. Sed hoc cum priori expositione satis concordat, quia primitivæ Ecclesiæ dignissima portio fuerunt Apostoli. Porro nonnulli per equum album intelligunt cœtum primorum prædicatorum sive doctorum. Et hoc rursus redit in idem. Hi enim fuerunt Apostoli. — Hic itaque Apostolorum seu primitivæ Ecclesiæ chorus, dicitur equus, quoniam velox et agilis in prædicando, fortis in operando seu aspera sustinendo, audax in testificando; albus vero, per sanctitatis candorem. Sessor autem hujus equi, est Christus, qui in illorum cordibus tanquam magister, director et ductor jugiter præsidebat. Qui habebat arcum in manu sua, id est sacram Scripturam, et prædicationis idoneitatem in propria potestate. Congrue quoque Scriptura dicitur arcus, quia ex ea procedunt veritatis eloquia, virtutumque documenta, ut tela contra invisibiles atque visibiles hostes Ecclesiæ, et contra aciem vitiorum : de quibus telis scriptum est, Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad insulas longe, tenentes sagittam. *Is.* LXVI, 19.

Et data est ei, videlicet Christo secundum quod homo est, a Deo seu a tota Trinitate, *corona*, id est dignitas regia, potestas dominativa, beatitudo completa. Hæc quantum ad rem data sunt ei in incarnatione; quantum vero ad manifestationem, in resurrectione et ascensione. Hinc testatur
Hebr. II, 9. Apostolus : Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum. Potest quoque per coronam intelligi fidelium multitudo, quæ eum velut corona circumdedit, ornavit, ipsi etiam tanquam
Is. LXII, 3. capiti suo adhæsit. Hinc ait Isaias : Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Denique, data
Joann. XIX, 2. est ei a Satanæ synagoga spinea corona, quam patienter ferendo, promeruit totius accidentalis mercedis coronam. Quidam per coronam intelligunt Christi carnem. Nam sicut coronam bajulat caput, et corona vestit caput, sic divinitas Verbi portat Christi carnem, et caro Christi vestivit divinitatem. Et de hac corona intelligi po-
Cant. III, 11. test illud Canticorum : Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.

Et exivit de medio Jerusalem seu primitivæ Ecclesiæ, quando post passionem
Marc. XVI, 15. et Spiritus Sancti missionem, Apostolos misit per mundum, sicque per potestatis
Joann. XVI, 28. suæ operationem exivit cum eis. Item exivit a Patre, et venit in mundum. Exivit itaque *vincens* diabolum sua profundissima humilitate, mundum sua paupertate, carnem sua castimonia, *ut vinceret* : nam adversarios suos suæ potestati subjecit, quosdam convertendo ad fidem et obedientiam, alios deserendo et adjiciendo damnationi per propriæ æquitatis sententiam.
Ps. XLIV, 6. Propter quod ait Propheta : Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda ini-
Ps. CIX, 2. micorum regis; et item, Dominare in medio inimicorum tuorum.

3 *Et quum aperuisset sigillum secundum*, id est, divinæ præscientiæ secretum de futuro statu Ecclesiæ copiosius mihi Joanni elucidasset, *audivi secundum animal dicens : Veni, et vide*. Secundum animal,

A secundum ordinem quatuor animalium supra inductum, est vitulus, per quem *Apoc.* IV, 7.
designatus est Lucas. Qui quomodo intelligendus sit affari Joannem, jam tetigi. *Vers.* 1.

Et exivit alius equus rufus, et qui sedebat super eum, datum est illi ut sumeret pacem de terra. In isto capitulo ponit 4
S. Joannes apparuisse sibi quatuor equos : quorum primus fuit albus, secundus rufus, tertius niger, quartus pallidus : ad quos pertinent prima quatuor sigilla libri. Unde in cujuslibet sigillorum istorum
B apertione videtur egredi equus. Per quod datur intelligi, quod mox quum Joannes in visione imaginaria cernebat ab Agno aliquod horum sigillorum aperiri seu solvi, intuitus est equum imaginarie egredi. Per quod ei imaginaria visione præsentabatur, et simul intellectuali revelatione pandebatur, quid in statu Ecclesiæ esset venturum, seu inchoatum, pleniusque implendum. — Itaque, secundum Bedam et Albertum, sequentes in hoc Augustinum, in primi sigilli apertione per equum al-
C bum ostenditur status primitivæ Ecclesiæ; in tribus autem sigillis sequentibus, triforme bellum contra Ecclesiam : ita quod in apertione secundi sigilli, per equum rufum ostenditur status Ecclesiæ tempore persecutorum ac martyrum; in apertione vero tertii sigilli, per equum nigrum, status Ecclesiæ tempore hæresiarcharum; in apertione autem quarti sigilli, per equum pallidum, status Ecclesiæ tempore hypocritarum, falsorumque fratrum. Porro in quinto sigillo ostenditur gloria
D triumphantium in hoc bello; in sexto autem sigillo, ea quæ fient in persecutione tempore Antichristi; in septimo, quietis æternæ initium.

Alii vero aliam considerationem assumunt, putantes omnia ista quæ in quinque sigillorum apertionibus visa sunt, ad imperatores Romanos Ecclesiæ persecutores debere referri : ita ut per equum rufum et ejus sessorem, intelligatur populus Romanus et Nero imperator ei præsidens: qui propter sanguinem fidelium quem fu-

derunt, per equum rufum ejusque sessorem, signantur. Insuper, per equum nigrum et ejus sessorem, intelligunt populum Romanum et Titum imperatorem : qui nigro equo signati sunt, quoniam Judæos ad tantam calamitatem duxerunt, quod fame fuerant denigrati. Per equum pallidum et ejus sessorem, accipiunt populum Romanum et Domitianum imperatorem. Per apertionem quinti sigilli, dicunt manifestatum statum ac persecutionem Ecclesiæ a Trajano ; per apertionem sexti sigilli, persecutionem Ecclesiæ sub Diocletiano. Septimi vero apertionem sigilli referunt ad tempus hæreticorum.

Verum, contra hoc multa possent induci : Primum, quod isti expositores nituntur revelationes S. Joannis exponere secundum processum ac ordinem temporis, ut quæ primo sunt scripta, prius credantur impleta, nec eadem sæpius iterentur. Hoc autem omnino incertum est, præsertim quum liber iste propheticus sit, et instar prophetalium procedat voluminum, in quibus temporis ordo non observatur sicut in historialibus libris, et in quibus etiam sæpe eadem tractantur, sicut in Isaia, Jeremia, Ezechiele clarissimum est videre. Quoties nempe de Sennacherib regis Assyriorum dejectione Isaias prophetat ? Quoties Jeremias atque Ezechiel de vastatione Jerusalem per Chaldæos vaticinantur ? — Præterea, qua ratione per equum rufum et ejus sessorem populus Romanus ac Nero signantur, alii quoque imperatores præfati significari dicerentur. Omnes enim in effusione sanguinis christiani, rufi ac cruenti fuerunt, maxime Diocletianus. At vero quod dicunt de Tito, non videtur ad propositum pertinere. Titus enim non fuit Ecclesiæ persecutor, sed infidelium Judæorum ; et antequam obsedit Jerusalem ac Judæam, Christiani qui morabantur ibidem, ex angelica admonitione inde egressi fuerunt, et regnum Agrippæ (qui fuit confœderatus Romanis) inhabitaverunt, quemadmodum vir disertissimus Eusebius testatur. Præterea ex præhabitis innotescit,

A ea potissime in horum sigillorum apertura Joanni ostensa, quæ ante latebant vel futura erant. Titus autem ante hanc revelationem vastavit Judæos et obiit. Nam Domitianus frater ejus imperavit post eum. — Postremo, his quæ hoc loco scribit Joannes de quatuor equis, similia pro magna parte sunt quæ apud Zachariam leguntur. Scribit enim ibidem ille, quemadmodum viderit quatuor quadrigas egredientes, in quarum prima fuerunt equi rubei, in secunda equi nigri, in tertia al- *Zach.* VI, 1 *et seq.*
B bi, in quarta equi varii et fortes. Et secundum Hieronymum et alios doctores, ibidem per quatuor quadrigas et earum equos, in colore quadriformiter variatos, intelliguntur quatuor regna et reges eorum : sic tamen ut per eosdem equos, plures reges ejusdem regni signentur. Idcirco et hoc loco probabile est, omnes Romani imperatores cruentos Ecclesiæ persecutores, ejusdem scilicet regni reges aut imperii, per equum rufum significari.

Itaque Augustinum, Bedam, Albertum
C sequendo, aperto secundo sigillo, exivit alius equus rufus. Sic apparebat Joanni in imaginaria visione. Et est sensus, quod per illum equum ac ejus sessorem, sibi tunc revelabatur status Ecclesiæ tempore persecutorum, qui a tempore Neronis cœperunt Ecclesiam generaliter persequi. Unde per equum rufum exprimitur multitudo ministrorum principum persecutorum : per cujus sessorem, intelligitur multitudo dominorum illorum crudelium qui per martyrum occisionem sanguinarii
D exstiterunt. Huic multitudini principanti data est potestas qua abutitur in persecutione justorum, sicut et Christus dixit Pilato : Non haberes adversum me potestatem ullam, nisi tibi desuper datum esset. *Joann.* XIX, 11.

Datum itaque seu permissum *est ei sumere pacem de terra,* id est fideles in terra peregrinantes terrere, turbare, inquietare, occidere, secundum quod Christus prædixit : Trademini a parentibus et fratribus et cognatis et amicis, et eritis *Luc.* XXI, 16, 17.

odio omnibus hominibus propter me. Hoc a tempore Neronis usque ad Constantini conversionem duravit. Abstulit ergo electis pacem temporis et exteriorem quietem, non pacem pectoris aut æternitatis. *Et ut se invicem interficiant.* Fideles enim, ut dictum est, ab infidelibus, etiam valde propinquis, familiaribus et amicis, occidebantur : quod in Sanctorum legendis et chronicis satis describitur. Propter
Matth. x, 21. quod præmonuit Christus : Tradet autem frater fratrem in mortem. *Et datus est illi gladius magnus,* id est grandis potestas occidendi fideles. Romanis enim imperatoribus persequentibus Christianos data desuper fuit monarchia, sed abusi sunt ea, et sibi subditos ac faventes spiritualiter peremerunt, ad tot scelera ac sacrilegia eos trahendo.

5 *Et quum aperuisset sigillum tertium,* id est, ulteriorem, majorem et extensiorem futurorum notitiam mihi revelare cœpisset, librum increatæ scientiæ mihi plenius exponendo seu aperiendo, *audivi tertium animal dicens : Veni, et vide.* Tertium animal habens faciem quasi hominis, Matthæum significat. Cujus anima vel effigies, seu angelus in ejus persona, dixit Joanni : Veni, et vide.

Et ecce equus niger, id est hæreticorum caterva vitiis denigrata, atque a lumine veritatis maxime aliena, dæmonibus coæquata; *et qui sedebat super eum,* videlicet hæresiarcharum, qui errorum inventores errantiumque rectores fuerunt, caterva seu multitudo, ut Arius, Manichæus, Photinus, *habebat stateram in manu sua.* Per stateram, quam hæreticorum doctores in manu, operatione seu usu habent, intelligi potest simulata illa justitia qua se alios posse ponderare, eorumque opera mensurare præsumunt. Unde Salvator :
Ibid. VII, 15. Attendite, inquit, vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Rursus, statera est sacra Scriptura, qua cognoscitur quanti ponderis sit spiritus, quemadmodum per stateram perpenditur quanti ponderis sit corpus. Hanc hæretici

A pro se allegant, dolose proponunt, false exponunt, doctores se jactant, secundum eam se vivere asserunt. Denique, ut hi qui volunt aliquid emere, in statera ponderant illud, sitne dignum pretio, an non; ita hæresiarchæ eos quos sibi acquirere atque decipere intendunt, prius per considerationem acutam ponderant, an graves sint an leves, docti vel simplices, virtuosi an ad ruinam proclives.

Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium, id est angeli exsi- 6
B stentis inter hæc animalia, ita quod vox ista de throno seu Ecclesia sonat : *Bilibris tritici denario uno, et tres bilibres hordei denario uno, et vinum et oleum ne læseris.* Bilibris est mensura seu vas continens duas libras : per quam hoc loco signatur ecclesiastica congregatio, utriusque Testamenti doctrinis imbuta, gemina caritate fundata, duobus ex populis adunata. Porro per triticum, quod est optimum granum, prælati perfecti ac prædicatores expressi sunt, quorum est alios
C spiritualiter ac saporose reficere. Itaque bilibris tritici, est collectio eminentium personarum Ecclesiæ. Hæc empta est denario uno, scilicet pretio sanguinis Christi, sicut ait Apostolus : Empti estis pretio I Cor. VI, 20.
magno. Vel, denarius est vita seu merces beata in patria, quæ in Evangelio per denarium significatur diurnum. Hoc nummo digna censetur Ecclesia, et pro eo obtinendo redempta est et renata in Christo. Matth. XX, 2.
Insuper nomine hordei, inferiores, rudiores, et subditi exprimuntur. Tres vero
D bilibres hordei, sunt tota hæc fidelium multitudo, in fide superdignissimæ Trinitatis vivens : quæ licet inferior sit gradu, dignitate, aut merito, eodem tamen pretio est redempta, et ad eamdem beatitudinem ordinata. Ideo quum tantæ æstimationis sint apud Deum fideles, clamat angelus, ne lædantur malo exemplo, vel ne corporalis afflictio eis spiritualiter noceat, videlicet ne succumbant, imo per adversa proficiant et salventur; item, ne corporaliter plus quam Deus permittit, ab

aliquo molestentur. Per vinum autem et A oleum intelliguntur, qui quasi medio modo inter istos se habent, vel medium statum tenent : qui propter devotionis fervorem, et mentis in Deo jucunditatem, significantur per vinum ; per oleum vero, propter pietatem et animi bonitatem. Tales præcipue sunt religiosi, qui similiter non sunt lædendi.

Potest quoque verborum horum hic esse sensus, quod vox illa Dei prædixerit fideles majores atque minores in tantum a persecutoribus esse vilipendendos, ut B pro uno denario traderent multos, vixque alicujus valoris eos haberent, juxta id
Sap. v, 4, 5. quod in fine dicturi sunt : Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est ? Unde quum pretiosi sunt coram Deo, per vinum et oleum designantur ; et persecutori omni præcipitur ne eos lædat modis prætactis.

7 *Et quum aperuisset sigillum quartum,* secundum sensum de aliorum sigillorum C apertione inductum, *audivi vocem quarti animalis,* videlicet aquilæ, per quam Joannes significatur, cujus vice locutus est angelus ad eumdem, personam Ecclesiæ repræsentantem, *dicentis : Veni, et vide.*

8 *Et ecce equus pallidus,* id est hypocritarum et fallacium fratrum cœtus ; *et qui sedebat super eum,* id est quicumque principalis et ductor illorum, *nomen illi Mors :* quia et ipse in anima mortuus est, aliorumque animas subvertendo occidit. Hic equus est pallidus, quoniam designati sunt D per eum, qui caritate et sapientia, quasi aurum se fulgere fingunt, sed simulatio-
Matth. vi, 16. ne pallescunt, insuper exterminant facies suas, ut pareant hominibus jejunantes. *Et infernus sequebatur eum,* id est, æterna pœna morientem talem mox comitatur. Sed et multi diaboli currunt post eum, et suæ dolositatis sunt comites et consortes. *Et data est illi potestas super quatuor partes terræ :* quia in omni loco Ecclesiæ, hypocritarum ac seductorum genus

consistit, estque ubique in falsis fratribus II Cor. xi, 26.
periculum. Nam vir fratrem suum vena- Mich. vii, 2.
tur ad mortem ; atque in omni angulo terræ inveniuntur, qui proximum a Deo avertere, et ad vana convertere moliuntur. Ideo subditur : *interficere gladio,* id
est sermone venenato : nam gladius in Ps. lviii, 8.
labiis eorum ; *fame,* id est subtractione alimoniæ verbi Dei ac sacramentorum, *et bestiis terræ,* id est carnalibus et irrationabilibus concupiscentiarum vitiorumque motibus, vel crudelibus prælatis atque principibus, per quos multi spiritualiter corporaliterque necantur, *et morte,* id est alio quovis modo nocendi ac perimendi in corpore sive in anima.

Et quum aperuisset sigillum quintum, 9
juxta sensum præhabitum, *vidi subtus altare,* id est in secretario laudis æternæ, quod est sublime altare triumphantis Ecclesiæ ; vel, Subtus altare, id est sub Christi custodia et quiete : Christus enim uno modo altare vocatur, in quo et super quod cuncta quæ immolamus, offerre debemus, videlicet in fide et caritate ipsius ; *animas interfectorum propter verbum Dei, et testimonium quod habebant,* id est animas martyrum qui occisi sunt eo quod Christum prædicaverunt sive confessi sunt. Has animas earumque gloriam vidit Joannes in spiritu, eo modo quo vidit et angelum secum loquentem. Omnia enim hæc per quasdam effigies sibi præsentabantur.

Et clamabant voce magna, id est plu- 10
rimum affectuosa, *dicentes : Usquequo, Domine, sanctus et verus, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra,* id est de persecutoribus nostris ? Hæc beatæ animæ, divinæ æquitati penitus conformatæ, zelo justitiæ, non appetitu ultionis, nude precantur. Quod enim id liceat, per id constat quod Christus
ait in Evangelio : Deus non faciet vindi- Luc. xviii, 7, 8.
ctam servorum suorum clamantium ad se die ac nocte ? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Hinc subditur :
Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, id 11

est unicuique præmium essentiale, quod est gloria animæ; *et dictum est illis*, id est a Deo responsum, *ut requiescerent tempus adhuc modicum*, id est, patienter præstolarentur, et interim corpora eorum in sepulcris quiescérent usque ad diem judicii : quod modicum est comparatione durationis futuri sequentisque sæculi; *donec impleatur numerus conservorum eorum*, qui nunc in militanti Ecclesia Deo ministrant, vel concivium suorum qui cum ipsis in cœlis Deo deserviunt, *et fratrum eorum qui interficiendi sunt sicut et illi* pro fide occubuerunt. Multi enim sub Antichristo circa finem sæculi occidentur. Et tamdiu durabit hujus mundi decursus, quousque electorum numerus compleatur. Unde per fratres possunt intelligi martyres, propter ampliorem mutuo similitudinem; per conservos vero, confessores.

Itaque in hujus sigilli apertione, plenius declarata est S. Joanni gloria quiescentium in Christo, et consolatio eorumdem, futurumque martyrium plurimorum in Ecclesia militanti. Sed quum Sancti in patria nil precentur nisi quod obtinent, animarum istarum oratio fuit a Domino exaudita, quia nec ipsi aliter appetierunt fieri ultionem, quam Deo placeret. Ex his etiam probantur animæ ante futuram resurrectionem beatificari. Iterum, innotescit ex his quam stulta fuerit hæresis dicentium, impios in die judicii precibus electorum salvandos, quum ex hoc loco ac Evangelio pateat quod Sancti optant postulantque justam vindictam.

12 *Et vidi quum aperuisset sigillum sextum*, magis ac magis revelando mihi divinæ scientiæ de statu Ecclesiæ sacramentum : *et ecce terræ motus factus est magnus*. Ista de novissima sub Antichristo persecutione acerrima exponuntur. Loquitur autem Joannes more prophetico de futuro quasi præterito, propter certitudinem prophetiæ. Tunc igitur erit magnus terræ motus, id est maxima inquietudo, turbatio, motio habitantium in terra.

A Erit enim tunc tribulatio qualis non fuit a principio, ut proprio ore contestatus est Christus, qui et per Danielem id ipsum prædixit. *Et sol factus est niger* : id est, Christus sol justitiæ tunc majestatem suam minus solito declarabit, nec coruscabit per servos suos miraculis; diffamabiturque nomen ipsius, et blasphemiis ipse inhonorabitur maximis vehementer; *tanquam saccus cilicinus*, qui est obscuri coloris, et vilis putatur. Quidam per solem intelligunt doctores Ecclesiæ, qui tunc B per sapientiam non lucebunt ut ante, nec fulgebunt prodigiis. *Et luna tota facta est ut sanguis* : id est, Ecclesia plus solito sanguinem fundet, atque ab impiis sanguinolenta seu peccatrix dicetur.

Matth. xxiv, 21. Dan. xii, 1.

Et stellæ cœli ceciderunt super terram : id est, qui in Ecclesia splendidi videbantur, timore et acerbitate persecutionis illius a fide recedent, quidam veraciter, quidam simulate seu apparenter; aliqui quoque simulata sanctitate et miraculis Antichristi fallentur; *sicut ficus emittit* C *grossos suos quum vento magno movetur* : tunc enim grossi, id est primi temporis fructus arboris fici, ex vento impellente mox cadunt in terram. 13

Et cœlum recessit : id est, Ecclesia tunc prædicationem suam abscondet, nec publice more solito apparere, Christumque colere et laudare audebit, nisi aliqui valde perfecti seu deprehensi; *sicut liber involutus*, id est signatus et clausus. Nam, sicut hujusmodi liber quid intus contineat non ostendit; sic Ecclesia tunc filiis suis, D non extraneis, se manifestabit. Unde Beda hic ait : Sicut liber involutus mysteria quidem intus, sed foris non apparentia, continet; sic et tunc Ecclesia suis tantum cognita, persecutionem discrete vitans recedet, ut ab extraneis abdita non videatur. *Et omnes montes et insulæ moti sunt de locis suis* : id est, magni ac eis in insulis subditi, a facie tyrannidis Antichristi vel corporaliter fugient, vel ab ecclesiastica unitate ac fide recedent : sic tamen ut sit distributio pro generibus singulo- 14

rum, quoniam quidam de omnibus movebuntur.

15 *Et reges terræ, et principes, et tribuni,*
et divites, et fortes, et omnis servus et
liber, absconderunt se in speluncis et in
16 *petris montium ; et dicunt montibus et*
petris : Cadite super nos, et abscondite
nos a facie sedentis super thronum, id est
Dei omnipotentis, qui unus est et trinus, *et ab ira Agni,* videlicet Christi secundum naturam assumptam, in qua judicium exsequetur. Totum istud uno modo exponitur de Christianis, qui tunc ab Antichristi ferocia se abscondent diversis ac secretis latibulis, et præ vehementi angustia, quasi per excessum loquentes, precantur ut a montibus et petris operiantur, et abscondantur a facie sedentis super thronum, id est, persecutionis acerbitatem, quam Deo permittente seu ordinante sciunt grassari in populo christiano, effugiant. Juxta quem modum scriptum est : (*Osee* x, 8.) Dicent montibus, Cadite super nos ; et collibus, Operite nos. Quod et Christus tempore passionis testatus est peccatores esse dicturos (*Luc.* xxiii, 30.). Præterea per montes et petras a quibus quærunt operiri et abscondi, quidam intelligunt majores et perfectiores, quorum consilio, auxilio precibusque inferiores et minus perfecti quærent juvari, defendi, salvari, ne Christo veniente sint imparati, sed fixi reperiantur in fide. Plerique per montes et petras intelligunt Sanctos in patria confirmatos in bono, instar petrarum et quasi montes præcelsos, quorum suffragia tunc isti postulabunt. — Secundo hic locus exponitur de reprobis, qui die judicii imminente, se quærent abscondere, et iram Dei evadere.

Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, scilicet sedentis in throno et Agni, 17
id est tempus gravissimæ persecutionis a Deo et Christo permissæ, quæ patientibus atque timentibus quasi ira Dei videbitur, quamvis ira proprie Deo non competat, qui electos suos ex amore potius et pietate quam ex ira, in præsenti flagellat, ut emendentur aut perficiantur. *Et quis poterit stare,* id est constans in fide manere tempore tantæ persecutionis ? Nullus utique propria virtute. Erit enim tunc tentatio tanta, ut in errorem ducantur etiam, si fieri potest, electi (*Matth.* xxiv, 24.).

Postremo, quod dictum est, Sol factus est niger, et luna ut sanguis, et stellæ cœli ceciderunt, et cœlum recessit, etc., puto adhuc aliter posse intelligi. Siquidem S. Joannes volumine isto prophetali, sequitur modum loquendi Prophetarum. Est autem consuetudo Prophetis, ut quum gravem aliquam hominibus vastitatem denuntiant, luminaria cœli asserant immutari : quia videlicet hominibus in mœrorem dejectis ad solatium non relucent, quibus omnia sunt amara, et ipsa etiam lux consistit odibilis. Et juxta hunc sensum verba hic posita, in Prophetis quoque inveniuntur conscripta. Et primo, ut aliqua commemorentur, apud Joelem dicitur : Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum (*Joel.* ii, 10; iii, 15.); itemque, Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem (*Ibid.* ii, 31.). Item apud Isaiam : Complicabuntur sicut liber cœli (*Is.* xxxiv, 4.). Sic et in Ezechiele, quum Dominus Pharaonis clades prædiceret : Operiam, inquit, quum exstinctus fueris, cœlos, et nigrescere faciam stellas ; omnia luminaria cœli mœrere faciam super te (*Ezech.* xxxii, 7, 8.).

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : POST HÆC VIDI QUATUOR ANGELOS STANTES.

Apoc. VI, 12 *et seq.* QUONIAM ea quæ in fine præcedentis
capituli sub sexti sigilli reseratione
descripta sunt, ad Antichristi persecutio-
nes ac tempora sunt relata, convenientius
reor, ex ipso textus tenore, connexione et
forma, etiam quæ sequuntur, ad prædicta
1 referre. Subditur enim : *Post hæc vidi
quatuor angelos stantes super quatuor
angulos terræ, tenentes quatuor ventos
terræ, ne flarent super terram.* Itaque
quæ nunc dicuntur, ostensa sunt ei post
ea quæ præcedenti capitulo scripsit, tan-
quam implenda dum implebuntur quæ
sexti sigilli apertionem concernunt. Non-
dum enim de septimi sigilli apertura dis-
seruit. Denique tempore Antichristi, satel-
lites ejus in principalibus mundi partibus,
plagis seu regnis, tenebunt dominium, nec
evangelicæ legis prædicatores permittent
verbum Dei disseminare.

Est itaque sensus : *Post hæc vidi qua-
tuor angelos,* id est quatuor dæmones, se-
cundum Haymonem. De quibus Paulus :
I *Cor.* VI, 3. Nescitis, inquit, quia et angelos judicabi-
Rom. VIII, 38, 39. mus ? Et rursus : Certus sum quia neque
mors, neque vita, neque angeli, neque
principatus, neque virtutes, etc., poterunt
nos separare a caritate Dei. Alii per qua-
tuor angelos intelligunt sæculi principes.
Stantes super quatuor angulos terræ, in
quatuor partibus mundi habentes domi-
nium, si de terrenis principibus intelliga-
tur. Si autem de spiritibus malis, sensus
est quod et ipsi in locis impiorum con-
sistunt. Quemadmodum autem regnis præ-
sident angeli boni, ita apponuntur eis et
angeli mali. *Tenentes quatuor ventos ter-
ræ,* id est vitæ spiraculum auferentes cre-
dentibus, et suo dominatu omnia præfo-
cantes, *ne flarent super terram,* id est, ne
A fidelibus pacifice vivere concederetur. Per
hanc metaphoricam locutionem innuitur,
quod ad tantam angustiam impii illi per-
ducent Ecclesiam, ut respirare vix queat.
Rursus, venti terræ dicuntur prædicato-
res, qui audientium corda refrigerant, spi-
ritualis vitæ flatum infundunt, nubem
obumbrantis gratiæ afferunt. Itaque præ-
fati angeli tenebunt quatuor ventos terræ,
id est, prædicatores totius Ecclesiæ impe-
dient ne flent super terram, id est, ne
verbum Dei hominibus prædicent. De quo
B flatu in Canticis dicitur : Veni, Auster, *Cant.* IV, 16.
perfla hortum meum. *Neque super mare,*
id est in insulis maris, et his qui occu- *Ps.* CVI, 23.
pantur in aquis multis, *neque in ullam
arborem,* id est in eos qui habitant in
locis arboribus consitis. Vel arbores sunt
homines, secundum quod ait Salvator :
Aut facite arborem bonam, et fructum *Matth.* XII, 33.
ejus bonum ; aut facite arborem malam,
etc.

Et vidi alterum angelum, ascendentem 2
ab ortu solis, id est ab oriente, *habentem*
C *signum Dei vivi.* Per hunc angelum qui-
dam intelligunt Jesum Christum, qui est
magni consilii Angelus, visitavitque nos *Is.* IX, 6, juxta LXX.
oriens ex alto ; et ascendit, id est, subli- *Luc.* I, 78.
miter venit et gloriose innotuit, ab ortu
Solis æterni, ex corde Patris altissimi, ex
summo cœlo, ubi est nunquam deficiens,
ubi sol intelligentiæ mentibus oritur Bea-
torum. Hic habuit signum Dei vivi, scili-
cet crucis vexillum. Habuit quoque si-
gnum quod vere missus esset a Deo, et
quod esset Deus verus, secundum quod
D ait : Opera quæ dedit mihi Pater ut per- *Joann.* V, 36.
ficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testi-
monium perhibent de me. — Verumtamen
per angelum istum potius arbitror in-

A telligendum angelicum spiritum divinitus missum, prout infra in textu tangi videtur. Deus enim per angelos disponit Ecclesiam. Qui angelus in visione imaginaria videbatur Joanni quasi ab oriente conscendere, atque in altiora volare, sicque in sublimi stans, ea quæ subsequuntur, clamare. Habuit autem signum Dei vivi, quia in eo certum videbatur indicium quod esset de curia summi Regis, et angelus sanctus, non malus sicut prædicti. Præterea angeli sancti subinde cum crucis vexillo apparuisse leguntur. Sed et signum istud intelligi potest potestas refrenandi ac compescendi ferociam malignorum spirituum.

Et clamavit voce magna, id est, grandi auctoritate præcepit, *quatuor angelis quibus datum,* id est permissum, vel etiam divina justitia exigente concessum *est nocere terræ et mari,* id est persecutionem inferre fidelibus, in provinciis ac insulis
3 hinc inde manentibus, *dicens : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus,* id est, ultra non attentetis vexare fideles (qui per terram, mare et arbores, sicut expositum est, designantur), sicut fecistis, *quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum,* id est, quoadusque ego et angeli sancti mihi cooperantes, crucis vexillo fideles ab infidelibus discernamus, vel prædestinatos ad fidem convertendos notemus, eorumque conversioni cooperemur. Quibus verbis instruimur, quod licet Deus permittet Antichristum ad tempus regnare, cito tamen malitiæ ejus satellitumque ipsius finem imponet, ita quod angeli sancti dæmonum quoque tunc compescent sævitiam, ne Christianos omnino exstinguant, nec electorum conversionem ad Christum impediant.

Quidam vero, ut Berengandus et Beda, exponunt hæc pro tempore primi adventus Christi, quando quatuor principalia regna mundi perfida erant, et homines variis modis vexabant, postea quoque evangelicæ legis prædicationem impedire conata sunt. Quorum pravitatem compescuit Christus, suosque protexit ne eorum quis impediret salutem. Imo ante suam nativitatem ex Virgine, voluit pacem esse in mundo, cunctis subjectis Romano imperio. Quamvis autem istud catholice dictum sit, non tamen videtur expositio ista ad præcedentia atque sequentia esse connexa. Neque enim in primo Christi adventu impleta sunt quæ mox subduntur. —Alii referunt istud ad tempora Constantini imperatoris, cujus temporibus dicunt fuisse quatuor persecutores præcipuos in B diversis provinciis, quos dicunt hic per quatuor angelos tenentes quatuor ventos signari. Et per angelum ascendentem ab ortu solis, æstimant Constantinum imperatorem notari, cujus virtute prædicti persecutores a Christianorum infestatione repressi sint. Verumtamen ejus tempore impletum non est quod de signatione servorum Dei in frontibus suis subjungitur, nisi secundum spiritualem intelligentiam, secundum nominum interpretationem acceptam. Sequitur enim de numero si- C gnandorum et jam in Dei præscientia signatorum.

4 *Et audivi numerum signatorum* signo Dei in fronte, ut dictum est, *centum quadraginta quatuor millia ex omni tribu filiorum Israel,* ita quod omnes simul accepti, tot fuerunt seu erunt. Ex qualibet enim tribu erunt duodecim millia. Quumque duodecim tribus sint, signati ex omnibus tribubus istis pariter sumpti constituunt numerum memoratum. Nam in fine, Antichristi detecta perfidia, omnes D tribus Israel convertentur ad prædicationem Eliæ, multo utique plures quam hic taxantur. Unde per numerum istum determinatum indeterminatus exprimitur, propter perfectionem numeri hujus, quemadmodum expositores satis declarant. *Malach.* IV, 5, 6; *Matth.* XVII, 11.

5 *Ex tribu Juda, duodecim millia signati,* id est, duodecim millia hominum ex hac tribu signabuntur signo crucis fide suscepta; *ex tribu Ruben, duodecim millia signati,* etc. Convenienter a tribu Juda incepit, quia ex ea nati sunt reges, et quoniam

I *Par.* x, 2. Judas inter fratres suos robustissimus fuit,
ut primo Paralipomenon legitur: potissi-
Matth. I, 3-16. mum autem, quia de semine ejus natus
est Christus. Omittit autem tribum Dan,
quia de ea, ut dicitur, Antichristus na-
scetur. Duodecim tamen nomina tribuum
ponit : nam tribum Manasse et tribum
Gen. XLI, 50, 51. Joseph distinguit, quum tamen Manasses fi-
lius fuerit Joseph. Similiter tribum Ephra-
im non expressit : cujus secundum quos-
III *Reg.* XI, 26; XII, 20, 26 *et seq.* dam, est ratio, quia Jeroboam primus rex
decem tribuum Ephratæus, populum Is-
rael ad idololatriam traxit. Alii asserunt,
per tribum Joseph tribum Ephraim desi-
gnari.

Qui autem hoc loco per duodecim tribus
intelligunt universos fideles (qui Patriar-
charum fidem et opera imitando, spiritua-
liter eorum filii nuncupantur, juxta illud
Galat. III, 29. Apostoli : Si enim vos Christi, ergo semen
Abrahæ estis), mysticam intelligentiam pe-
nes nominum interpretationem accipiunt.
Gen. XXIX, 35. Judas enim interpretatur confessio. Idcirco
per tribum Juda, omnes qui Christum ve-
raciter confitentur, et propria quoque ma-
la confiteri non renuunt, intelliguntur.
Ibid. 32. Porro Ruben interpretatur videns filium,
vel videns in medio, vel filius visionis. Ejus
itaque tribus sunt, qui visioni contempla-
tionis insistunt, et in medio laqueorum
se positos cernunt. *Ex tribu Gad, duode-*
Ibid. XXX, 11. *cim millia signati.* Per Gad, qui interpreta-
tur accinctus, intelliguntur qui virtutibus
6
contra peccata armantur. *Ex tribu Aser,*
Ibid. 13. *duodecim millia signati.* Per Aser, qui in-
terpretatur beatus, significantur qui evan-
gelicarum beatitudinum possessores consi-
stunt, et futuram prægustare beatitudinem
nunc merentur. *Ex tribu Nephthali, duo-*
Ibid. 8. *decim millia signati.* Per Nephthali, qui
latitudo interpretatur, hi qui caritate ex-
tenduntur ad omnes, significantur. *Ex tri-*
bu Manasse, duodecim millia signati. Per
Ibid. XLI, 51. Manassen, qui oblivio interpretatur, signa-
ti sunt qui inferiorum ac volubilium obli-
viscentes, divinorum meditationibus suam
semper replere et occupare nituntur me-
moriam.

A *Ex tribu Simeon, duodecim millia si-* 7
gnati. Per Simeonem, qui audiens mœro- *Gen.* XXIX, 33.
rem interpretatur, sunt intelligendi qui
ex passionis Christi memoria salubri con-
ficiuntur mœrore, etiam ex desiderio pa-
triæ, ex contemptu propriæ culpæ, ex
proximorum ruina, et ex proficiendi af-
fectu. *Ex tribu Levi, duodecim millia si-*
gnati. Per Levi, qui additus dicitur, ex- *Ibid.* 34.
primuntur qui bona bonis accumulant, et
observantiæ præceptorum observantiam
consiliorum adjiciunt. *Ex tribu Issachar,*
B *duodecim millia signati.* Per Issachar, qui *Ibid.* XXX, 18.
merces interpretatur, dantur intelligi qui
meritis abundare satagunt, præmiique in-
tuitu fortiter agunt. *Ex tribu Zabulon,* 8
duodecim millia signati. Per Zabulon, qui *Ibid.* 20.
habitaculum fortitudinis interpretatur, si-
gnati sunt qui perseverantes in bonis, in
Deo quasi in firmissima terra quiescunt.
Ex tribu Joseph, duodecim millia signati.
Per Joseph, qui interpretatur augmentum, *Ibid.* 24.
expressi sunt qui spiritualibus divitiis
quotidie augmentantur. *Ex tribu Benja-*
C *min, duodecim millia signati.* Per Benja- *Ibid.* XXXV, 18.
min, qui filius dexteræ interpretatur, fi-
gurati sunt qui Deum sibi gratiose ac pie
adsistentem sortiti sunt, atque in ejus
dextera collocabuntur.

Sed quia post Antichristi interitum, et
generalem Judæorum conversionem, mox
beatitudo æterna præstabitur, congruenter
de triumphante Ecclesia subditur : *Post* 9
hæc vidi in spiritu *turbam magnam, quam*
dinumerare nemo, id est nullus homo via-
tor, *poterat* (Beatis vero in patria nume-
D rum electorum concivium suorum consta-
re probabile est), *ex omnibus gentibus, et*
tribubus, et populis, et linguis, stantes
ante thronum, id est coram majestate di-
vina : cujus thronus quandoque Ecclesia
militans, quandoque Ecclesia triumphans,
interdum Christi humanitas, interdum ani-
ma justi, interim cœlum empyreum, non-
nunquam ipsamet Dei auctoritas ac pote-
stas vocatur : sicque nunc potissimum
sumitur. Dicuntur autem Sancti stare co-
ram Deo, et ante eum, non quasi Deus non

sit intra eos, qui omnia implet ac pene- A
trat ; sed humano more loquuntur Scri-
pturæ, morem gerentes infirmitati intelli-
gentiæ nostræ. Stant itaque ante thronum,
tanquam vultui majestatis intenti, ejusque
obsequio cum inæstimabili reverentia in-
desinenter parati. *In conspectu Agni,* quia
de Christi humanitate speciali gaudio re-
ficiuntur : cui etiam secundum naturam
assumptam, reverenter subduntur. *Amicti*
stolis albis, id est candidissimis inconta-
minatisque gloriæ vestimentis, puta dupli-
cibus stolis, beatitudine animæ et corpo-
ris, præmio essentiali et accidentali, sicut
Is. LXI, 7. scriptum est : Propterea in terra sua dupli-
cia possidebunt ; *et palmæ,* id est victoriæ
suæ indicia, *in manibus eorum.*

10 *Et clamabant voce magna,* scilicet amo-
rosa, jucunda, devota : *Salus Deo nostro,*
qui sedet super thronum, id est, uni tri-
noque Deo sit summa, æterna et infinita
felicitas, omnisque gloria ei attribuatur,
et quidquid salutis in nobis est, ab ipso
profluxit. Hoc congratulando dicunt, quia
sic est ; non orando ut sit : sicut quum
Ps. CXLVIII, 2. dicimus, Laudate eum, omnes angeli ejus.
Et Agno, id est Christo secundum quod
homo est. Aliter tamen competit salus
Christo ut homini, quam superbenedictæ
Trinitati. Siquidem, secundum quod homo
est, causa est nostræ salutis instrumenta-
lis et meritoria ; habetque felicitatem cre-
atam finitam, sed majorem quam ceteri
universi simul accepti.

11 *Et omnes angeli stabant in circuitu*
throni et seniorum et quatuor animali-
um, id est hominum beatorum in cœlo
glorificatorum, scilicet Evangelistarum et
præcipuorum Patrum Ecclesiæ, qui ut di-
ctum est, per quatuor animalia et senio-
res expressi sunt. Loquitur autem Joannes
de istis, secundum quod ipsi in visione
apparuit, et pro statu futuro in patria. *Et*
ceciderunt in conspectu throni in facies
suas. Sic in imaginaria visione apparebat
Joanni. Quo significatur, quod angeli san-
cti Deo spiritualiter atque humiliter pro-
sternuntur, eique de hominum triumpho
et gloria regratiantur. *Et adoraverunt*
Deum, dicentes : Amen, id est, sic sit, et 12
vere sic est, sicut sancti isti homines sunt
locuti : Salus Deo nostro, etc. Nam di-
cendo, Amen, hominum laudem confir-
maverunt, divinæque majestatis honora-
tioni congratulari se monstrant. Denique
addunt :

Benedictio, et claritas, et sapientia, et
gratiarum actio, honor, et virtus, et for-
titudo Deo nostro in sæcula sæculorum,
Amen : id est, ista omnia Deo nostro con-
B veniunt seu debentur. Ipsi benedictio, id
est laudatio, impendatur ; ab omnibus be-
nedictus cognoscatur et commendetur. Ipsi
claritas, pulchritudo, sinceritas, nobilitas
competit, in quo nulla est macula, nulla
imperfectionis aut defectibilitatis admix-
tio. Deus enim lux est, et tenebræ non I *Joann.* I, 5.
sunt in eo ullæ : qui in se ipso immensa
prorsus claritate venustus est. Ipse quo-
que sapientia est, et omnis virtutis origo :
cui omnes mentes bene dispositæ, intimo
regratiantur affectu ; et optare debemus
C ut ei ab omnibus sempiterna gratiarum
actio exhibeatur ; cui soli honor latriæ
debetur. Ipse est virtus virtutum, Sanctus
Sanctorum, omni virtute sine mensura
conspicuus, cujus fortitudo seu omnipo-
tentia finem non habet. Hoc angelicum
canticum mente et ore devotissime fre-
quentemus ; nuncque pro viribus vitam
inchoemus cœlestem, psallendo Deo jugi- *Ephes.* V, 19, 20.
ter in cordibus nostris, semper gratias re-
ferentes eidem, et confitentes ex animo
quod a digna ac plena gratiarum actione
D deficimus in immensum.

Et respondit, id est, ad animæ meæ ad- 13
mirationem seu dispositionem convenien-
ter locutus est, *unus de senioribus* mihi
in visione apparentibus. *Et dixit mihi,*
non quasi ignorans, sed me instruere vo-
lens : *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui*
sunt, et unde venerunt? Et dixi illi : Do- 14
mine mi, tu scis, qui jam unus illorum
es, et regnas in patria. Sicut Zacharias an- *Zach.* IV, 5, 13.
gelo, ita Joannes seniori huic respondit :
quem aliqui putant Petrum fuisse aposto-

lum, qui tempore hujus revelationis triumphavit cum Christo.

Et dixit mihi : Hi sunt, qui venerunt Act. XIV, 21. *ex magna tribulatione*. Per multas enim tribulationes oportet nos ingredi regnum Dei. *Et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni,* id est opera interiora et exteriora, quæ sunt mentis et corporis spiritualia indumenta. Vel stolæ sunt, corpus quo anima vestitur, et anima qua corpus ornatur. Has stolas ab inquinamento peccati mundaverunt in sanguine Agni, id est in fide et imitatione, in virtute et merito passionis Christi. Unde non ait, Rubricaverunt, sed, Dealbaverunt, ad innuendum quod de spirituali dealbatione sit sermo; itemque, quod omni carent immunditia culpæ, quæ nigredini comparatur. Præterea aliqui dicunt, hæc de solis martyribus dici. Beda vero et alii multi exponunt de cunctis beatis hominibus. Nam et aliqui confessorum, longum, magnum ac durum in mundo duxerunt martyrium, sicut Hieronymus, et beatissimi eremitæ.

15 *Ideo sunt ante thronum Dei,* id est, Deo facie ad faciem fruuntur, *et serviunt ei* cultu latriæ, scilicet laudatione, adoratione, gratiarum actione, *die ac nocte,* id est sine interruptione in ipsa æternitate, omne tempus dierum ac noctium complectente, *in templo ejus,* puta in patria ac triumphanti Ecclesia. Verumtamen infra Apoc. XXI, 22. dicit Joannes, Templum non vidi in ea, scilicet in civitate cœlesti : quod quomodo intelligendum sit, ibidem Deo implente dicetur. Hæc servitus, quietissima atque dulcissima merces est servitutis præsentis laboriosæ. *Et qui sedet super thronum,* id est Deus omnipotens, trinus et simplex, *habitat super illos,* id est, in eis per dona gloriæ indesinenter quiescit; et desuper possidet eos, gubernatque immediate per se ipsum, non dirigendo eos in finem adipiscendum, sed conservando immobiliter in fine adepto.

16 *Non esurient neque sitient amplius,* secundum quod in esurie ac siti defectus atque pœnalitas includuntur : jugiter tamen appetent eum in quem et angeli desiderant prospicere. (I Petr. I, 12.) Satiabitur ergo et omnino implebitur in bonis desiderium cordis eorum, (Ps. CII, 5.) ita quod contentantur. *Neque cadet super illos sol,* id est fervor persecutionis, *neque ullus æstus* diræ adversitatis vel anxietatis ; *quoniam Agnus, qui in medio* 17
throni est, id est inter Beatos, et omnium corda inhabitans, *reget eos,* id est, confirmatos tenebit in bono, ita quod amplius errare, peccare, labi aut pati non poterunt, *et deducet eos ad fontes vitæ aquarum,* id est, plenitudine sapientiæ, exuberantia gaudiorum, inundantia æternalium divitiarum, eos sine fine reficiet et potabit, juxta quod scriptum est : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ. (Ps. XXXV, 9, 10.) Fontes enim aquarum vitæ, sunt ipsa infinita sapientia Dei, immensa ejus opulentia, plenitudoque jucunditatis ipsius. Quæ omnia quamvis in Deo sunt unus simplicissimus fons, tamen ob diversitatem effectuum seu donorum, pluraliter nominatur : sicut et misericordia Dei in se una est, quæ frequenter plurali numero designatur. De hoc fonte ad plenum potantur Beati, juxta illud : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. (Ps. XLV, 5.) In quibus impletur quod Dominus per Prophetam dicit : Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium. (Is. LXVI, 12.) — Quod autem hic dictum est, apud Isaiam fere eisdem verbis exprimitur, ubi habetur : Non esurient neque sitient amplius, et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. (Ibid. XLIX, 10.)

Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum. Ecce quam dulce verbum, quam familiarem se exhibet Deus in patria his qui pie lacrimantur, atque salubriter compunguntur in via ! Quam felix lacrima quam Creatoris clementissimi manus absterget ! Ideo ait Salvator : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. (Matth. V, 5.) Hoc ipsum est quod Propheta prædixit :

Is. xxv, 8. Præcipitabit, inquiens, Dominus mortem in sempiternum, et auferet lacrimam ab omni facie. Nonne stultissimi ac vanissimi probantur, qui propter hujus brevissimæ vitæ ac immundissimæ carnis delicias, tanta se beatitudine privant? Quibus loquitur et Christus : Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis et flebitis; væ vobis divitibus, qui nunc habetis consolationem vestram. *Luc.* vi. 25, 24.

ARTICULUS IX

EXPLANATIO CAPITULI OCTAVI : ET QUUM APERUISSET SIGILLUM SEPTIMUM.

OCTAVUM capitulum quidam incipiunt in hoc verbo, Et quum aperuisset; quidam in eo quod post pauca subjungitur, Et vidi septem angelos.

1 Itaque : *Et quum* Agnus habens clavem scientiæ, in quo sunt omnes sapientiæ thesauri, *aperuisset sigillum septimum,* id est, se ipsum ultimumque libri ostensi sigillum secretum præscientiæ Dei de statu Ecclesiæ plenius enodasset, et quid in fine sæculi Antichristo perempto futurum esset, insinuasset, *factum est silentium in cœlo,* id est quies et pax in Ecclesia, *quasi media hora,* id est modico tempore. Per quod figurabatur, quod Antichristo deleto, Ecclesia erit in pace, et libere prædicabit : quod tamen non diu durabit, quoniam cito veniet ad judicium Christus. Unde Beda hic ait : Post interitum Antichristi aliquantula requies futura creditur in Ecclesia, de qua Daniel ita prædixit : Beatus qui exspectat, et pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque. Quod exponens Hieronymus : Beatus, inquit, qui interfecto Antichristo, supra mille ducentos nonaginta dies, id est tres semis annos, dies quadraginta quinque præstolatur, quibus est Dominus atque Salvator in sua majestate venturus. *Coloss.* ii, 3. *Dan* xii. 12.

2 *Et vidi septem angelos.* Hic, secundum Albertum, incipit tertia visio. Et de angelis istis infra sigillatim tractatur. Per quos quidam intelligunt septem hæresiarchas, Arium, Macedonium, Pelagium, etc. Quibus quod subditur non videtur bene congruere, *stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ :* nisi forte dicatur, quod etiam alibi Satan legitur adfuisse inter filios Dei, et coram eo stetisse. Hinc Berengandus, Haymo, Beda, et alii multi, per septem angelos intelligunt prædicatores evangelicæ legis universos, quia frequenter et maxime in libro isto, per septenarium universitas denotatur. Quibus divinitus datæ sunt septem tubæ, id est, cuilibet data est efficacia prædicandi, et sermo idoneus : quæ tubæ nomine exprimuntur, juxta illud Isaiæ, Quasi tuba exalta vocem tuam; et illud Osee, In gutture tuo sit tuba. *Job* i, 6; ii, 1. *Is.* lviii, 1. *Osee* viii, 1.

Et alius angelus venit, et stetit ante altare. Quoniam hic jam alia visio est ostensa Joanni, dicunt doctores catholici, hoc loco statum et cursum Ecclesiæ plenius quasi a principio demonstrari atque conscribi. Unde per angelum istum intelligunt Christum, qui est magni consilii Angelus, et per incarnationis mysterium venit in mundum, stetitque ante altare, id est in conspectu Ecclesiæ, quæ secundum Berengandum et Bedam altare vocatur. Vel altare est ara crucis, in qua ipse summus sacerdos sacrificavit Deo Patri se ipsum. Sed et mensa in qua cœnavit et primam Missam celebravit, corpus suum et sanguinem consecrando, atque discipulis porrigendo, nonne altare rite vocatur? Vel stetit ante altare illud sublime in patria ; 3 *Is.* ix. 6, juxta LXX.

quia licet esset in terra visibiliter, in cœlo A tamen erat veraciter, et per clarissimam contemplationem adstitit Patri. *Habens thuribulum aureum in manu sua.* Thuribulum aureum quidam exponunt corpus Christi immaculatum, ex quo Deus odorem suavitatis accepit ; alii, corda Apostolorum atque credentium, quæ erant in manu, dispositione, directioneque Christi. Potest nihilo minus per thuribulum istud intelligi sanctissima conversatio seu meritum Christi, splendore sapientiæ et caritatis ardore ornata, quæ thuribuli pro- B prietates et actus implevit, sicut paulo post dicetur.

Et data sunt ei incensa multa, id est spiritualia holocausta, videlicet orationes Sanctorum ignitæ, quas fideles offerunt Christo mediatori, ut meritis suæ sacratissimæ in mundo hoc conversationis perficiantur, atque a Deo Patre seu Trinitate exaudiantur. Sicque conversatio seu meritum Christi sortitur rationem thuribuli, quia sicut in thuribulo ignis et thus simul ponuntur, ut odor suavis erumpat, ita in C conversatione ac merito Christi preces fidelium actusque fundantur, ut coram Deo suaviter redolescant. *Ut daret,* id est, Patri offerret, tanquam advocatus ac mediator, non ut Verbum Genitori æquale, *de orationibus Sanctorum* [*omnium*], quia incensa ista sunt de numero orationum quas devoti per Christum immolant Deo, *Ps.* CXL, 2. juxta illud : Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo ; *super altare aureum,* id est super conversationis suæ meritum, vel super corpus suum ac cor- D poris sui passionem, ut scilicet horum dignitate atque virtute, orationes Sanctorum sortirentur effectum. Denique, teste Apo- *Rom.* VIII, 34. stolo, Christus interpellat pro nobis. Et *I Joann.* II, 1, 2. Joannes dicit : Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum ; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. *Quod est ante thronum Dei,* id est in approbatione et beneplacito ejus, sicut ad Filium *Matth.* III, 17 ; XVII, 5. locutus est Pater : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

4 *Et ascendit fumus aromatum,* id est odor seu grata acceptio, *de orationibus Sanctorum,* quæ sunt fragrantissima coram Deo aromata, *de manu angeli,* id est virtute, interpellatione, et merito Christi, qui preces suorum immolat Patri, cujus vultui nunc apparet, pro nobis ostendens *Hebr.* IX, 24. ei quam pro nobis assumpsit naturam, et quid in ea pro nobis fecit ac pertulit. Ideo subditur, *coram Deo.*

5 *Et accepit angelus,* id est Christus, *thuribulum aureum,* id est corpus suum incontaminatum, vel conversationem suam sanctissimam, eam pro nobis Patri allegando ac offerendo, seu ostendendo ; *et implevit illud de igne altaris,* id est donis, fervore et gratia Spiritus Sancti, qui altaris (id est Ecclesiæ) ignis est. Nam et Christo homini dedit Pater seu Trinitas *Joann.* III, 34. Spiritum non ad mensuram. Et ipsemet Christus opera sua in summa caritate exhibuit et effecit. *Et misit in terram* ignem istum seu gratiam et ardorem Spiritus Sancti. Nam de plenitudine Christi acce- *Ibid.* I, 16. pimus omnes. Qui ait : Ignem veni mitte- *Luc.* XII, 49. re in terram. Misit quoque corpus suum in terram, scilicet in sepulcrum, et derelinquens illud in Sacramento Ecclesiæ cunctis fidelibus ad refectionem salutis, ad caritatis indicium, ad perpetuam rei memoriam. Sed et conversationem suam nobis in exemplum reliquit, sicut scriptum est : Christus passus est pro nobis, *I Petr.* II, 21. nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. *Et facta sunt tonitrua et voces,* id est sublimia ac mediocria documenta, *et fulgura,* id est coruscantia signa, prout supra magis expositum est, *et* *Apoc.* IV, 5. *terræ motus magnus,* id est grandis admiratio habitatorum terræ, aliis pœnitentibus, aliis obstinatis et conversos vexantibus.

Quamvis autem expositio ista sit vera atque catholica, aptius tamen videtur ut angelus iste intelligatur angelicus spiritus Ecclesiæ præsidens, scilicet Michael, quia nunc princeps exstat Ecclesiæ, sicut olim *Dan.* X, 21 ; XII, 1. Synagogæ. Iste Ecclesiam visitat, et ante

ejus altare stat, habens thuribulum aureum, id est caritatem præcipuam ad fideles, per quam eorum spiritualia sacrificia colligit, Deoque affert. Cui dantur incensa multa, quando Ecclesia ejus suffragia petit, suasque preces per manus illius Deo offerri precatur. Quod et ille diligenter exsequitur, offerens preces et actus fidelium super altare aureum illud cœleste in patria, super quod Beati laudes et preces offerunt Domino. Insuper accipit angelus iste thuribulum suum aureum, quia caritatem suam extendit ad nos, illudque implet igne præfati altaris, se ipsum ad nos amandos inflammans, vel precibus suis ac nostris ardorem sanctæ caritatis nobis a Deo obtinens ac reportans. Ideo sequitur : Et misit in terram, id est, corda fidelium hoc igne caritatis succendit : quo facto, fiebant tonitrua, voces et fulgura, quia tunc corda prædicatorum, prælatorum sive doctorum confortata sunt atque idonea facta ad prædicandum et ad miraculose agendum.

6 *Et septem angeli qui habebant septem tubas* (quid per angelos istos eorumque
vers. 2. tubas signetur, pro viribus dictum est), *præparaverunt se ut tuba canerent,* id est, ad prosequendum prædicationis officium sibi injunctum, se idoneos exhibuerunt, se humiliando, in Dei ope sperando, juste vivendo, ut quod prædicaturi erant, primo implerent, exemplo Christi,
Act. I, 1. qui cœpit facere et docere.

7 *Et primus angelus tuba cecinit.* Per primum angelum tuba canentem, primus prædicatorum Ecclesiæ ordo, videlicet Apostolorum chorus tubaliter prædicans, designatur. *Et facta est grando et ignis mixta sanguine.* Hoc accipi potest in bono, quantum ad electos atque conversos ; et in malo, quantum ad infideles, duros et reprobos. Juxta primum sensum, per grandinem quæ percutit, verba Apostolorum, quæ corda pravorum arguendo percutiebant et convertebant, intelliguntur ; per ignem, amor et gratia Spiritus Sancti ; per sanguinem, cruor Christi pro

A hominibus fusus. Hi ergo verbo Dei percussi, et Spiritus Sancti igne inde succensi sunt. Quæ grando et ignis mixta sunt sanguine, id est, virtute dominicæ passionis dabantur et operabantur. Porro, juxta sensum secundum, per Apostolorum prædicationem reprobi majorem damnationem promeruerunt, verbis Dei non obediendo : sicque facta sunt eis grando et ignis mixta sanguine, id est tempestas atque incendium infernale pro sanguinolentis et carnalibus eorum operibus. At
B vero Beda venerabilis hunc assumit sensum, quod per Apostolorum prædicationem hæ pœnæ infernales innotuerunt hominibus : ita ut per grandinem intelligatur frigus inferni ; per ignem, ardor ipsius. Ab aquis enim nivium ad calorem nimium transient, et usque ad inferos peccatum illorum, ut Job ait. Job XXIV, 19. Præter hunc et alius non inconveniens sensus accipi potest, quod scilicet ex Apostolorum prædicatione facta est grandis tempestas et ignis æmulationis in mundo, ad quæ
C consecuta est sanguinis copiosa effusio, quibusdam credentibus, aliis contradicentibus et credentes necantibus.

Et missum est in terram totum istud, secundum Glossam, scilicet grando, ignis, et sanguis : id est, hominibus ista denuntiata sive illata sunt, electis quidem salubriter, secundum primam expositionem, reprobis vero damnabiliter, scilicet ad damnationem eorum, juxta expositionem secundam.

Et tertia pars terræ combusta est, et
D *tertia pars arborum concremata est, et omne fœnum viride combustum est.* Sacra Scriptura multiplicem sensum habere asseritur, non idcirco dumtaxat quoniam litteraliter, tropologice, allegorice et anagogice explanatur ; sed ideo quoque quia in ea vicissim sensus litteralis est multiplex, secundum Augustinum. Cujus ratio est, quia interdum sensus litteralis Scripturæ non est qui per verba, sed qui per res verbis designatas exprimitur. Res autem hujusmodi, diversas sortitæ sunt pro-

prietates et actus : ideo juxta hoc, sensus A
litteralis multiplicatur. Sic autem est in
loco præsenti. Præterea, quod per terram,
habitantes in terra significentur, certissime
constat. Quod etiam per arbores intelligantur
homines, liquet ex eo quod ait
Matth. vii, 19. Salvator : Omnis arbor quæ non facit fructum
bonum, excidetur et in ignem mittetur.
Quod demum nomine fœni homines
innuantur, pandit sermo propheticus, di-
Is. xl, 7; *I Petr.* i, 24. cens : Vere fœnum est populus. Insuper
per tertiam partem istorum, scilicet terræ,
fœni ac arborum, intelligenda est pars
valde magna eorum. — Itaque, *tertia pars
terræ,* id est hominum inferiorum ac subditorum,
et arborum, id est majorum ac
prælatorum, *et omne fœnum viride,* id
est homines in quibus floret juventus, et
humor carnalitatis, ac mundi prosperitas,
combusta sunt, id est consumpti : quidam
salubriter, esse culpæ amittendo, juxta
Prov. xii, 7. Sapientis sententiam, dicentis, Verte impios,
et non erunt ; quidam infeliciter,
damnationem incurrendo : prout grando,
ignis, et sanguis dupliciter exponuntur. C
Quod autem grandinis nomine verbum Dei
possit intelligi, hinc constat quod per
Jer. xxiii, 29. Jeremiam Dominus loquitur : Numquid
non verba mea sunt quasi malleus conterens
petram ?

8 *Et secundus angelus tuba cecinit,* id est
chorus, ordo seu cœtus discipulorum, quos
Apostoli a suis sedibus ad loca diversa
prædicandi gratia direxerunt, vel in certis
urbibus ordinaverunt episcopos, quales
fuerunt excellentissimi patres ac prædicatores,
Dionysius, Polycarpus, Ignatius. *Et* D
ecce tanquam mons magnus igne ardens,
id est diabolus per superbiam elevatus :
Zach. iv, 7. cui dicitur, Quis tu, mons magne, coram
Zorobabel? In quo est ignis invidiæ, fervor
totius impietatis. Unde, secundum Dionysium,
in diabolo est amens furor. *Missus
est in mare,* id est, in corda incredulorum
amara et inquieta, ingressus est, ut
per eos evangelicæ prædicationi resisteret.
Nam, ut Dionysius scribit, audientes
Græci crucem prædicari et resurrectionem
ex mortuis, lato ore riserunt, et tyranni
exacerbati fuerunt. *Et facta est tertia
pars maris, sanguis,* id est, valde
magna pars gentilium fidem recipientium,
sunt occisi. *Et mortua est tertia pars* 9
creaturæ, quæ habebat animam in mari :
quia ut dictum est, in hoc mari magno,
quod est sæculum nequam, multi istorum
sunt trucidati ; alii vero, qui vel non crediderunt,
vel credentes vexaverunt, spiritualiter
mortui sunt. Itaque nomine creaturæ
intelligitur homo, testante Servatore,
B Prædicate Evangelium omni creaturæ ; et *Marc.* xvi, 15.
Apostolo dicente, Invisibilia Dei a creatura *Rom.* i, 20.
mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta
conspiciuntur. *Et tertia pars navium interiit,*
id est rectorum et prælatorum Ecclesiæ,
quorum est alios per hoc mare turbulentissimum
ad salutis vehere portum.
Tunc namque episcopi, aliique principales
inter fideles, primi trahebantur ad mortem.

Et tertius angelus tuba cecinit, id est, 10
ordo sanctorum doctorum, qui cessante
persecutione Ecclesiæ a tyrannis, contra
insurgentes hæreticos tubaliter prædicavit,
et Scripturas vere exposuit, scilicet
Hieronymus, Augustinus, Ambrosius. *Et
cecidit de cælo,* id est de Ecclesia, *stella
magna,* id est quivis hæresiarcha, vel hæresiarcharum
caterva vel cœtus, qui ob
scientiæ eminentiam, sanctitatisque apparentiam,
stellæ vocantur. Nam et tales ab
apostolo Juda, sidera errantia vocantur. *Judæ* 13.
Et quidam per stellam istam intelligunt
Pelagium hæresiarcham, qui fuit valde litteratus
et monachus. *Ardens sicut facula.*
Hi enim flamma proprii sensus et igne
ambitionis vehementer accensi fuerunt.
*Et cecidit in tertiam partem fluminum
et in fontes aquarum,* id est, corda multorum,
etiam baptizatorum, infecit ac perturbavit ;
imo et fontes aquarum, doctores
videlicet et prælatos, a quibus rivi scientiæ
ad subditos profluunt, partim subvertit.
Nam multi episcopi ac prælati per
hæresiarchas fuerunt corrupti. *Et nomen* 11
stellæ dicitur Absinthium, quia maxima
amaritudo, tristitia, et dolor generabatur

electis ex cujuscumque hæresiarchæ per- A versissimis documentis. *Et facta est tertia pars aquarum absinthium :* idque dupliciter. Nam qui consenserunt hæresiarchis, facti sunt similes eis; et appellantur Absinthium, propter amaritudinem vitiorum quibus contra catholicos sæviebant. Ceteri autem fideles, propter hæreticorum impudentiam et errores, simpliciumque pereuntium seductionem, amare planxerunt. *Et multi homines mortui sunt de aquis,* id est de hæresiarcharum doctrinis, sive discipulis, *quia amaræ factæ sunt* aquæ, B id est, Spiritus Sancti dulcedinem perdiderunt, et felle falsitatis ac pravitatis infectæ sunt. Unde et quosdam catholicorum corporaliter occiderunt.

12 *Et quartus angelus tuba cecinit,* id est ordo vel cœtus doctorum, qui contra negligentiam et peccata fidelium, præsertim pastorum, loquuntur. Olim namque, quando vigebant hæretici, erant valde sancti episcopi ; postea autem reddita undique pace, cœperunt prælati negligentius agere, et quadam securitate torpere. Unde et C subditi inferioresque delapsi sunt. *Et percussa est tertia pars solis,* id est prælatorum, qui debent instar solis lucere, et calorem amoris divini in aliorum corde
Matth. v, 14. producere : quibus ait Salvator, Vos estis lux mundi. Isti verbis divinis percussi, reprehensi, notati sunt. *Et tertia pars lunæ,* id est congregationis ecclesiasticæ illis subjectæ, a quibus est illustranda, *et tertia pars stellarum,* id est religiosorum ac inferiorum prædicatorum, quibus ornatur Ecclesia sicut cœlum astris. *Ita ut* D *obscuraretur tertia pars eorum :* nam ex prælatorum, potissime episcoporum, ruina et impia vita, inferiores isti passi sunt magnam divinæ illustrationis et gratiæ minorationem, splendoremque sanctitatis et famæ perdiderunt nitorem; *et diei non luceret pars tertia, et noctis similiter.* Per diem contemplativi, per noctem activi et in pœnitentiæ actibus constituti signantur. Horum grandis pars claritatem gratiæ amiserunt, ita quod sicut tenentur, proximis suis non lucent exemplo, fama, doctrina, consilio atque auxilio : quandoquidem maximum malum Ecclesiæ est, negligentia superiorum, et consequens inde casus inferiorum, ac dissolutio atque carnalitas religiosorum multorum. Juxta hunc modum sumendi diem et noctem, fertur in Psalmo : Dies diei eructat ver- Ps. xviii, 3.
bum, et nox nocti indicat scientiam.

Et vidi in imaginaria visione, *et audivi,* id est, angelo edocente percepi ac 13
intellexi (unde istud Videre et Audire, realiter idem sunt), *vocem unius aquilæ volantis per medium cœlum.* Per aquilæ hujus effigiem, quam in interioribus S. Joannis angelus sanctus formavit, ipsemet Joannes horum scriptor ac denuntiator figurabatur. Porro per medium cœlum, Ecclesiæ protensio insinuatur. Et *dicentis voce magna,* id est seriosa et affectuosa : *Væ, væ, væ habitantibus in terra,* id est viatoribus, præsertim terrena amantibus. Dicitque ter, Væ, ad ampliorem exaggerationem, clarioremque mentis suæ expressionem, conformans se consuetudini Prophetarum, qui instante magno periculo vocem doloris significativam ter exprimere consueverunt, quemadmodum Joel, Jeremias, Ezechiel : in quorum libris subinde sic scribitur, A, a, a, diei Domini, vel aliquid tale; et in Zacharia, O, bis repetitur. Joel. i, 15; Jer. i, 6; xiv, 13; Ezech. iv, 14; xx, 49. Zach. ii, 6. *De ceteris vocibus trium angelorum qui erant tuba canituri :* id est, toties dixit, Væ habitantibus, etc., propter acerbitatem tribulationum denuntiandarum sub vocibus trium angelorum sequentium. Jam enim quinque angelorum buccinatio est descripta, restat trium. Itaque, si per Væ intelligatur pœna damnationis æternæ, vel malum culpæ, referenda erunt hæc væ ad ipsos persecutores justorum, seu reprobos. Si vero temporalem afflictionem designet, poterit ad electos, qui multipliciter affliguntur, referri. Unde et ad innuendum triplex malum, dicit ter, Væ. Est enim peccatum, temporalis vexatio, æterna damnatio.

Postremo, quæ dicta sunt, ad nostram

possent informationem converti, ut scilicet discamus et studeamus continuis atque ardentibus orationibus insudare, quum tanta sit orationis virtus et dignitas ut an-

A gelicis manibus recipiatur, ac in cœlum mox deferatur, faciatque suavem coram Deo odorem. Et qualiter cetera nobis valeant coaptari, perfacile reor. Tob. XII, 12.

ARTICULUS X

EXPLANATIO CAPITULI NONI : ET QUINTUS ANGELUS TUBA CECINIT.

QUEMADMODUM statim post Christi ascensionem et Spiritus Sancti missionem, cœpta evangelicæ legis prædicatione, hæreses oriri cœperunt; sic, secundum quosdam catholicos doctores et patres, Antichristi adventum præcursuræ sunt hæreticæ pravitates. Et inde quidam exponunt præsens capitulum. Omnes autem de hæreticis ista exponunt : sed aliqui de illis hæreticis qui in primitiva fuerunt Ecclesia; aliqui de illis qui post Arium eruperunt; Beda vero, Albertus, et alii multi, de illis qui Antichristi præcurrent adventum. Sensus autem pro magna parte redit in idem. Unde et sic exponenda est littera, ut omnibus queat aptari.

1 *Et quintus angelus tuba cecinit,* id est, quintus ordo vel chorus prædicatorum atque doctorum, ea quæ Christi sunt fortiter prædicavit : quod tamen potissime sumitur de his prædicatoribus qui post præfatos erunt, advenientibus memoratis hæreticis Antichristi adventum præcurrentibus. *Et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram,* id est quempiam hæresiarcham, seu hæresiarcharum catervam : qui ob scientiæ fulgorem stellæ vocantur, et quia plerique eorum, antequam laberentur in hæresim, quasi stellæ in Ecclesia splenduerunt, secundum Berengandum. Labuntur ergo de cœlo, id est de Ecclesia, quæ regnum cœlorum vocatur, in terram, id est ad vitam terrenam et vitiosam, atque ad eos quorum affectio in terrenis versatur. *Et data est illi clavis putei abys-*

B *si,* id est potestas sive industria aperiendi profunditatem, vel secretum fluctuantis amari hæretici documenti. Aqua enim doctrinam significat; abyssus vero, mortifera ac submergentia hæreticorum figmenta. Hæresiarchæ itaque per apparentem ac fictam sanctitatem, per eloquentiæ venustatem, per naturalem philosophiam, per Scripturarum inordinatam allegationem, secreta suorum pandunt atque proponunt errorum. Denique puteus abyssi dici potest intellectus hæresiarchæ, ex quo do-

C gmata hauriuntur iniqua : et hunc puteum suum simulatores et callidi hæresiarchæ sub specie serenissimi fontis aperiunt, felque sub colore mellis propinant. Hinc subditur :

Et aperuit puteum abyssi, id est cordis 2
sui versutias, hæreticosque errores. *Et ascendit fumus putei* abyssi, *sicut fumus fornacis magnæ :* id est, hæreticæ impietatis tenebrosus error et falsitas nubilosa, longe lateque dispersa sunt copiose, et fœtor perfidiæ coram Deo ascendit; sed et

D fama hæresiarchæ vulgata est : quia ut facerent sibi nomen, nova asserere præsumpserunt. *Et obscuratus est sol et aer de fumo putei.* Per solem, sicut jam dictum est, prælati atque doctores, ac superiores quique seu eminentes, quorum est alios illustrare, signantur : et talium multi, hæreticorum errore commaculantur, lumen rectæ fidei ac virtutum perdentes splendorem. Aeris vero nomine, plebs ipsa seu grex significatur, qui a prælato sus- Apoc. VIII, 12.

cipit scientiæ lumen, quemadmodum a sole aer fulgorem. Plebs autem facilius etiam decipitur. Obscurantur quoque electi, dum per hæreticos diffamantur et contristantur.

3 *Et de fumo putei exierunt locustæ super terram,* id est hæretici hæresiarcharum filii sive discipuli, instar locustarum multi, et distorte incedentes per semitas tenebrarum, animo leves ac petulantes. Hi nempe ab hæresiarchis spiritualiter generantur. *Et data est illis potestas sicut habent potestatem scorpiones terræ,* id est, Deo permittente, potestate sibi concessa abutentur, et nocebunt, ac animas lædent improvise, acute, blandisone, sicut scorpio improvise diffundit venenum : nam vultu blanditur, et percutit cauda.

4 *Et præceptum est illis,* id est, Deo agente prohibiti sunt, *ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, sed* * *tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.* (* nisi) Per fœnum, inferiores, fragiles et incipientes; per viride, mediocres et proficientes; per arbores, majores atque perfecti, sunt designati : quibus Deo jubente hæretici non queunt nocere in anima, quando electi sunt, quoniam Dei gratia conservantur. Homines vero signum Dei in suis frontibus non habentes, sunt qui caritatem et opera fidei non habent, qui justo Dei judicio falli ac disperire sinuntur, quemadmodum ait Apostolus : Mittet illis Deus spiritum erroris, ut credant mendacio, eo quod veritatis caritatem non receperunt. (II *Thess.* II, 10.) Et Christus testatur : Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum. (*Matth.* XXIV, 12.)

5 *Et datum est illis,* id est hæreticis a Deo præordinatum, *ne occiderent eos,* puta præfatos fideles, morte perfidiæ vel naturæ. Nam etsi aliquos Christianos, non tamen universos, occidere permittentur. *Sed ut cruciarent* eos, id est, corporaliter persequerentur, *mensibus quinque,* id est per omne tempus vitæ præsentis, quæ propter quinque sensus in quibus agitur, et quin-

A que ætates quibus extenditur (quæ sunt, infantia, pueritia, adolescentia, juventus et senectus), per quinque menses designatur. Beatus Gregorius facit sex ætates in homine. Nam ultimam bipartitur, vocans posteriorem ejus partem, decrepitam, ut sex ætates hominis sex ætatibus mundi conformet. Itaque permittit Deus in sæculo isto catholicos ab hæreticis tribulari, sicut Apostolus loquitur : Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. (I *Cor.* XI, 19.) *Et cruciatus eorum,* id est pœna a perB fidis inflicta fidelibus, erit *ut cruciatus scorpionum quum percutit hominem,* id est, talis erit qualis est pœna quam sustinet a scorpione percussus : quia ut tactum est, acute, improvise, et venenate nocebunt.

6 *Et in diebus illis,* quibus hæretici sic vastabunt Ecclesiam, et variis modis eam irreverenter tractabunt, plurimosque decipient, *quærent homines mortem* corporalem, dicentes cum Paulo : Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mor- (*Rom.* VII, 24.) C tis hujus? ut scilicet sint cum Christo, nec tantam enormitatem conspiciant, sicut et Moyses Domino ait : Obsecro ut occidas me, ne tantis afficiar malis. (*Num.* XI, 15.) *Et non invenient eam. Et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis :* quoniam Deus pro ampliori eorum profectu, atque propter inferiorum custodiam, conservabit eos in vita. Itaque in tribulatione gravissima constitutus, potest appetere mortem corporalem ut viam ad vitam beatam, et cum conditione saltem implicita, in quantum scilicet Deo D placuerit. Sic enim Elias et Tobias animas suas tolli rogabant a corpore. (III *Reg.* XIX, 4; *Tob.* III, 6.) Paulus quoque : Supra modum, inquit, gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere. (II *Cor.* I, 8.)

7 *Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium.* Non ait, Locustæ, sed, Similitudines locustarum, ad innuendum quod omnia ista in imaginaria visione sibi ostensa sunt. Itaque, Similitudines locustarum, id est hæretici, similes erant equis ad pugnam paratis, id est, cum fervore et impetu procedentes, sine

Dei timore ac discretione. Et sicut equi
non sua ratione, sed sessoris impulsu
aguntur in bellum, ita doctores pestiferi
diabolico spiritu agitati feruntur contra
Ecclesiam. *Et super capita earum, tan-*
quam coronæ similes auro, id est, signa
victoriæ præferent. In mentibus quoque
eorum qui spiritualiter capita nuncupan-
tur, sæcularis sapientiæ fulgor, imo et
Scripturarum quædam cognitio refulge-
bit. Verumtamen, quoniam vera et salu-
tari sapientia carent, nec ipsas Scripturas
recte intelligunt, sed subvertunt; non co-
ronæ aureæ, sed tanquam coronæ auro
similes, in eorum capitibus describuntur.
Et facies earum sicut facies hominum.
Hoc ideo dicitur, quia hæresiarchæ et qui-
dam eorum sequaces, frequenter sunt in-
geniosi seu cautelosi. Per faciem equidem
ratio designatur. Ad insinuandum ergo
quod rationabiles quodammodo esse vi-
dentur (nam et naturalis rationis argu-
mentis se muniunt), dictum est, Facies ea-
rum sicut facies hominis. Et sicut in facie
hominis sunt os, per quod eloquentia; na-
sus, quo discretio; oculi, quibus sapientia
et mansuetudo seu modestia designatur :
ita hæresiarchæ, eloquentes, prudentes,
discreti inaniter apparebunt.
8 *Et habebant capillos sicut capillos mu-*
lierum. Per capillos capitis, cogitationes af-
fectionesque cordis signantur. Quum ergo
hæretici cogitationibus affectionibusque
carnalibus, mollibus, instabilibus, effemi-
natis repleti sint, recte instar feminarum
criniti feruntur. *Et dentes earum sicut*
dentes leonum : id est, quidquid simula-
tionis et fictæ pietatis assumpserint, ta-
men re ipsa sævissimi erunt, et animas
dilaniabunt, atque consumptas in diaboli
corpus trajicient. Rursus, quemadmodum
dentes leonum fœtorem emittunt, sic isti
per diffamiam fœtidi erunt, et vitiis co-
9 ram Deo fœtentes. *Et habebant loricas sic-*
ut loricas ferreas, id est indurata contra
veritatem præcordia, et varia errorum suo-
rum munimenta, undique contra catholi-
cos se armantes. *Et vox alarum,* id est

A insolentia verborum, seu strepitus exerci-
tuum *earum, sicut vox [curruum] equo-*
rum multorum currentium in prælium.
Quo datur intelligi, quod nullam habent
in loquendo verecundiam, garruli et pro-
caces, quorum sermo serpit ut cancer. II *Tim.* II, 17.
Præterea, quod per alas significentur ex-
ercitus, patet per illud Isaiæ : Erit extensio *Is.* VIII, 8.
alarum ejus (utpote regis Assyriorum), im-
plens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.
Et habebant caudas, id est fautores et 10
turmas post se currentes, *similes scorpio-*
B *num,* id est pungitivas, crudeles, proca-
ces. Qui enim alium sequitur adulando,
juvando, hortando, cauda vocatur, Isaia
dicente : Propheta docens mendacium, cau- *Ibid.* IX, 15.
da est. *Et aculei,* id est industriæ decipi-
endi, blasphemiæ, scandala, et tormenta
quæ infligunt Catholicis, *erant in caudis*
earum : quia his jaculis feriunt et occidunt
quamplurimos. *Et potestas earum nocere*
hominibus mensibus quinque. Permittun-
tur enim decipere reprobos, temporaliter-
que affligere justos. Cur autem per men-
C ses quinque totum tempus præsentis vitæ vers. 5.
exprimatur, jam patuit.
Et habebant super se regem angelum 11
abyssi, id est diabolum, qui in impiis re-
gnat, juxta illud Job : Ipse est rex super *Job* XLI, 25.
omnes filios superbiæ. Impii autem, se-
cundum quod Isaias profatur, sunt quasi *Is.* LVII, 20.
mare fervens, quod quiescere non po-
test. Quemadmodum autem quidam ange-
lici spiritus præsident singulis hominibus,
scilicet quilibet uni, et quidam eorum
præsident regnis, ut hi qui sunt de supre-
D mo ordine infimæ hierarchiæ; sic et qui-
libet homo unum habet exercentem dia-
bolum, et regnis certi adversantur diaboli.
Nam et de quolibet ordine angelorum
aliqui lapsi creduntur. *Cui nomen He-*
braice Abaddon, quod interpretatur ex-
terminans, seu disperdens, *Græce autem*
Apollyon, Latine autem habet nomen Ex-
terminans : et hoc ab effectu suæ mali-
tiæ. Nam per se ipsum et suos ministros
indesinenter conatur fideles exterminare, I *Petr.* V, 8.
hoc est extra fines seu terminos Ecclesiæ

militantis ac triumphantis statuere, et vera beatitudine, quæ rationalis creaturæ finis est, spoliare. Ponitur autem nomen diaboli in tribus linguis præcipuis, per quas ceteræ dantur intelligi : quia hæc scripta sunt ad totius profectum Ecclesiæ ex variis linguis collectæ, quatenus universis diaboli innotescat proprietas, qui et in omni lingua multos exterminavit. De quibus Sapiens loquitur : Ab itinere justo abierunt in exterminium. *Sap.* III, 2.

12 *Væ unum abiit,* id est, una harum trium tribulationum modo descripta est, et tempore suo finem habebit; *et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc,* id est, duæ prægraves tribulationes post illam sequentur sub tuba sexti et septimi angeli.

13 *Et sextus angelus tuba cecinit,* id est, sextus ordo seu chorus prædicatorum valide prædicavit : quod de prædicatoribus illis accipitur qui instante Antichristi adventu, Ecclesiæ filios præmunire studebunt, secundum Haymonem, Bedam, Albertum. *Et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei quod est ante oculos Dei.* Omnia ista in imaginaria visione ostendebantur Joanni per angelum, qui verba, effigies, atque imagines in interiori sensu Joannis formavit. Itaque per vocem istam quam audivit in spiritu, designatur concors totius Ecclesiæ sensus, prædicatio vel doctrina. Porro altare aureum appellatur Ecclesia, seu fides et caritas ejus, secundum quod plenius dictum est. (In Apoc. VIII, 3.) Quatuor cornua, sunt quatuor Evangelia, vel quatuor principales virtutes, vel universi doctores ac prædicatores Ecclesiam in quatuor mundi partibus protegentes : ex quibus omnibus unanimis prædicatio oritur, ut contra Antichristum et ejus fallacias prædicetur. Est quoque altare hoc ante oculos Dei, quia acceptum est cuncta cernenti. Oculi enim Domini super justos; et, Beneplacitum est Domino in populo suo. (*Ps.* XXXIII, 16. *Ps.* CXLIX, 4.)

14 Itaque, Audivi vocem *dicentem sexto angelo, qui habebat tubam,* id est memorato ordini prædicatorum tempore suo fortiter prædicaturo : *Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Per hos quatuor angelos quidam intelligunt dæmones ; alii, principes sæculi infideles, qui omnes dicti sunt quatuor, propter quatuor plagas terræ principales, in quibus demorantur et regnant. Insuper, per Euphraten, sæculum nequam, procellosum ac fluctuans designatur : in quo angeli isti ligati sunt, quoniam divina virtute eorum refrenatur crudelitas, ne juxta libitum suum queant nocere. Hos igitur angelus iste solvet, id est, solvendos denuntiabit, quia tunc plus solito desævire, tentare et persequi permittentur.

Et soluti sunt quatuor angeli, id est, adversarii isti tempore suo Ecclesiam impugnare sinentur, *qui parati erant,* id est erunt (loquitur enim de futuro quasi præterito, consuetudine prophetali, propter certitudinem veritatis), *in horam, et diem, et mensem, et annum,* id est, indefesso animo parati erunt continue, seu omni temporis sui spatio, persequi justos. Verumtamen Haymo per horam intelligit medium annum, per alia tria, tres annos, quibus Antichristi durabit tyrannis. *Ut occiderent tertiam partem hominum,* id est plurimos valde. *Et tertia pars terræ combusta est,* id est multitudo habitatorum terræ, igne impietatis seu duritia tribulationis consumpta. Multos enim spiritualiter periment, quos a Christi fide et cultu avertent; quos autem avertere nequierint, corporaliter lædent. 15

Et numerus equestris exercitus istorum quatuor angelorum Satanæ, est *vicies millies dena millia.* Hic rursus, sicut et supra frequenter, ponitur numerus determinatus pro indeterminato, quasi innumerabilis multitudo tunc persecutura est Christianos. Vicies autem, est bis decies, hoc est vicesies. Porro, ut ait Berengandus, quemadmodum Deus habet equos suos, scilicet prædicatores, qui eum per universum orbem deportaverunt ; ita habet diabolus equos suos, id est omnes impios, super quos sedet, et ad perpetranda diversa sce- 16 (*Apoc.* VII, 4 et seq.)

lera impellit. Denique hæresiarcharum di- A
scipuli, dicuntur eorum equi ; omnes quo-
que ministri principum iniquorum equi
eorum vocantur, dum eis ad mala agenda
infeliciter obsequuntur. *Et audivi nume-*
rum eorum, id est, angelo loquente et edo-
cente, percepi ac intellexi numerum hujus
equestris exercitus, et quid significaret.
17 *Et ita vidi equos in visione* imaginaria
atque prophetica, quod scilicet isti veri-
tatis adversarii hæretici, fuerunt mihi os-
tensi tanquam diabolorum mancipia. *Et*
qui sedebant super eos, id est dæmones B
hæresiarchis ac hæreticis præsidentes, vel
hæresiarchæ et principes persecutores suis
discipulis ac ministris dominantes, *habe-*
bant loricas igneas et hyacinthinas et
sulfureas. Per loricam hoc loco expri-
mitur quæcumque armatura spiritualis
contra fidei ac virtutum sinceritatem, seu
cordis duritia. Vel proprie lorica est in-
justitia, sicut et lorica bonorum exstat
Ephes. VI, 14. justitia, secundum illud Pauli : Induti lo-
ricam justitiæ. Istæ loricæ sunt igneæ,
propter ardentem persequendi affectum, C
et propter ignem iræ atque furoris per-
secutorum. Et hyacinthinæ, id est cœle-
stis cujusdam apparentiæ erunt, quoniam
magnam boni ac veri speciem sibi assu-
II Cor. XI, 14. ment, secundum quod diabolus transfigu-
rat se in angelum lucis. Hyacinthus autem
cœlestem habet colorem. Vel, hyacinthi-
næ, id est fumeæ, secundum Haymonem
et Bedam, eo quod oculum mentis obte-
nebrabunt, quemadmodum fumus oculos
corporales. Sulfureæ quoque scribuntur,
quia per falsitatem, impietatem, blasphe- D
miam contra Christum procedent.

Et capita equorum, id est dæmones,
hæresiarchæ atque tyranni, impiorum is-
torum capitanei, *erant tanquam capita*
leonum, id est, superbi erunt, feroces et
devoratores fidelium ; *et de ore ipsorum*
procedebat ignis, id est sermo invidiosus
et rabidus, seu sententia occisionis con-
tra fideles, *et fumus,* id est verba ven-
tosa, vanitatisque vapor instabilis, *et sul-*
fur, id est blasphemiæ fœtor. Etenim sic
loqui, imprudentibus, non sapientibus com-
petit, juxta illud Job : Numquid sapiens Job XV, 2.
respondebit quasi in ventum loquens, et
implebit ardore stomachum suum ?

Et ab his tribus plagis occisa est tertia 18
pars, id est magna multitudo, *hominum,*
utpote *de igne, fumo et sulfure* [*quæ pro-*
cedebant de ore ipsorum]. Nam et ipsi hæ-
resiarchæ et hæretici suis erroribus et
peccatis primo spiritualiter se ipsos occi-
dent, deinde multos inficient ; stabilitos
vero in fide et gratia, corporaliter tribu-
labunt. *Potestas enim equorum,* id est ho- 19
minum impiorum istorum, *in ore ipso-*
rum est, id est sermone jactantiæ ; vel,
In ore, id est hæresiarcha eorum magistro,
qui est tanquam os discipulorum suorum,
pro quibus effatur ; *et in caudis eorum,* id
est ministris eos sequentibus ; vel, In cau-
dis, id est officio astutiisque eorum. Ideo
subditur : *Nam caudæ eorum similes* sunt
serpentibus, propter calliditatem, et quia
falsitatum venenis erunt repleti, *habentes*
capita, id est magistros ac principes men-
daciorum ac vitiorum ; *et in his nocent,*
id est, auctoritate, virtute, suggestione ca-
pitum horum vastabunt Catholicos.

Et ceteri homines qui non sunt occisi 20
in his plagis, id est pagani atque idolo-
latræ, qui pro fide persecutionem passi
non sunt, *neque egerunt pœnitentiam de*
operibus manuum suarum, ut non ado-
rarent simulacra aurea, et argentea, et
ærea, et lapidea, [*et lignea, quæ neque*
videre possunt, neque audire, neque am-
bulare,] id est, de idololatria sua se non
emendaverunt ; *et non egerunt pœniten-* 21
tiam ab homicidiis suis, neque a vene-
ficiis, quibus occulte læserunt, *neque a*
fornicatione, neque a furtis : omnes, in- Luc. XIII, 3, 5.
quam, hi simul peribunt. Estque hic mo-
dus loquendi detruncatus seu decurtatus,
in quo aliquid subintelligere et supplere
oportet.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : ET VIDI ALIUM ANGELUM FORTEM, ETC.

In Apoc. vi, 4.

QUEMADMODUM tactum est, quidam A conati sunt librum istum exponere de statu et tribulatione Ecclesiæ secundum processum et ordinem temporum sub evangelica lege, a tempore Apostolorum seu primo Christi adventu, usque ad persecutionem Antichristi finemque sæculi. Talem quoque expositionem ex historiis et chronicis extrahunt, et usque ad tempus suum quo taliter hæc exposuerunt, protendunt. Denique quidam eorum satis subtiliter applicant historias hujusmodi ad hujus libri tenorem. Et quod duobus B præcedentibus capitulis de septem angelis tuba canentibus scriptum est, de angelis Satanæ seu pessimis hominibus, scilicet hæresiarchis atque eorum sequacibus, interpretantur : per primum horum angelorum intelligentes Arium, qui Patrem et Filium et Spiritum Sanctum persona et natura distingui mentitus est. Pro cujus intolerabilis condemnatione erroris congregata fuit sancta synodus Nicæna trecentorum decem et octo episcoporum. Per secundum, intelligunt Macedonium, qui C Patrem et Filium unius esse naturæ concedens, Spiritum Sanctum creaturam esse affirmare præsumpsit, sequens in hoc Lactantium, qui hoc ipsum asseruit, teste Hieronymo. Contra hujus Macedonii perfidiam, collecta fuit synodus Constantinopolitana, centum quinquaginta episcoporum. Porro, per tertium angelum accipiunt Pelagium hæresiarcham, qui contra articulum fidei de gratia Spiritus Sancti, dixit hominem propria potestate sine gratia, scilicet ex puris naturalibus, posse D meritorie agere, nec peccatum priorum parentum transfundi in posteros. Per quartum, intelligunt Eutychen hæresiarcham Constantinopolitanum, asserentem in Christo esse unam dumtaxat naturam, ex unione naturæ divinæ et humanæ resultantem. Per quintum angelum intelligunt Valentem imperatorem, qui de conjugis suæ consilio in Arianam lapsus est hæresim. Per sextum autem, Laurentium, qui ad Papatum inordinate tendebat. Sub his angelis impiis factæ sunt graves persecutiones fidelium, præsertim sub primo et ejus fautoribus, scilicet Arianis. De septimo autem angelo dicetur postea. — Veruntamen contra expositiones has, quædam superius breviter sunt objecta. (Apoc. xi, 15. Cf. viii, 2.)

Insuper, quod præsenti nunc elucidando capitulo scribitur, 1 *Et vidi alium angelum fortem, descendentem de cœlo, amictum nube, et iris erat in capite ejus, et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus tanquam columna ignis,* exponunt de Justino seniore imperatore Constantinopolitano, qui fuit vir christianissimus atque piissimus, et contra Arianorum mendacia fidei zelo succensus. Hanc autem expositionem non prosequor, præsertim quum in commento cujusdam nunc satis noti contenta sit, et quia superioribus non satis concordat, nec antiquis ac solidis expositoribus Augustino, Haymoni, Bedæ, Berengando, etc., consonare videtur. Illos ergo sequendo, dicendum quod descriptis Ecclesiæ persecutionibus, nunc consolatio ponitur ex descriptione mysteriorum Christi. Nempe in libro isto, sicut in ceteris libris propheticis, sæpius de eodem fit et repetitur sermo, sub alia ac alia forma, et cum additione, majoreque explanatione.

Itaque per hunc *angelum fortem, descendentem de* summo utique *cœlo,* juxta

Ps. xviii, 7. illud, A summo cœlo egressio ejus, haud A dubium quin per Incarnationis mysterium, Is. ix, 6, juxta LXX. intelligitur Christus magni consilii Angelus, sicut superius declaratum est In Apoc. vii, 2, viii, 3. plenius. *Amictum nube*, id est carne assumpta, peccato non aggravata, per quam, pluviam gratiæ, sapientiæ et sanguinis nobis diffudit. Unde in Isaiæ prophetia Is. xix, 1. dicitur : Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum. *Et iris erat in capite ejus*, id est, caritatis et reconciliationis indicium atque clementia in ipso apparuit. Id namque iris designat, Gen. ix, 13. juxta quod Dominus ait : Arcum meum ponam in nubibus cœli, et erit signum fœderis inter me et terram. *Et facies ejus erat ut sol.* Hoc supra tractatum est plenius, ubi habetur : Apoc. i, 16. Facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.

Et pedes ejus tanquam columna ignis. Per pedes intelliguntur affectiones. Sanctæ autem et fervidæ affectiones, sunt quasi columna ignis, quoniam ardent in se, et aliis exemplariter lucent : quod Christo maxime competit. Certum est autem quod sicut corpus pedibus, sic spiritus moveatur affectibus. Ideo quoque Christi pedes quasi columna ignis apparuerunt : quoniam ipse in cunctis suis operibus immaculatus permansit, nec terram calcando labem incurrit ; imo in extremis ac infimis actibus suis corporalibus, sicut sunt manducare, bibere, etc., in pleno caritatis fervore, sapientiæ quoque splendore actualiter mansit stabilis indesinenter. Præterea, pedes Christi sunt prædicatores virtuosi, præsertim Apostoli, qui ejus nomen ubique tulerunt, quemadmodum de Paulo loquitur : Act. ix, 15. Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus. Hi ergo habent pedes ut ignis columnam, caritate fervendo, et sapientia illustrando, imo et alios inflammando, et fideles caritative portando, prout Paulus commemorat, dicendo : Gal. ii, 9. Petrus, Jacobus, et Joannes, qui videbantur columnæ esse.

2 *Et habebat in manu sua libellum apertum.* Sic enim in imaginaria visione apparuit : et per libellum hunc significabatur evangelica Christi doctrina, verbis parva, sensuum vero majestate permaxima. Unde et Isaias prædixit : Is. x, 23; Rom. ix, 28. Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram. Hunc libellum Christus præsertim aperuit, quando per Spiritus Sancti in- Act. ii, 1-4. fusionem in die sancto Pentecostes, corda Apostolorum de lege evangelica plene instruxit, quando item proprio ore sermocinatus est mundo. Præterea, ante jam dixit Joannes : Apoc. v, 1, 6-8. Vidi in dextera sedentis B super thronum, librum signatum sigillis septem ; et vidi Agnum ; et venit, et accepit librum de dextera sedentis super thronum ; quumque aperuisset librum, etc. Itaque, quod ibi per librum signatum est, hoc hic per librum apertum, diversis respectibus insinuatur, utpote quia æterna Dei præscientia de statu, decursu, tribulatione Ecclesiæ latuit homines, quousque per Christum eis est reserata. Ideo, quia jam de septem sigillorum libri illius apertione præhabitum est, merito scribitur C angelus iste libellum in manu apertum habere. Sed quum liber iste sit æternæ atque immensæ præscientiæ Dei designativus, cur modo libellus vocatur ? Respondendum, quia per comparationem ad plenitudinem præscientiæ et notitiæ rerum in mente divina, permodicum est quidquid hominibus revelatur.

Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram : id est, tam habitantibus in insulis maris, quam eis qui in arida commorantur, Christus D per discipulos Evangelium prædicavit : imo et proprio ore aliqualiter id implevit, ad mare Tiberiadis et civitates Matth. iv, 13 et seq.; ix, 35; Joann. vi, 1 et seq.; xxi, 1 et seq. maritimas prædicando, quando et subinde in navicula stetit in mari. Berengandus per pedem dextrum intelligit novum Testamentum ; per sinistrum, vetus ; per mare, gentiles, in quibus erat profunditas ignorantiæ et errorum ; per terram, Judæos, qui per legem et Prophetas erant exculti. Per hoc itaque, quod in visione ista apparuit angelus Christum repræsen-

tans, quasi ponens pedem dextrum super A
mare, signatum est quod evangelicam legem proposuit gentibus per Apostolos Christus; per hoc vero, quod sinistrum pedem posuit super terram, significabatur quod Judæis vetus tradidit Testamentum. Præterea, quia ut dictum est, per pedes Christi, ejus Apostoli exprimuntur (dextrum vocamus, quod jucundum ac prosperum est; sinistrum, quod adversum); tunc Christus pedem dextrum posuit super mare, quando relictæ olim gentilitati per Apostolos prospera nuntiavit, B
quod scilicet ad bona gratiæ et gloriæ esset electa: prout in Actibus Paulus testatur,
Act. XIII, 46. dicendo, Ecce convertimur ad gentes. Ubi
Ibid. 48. mox subditur: Audientes autem gentes, gavisæ sunt. Sinistrum autem pedem posuit super terram, id est super carnales et induratos Judæos, quando eisdem per Apostolos prænuntiavit quod relinquendi essent ac perituri, secundum quod Paulus
Ibid. XXVIII, 28. dicebat: Notum vobis sit, quia gentibus missum est hoc salutare Dei.

3 *Et clamavit voce magna, quemadmodum quum leo rugit.* C
Christus enim affectuosissime ac seriosissime prædicavit, dæmones impiosque perterruit, et cum summa auctoritate ac efficacia est locu-
Ps. XLIV, 3. tus. Diffusa est enim gratia in labiis ejus. De quo et adversarii ejus compulsi sunt
Joann. VII, 46. dicere: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Sed quomodo stare hæc possunt, quum apud Isaiam prophetam de Christo prædictum sit, quod et Mat-
Is. XLII, 2; *Matth.* XII, 19. thæus allegat, Non clamabit, nec audietur foris vox ejus? Et respondendum, quod D
per hoc non nisi irrationabilis passionatusque clamor aufertur a Christo, sicut
Ephes. IV, 31. et Paulus hortatur: Omnis amaritudo, et indignatio, et clamor tollatur a vobis.

Et quum clamasset, Evangelium prædicando, *locuta sunt septem tonitrua voces suas,* id est, universi prædicatores ejus, præsertim Apostoli atque eorum discipuli (qui septenario exprimuntur, propter illius numeri perfectionem et mysteria, et quoniam septiformi gratia Spiritus Sancti erant repleti), ex Christi commissione, prædicationis voces effundere sunt exorsi. Nam et ante passionem misit Apostolos *Luc.* X, 1.
et septuaginta duos discipulos evangelizare; post passionem vero loquens Apostolis, Euntes, inquit, in mundum universum, *Marc.* XVI, 15.
prædicate Evangelium omni creaturæ. Prædicatores autem sancti, propter verborum suorum efficaciam et terrorem, tonitrua appellantur.

Et quum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, 4
juxta sensum præhabitum, *scripturus eram,* id est, putavi ac præparavi me conscribere eas, sicut supra ab angelo sancto audivi: Quod vides, *Apoc.* I, 11.
scribe in libro. *Et audivi vocem de cœlo dicentem* per inspirationem internam, quæ vox ab angelo est formata: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, noli ea scribere.* Quod ait, Signa, potest esse nomen et verbum. Si nomen, sensus est: Signa, id est voces præfatas, quæ signa sunt rerum, non scribas. Si autem sit verbum, quod magis apparet, sensus redit in idem: Signa, id est, absconde, et sub secreto claude, ea quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere seu omnibus pandere. Hoc ideo dicitur, quia non omnia omnibus competunt, nec christianæ fidei mysteria cunctis sunt passim pandenda, quum dicat Salvator: Nolite *Matth.* VII, 6.
sanctum dare canibus, neque margaritas vestras projiciatis ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis. Propter quod Paulus de se quasi de alio loquens: Audivit, *II Cor.* XII, 4.
inquit, arcana verba, quæ non licet homini loqui; et rursus, Non potui vobis *I Cor.* III, 1.
loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Ista ergo secretiora christianæ sapientiæ documenta, non sunt sapientibus et perfectis, sed imperfectis et injustis celanda, ut pateant probis, lateant improbos. Hinc Danieli locutus est angelus: Signa librum, et claude sermonem *Dan.* XII, 4.
usque ad tempus statutum.

Et angelus quem vidi stantem super 5
mare cum dextro pede, *et super terram* cum sinistro (ut dictum est), *levavit ma-*

num suam ad cœlum, gestum habitum- A
6 que jurantis assumens ; *et juravit per*
Viventem in sæcula sæculorum, scilicet
per Deum æternum, totius vitæ opulentis-
simum et incommutabilem vividissimum
fontem, *qui creavit cœlum*, id est omnes
orbes cœlestes, *et ea quæ in eo sunt*, sci-
licet angelos et Beatos, solem et lunam et
astra, *et terram, et ea quæ in ea sunt, et*
mare, et ea quæ in eo sunt : quia tempus
amplius non erit. Quomodo autem tem-
7 pus amplius non erit, subjungitur. *Sed in*
diebus vocis septimi angeli, quum cœpe- B
rit tuba canere, id est fortiter prædicare,
consummabitur, id est, ad effectum du-
cetur seu perficietur, *mysterium*, id est
secretum, *Dei*, quod in fine mundi præ-
signavit implendum, *sicut evangelizavit*
per servos suos Prophetas, qui tam in
veteri quam in evangelica lege fuerunt,
atque de Christi mysteriis, consummatio-
neque sæculi, et retributione finali no-
scuntur locuti. Omnes quippe Apostoli et
ceteri quidam disciputi in novo Testa-
mento, spiritu fulserunt prophetico : sic- C
ut et S. Dionysius, qui huic B. Joanni in
Patmos relegato misit epistolam in qua et
de ejus reditu ad Ephesum prophetavit.

Itaque, quod angelus iste jurando asse-
ruit quia tempus ultra non erit, refertur
ad sæculi consummationem : quia peracto
finali judicio, cessabit motus primi mo-
bilis, cujus motus mensura est tempus ;
cessabitque tunc motus cœlestium cor-
porum, ac transmutatio elementorum. Por-
ro, si tempus sumatur secundum quod
dicitur mensura motus rerum mutabili- D
um, manebit quantum ad reprobos in in-
Ps. LXXX, 16. ferno, juxta illud : Inimici Domini men-
titi sunt ei, et erit tempus eorum in
sæcula. Unde et Beda hic ait : Erit utique,
ut ait Psalmus, tempus impiorum in æter-
num ; sed mutabilis sæcularium tempo-
rum varietas, in novissima tuba cessabit.
Haymo quoque ait, quod in Beatis tunc
tempus non erit, sed in reprobis. Si vero
objiciatur id quod divinus sermo quo-
Is. LXVI, 23. dam loco testatur, dicendo, Erit mensis ex

mense, et sabbatum ex sabbato : dicen-
dum quod verbis illis non temporalis vi-
cissitudo, sed perpetuitas patriæ designa-
tur. — Ex his vacillare videtur expositio
exponentis hæc de Justino imperatore, et
quæ infra dicentur de septimo angelo, de
Justino imperatore, filio filii Justini præ-
fati : non enim tunc tempus cessavit. Nec
Justino illi seniori competit quod hic de
angelo super mare stante asseritur, quod
juravit quia tempus ultra non erit, etc.

Et vocem audivi iterum loquentem me- 8
cum, et dicentem. Per vocem hanc intel-
ligitur interna allocutio angeli qui jam
paulo ante dixit Joanni : Signa quæ lo- vers. 4.
cuta sunt septem tonitrua, noli ea scri-
bere, etc. Per quem angelum, quidam in-
telligunt angelum qui in persona Christi
Joanni ista ostendit ac dixit, secundum
quod supra dicebatur*. *Vade, accipe li-* * alias secundum quod primo dicebatur capitulo.
brum apertum de manu angeli stantis
super mare et super terram, id est, Scri-
pturarum novæ legis intelligentiam sume
a Christo. Quidam putant hoc dictum Joan-
ni in persona Apostolorum, ad innuendum
quod omnes Apostoli a Christo instructi
sunt ; vel in persona futurorum prædica-
torum, qui docebuntur a Christo. Verius
tamen reor, ut in persona propria Joanni
hoc dictum credatur : vel ut Scripturarum
mysteria profundius contemplaretur, clari-
usque cognosceret ; vel ut futura Ecclesiæ
adversa, cursum et statum plenius nosce-
ret ; vel ut prædicationis officium ad Ephe-
sum reversus resumeret ; vel certe ad in-
sinuandum quod post istam revelationem
in Asia Evangelium esset scripturus.

Et abii ad angelum stantem super ma- 9
re et terram, puta ad Christum, *dicens ei*
ut daret mihi librum, id est, horum no-
titiam mihi infunderet. Videbatur autem
Joanni in imaginaria visione, quod ista
corporaliter agerentur ; sed intellectualiter
Deo per angelum edocente cognovit quid
significarent. Itaque mente studiosa veri-
tatisque avida, animo obedienti ac prom-
pto, spirituali approximatione accessit.

Et dixit mihi : Accipe librum et devora

illum, id est, divinorum ac futurorum
notitiam diligenter assume, memoriter re-
tine, spiritualiter mastica, mentis visce-
ribus imprime. Verbum etenim Dei cibus
est animæ. *Et faciet amaricari ventrem
tuum,* id est memoriam tuam seu men-
tem : quæ animæ venter est, juxta illud
Prov. XXII, 18. divini eloquii, Fili, accipe sapientiam,
quæ pulchra tibi erit, quum in ventre tuo
Joann. VII, 38. eam acceperis ; et illud Joannis, Flumina
de ventre ejus fluent aquæ vivæ. In re-
velatione enim præfata cognovit Joannes
quanta passura esset Ecclesia : idcirco ei
compassus est, et amaritudine bona re-
pletus ; amaricata quoque est anima ejus,
quia tot Christianos vidit in hæreses et
alia vitia ruituros. Quemadmodum et Eze-
chiel quum librum sibi oblatum se de-
Ezech. III, 14. vorasse describeret, addidit, Abii amarus
in indignatione spiritus mei : quæ videli-
cet fuit indignatio virtuosa contra iniquo-
II *Cor.* VII, 11. rum peccata, quam Apostolus Corinthiis
scribens connumerat bonis affectibus ex
tristitia quæ secundum Deum est conse-
quentibus. Insuper, Faciet amaricari ven-
trem tuum, id est inferiorem animæ tuæ
portionem, et corporalem naturam, quan-
do cognitionem libri hujus cœperis effe-
ctui mancipare, prædicando et operando,
ac multipliciter in Dei vinea laborando.
Sed in ore tuo erit dulce sicut mel, id
est, in ipsa divinorum revelatione, primo
delectationem in intellectu habebis. Ve-
ritatis namque consideratio dulcis est ex
sua natura ; nec delectationi quæ est in
considerando, opponitur tristitia. Delecta-
bile ergo est animæ divinitus illustrari,
regi, doceri. Sed quia nonnunquam in tali
revelatione seu consideratione monstran-
tur dura et mala, idcirco in attendendo
effectus qui consequuntur, amaritudo seu
dolor mox generatur.

10 *Et accepi librum de manu angeli, et de-
voravi illum; et erat in ore meo tanquam
mel dulce.* Istud totum modo expositum
Ps. CXVIII, 103. est. Unde et Psalmista decantat : Quam
dulcia faucibus meis eloquia tua ! super
mel ori meo. In visione autem apparebat
A Joanni quod ista corporaliter fierent, sed
eorum significationem intellexit. *Et quum
devorassem eum,* ruminando quæ mente
percepi, *amaricatus est venter meus :* se-
cundum intellectum nunc introductum.

*Et dixit mihi : Oportet te iterum pro- 11
phetare,* id est futura prænuntiare ac
evangelizare, et Scripturas sacras inter-
pretari verbo vel scripto, *populis, et gen-
tibus, et linguis, et regibus multis.* His
verbis angelus prænuntiavit Joanni, quod
de exsilio esset Ephesum reversurus, at-
B que ibidem ac locis circumjacentibus præ-
dicaturus. Sed quum reversus non nisi
in Asia prædicasse legatur, quomodo po-
pulis, et gentibus, et linguis, multisque
regibus prædicavit seu prophetavit ? Et
respondendum, quod verbo vel scripto
eis locutus est mediate vel immediate ; et
quoniam ea quæ scripsit in libro isto, et
in Evangelio post Apocalypsis hujus de-
scriptionem conscripto, omnes Christianos
concernunt. Dubium quoque non est quin
diversarum regionum ac provinciarum
C Christiani ad Ephesum, causa videndi et
audiendi tam sublimem Apostolum, copio-
se confluxerint, præsertim quum post red-
itum a Patmos tot vixerit annis, usque ad
Trajani imperatoris tempora perseverans.

Postremo, secundum Berengandum, præ-
cipitur Joanni ut librum accipiat, id est,
Christi divinitatem consideret, et Evan-
gelium inde conscribat. Devoravit autem
hunc librum, quum scientiam Evangelii
a Christo suscepit. — Præinductæ insuper
revelationi Joannis de libro accipiendo ac
D devorando, consonat illud in Ezechiele :
Fili hominis, comede volumen istud. Et *Ezech.* III, 1-3.
aperui os meum, et cibavit me volumine
illo, et factum est in ore meo quasi mel
dulce. — Hoc quoque pensandum, quod
cunctis devotis verbum Dei in meditatione
et auditione dulcescit ; sed venter eorum
ac sensualitas amaricantur et affliguntur,
dum secundum verba Dei operantur, et
carnem suam cum vitiis et concupiscen- *Galat.* V, 24.
tiis per abstinentias, vigilias, disciplinas,
solitudines, lacrimas, crucifigunt.

ARTICULUS XII

EXPLANATIO CAPITULI UNDECIMI : ET DATUS EST MIHI CALAMUS SIMILIS VIRGÆ.

1 ET *datus est mihi* Joanni (haud dubium A quin ab angelo, secundum imaginariam apparitionem) *calamus similis virgæ.* Calamus plura significat. Interdum enim accipitur pro mensura sex cubitorum, uti apud Ezechielem, ubi angelus (Ezech. xl, 3.) templum mensurans, calamum fertur habuisse in manu. Per calamum autem ibidem scientia seu providentia Dei omnipotentis (Sap. xi, 21.) (qua cuncta in numero, pondere et mensura constituit, atque universa metitur, cunctorum actus meritaque perpendens) signatur. Interdum calamus pro in- B strumento scriptorio accipitur, sicut in (Ps. xliv, 2.) Psalmo : Lingua mea calamus scribæ. Itaque, secundum Berengandum et Bedam, hoc loco per calamum intelligitur evangelium quod scripsit B. Joannes; vel, ut alii dicunt, sacræ Scripturæ notitia, per quam virtutes animæ inseruntur, merita quoque et demerita hominum perpenduntur, sicut per calamum litteræ in membranis formantur. Estque calamus iste similis virgæ, quoniam corrigit vitia, Christi regnum describit, bene agentibus regnum cœleste C promittit. Per eam quoque prælati gregem Domini dirigunt, peccantibus comminantur.

Et dictum est mihi ab angelo : *Surge,* id est, ad actum quem tibi injungo procede, in divinorum illuminationibus cresce, ad altiora et anteriora te erige. Hoc modo surgere debemus, quantumlibet stemus, (Philipp. iii, 13.) sicut Apostolus profitetur : Ego non arbitror me apprehendisse, sed quæ priora sunt oblitus, ad anteriora extendo me ipsum. *Et metire templum Dei et altare,* D *et adorantes in eo.* Templum est Ecclesia militans, seu fidelium congregatio, cui ait (1 Cor. iii, 17.) Apostolus : Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Altare vero sunt perfecti et contemplativi, quorum auxilio aliorum sacrificia innituntur. Adorantes vero in templo, sunt reliqua credentium multitudo. Potest quoque de templo et altari materialibus accipi inanimatisque : sicque adorantes in templo, sunt universi Catholici. — Si templum et altare primo modo sumantur, sensus est : Metire, id est, singulorum capacitatem, perfectionem, mensuram considera, ut unicuique secundum suam capacitatem et modum, Dei verbum proponas. Alii enim et alii, aliter et aliter sunt docendi. Quod Paulus observans, ait: Sapientiam loquimur inter perfectos; et (1 Cor. ii, 6.) rursus, Non potui vobis loqui quasi spiri- (Ibid. iii, 1.) tualibus; itemque, Facti estis quibus lacte (Hebr. v, 12.) opus est, non solido cibo. — Si autem secundo modo sumantur, sensus est : Metire templum et altare, id est, quemadmodum ecclesiæ atque altaria Christi per totum mundum sint construenda, intende, ita quod, sicut in Malachia prædictum est, in omni loco offeratur Deo oblatio munda. (Malach. i, 11.) Juxta hunc modum scriptum est apud Zachariam, quemadmodum angelus veniens mensurare Jerusalem, habebat in manu (Zach. ii, 1.) funiculum mensorum.

2 *Atrium autem quod foris templum est,* id est peccatores impœnitentes, præsertim hæreticos, qui vel merito vel fide sunt extra Ecclesiam, nec Christo per caritatem sunt incorporati, *projice foras* per excommunicationem et reprobationem, seu foris projiciendum denuntia, quia in tenebras projicientur tartareas; *et ne metiaris illud,* id est, ab illis avertere, nec designes eos ad Ecclesiam pertinere, aut in structura supernæ Jerusalem collocandos. Ita et Paulus loquitur Tito : Hæreticum homi- (Tit. iii, 10.)

nem post unam et secundam correptionem devita. *Quoniam datum est gentibus,* id est, inter paganos et perfidos hi computantur, atque cum eis inferni supplicia sortientur : quibus et Christus dicturus
Matth. xxv, 12. est, Amen dico vobis, nescio vos. Porro Berengandus per atrium istud intellexit populum Judæorum, qui per infidelitatem extra Ecclesiam fuerunt, et tamen in cordibus Apostolorum per amorem manserunt, desiderantium conversionem eorum. Quoniam vero indurati erant, jubetur Joanni ut verbum prædicationis eis non inferat, qui gentibus comparati sunt, et manibus traditi Romanorum.

Et civitatem sanctam, puta Ecclesiam Dei : de qua Paulus testatur, quod Christus
Ephes. v, 27. stus elegit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam; cujus
Ezech. xl-xlviii. mysteria in novem ultimis Ezechielis capitulis justo describuntur sermone ; *calcabunt mensibus quadraginta duobus,* id est annis tribus cum dimidio. Tanto enim tempore dicitur Antichristus regnaturus,
Dan. xii, 7. secundum quod Daniel ait : Per tempus, et tempora, et dimidium temporis : per tempus, intelligens annum; per tempora, duos annos; per dimidium temporis, medium annum : quibus Christiani atrocissime opprimentur.

3 *Et dabo duobus testibus meis,* videlicet Enoch et Eliæ, copiosissima gratiæ dona, virtutem et constantiam contra Antichristum, sapientiam et eloquentiam convertendi Judæos, fortitudinem patiendi martyrium ; *et prophetabunt,* contra Antichristi perfidiam fortiter prædicando, ejusque ruinam prænuntiando, *diebus mille ducentis sexaginta,* id est tribus annis cum medio, vel circiter (aliqui enim dies deficiunt ; sed in talibus computationibus Scriptura non solet vim facere de modico), *amicti saccis,* id est pœnitentialibus, asperis, abjectis, humilibus indumentis, ut sicut verbis, ita et habitu pœnitentiam prædicent. — Denique, quod horum testi-
Matth. xvii, 11. um unus consistat Elias, Christus in Evangelio protestatur; et in Malachia dicitur :

A Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam *Malach.* iv, 5, 6.
antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres. Quod vero Enoch sit alter, elicitur ex eo quod in Genesi legitur, videlicet quod tulit eum *Gen.* v, 24.
Deus, et in Ecclesiastico, quod translatus *Eccli.* xliv, 16.
est in paradisum.

Hi sunt duæ olivæ, id est arbores fru- 4
ctuosæ : qui olivæ vocati sunt, quoniam caritate ac pietate, unctioneque Spiritus Sancti sunt pleni; *et duo candelabra,* id
B est fidelium luminaria, qui donis sapientiæ, scientiæ, intellectus, consilii, intra se lucent, aliisque per ea verbis et exemplis lucebunt. Et sicut candelabrum super se positum gerit lumen, et adsistentes per illud illustrat; sic isti Christum, qui vera *Joann.* i, 9.
lux est, in corde portabunt, et per eum plurimos illuminando docebunt. *In conspectu Domini terræ stantes,* id est, Deo placentes, ejus imperio prompte obedientes, et se ipsos coram Deo sollicite custodientes, sicut Elias nondum translatus di-
C cere consuevit : Vivit Dominus, in cujus III *Reg.* xvii, 1; xviii, 15.
conspectu sto hodie. Huic autem verbo consonat quod in Zacharia habetur. Quum enim Zacharias dixisset ad angelum, Qui *Zach.* iv, 11.
sunt istæ duæ olivæ? responsum est ei : Isti sunt duo filii olei (sive, splendoris, *Ibid.* 14.
secundum quod Aquila transtulit), qui adsistunt Dominatori universæ terræ. Quod ibidem ad litteram de Jesu sacerdote magno sive pontifice, et Zorobabel principe Judæorum dicitur.

Et si quis voluerit eis nocere, id est a 5
D prædicationis officio impedire, terrere, ligare ; *ignis,* id est virtus, gratia, sermo ignitus, verbum igneæ prædicationis, *exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum,* id est, rationabiliter superabit, confundet, damnandos ostendet. Dabit enim *Luc.* xxi, 15.
eis Christus os et sapientiam, cui non poterunt resistere adversarii eorum omnes. Nam et id Eliæ ante translationem suam collatum est, juxta illud Ecclesiastici : Surrexit Elias quasi ignis, et verbum illius quasi facula ardebat. *Et si quis voluerit* *Eccli.* xlviii, 1.

eos lædere in corpore, *sic oportet*, divina A justitia exigente, *eum occidi* in anima. Matth. xxvi, 52. Omnis nempe qui gladium accipit, gladio perit : quoniam alium persequendo impie, aut occidendo, animam suam peccando mortaliter perimit. Quod maxime evenit dum quis justos infestat. Uniuscujusque etenim culpa, malitia, crudelitas, in proprium redundat auctorem; magisque, imo incomparabiliter amplius, nocet sibi quam alteri, dum alter patientiam servet, nec Prov. xi, 6. Deum offendat. Ideo Salomon loquitur : In Eccle. x, 8. insidiis suis capientur iniqui; et, Qui dis- B sipat sepem, mordebit eum coluber.

6 *Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ eorum; et potestatem habent super aquas, convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint.* Circa hoc loquitur Berengandus : Legimus III Reg. xvii, 1; Jacob. v, 17, 18. Eliam oratione clausisse cœlum, et iterum aperuisse, sed et Moysen aquas in sangui- Exod. vii, 20. nem convertisse. Non ergo putandum est Eliam minorem virtutem habere, quum ad explendum suæ prædicationis officium C venerit, quam habuit eo tempore quo inter homines conversatus est, sed potiorem. Ex quo sequi videtur quod Elias et Enoch tunc miracula sint facturi : quod et quidam concedunt.

Alii asserunt quod Ecclesia, durante rabie Antichristi, non coruscabit miraculis, quod item Elias et Enoch tunc potestate hac non utentur. Ideo ista spiritualiter interpretantur, ut dicantur potestatem habere claudendi cœlum ne pluat super terram, quoniam tantæ virtutis et fami- D liaritatis sunt apud Deum, ut queant quibusdam pluviam gratiæ et rorem benedictionis cœlestis orando acquirere, aliis autem justo zelo punitionem condignam desuper imprecari. Rursus, per cœlum Ecclesia designatur, quam poterunt claudere, ne documentorum fluenta influat habitatoribus terræ. Poterunt etiam aquas, id est rivos doctrinarum suarum, in sanguinem, id est in peccatum, convertere, reprobis prædicando, qui ex prædicatione audita, dum eam non implent, gravius condemnantur. Vel aquæ sunt hæreticorum doctrinæ, juxta illud, Aquæ furtivæ Prov. ix, 17. dulciores sunt : quas convertent in sanguinem, eorum errores reprobando, et morte æterna dignos monstrando. Habent etiam potestatem percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint, id est adversa et ultiones habitatoribus terræ divinitus procurare, verbum prædicationis indignis subtrahere, sicut ad Moysen Dominus dixit : Constitui te deum Pharaonis. Denique Exod. vii, 1. Ecclesia virtute clavium potest claudere cœlum ne pluat, quoniam dona gratiæ non infunduntur his quos Ecclesia juste non absolvendos judicat; potestque terram percutere omni plaga, per excommunicationis sententiam juste prolatam.

Et quum finierint testimonium suum, 7 id est prædicationem qua Jesum esse Christum contestabuntur, *bestia*, id est Antichristus irrationabilissimus, blasphemus et ferox (de qua in Daniele plura legun- Dan. vii. tur), *quæ ascendit de abysso,* id est de tenebroso suo latibulo, quo se bonum et justum simulabit, utpote de calliditate sua atque hypocrisi : qui et nascetur de excæcato populo Israel, et de hoc sæculo nequam mari magno ascendet ad apertam tyrannidem usurpatumque regnum. Sed et abundantia impietatis ac diabolicæ cooperationis caligo, abyssus sunt unde hæc bestia scandet. *Faciet adversus eos bellum* verbis, factis, signis, corporalium suppliciorum inflictionibus. Variis enim modis Antichristus persuadebit, se verum Christum esse. *Et vincet illos* non ratione, sed violentia, quia interimet eos, sicut subjungitur : *et occidet eos.*

Et corpora eorum jacebunt in plateis 8 *civitatis magnæ,* id est, irreverenter insepulta manebunt ad terrorem fidelium, *quæ spiritualiter vocatur Sodoma et Ægyptus.* Per civitatem hanc magnam, quidam intelligunt ipsam Jerusalem, eo quod subditur : *ubi et Dominus illorum crucifixus est,* scilicet Christus, Dominus Eliæ et Enoch ac omnium Prophetarum. Sed con-

tra hoc arguit Berengandus : quia Jerusa- A
lem, in qua passus et crucifixus est Christus, funditus sit destructa, et ea quæ pro illa constructa est, in alio sita est loco ; et quoniam tempore Berengandi a Christianis civitas illa habitabatur, ideo non diceretur Sodoma et Ægyptus ; itemque quia in libro isto, per civitatem magnam intelligitur Babylon, civitas diaboli, ex omnibus reprobis constans. Hinc per civitatem hanc, quidam intelligunt generaliter infidelium Antichristi satellitum collectionem,
inter quos isti sunt occidendi : quæ con- B
gregatio ob vitiorum abominabilitatem, et mentis caliginem, Sodoma et Ægyptus spiritualiter appellatur, quemadmodum Pe-
I *Petr.* v, 13. trus in prima sua Canonica Romam nominat Babylonem. Ægyptus autem, caligo seu tenebræ, Sodoma vero, muta vel cæcitas, interpretantur. Impii autem a Dei laudibus obmutescunt, excæcataque mente ad inferos præcipiti properant gradu. Verumtamen de hac re nihil affirmo. Neque enim certum habeo an sancti isti in Jeru-
salem occidentur. Argumenta quoque Be- C
rengandi faciliter solverentur, præsertim quum Jerusalem modo constructa sit ubi crucifixus est Dominus, ita quod locum illum intra se continet : de qua civitate nunc agitur penes qualitatem ejus pro tempore Antichristi. Si vero civitas magna intelligatur sæculum nequam, seu congregatio iniquorum, palam quod in ea occisus sit Christus.

9 *Et videbunt de populis, et tribubus, et*
linguis, et gentibus, videlicet multi ex
omnibus istis, *corpora eorum per tres dies* D
et dimidium, in plateis jacentia ; *et cor-*
pora eorum non sinent poni in monumen-
10 *tis. Et inhabitantes terram,* id est terreni
ac vitiosi satellites Antichristi, *gaudebunt* [*super illos*] *et jucundabuntur,* anima et corpore gloriando de illorum occisione, *et munera mittent invicem* in signum pacis et gaudii, *quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos qui habitabant super terram,* id est amatores terrenorum, contra eorum carnalia desideria prædicando, æter-

nam damnationem eis minando, contra eorum magistrum Antichristum efficaciter
edocendo. *Et post tres dies et dimidium,* 11
spiritus vitæ a Deo intravit in eos, id est, Deo ministrante, animam suam quisque eorum recepit, et resuscitatus est. *Et steterunt supra pedes suos ; et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos* jam suscitatos per divinam potentiam. Increduli enim, quo de eorum occisione magis gavisi sunt, eo de eorum suscitatione amplius doluerunt, formidantes ea omnia fore implenda quæ illi fuerunt comminati.

Et audierunt Enoch et Elias jam sus- 12
citati, *vocem magnam de cœlo, dicentem eis : Ascendite huc.* Hæc fuit vox angeli, in Dei seu Christi persona loquentis. *Et ascenderunt in cœlum in nube* eos obum-
brante, sicut et Christus ascendit. Loqui- *Act.* I, 9.
tur autem de futuro per modum præteriti, more prophetico. *Et viderunt illos inimici eorum,* scilicet infideles. Quemadmodum loquitur Berengandus, an hæc secundum historiam implebuntur, hominibus quidem incognitum est, Deo autem nota sunt omnia. Multi tamen doctores adstruunt, hæc litteraliter adimplenda.

Et in illa hora, quando ascendere visi 13
sunt, *factus est terræ motus magnus :* quia tunc vel circiter terra movebitur, seu habitatores ejus variis affectionibus agitabuntur ; *et decima pars civitatis cecidit :* quia circa hoc tempus multi de Antichristi ministris simul cum ipso peribunt. Civitas itaque hæc, est congregatio impiorum, quæ est civitas diaboli. *Et occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia.* Per numerum istum determinatum, exprimitur indeterminata multitudo servorum Antichristi qui in præfata tempestate peribunt. *Et reliqui,* qui cum illis non perierunt, *in timorem missi sunt,* id est, divinæ æquitatis judicium ex consideratione tantæ ultionis mox expaverunt, *et dederunt gloriam Deo cœli,* ei de sua evasione regratiantes, nec aliquid boni sibi ipsis de cetero adscribentes. Multi etenim

ab Antichristo seducti, visa hac ultione,
convertentur, et gratias agent immensas.
14 *Væ secundum abiit*, id est, media de
istis tribus gravioribus tribulationibus (de
Apoc. viii, 13. quibus supra dictum est, quæ ad trium
ultimorum angelorum de septem præfatis
angelis tubicinium pertinent) suo tempo-
re sub Antichristo celeriter finietur : *et
ecce væ tertium veniet cito*, videlicet pres-
sura atque angustia hominum, ex conside-
ratione finalis judicii imminentis.
15 *Et septimus angelus tuba cecinit*, id est
septimus ordo prædicatorum, qui Anti-
christo dejecto instanter diem judicii im-
minentem insinuabit, et retributionem ele-
ctorum nunc proximam esse. *Et factæ
sunt voces magnæ in cælo*, scilicet in Ec-
clesia militanti ac triumphanti, *dicentes*
cum ingenti gratiarum actione et gaudio :
*Factum est regnum hujus mundi Dei no-
stri et Christi ejus*, id est, multitudo ho-
minum in quibus tempore Antichristi re-
gnavit diabolus, et qui erant filii hujus
mundi, nunc Antichristo oppresso cum
multis suorum, ad Deum Patrem et Jesum
Christum, ab eo secundum naturam as-
sumptam spiritualiter unctum, conversa
est, pertinetque ad Patrem et Filium, nec
dubium quin æque ad Spiritum Sanctum,
et regnabit in eis Deus et Christus ejus *in
sæcula sæculorum*. Tunc enim totus pene
mundus ad Christum convertetur, secun-
dum doctores. Unde angelus loquitur Da-
Dan. vii, 27, 18. nieli : Regnum autem et potestas quæ est
subter omne cœlum, tradetur populo san-
ctorum ; qui et obtinebunt illud usque in
sæculum sæculorum.
16 *Et viginti quatuor seniores qui in con-
spectu Dei sedent in sedibus suis*. Per se-
niores hos intelligi possunt hoc loco, tam
præcellentes in Ecclesia militanti, quam
triumphanti, imo et omnes Beati. De qui-
bus senioribus et significatione eorum ac
In Apoc. iv, 4. sedibus dictum est plenius supra. Sedes
autem quas habent in patria, sunt quies
et mansio illa cœlestis. Sedent Beati in pa-
tria in divino conspectu, id est, suavissi-
me requiescunt, Creatoris faciem beatifice

A intuendo, eique cum omni reverentia ad-
sistendo. *Ceciderunt in facies suas*, Deo
humillime se prosternentes, ejusque su-
perimmensam altitudinem admirantes. *Et
adoraverunt Deum, dicentes : Gratias agi-* 17
mus tibi, Domine Deus omnipotens, pro
beneficio tantæ clementiæ qua homines
de Antichristi erroribus eruisti et conver-
tisti, imo et pro universis beneficiis tuis,
scilicet donis naturæ, gratiæ et gloriæ; *qui
es, qui eras, et qui venturus es*. Quomo-
do istud intelligendum sit, et de Deo uno
B ac trino, itemque specialiter de Christo ac-
cipi possit, diffuse tractatum est. *Qui ac-* In Apoc. i, 4, 8.
cepisti virtutem tuam magnam, id est, in-
variabili tua potestate quam æternaliter
habes, in reproborum damnatione electo-
rumque salvatione evidenter ac recenter
nunc usus es, eamque plus solito nunc de-
monstrasti in effectibus misericordiæ atque
justitiæ tuæ; *et regnasti* in cordibus ele-
ctorum, dæmonibus et peccatis depulsis :
quæ corda electorum tuæ voluntati nunc
subdidisti, humiliterque servire fecisti.
C *Et iratæ sunt gentes*, scilicet reprobi, 18
obstinati, qui nec Antichristo occiso pœni-
tentiam agent, et de principis sui dejecti-
one dolebunt; *quia advenit ira tua*, id est
hora justæ tuæ vindictæ, qua et gentes in
tantum excæcari permisisti, digna quoque
pro tot malis tormenta infliges, *et tempus
mortuorum judicari*, id est, tempus adve-
nit quo mortui judicentur. Tempus etiam
advenit *reddere mercedem servis tuis Pro-
phetis, et Sanctis, et timentibus nomen
tuum* filiali timore, id est universis ele-
D ctis, sive qui gratia prophetali fulserunt,
sive qui sine ea virtuose vixerunt, *pusillis
et magnis*, id est perfectis et minus per-
fectis, prælatis et subditis, superioribus et
inferioribus. Non enim est personarum Act. x, 34.
acceptor Deus. De quo Sapiens ait : Pusil- Sap. vi, 8.
lum et magnum ipse fecit, et æqua est illi
cura de omnibus. Iterum tempus advenit
*exterminandi eos qui corruperunt ter-
ram*, id est separandi iniquos a consortio
electorum, ut sint extra fines electæ Ec-
clesiæ, qui habitantes in terra spiritualiter

infecerunt, læserunt et peremerunt, puta se ipsos et proximos, impie conversando, scandalizando, falsa docendo, fallaciter consulendo. Itaque istud est tubicinium septimi angeli, scilicet exterminatio reproborum in die judicii.

At vero quod dictum est, Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, etc., specialiter accipi potest de Christo : qui virtutem suam tempore passionis quasi deposuit, eam non demonstrando, juxta illud
Habac. III, 4. Habacuc, Ibi abscondita est fortitudo ejus; sed in resurrectione, sanctorum de inferno eductione, ascensione, et Spiritus Sancti missione, accepit eamdem, omnipotentiam suam palam ostendens; et regnavit per fidem, caritatem et gratiam, in cordi-
Act. XIII, 48. bus eorum qui præordinati fuerunt ad vitam æternam. Hunc autem versiculum, etiam nos ubertim Christo grata mente cantemus, et de universis beneficiis ejus,

A gratias cum pura caritate, veraque obedientia referamus. — Postremo pensandum quod illi qui asserunt Eliam et Enoch ante alios resurrecturos, dicunt quod eorum resurrectio erit tunc gloriosa, et ex speciali privilegio per anticipationem præstanda est eis. Quum vero asseritur quod omnes simul resurgent, dicunt hoc secundum communem legem intelligendum. — Quantum præterea in hujus capituli expositione quidam a forma textus recedat, dum ista secundum temporis cursum et
B ordinem exponere nititur, et per duos testes præfatos, Silverium Papam et alium quemdam Dei servum intelligendos putat, omni intuenti satis reor patere. Neque enim hi duo leguntur fuisse prophetæ, nec ita occisi sunt quod corpora eorum insepulta jacere visa sunt, nec post tres dies et dimidium, a morte sunt suscitati.

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : ET APERTUM EST TEMPLUM DEI IN COELO.

SECUNDUM explanationem antiquorum doctorum, catholicorumque patrum, Augustini, Bedæ, Haymonis, Berengandi, et item eos sequentis Alberti, frequenter in isto volumine S. Joannes, quum persecutiones Ecclesiæ a tyrannis, ab hæreticis, a falsis fratribus, vel ab Antichristo eidem inferendas descripsit, ab exordio rursum resumit, et Christi mysteria sub aliis verbis, plenius eminentiusque describit. Verum, ut sæpe nunc tetigi, quidam conati sunt librum istum de diversis Ecclesiæ eventibus secundum temporis processum
D ac ordinem explanare : de quorum expo-
Cf. VI, 4; et art. XI, init. et vers. 7. sitione quid appareat, subinde prætactum est. Quantum etiam in hujus capituli expositione videantur hi a textus tenore recedere, paulo post tangam. Solidorum ergo

C doctorum illorum sententiis inhærendo, procedam.

Et apertum est templum Dei in cœlo. 19
Templum Dei, uno modo est Christus ut (cap. 11.)
homo, seu corpus ipsius, secundum quod ait : Solvite templum hoc, et in tribus *Joann.* II, 19.
diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat *Ibid.* 21.
de templo corporis sui, ut evangelista Joannes exponit. Hoc templum apertum est, id est manifestatum, effusum, paratum, in cœlo, id est Ecclesia militanti, cui per Evangelistarum doctrinam, Apostolorum prædicationem, miraculorum operationem, ac cetera christianæ fidei argumenta innotuit Christus, qui et se ipsum ei aperuit per largifluam gratiarum suarum infusionem, cunctis quoque apertum seu paratum se exhibet, qui pœnitenti ac humili

mente ad ipsum confugiunt. Rursus, templum Dei est Ecclesia, quæ aperta, id est divinorum illustrationibus reserata, ablato velamine legalium figurarum; aperta quoque, quia publice Deum colit, et Christum libere confitetur : cujus itaque cor apertum est ad suscipienda charismata Spiritus Sancti, in cœlo, id est in conversatione *Philipp.* III, 20. cœlesti, sicut Apostolus adstruit : Nostra conversatio in cœlis est. *Et visa est arca testamenti ejus in templo ejus.* In arca *Hebr.* IX, 4. Moysis, ut dicitur ad Hebræos, fuerunt tabulæ Moysis, virga Aaron quæ fronduerat, et manna. Per arcam itaque quidam intelligunt Christum : in quo est sapientia et doctrina, per tabulam designata ; virga correctionis et directionis, ac potestas, quæ significabantur per virgam Aaron ; manna quoque pietatis, consolationis, refectionisque nostræ. Est itaque sensus, quod per oculum fidei et gratiam contemplationis, in templo Ecclesiæ militantis Christus a fidelibus sit conspectus, postquam se ipsum eis aperuit. Diversis itaque respectibus Christus vocatur templum Dei, et arca testamenti novi, cujus ipse est institutor. Beda vero per arcam intelligit corpus Christi, in quo velut in auro mundo consistit divinitas.

Porro Berengandus per templum Dei intelligit Christiferam Mariam, in qua velut in templo, Christus tot mensibus requievit, atque in mente ipsius semper gratiosissime habitavit; per arcam vero, Christum qui ex ea carnem assumpsit. Dicitur autem Virgo beata, aperta, in quantum ex ea Christus visibiliter prodiit, quamvis uterus ejus virgineus clausus permanserit. Postremo, apertum est templum Dei in cœlo, quando in primitiva Ecclesia testamentum, lex, Scriptura, et status Synagogæ, spiritualiter intellecta, clare cognita, veraciterque adimpleta fuerunt. Tunc quoque arca testamenti ejus visa est in templo ejus, quando Spiritu Sancto edocente, innotuit Christianis quod juxta spiritualem intelligentiam arca illa, scilicet Christus, seu evangelica ejus doctrina, in templo Dei vero, vivo et rationabili, scilicet in ecclesiastica congregatione, maneret.

Et facta sunt fulgura, id est præclara miracula, quæ instar fulgurum timorem incutiunt, ad virtutis splendorem deducunt, et causant stuporem, *et voces et tonitrua,* id est prædicationes, laudationes, pœnarum commemorationes, magnæ et parvæ, altæ et submissæ, difficiliores et minus difficiles, *et grando magna,* id est persecutionum tempestas. Statim nempe misso desuper Spiritu Sancto, facta sunt *Act.* II. ista in Christi Ecclesia, quando Apostoli orsi sunt prædicare, Christum laudare, incredulis pœnam æternam minari, miraculis coruscare.

Et signum magnum apparuit in cœlo, 1 (cap. 12.)
id est in Ecclesia, scilicet mihi Joanni, cui subscriptum signum seu imaginaria visio monstrabatur. Secundum Albertum, hic incipit quarta visio hujus libri. Unde et multi asserunt, hic esse exordium duodecimi capituli.

Consequenter quod fuerit signum istud, subjungitur. *Mulier amicta sole.* In hac etenim quarta visione status Ecclesiæ describitur, sub figura mulieris parientis, in qua labores atque victorias Ecclesiæ aperit, et præmia digna se rependere Christus demonstrat. Itaque mulier amicta sole, est Ecclesia militans, quæ in Baptismo induit Christum sapientiæ atque justitiæ solem, juxta illud ad Galatas : Quicum- *Galat.* III, 27. que in Christo baptizati estis, Christum induistis. Denique in pœnitentiali emendatione seu mentis conversione induimus Christum, secundum quod ad Colossenses hortatur Apostolus : Exspoliantes vos ve- *Coloss.* III, 9, 10. terem hominem cum actibus suis, induite novum. Imo quanto plus in Christi imitatione proficimus, tanto plus eum induimus. Ideo namque ait Apostolus : Induimini Do- *Rom.* XIII, 14. minum Jesum Christum. Quemadmodum autem vestis corpus tegit, ornat, ab incommodis protegit, et calefacit : sic Christus sol justitiæ animam tegit, ejus peccata per gratiam sacramentorum operiendo ;

ornat, virtutes et dona Sancti Spiritus infundendo ; protegit, tentationes et vitia propellendo; calefacit, Dei et proximi caritatem præstando.

Et luna sub pedibus ejus. Per lunam, ob suam continuam variationem, mundialium rerum instabilitas, seu terrena opulentia, vel mundus ipse fallax et labilis designatur. Quum ergo Ecclesia terrena ista despiciat, calcet, transcendat, recte sub pedibus, id est affectibus ejus luna esse asseritur. Rursus per pedes Ecclesiæ, inferiores possunt intelligi. Quum ergo ad tales pertineat temporalium dispositio, luna, id est mutabilia ac defectiva sub Ecclesiæ pedibus ordinantur. Propter quod ad Corinthios ait Apostolus :
1 *Cor.* VI. 4. Sæcularia judicia si habetis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia constituite ad judicandum. — Circa hunc locum loquitur Berengandus : Quia luna noctem illuminat, melius videtur ut per lunam, sacram Scripturam intelligamus, sine cujus lumine in nocte hujus sæculi per vias rectitudinis incedere non valemus. De hoc
Ps. CXVIII, 105. lumine Psalmista dicit : Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis. Mulier ergo lunam sub pedibus suis habuisse visa est, quia Ecclesia gressus mentis suæ in præceptis divinarum Scripturarum figens, ad cœlestia tendere novit.

Et in capite ejus corona stellarum duodecim. Sive per caput Ecclesiæ intelliga-
Coloss. I, 18. tur Christus, de quo ait Apostolus, Ipse est caput corporis Ecclesiæ ; sive ipsa mens Christianorum, eo modo quo principale alicujus rei, caput ejus vocatur ; sive primitiva Ecclesia, secundum quod principium rei, caput ejus asseritur : per coronam stellarum duodecim, intelliguntur duodecim Apostoli eorumque doctrina et opera, qui Christo tam proxime adhæserunt ut capiti corona, juxta illud Ec-
Eccli. I, 13. clesiastici : Circa illum corona fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano. His sanctis Apostolis, velut splendidissimis stellis, fulgorem sapientiæ ardorem-

A que caritatis mittentibus, ornabatur Ecclesia : quorum doctrina ac imitatione decorantur animæ christianæ in mente. Nihilo minus per coronam stellarum duodecim, intelligi potest ornamentum duodecim fructuum Spiritus, quos ad Galatas *Galat.* V 22, 23.
ponit Apostolus, duodecim quoque virtutum moralium. Quomodo autem hæc verba (quæ ad litteram de Ecclesia militanti dicuntur, sicut sequentia verba testantur) de beata Christifera Virgine possint exponi, Bernardus in quodam sermone pul-
B cherrime docet.

Et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat. 2
Per ventrem seu uterum, in novo ac veteri Testamento mens sive memoria interdum ad litteram, sicut ostensum est, designatur. Nam et in Psalmo Pater loquitur Filio : Ex utero *Ps.* CIX, 3.
ante luciferum genui te. Ecclesia ergo habet in utero, id est, mente concepit, et jugi memoria tractat conversionem animarum ad Deum. Diligit etenim omnes ; et quos amore complectitur, Deo unire co-
C natur. Clamat quoque parturiens, quia orando ac prædicando, et se ipsam multipliciter affligendo, filios spirituales producit, quos ad esse gratiæ et Dei amorem perducit : sicut quibusdam scribit Apostolus, Per Evangelium in Christo Jesu I *Cor.* IV, 15.
ego vos genui ; itemque alibi, Filioli mei, *Galat.* IV, 19.
quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Et cruciatur, id est, aliorum errori compatitur, de peccatorum perversitate affligitur, se ipsam, ut pro eis exaudiatur, orationibus, vigiliis, jeju-
D niis, disciplinis exercet ; ut pariat, id est, ad Deum quosdam convertat, de filiis sæculi atque diaboli filios Dei efficiat. Hoc omnis prædicator, prælatus et pastor debet implere, ut subditos suos seu proximos semper in memoria habeat, pro eis ad Dominum clamet, se quoque præfatis modis affligat, quatenus eis gratiam desideratam queat a Domino obtinere. Quod Apostolus se fecisse protestans, ait : Tri- *Rom.* IX, 2, 3.
stitia mihi magna est, et dolor continuus cordi meo pro fratribus meis Judæis. Et

II Cor. XII, 15. rursus ad gentes : Libenter impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.
Act. XX, 31. In Actibus quoque loquens Ephesiis : Per triennium, ait, non cessavi quotidie cum lacrimis monens unumquemque vestrum.

3 *Et visum est aliud signum in cœlo* : quod ipse Joannes visione consueta intuitus est in cœlo, id est in Ecclesia, ubi inter fideles discurrit inquietissimus ini-
I Petr. V, 8. micus, qui ut leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Deinde ponitur signum istud. *Et ecce draco magnus et rufus,* id est diabolus : qui alios inficiendo tentationum veneno, callidè circumveniendo, in se ipso igne malignitatis ardendo, dicitur draco ; et magnus, non virtute, sed pravitate, vel etiam potestate
Job XLI, 24. (non est enim potestas super terram quæ comparetur ei) : rufus vero, quia ut di-
Joann. VIII, 44. cit Salvator, Ille homicida erat ab initio ;
Sap. II, 24. et invidia ejus mors introivit in orbem terrarum ; nec aliud sitit nisi sanguinem animarum, id est vitam caritatis et gratiæ eis auferre.

Habens capita septem, id est septem spi-
Matth. XII, 45. ritus nequam, juxta illud, Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se ; septem quoque capitalia vitia, et septem spiritualia nocumenta, contraria septem donis Spiritus Sancti. Berengandus per septem capita ista, intelligit universitatem reproborum, quibus ad aliorum deceptionem diabolus utitur. *Et cornua decem.* Per cornua quandoque reges seu principes, interdum regna seu acies designantur. Unde
Dan. XII, 24. in Daniele scriptum est : Decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt. Et primo
I Mach. IX, 12. Machabæorum habetur : Bacchides erat in dextero cornu. Ubi per cornu, exercitus ad bellandum dispositus explicatur. Itaque per decem cornua, universi reges, principes, et acies hujus exprimuntur draconis. Quemadmodum enim septenario, ita et denario universitas designatur, eo quod septem diebus omne tempus evolvitur ; et numeri qui sequuntur denarium, sunt quædam replicationes ipsius. *Et in capitibus suis septem diademata.* Habuit enim

A draco septem capita, et in quolibet unum diadema, quod est signum regiæ potestatis, indiciumque triumphi. Ipse quippe est princeps hujus mundi, et rex super Joann. XII, 31.
omnes filios superbiæ. Itaque ad innuen- Job XLI, 25.
dum quod omnibus his dominetur atque prævaleat, septem diademata in suis visus est habere capitibus.

Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli. Potest per caudam diaboli, ejus dolositas accipi, per quam innumerabilem multitudinem angelorum
B hominumque fefellit. Ita exposuit Beda. Act. II.
Berengandus autem per caudam, quæ finis est corporis, Antichristum intelligit, qui plurimos in Ecclesia instar stellarum fama atque scientia resplendentes, decepturus non ignoratur. Iterum per cau- 1
dam diaboli, intelliguntur spiritus maligni cap. 12.)
principem suum sequentes, plurimosque fallentes. Rursus, quoniam animalia turpitudinem suam cauda operiunt, potest per caudam diaboli, multitudo hypocritarum falsorumque exprimi fratrum, per
C quos diabolus suam tegit et exercet malitiam. Quod autem per tertiam partem, non illud semper quod præcise tertia pars est, sed magna quædam pluralitas insinuetur, præhabitum est : sicut et medium non semper vocamus quod æqualiter distat ab extremis, sed illud quoque quod mediat seu comprehensum est inter extrema, quemadmodum Tyrus scribitur in
medio maris sita. *Et misit eas in terram,* XXVI, 32.
id est, spiritualiter interfecit, terrenorum amore involvit, in perditionis foveam je-
D cit, vel in aerem caliginosum, quantum ad dæmones, qui et frequenter ad homines tentandi causa a principe suo mittuntur.

Et draco stetit ante mulierem, id est, diabolus omnibus modis adversabatur Ec-
clesiæ, juxta illud Genesis : Inimicitias Gen III, 15.
ponam inter te et mulierem. In Zacharia
quoque Satan stabat a dextris Jesu, ut Zach. III, 1.
adversaretur ei. *Quæ erat paritura,* id est aliquos in Christo regeneratura seu conversura. Non enim infructuosi sunt ejus

labores, quibus pro aliorum conversione A
desudat. *Ut quum peperisset, filium ejus*
devoraret, id est, sibi per peccatum in-
corporaret, gratia atque virtutibus spo-
liatum. Hoc enim summe conatur, in-
tendit, desiderat, ut renatos et conversos
avertat, perimat, damnet.
5 *Et peperit filium masculum.* Quidam
per feminam, B. Mariam; per filium ma-
sculum intelligunt Christum, cui mox na-
Matth. II, 16. to per Herodem insidiatus est dæmon. Sed
quia (ut patuit) hoc loco per mulierem
non intelligitur ad litteram S. Maria, sed
Ecclesia; per filium masculum intelligi
puto cœtum fortium et virtuosorum Chri-
stianorum, ut per singulare intelligatur
plurale : quod in isto volumine sæpius
agitur, ut patet in his quæ de septem an-
gelis sunt prædicta. Isti ob animi robur
fideique constantiam, quibus diabolo præ-
valent, vir masculus nuncupantur. *Qui*
recturus erat gentes in virga ferrea, id
est in rigore disciplinæ, ac vigore justi-
tiæ. Tales namque idonei sunt alios gu-
bernare. Quomodo autem illud perfectis
et electis conveniat, dictum est plenius.
Et raptus est filius ejus ad Deum, id est,
cœtus fidelium perfectorum sub divinæ
protectionis umbra quievit, et mente ad
Deum erectus est.
6 *Et mulier fugit in solitudinem.* Insi-
diante dracone per se et angelos tenebra-
rum ac ministros peccati, Ecclesiæ Dei,
illa hominum vitavit tumultus omnemque
inquietudinem terrenorum et mentis, et in-
travit secretum pœnitentiæ locum. Quum
* enim omni* tempore persecutionum insectarent
tyranni famulos Christi, frequenter ad lo-
ca solitaria confugerunt. Quod et postea
innumerabiles eremitæ ac monachi fecis-
se noscuntur, implentes illud Psalmistæ :
Ps. LIV, 8. Ecce elongavi fugiens, et mansi in soli-
tudine. *Ubi habebat locum paratum a*
Osee II, 14. *Deo,* qui ait per Osee : Ducam eam in so-
litudinem, et loquar ad cor ejus. Illic enim
specialiter visitat Deus suos electos : quia
quo amplius propter Deum ab humano
consortio, alloquio et tumultu fuerint se-
parati, eo ad divinam allocutionem, illu-
strationem, tranquillitatem, sunt aptiores.
Unde et Christus dixit Apostolis : Venite Marc. VI, 31.
seorsum in desertum locum, et requiesci-
te pusillum. Denique illic ipsemet Deus
est locus eorum, quia in ipso quiescunt,
collocantur, et commorantur. Propter quod
orat vir sanctus : Esto mihi in Deum Ps. LXX, 3.
protectorem, et in locum munitum. *Ut*
ibi pascat illam, orantem : Panem no- Matth. VI, 11.
strum quotidianum da nobis hodie; *die-*
bus mille ducentis sexaginta. Per hos dies
B (qui faciunt annos tres et medium), se-
cundum Bedam, signatur totum tempus
Christianitatis, seu evangelicæ legis, quo-
niam tanto tempore Christus prædicavit :
qui Ecclesiam suam quotidie multiplici
reficit pane, scilicet sacramentali, pane
lacrimarum, confortationis, consolationis,
pane bonæ operationis. Virtutes quoque et
dona, panes sunt animæ.
Consequenter ostenditur, quod angelica
præsidia adsint Ecclesiæ. Plures enim no- IV Reg. VI, 16.
biscum sunt, quam contra nos. *Et factum* 7
C *est prælium magnum in cœlo,* id est in
Ecclesia militanti ubi jugiter virtuosi con-
tra mundum et carnem, diabolumque con-
fligunt. *Michael et angeli ejus præliaban-*
tur cum dracone. Michael, qui est princeps
Ecclesiæ, de supremo ordine infimæ hie-
rarchiæ, videlicet de choro Principatu-
um, esse creditur. Itaque angeli ejus, sunt
angeli sancti eo inferiores, singulis homi-
nibus præsidentes, et in gubernatione Ec-
clesiæ cooperantes eidem. Hi præliantur
cum dracone, id est contra diabolum pro
D Ecclesia et singulis filiis ejus, orando,
mentem illustrando, salubria inspirando,
a diabolicis tentationibus eruendo, illo-
rum sævitiam et potentiam reprimendo.
Et draco pugnabat et angeli ejus, sci-
licet angeli tenebrarum, qui cum suo
principe corruerunt. Imo, secundum Be-
dam, hoc loco angeli ejus, non solum spi-
ritus maligni, sed et homines dæmonum
laqueis irretiti intelliguntur : qui si alio-
rum damnationi seu transgressioni coope-
rentur, nonne veraciter angeli Satanæ sunt

dicendi? Hi itaque pugnant contra Ecclesiam, id est re et nomine Christianos, ut eos a via æquitatis avertant. Estque prælium istud adeo grave, ut dicat Apostolus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates. Potissime autem bellum istud incepit a tempore prædicationis evangelicæ legis, quia tunc de innumerabilium hominum cordibus ubique terrarum expellebatur diabolus, secundum quod Christus passione instante prædixit : Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Denique dæmones contra angelos sanctos pugnant, quia ut valent, eis resistunt, semperque impedire atque destruere moliuntur quod illi operantur in nobis. — Quidam præfatum prælium in cœlo factum, exponunt de dissensione angelorum in exordio ante confirmationem bonorum, quando aliqui Lucifero consenserunt, alii dissenserunt; tuncque expulsi sunt impii, forte ministerio stantium.

Ephes. vi, 12. — *Joann.* xii, 31.

8 *Et non prævaluerunt* draco cum suis, contra angelos sanctos et Ecclesiam angelorum ope protectam. Electos enim finaliter supplantare non queunt, et renitentibus eis, gentilitas ad fidem conversa est. *Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo,* id est in Ecclesia, quantum ad eos quorum conversatio est in cœlis : qui acquiescunt Paulo dicenti, Nolite locum dare diabolo; et Jacobo admonenti, Resistite diabolo, et fugiet a vobis. De cujus ejectione de cordibus fidelium electorum, subjungitur :

Philipp. iii, 20. — *Ephes.* iv, 27. — *Jacob.* iv, 7.

9 *Et projectus est,* id est, Spiritus Sancti virtute, angelica ope, libero arbitrio concurrente et cooperante, per conversionem suam ad Deum, de credentium corde expulsus est, *draco iste magnus,* cujus venter animarum pereuntium damnatione non satiatur, magnus pravitate, non bonitate, et magnus propria æstimatione, quia superbus; *serpens antiquus,* ob calliditatem sic dictus, et quia per serpentem loquens, hominem vicit : qui vocatur antiquus, A non quod proprie esse ejus tempore mensuretur, quum sit incorporeus spiritus, sed quoniam ab initio mundi fuit et impius exstitit, habens nocendi consuetudinem, experientiam, artem; *qui vocatur diabolus,* quasi deorsum fluens, et duo, videlicet corpus et animam, mordens, *et Satanas,* qui interpretatur adversans, quia nostræ incessabiliter inimicatur saluti; *qui seducit universum orbem,* id est multos ubique terrarum. Multi enim sunt reprobi et terreni. Et quis est, qui etsi B electus sit, non tamen aliquando seductus est, tentante diabolo? Verum ante Christi adventum, totum pene orbem vehementer seduxit, omnibus ad idololatriam tractis; sed per Apostolorum prædicationes fallaciæ ejus sunt reseratæ. *Projectus est in terram,* id est in infernum, vel in reproborum corda terrena, vel in terram, ad litteram. Quum enim immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa. Unde ad Dominum loquitur : Circuivi terram, et perambulavi eam. *Et* C *angeli ejus cum eo missi sunt,* id est de electorum corde depulsi, atque in ima detrusi. De qua re omnes virtuosi in Ecclesia triumphanti ac militanti lætati sunt, et Deo gratias cecinerunt, secundum quod subditur :

Job xl, 20. — *Gen.* iii, 1-6. — *Matth.* xii, 43. — *Job* i, 7; ii, 2.

10 *Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem.* Ista fuit vox angeli sancti qui ista demonstravit Joanni. Potestque per cœlum intelligi Ecclesia militans et triumphans. *Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas* D *Christi ejus :* id est, hominibus ad veritatem conversis, dæmonibusque dejectis, *facta est* a Deo in animabus credentium, *salus,* seu beatitudo in spe, *et virtus* infusa, seu gratia ac fortitudo, contra adversarias potestates, *et regnum Dei,* id est regnatio Dei Patris seu Trinitatis in mentibus electorum, in quibus ante regnavit diabolus; vel, Regnum, id est, populus christianus talis per gratiam est effectus, ut merito regnum Dei vocetur, et Deus altissimus in ipso regnare ac habitare di-

gnetur. Sed *et potestas Christi ejus* nunc facta est, id est manifestata in adversariorum prostratione, et prædestinatorum illuminatione. Rursus, Potestas ejus, id est, potens atque magnificus ejus effectus impletus est, puta mundi conversio ad tam arduam legem, tamque incomprehensibilem fidem, quod omni miraculo mirabilius est. Juxta hunc sensum, et increata Dei salus ac virtus facta nunc est, quantum ad manifestationem, quoniam per prædicta, beatitudo et excellentia Dei mundo innotuit.

Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, id est diabolus semper intentus quomodo hominum peccata coram Deo allegando, possit obtinere licentiam magis tentandi, nocendi, perimendi, atque tartareas miserias inferendi. Ecce angelus sanctus homines vocat fratres, tanquam futuros concives, et per dona gloriæ sibi conformandos, ac in natura intellectuali saltem quantum ad genus consortes, itemque ab eodem Creatore immediate manantes. *Qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Quum enim sit plenus invidia, semper paratus est mala commemorare, et Dei justitiam ad ultionem inducere, quantum in se est. Accusat quoque, id est, accusabiles facit, quando ad vitia pertrahit.

11 *Et ipsi vicerunt illum,* puta diabolum accusatorem, *propter sanguinem Agni,* id est virtute et merito passionis Christi, ob quam datur electis virtus et gratia prævalendi, *et propter verbum testimonii sui,* id est per confessionem et prædicationem nominis Christi, quibus ei coram hominibus testimonium perhibuerunt; vel, Propter verbum testimonii sui, id est per adimpletionem verborum Christi, quibus testatus est nobis quid credere, quid facere, quid vitare debemus; *et non dilexerunt animas suas usque ad mortem,* id est, nec se ipsos, nec animas suas carnaliter dilexerunt, imo salubriter oderunt, abstrahendo sibi delectabilia vitæ præsentis, et asperis mortisque periculis se pro A Deo ac justitia exponendo. Hoc est odium bonum, de quo ait Christus : Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Joann.* XII, 25. Imo sic odire, est vere diligere. Nempe, quum diligere sit alicui bonum velle, ille vere se diligit qui summum et incommutabile bonum, scilicet Deum, desiderat, et omnia quæ ad illius boni adeptionem necessaria sive accommoda sunt, amat; quæ vero ab illo impediunt, odit, puta delicias carnis, honores, vanitates, et cuncta quæ lege pro- B hibentur divina. Et quia hujusmodi quandoque bona sunt apparenter, delectabilia et jucunda, idcirco talia sibimet denegando, dicitur quodammodo se odire, quia vult sibi mala pœnalia, et non vult sibi bona carnalia. Istud tamen, ut dixi, est vere diligere. Et qui carnali amore se diligunt, vere se odiunt. Ea etenim quærunt et amant quæ suæ adversantur saluti, quibus animas suas gravissime lædunt, Deum amittunt, et diabolo attinent.

12 *Propterea, lætamini, cœli, et qui habi-* C *tatis in eis.* Si per habitatores cœli intelliguntur Beati, quomodo cœli dicuntur lætari ? Quidam ergo per cœlos intelligunt angelos superiores; et per habitatores eorum, angelos inferiores, qui in superioribus habitant in quantum ab eis illustrationes suscipiunt. Verumtamen, etsi orbes cœlestes quis dixerit non esse animatos, dicuntur tamen laudare, benedicere, lætari, materialiter saltem, in quantum intuentibus præbent lætandi, benedicendi, laudandi materiam. Sed quum D Beati habitent omnes in uno cœlo, puta empyreo, quomodo nunc pluraliter dicitur, Qui habitatis in eis ? Et respondendum, quod in Scripturis frequenter ponitur numerus pluralis pro singulari. Porro, hoc loco per cœlos intelligi possunt Ecclesia militans et triumphans, omnes quoque particulares Ecclesiæ, et mansiones ac chori cœlestes, qui invitantur lætari de electorum salvatione et dæmonum superatione. Gaudium enim est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Luc.* XV, 10.

Væ terræ et mari, id est habitatoribus A
provinciarum ac insularum, obstinatione
in malo duris, firmis et aridis, vitiorum-
que fluxu instabilibus, *quia descendit ad
vos diabolus.* Expulsus enim ab electis,
atrocius supplantare conatus est ceteros.
Habens iram magnam, videlicet grandem
ac inflammatum appetitum nocendi, seu
vindicandi se de hoc quod a pristinis ha-
bitaculis suis expellitur, in quo superbis-
simus reputat sibi injuriam fieri; *sciens
quod modicum tempus habet* nocendi : vel
quia omne tempus præsens, respectu du- B
rationis futuræ brevissimum perhibetur;
vel quia eorum quos tentare molitur, bre-
vis omnino est vita, et quia indesinenter
cernit propinquare diem judicii.
13 *Et postquam vidit draco quod projectus
esset in terram,* juxta sensum nunc intro-
ductum, *persecutus est mulierem quæ pe-
perit masculum,* id est Ecclesiam, quæ
mater est cœtus fidelium robustorum. Non
enim cessat diabolus persequi et tentare
credentes : imo, secundum Bedam, exse-
crabili astutia diabolus, quanto fortius ab C
Ecclesia dejicitur, tanto pertinacius eam
persequitur. Nam et de Christo scriptum
Luc. iv, 13. est : Consummata omni tentatione, diabo-
lus recessit ab eo usque ad tempus. Est
autem Ecclesia sponsa Christi per fidem
et caritatem, mater per prædicationem,
soror per naturæ conformitatem, et uxor
14 per bonorum operum inhæsionem. *Et da-
tæ sunt* a Spiritu Sancto, *mulieri,* id est
Ecclesiæ, *duæ alæ aquilæ magnæ,* id est
devotio orationis, et sinceritas contempla-
tionis, quibus altissime volat præ cunctis D
generationibus mundi, sicut et aquila ce-
teris avibus volat sublimius. Quidam per
duas alas, duo Testamenta, seu duo cari-
tatis præcepta, vel activam contemplati-
vamque vitam, accipiunt. *Ut volaret in
desertum in locum suum,* id est in solitu-
dinem jam præfatam, *ubi alatur per tem-
pus, et tempora, et dimidium temporis*
(per tempus annum, per tempora duos an-
Apoc. xi, 2, 3; Dan. xii, 7. nos, per dimidium temporis medium an-
num, hic et in Daniele significari jam pa-

tuit; quomodo autem Ecclesia per tantum
temporis a Christo in solitudine nutriatur,
in isto articulo dictum est), *a facie ser-* vers. 6.
pentis, id est a venenata tentatione calli-
dissimi hostis, quem vincere nisi ad Chri-
stum confugiens nequit.
Et misit serpens ex ore suo, id est ex 15
corde suo nequissimo, *aquam tanquam
flumen post mulierem,** id est impetum * [ut eam faceret trahi a flumine.
persecutionum, abundantiam tentationum,
seu copiam persequentium populorum,
post Ecclesiam. His namque eam infestat,
quantumlibet ad secreta confugiat. Imo,
quo seriosius ad Deum se erigit, eo ille
malignantius eam insequitur. *Et adjuvit* 16
terra mulierem, id est, perfectiores qui-
que in terra morantes, vel angeli ad ho-
mines custodiendos transmissi, pro Eccle-
sia fortiter oraverunt, ejusque hostibus
per arma justitiæ restiterunt. Terra quo-
que est S. Maria, de qua loquitur Isaias,
Aperiatur terra, et germinet Salvatorem; Is. xlv, 8.
atque Psalmista, Terra nostra dabit fru- Ps. lxxxiv, 13.
ctum suum. Ipsa autem est fidelissima
Ecclesiæ advocata. *Et aperuit terra os su-
um,* preces ad Deum fundendo, *et absor-
buit flumen quod misit serpens ex ore
suo,* id est, sua virtute ac prece machina-
tiones diaboli prorsus exstinxit, gratiam-
que patientiæ contra eas Ecclesiæ pro-
curavit.
Et iratus est draco in mulierem, id est 17
contra Ecclesiam, quod eam superare ne-
quivit, *et abiit facere prælium cum reli-
quis de semine ejus,* id est filios ejus im-
perfectiores tentare. Dum enim perfectos
dejicere nequit, ad imperfectos expugnan-
dos convertitur. *Qui custodiunt mandata
Dei,* puta Decalogum. Unde loquitur Chri-
stus : Si vis ad vitam ingredi, serva man- Matth. xix, 17.
data. *Et habent testimonium Jesu,* id est,
fide et opere testimonium perhibent Chri-
sto, ejus se famulos ostendendo. *Et stetit* 18
super arenam maris, id est, in hominibus
vanis et levibus, incompactis et infructuo-
sis conquievit, et principatum obtinuit,
qui sunt tanquam pulvis quem projicit Ps. i, 4.
ventus a facie terræ.

Postremo, quidam hunc librum secun- A
dum temporis processum ac ordinem ex-
ponentes, præscriptam tribulationem Ec-
clesiæ exponunt de persecutione Christi-
anorum a Chosroa rege Persarum, quem
dicunt hoc loco ad litteram appellari dra-
conem magnum, serpentem antiquum at-
que diabolum. Quod prima facie non ha-
bet apparentiam magnam, quum in tota
Scriptura canonica alibi tale nil inveni-
Ezech. xxix, 3. atur, quamvis in Ezechiele Pharao draco
magnus vocetur. Nec Chosroæ competit
proprie quod sequitur : Qui seducit uni- B
versum orbem. Per masculum autem quem
mulier peperit, intelligunt Heraclium im-
peratorem, qui contra Chosroam Deo ju-
vante prævaluit. Per Michaelem quoque
quidam ad litteram intelligit imperatorem
præfatum : quod qualem apparentiam ha-
beat, diligenti lectori committo. Multa au-
tem possent huic expositioni opponi, sed
melius arbitror pertransire. Neque enim
Apocalypsis in locis obscuris certitudina-
liter intelligi potest, nisi per revelationem
divinam. — Legi etiam in cujusdam com-
mento, quod secundum omnes expositores,
per draconem et angelos ejus intelligatur
Chosroa et suus exercitus. Hoc verbum
indiget pio intellectu, quum nec Augusti-
nus, nec Beda, nec Haymo, nec Berengan-
dus, nec Glossa, neque Albertus, ita ex-
ponunt.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ET VIDI DE MARI BESTIAM ASCENDENTEM.

PRÆCEDENTI capitulo dictum est, qua- C
liter draco, hoc est diabolus, persequa-
tur Ecclesiam ; nunc denuntiatur, quomo-
1 do corpus et familia ejus id faciat. *Et vidi*
de mari bestiam ascendentem. Bestia ista,
est Antichristus irrationabilissime se ha-
biturus, vel cœtus reproborum bestialiter
agens. Qui ascendit de mari, scilicet de
sæculo nequam, de pelago iniquitatis, de
profundo vitiorum, de vitiosis principi-
bus. Vel mare designat inquietam ama-
ramque tribum de qua Antichristus na-
scetur. *Habentem capita septem, et cornua* D
decem, et super cornua ejus decem diade-
mata. Per septem capita Antichristi, uni-
versitas capitaneorum seu principum ejus
exprimitur. Porro, per decem cornua, uni-
versitas regnorum seu acierum ipsius ex-
pressa est. Per diademata vero significa-
tum est, quod populos sibi adhærentes
regio coronabit honore multiplicique tri-
umpho. *Et super capita,* id est principes,
ejus nomina blasphemiæ, id est, princi-
pes ejus pleni erunt blasphemiis contra
Christum.

Et bestia quam vidi, similis erat par- 2
do, id est varietate vitiorum atque hypo-
crisi perfusa ac palliata. Antichristus enim
quum nequissimus sit futurus, sanctum
tamen se multiformiter simulabit. Pardus
autem animal est variis respersum colori-
bus, juxta illud Jeremiæ : Si mutare potest *Jer.* xiii, 23.
pardus varietates suas, et vos poteritis
bene facere quum didiceritis malum. *Et*
pedes ejus sicut pedes ursi. Secundum Be-
rengandum, ursus est callidissimum ani-
mal : per quod Antichristi astutia, qua
homines fallet, exprimitur. Rursus, per
ursum, animal pedibus conculcans ac de-
vorans, innuitur quod Christianos avide
conculcabit. *Et os ejus sicut os leonis :*
quia in loquendo erit fidelibus crudelis ac
animosus.

Et dedit illi draco, puta diabolus, *vir-*
tutem suam et potestatem magnam. Quod
enim per se ipsum facere non valebit, per

Antichristum implebit, qui erit velut vas
et instrumentum diaboli, juxta illud in
Is. LIV, 16. Isaia : Ego creavi fabrum sufflantem pru-
nas, et proferentem vas in opus suum. Sed
Rom. XIII, 1. quum omnis potestas sit a Deo, quomodo
a diabolo erit Antichristi potestas? Et re-
spondendum, quod omnis potestas et vir-
tus, quantum ad suam essentiam, est a
Deo mediate vel immediate, non autem
quoad suam abusionem. Ista siquidem est
a voluntate creata, perversa ac defectiva.
Potestas ergo diaboli est a Deo. Et quum
Job XLI, 24. illa sit adeo magna, ut non sit potestas su-
per terram quæ comparetur ei, constat
quod hanc potestatem communicando An-
tichristo, dabit ei potestatem magnam. Da-
bit enim ei scientiam naturalium rerum,
et potestatem faciendi miracula, secun-
dum Glossam. Quomodo autem facturus
sit miracula, postea est tangendum. Rur-
sus, in omnibus cooperabitur ei occulte.
Verum hac potestate eatenus ille impius
abutetur, ut melius a diabolo quam a Deo
collata feratur.
3 *Et vidi unum de capitibus ejus quasi
occisum in mortem.* Ipsemet Antichristus
est unus seu primus inter principes suos :
qui secundum Bedam, finget se occisum
et suscitatum, ut Christus verus credatur.
Ideo subditur : *Et plaga mortis ejus cu-
rata est,* id est, a morte hac simulata se
resurrexisse magica arte monstrabit. Cu-
jus rei typus in Simone mago præcessisse
asseritur. *Et admirata est universa terra
post bestiam,* id est, universi terreni et se-
ducti, his visis, cum admiratione secuturi
sunt Antichristum, tanquam verum Mes-
siam in quo Prophetarum eloquia sint
completa.
4 *Et adoraverunt draconem,* id est dia-
bolum, scilicet in Antichristo, quem ado-
rando ut Deum, non Deum sed dæmonem
impiissimo vasculo præsidentem adora-
bunt, *qui dedit potestatem bestiæ,* utpote
Antichristo, juxta sensum nunc tactum.
Et adoraverunt bestiam : nam et Anti-
christum tanquam Dei Filium adorabunt;
dicentes : Quis similis bestiæ? Putabunt

A enim quod nec in sanctitate, nec in sapi-
entia, nec in potestate operandi miracula,
fuit aut sit similis ei. *Aut quis poterit pu-
gnare cum ea?* quasi dicerent : Non est
qui ei queat resistere. Unde de Antichristo
ait Apostolus : Qui extollitur supra omne II *Thess.* II, 4.
quod dicitur aut colitur Deus, ita ut in
templo Dei sedeat, ostendens se quasi sit
Deus. Verumtamen ejus ministri verba
præfata formaliter dicturi non sunt, sed
æquivalenter. Ipsi etenim dicent : Quis
similis Christo? aut quis poterit pugnare
B cum eo? Verum, quoniam iste quem Chri-
stum putabunt, potius bestia quam homo
aut Christus dicendus est, fertur quod di-
cent : Quis similis bestiæ? etc.
Et datum est ei os loquens magna, id 5
est, præsumptuose se verbis magnificabit.
Os autem quo loquetur, habebit a Deo,
abusionem vero a semetipso et a diabolo.
Et blasphemias : nam Jesum Christum di-
cet fuisse Antichristum. *Et data est illi
potestas facere menses quadraginta duos:*
qui faciunt annos tres ac medium. Tanto
C enim tempore blasphemare, regnare ac
prævalere divinitus permittetur. *Et ape-* 6
ruit os suum in blasphemias ad Deum, id
est contra Deum, blasphemando unigeni-
tum Filium ejus Jesum Christum. Qui enim I *Joann.* V, 10.
non credit in Filium, mendacem facit Pa-
trem; et, Qui non confitetur Filium, nec *Ibid.* II, 23.
Patrem habet : ut in prima Joannis epi-
stola legitur. Et ipsemet Christus testa-
tur : Qui non honorificat Filium, non ho- *Joann.* V, 23.
norificat Patrem, qui misit illum. Potest
quoque hoc loco nomine Dei, Filius, qui
D est verus Deus et vita æterna, intelligi. I *Joann.* V, 20.
Aperiet itaque os suum in blasphemias
contra Deum, *blasphemare nomen ejus,* di-
cendo quod Christus fuit seductor et men-
dax, *et tabernaculum ejus,* id est Eccle-
siam, scilicet omnes sanctos qui in Jesum
Christum crediderunt, quos omnes dicet
deceptos atque damnatos. Ideo subditur :
et eos qui habitant in cœlis, id est Aposto-
los et martyres, quos dicet perisse.
Et datum, id est a Deo permissum, et 7
a diabolo inspiratum, *est illi facere bel-*

lum cum sanctis, id est contra sanctos, *et vincere illos.* Nam Christianos constantes corporaliter perimet. Unde in Daniele le-
Dan. VII, 25. gitur : Tradentur sancti in manus ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis. Plures etenim sub ejus tyrannide martyrio coronabuntur. Quorum triumphus, secundum Gregorium, gloriosissimus erit : quia non ipsi, sed persecutor eorum miraculis coruscabit. *Et data est illi potestas in omnem tribum,* [*et populum,*] *et linguam, et gentem.* Ex omni enim natione, tribu ac populo aliqui, imo et plurimi ei subdentur, ut videatur impleri in eo quod de Christo prædictum est per Danie-
Ibid. 14. lem : Omnes populi, tribus, et linguæ servient ei.

8 *Et adoraverunt eum omnes qui habitant in terra,* id est quidam de omnibus, vel omnes terreni et reprobi. De quibus
Jer. XVII, 13. loquitur Jeremias : Recedentes a te, Domine, in terra scribentur. Vel ideo ait, Omnes, quoniam tam multi eum adoraturi sunt, ut eorum comparatione alii videantur pauci aut nulli. Verumtamen multi solo timore eum adorabunt ore tenus, non ex corde. *Quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ Agni,* id est, qui prædestinati non sunt, nec scripti in libro vitæ gloriæ, quam Agnus nobis promeruit secundum quod homo, et quam auctoritati-
In Apoc. III, 5. ve præstat ut Deus. De hoc libro supra dictum est plenius. *Qui occisus est ab origine mundi :* vel dispositive, vel præfigu-
Gen. IV, 8. rative, quia in Abel occisione, Christi fuit figurata occisio (propter quod asserit Augustinus, quod Christus fuit in Abel occisus, et in Prophetis exhonoratus); rursus, quoniam passio Christi hoc egit implenda seu futura, quod facit impleta atque præterita. Omnes enim qui in Christum ante ejus adventum crediderunt, per ejus fidem salvati sunt. Christus ab origine mundi, scilicet a tempore Adæ, occisus est virtualiter, quoniam virtute suæ passionis et ipsi protoplasti parentes salvati sunt.

Denique, secundum Berengandum, quod dicitur, Ab origine mundi, referri potest

A ad illud quod dictum est, Non sunt scripta : ut sit sensus, quod hi quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi, adoraturi sunt Antichristum. — Iterum ait circa hunc locum : Difficile videtur, ut in tam brevissimo tempore, id est in tribus annis et dimidio, omnes gentes sibi subjicere, et ad suam culturam genus humanum Antichristus possit, præter paucos electos, perducere. Erunt enim multi electi, sed in comparatione infidelium valde paucissimi. Verumtamen potest fie-
B ri, ut primo omnes gentes suæ ditioni subjiciat, postea vero in superbiam elatus, se pro Deo coli instituat. Nam, sicut mihi videtur, in tribus annis et dimidio, persecutionis tempus tantummodo comprehenditur, in quo et per se et suos discipulos, et per ostensionem signorum, tota virtute laborabit ut culturam deitatis omnes homines sibi impendant. Hæc Berengandus.

Faciet autem bellum contra sanctos, blandiendo, terrendo, Scripturas allegan-
C do, mirabilia operando, ut probet se Christum. — Præterea multi quærunt, cur Deus talia fieri sinat, ut scilicet genus humanum Antichristus tam pessime fallat. Verum duabus ex causis Deus ista permittet. Nam, sicut ipse dicit in Evangelio, In illis diebus refrigescet caritas, et abun- *Matth.* XXIV, 12.
dabit iniquitas multorum. Propter hoc digni erunt a Deo relinqui, et tam pessimo homini subjici, secundum illud ad Thessalonicenses : Revelabitur ille ini- II *Thess.* II, 8-11.
quus, cujus est adventus in omni sedu-
D ctione iniquitatis, his qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent : ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Unde in Job quoque legitur : Deus regnare facit *Job* XXXIV, 30.
hominem hypocritam, propter peccata populi. Rursus, permittet Deus hæc fieri, propter probationem electorum suorum : ut sicut aurum probatur per ignem, ita *Sap.* III, 6.
et illi in persecutione Antichristi proben-

Dan. XII, 10. tur, juxta illud in Daniele : Eligentur, et A dealbabuntur, et quasi aurum probabuntur plurimi. — Præterea si quæratur, an aliqui electorum ab Antichristo fallentur : dicendum, quod Antichristo occiso, multi eorum quos decepit, efficaciter pœnitebunt, quos constat electos. Hinc quod ait Matth. XXIV, 21.24. Salvator, Erit tribulatio magna, ita ut in errorem ducantur, si possibile est, etiam electi : intelligendum est, quod non poterunt finaliter decipi.

9 *Si quis habet aures, audiat,* id est, ista diligenter advertat. Ubicumque in Scriptu- B ris hoc dicitur, signum est quod notabile, vel obscurum, diligenterque pensandum sit quod profertur.

10 *Qui in captivitatem duxerit,* id est, Antichristus et ejus exercitus, qui Christianos corporaliter captivabunt, et multos spiritualiter capient, eos suis erroribus implicando, et dæmonum captivitati subjiciendo, *in captivitatem vadet,* id est, dæmonum vinculis impietatisque propriæ fu- Ibid. XXII, 13. nibus irretietur. Ligatis ergo manibus et pedibus, in exteriores tenebras projicie- C tur. Quod et de omnibus violentis captivatoribus accipi potest, in quibus illud Prov. V, 22. Proverbiorum completur : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. *Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.* Simi- Matth. XXVI, 52. le est quod ait Salvator : Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. Sive enim materiali gladio alium corporaliter quis occidat injuste, sive spirituali gladio pestiferæ persuasionis aut scandali animam ejus necaverit, gladio divinæ sententiæ est D damnandus : imo propria impietate quam gladio committit, animam suam mortaliter lædit ac perdit.

Hic est, id est, in harum tribulationum æquanimi perpessione consistit, *patientia,* cujus est in adversis inordinatam auferre tristitiam, *et fides,* id est credulitas, *sanctorum,* quorum fides in hoc constans et integra comprobatur, quod nec adversis concutitur : quod est contra eos qui ad Luc. VIII, 13. tempus credunt, ac laudabiliter agunt, sed tempore tentationis succumbunt, et Deum relinquunt.

Et vidi aliam bestiam ascendentem de 11
terra. Hæc bestia est cœtus principalium ministrorum, utpote prædicatorum, Antichristi : qui de terra, id est de vita terrena, et temporalium rerum opulentia, erigentur in altum elationis. *Et habebat duo cornua similia Agni :* quia sicut in Christum crediderunt quidam ex Judæis, et quidam ex gentibus, ita et in Antichristum ex utroque populo credituri sunt plurimi. Acies autem istorum, cornua nuncupantur. Denique, tam Antichristus quam iste cœtus ipsius, Christo similes apparebunt, per simulatam sanctitatem et miraculorum operationem. *Et loquebatur sicut draco,* verba blasphema, infectiva ac diabolica proferendo. Nam et diabolus per Antichristi prædicatores, sicut per ipsum, loquetur.

Et omnem potestatem prioris bestiæ, 12
scilicet Antichristi, *faciebat in conspectu,* id est in præsentia, beneplacito vel nomine *ejus.* Mirabilia enim quæ ope diaboli faciet Antichristus, faciet et iste cœtus prædicatorum ejus : qui non omnes erunt semper in corporali ejus præsentia ; sed ubique discurrentes, in ejus nomine et virtute operari se fatebuntur. *Et fecit terram et,* pro id est, *inhabitantes in ea, adorare bestiam primam,* scilicet Antichristum, *cujus curata est plaga mortis,* id est, qui a morte simulate finget se suscitatum, ut patuit. Ad hoc namque prædicatores Antichristi tendent, ut universos inducant ad credendum quod ipse
sit Filius Dei. *Et fecit signa magna,* ita 13
ut etiam ignem faceret de cœlo descendere. Quod dupliciter explanatur : Primo, quod sicut diabolus per se ipsum Deo permittente fecit ignem materialem descendere, qui oves sancti Job puerosque Job I, 16. consumpsit, ita in fine Antichristus et ejus ministri ope diaboli facient ignem corporalem de cœlo aerio cadere. Quem utique ignem diabolus naturali virtute atque industria facile producere poterit. Se-

Act. II, 1-4. cundo, quod sicut Christus discipulis in A specie ignis Spiritum Sanctum misit, ita et Antichristus prædicatoresve ejus, igne desuper veniente, dicent Spiritum Dei super credentes in ipsum descendere. *In terram in conspectu hominum.*

14 *Et seducet habitantes in terra propter,* id est per, *signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ,* id est, quæ in nomine vel præsentia Antichristi factura est, cooperante diabolo : sicut et magi
Exod. VII, 11, 12, 22; VIII, 7. Pharaonis eo præsente arte magica non parva mirabilia operari leguntur. Unde B
Matth. XXIV, 24. Christus prædixit : Surgent pseudoprophetæ, et dabunt signa magna. *Dicens,* videlicet ista bestia secunda, seu chorus, ordo et cœtus prædicantium Antichristum, *habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ,* id est, Antichristo se conforment vel eum depingant, atque in imaginibus suis adorent : sicut Christiani habent in ecclesiis imaginem Christi. Hoc forte jubebunt. *Quæ habet plagam gladii,* id est, quæ fuit occisa, *et vixit.* Secundum apparentiam enim, non in veritate, occidetur C atque resurget, sicut de Simone mago narratur. Tamen quod ait, Quæ habet plagam gladii, quidam exponunt, quod cicatrices vulnerum in se ad hominum deceptionem ostendet.

15 *Et datum est illi,* id est, bestiæ huic prædicatrici Antichristi a Deo permissum est, *ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ.* Si per imaginem bestiæ intelligatur statua Antichristi, sensus est, quod arte magica facient prædicatores isti statuas Antichristi verba for- D mare : non quod statuæ veraciter sint loquentes, sed spiritus maligni per eas, quemadmodum in idolis paganorum. Si autem per imaginem bestiæ intelligantur conformantes se Antichristo, sensus est, quod quasi spiritum prophetiæ atque scientiæ eis præstabunt, veniente in istos se Antichristo conformantes, non Spiritu Sancto, sed diabolico, per quem prophetandi ac prædicandi officium usurpabunt. *Et faciet* bestia prædicans Antichristum, *ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ,* scilicet statuam Antichristi, seu ipsum in ea, *occidantur* potestate sæcularium principum Antichristo credentium.

16 *Et faciet omnes, pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos :* non simpliciter omnes, sed de omnibus plures, vel omnes seductos ; *habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis.* Hoc forte corporaliter sic erit, ut scilicet ad discernendum credentes in Antichristum ab aliis, faciant eos certo signo aut figura notari. Vel character Antichristi est conformitas seu imitatio vitæ doctrinæque ejus : quæ in manu dextera ac frontibus, id est opere manifesto, et oris confessione seu mentis manifestatio-
ne, ab Antichristianis habebitur. *Et ne* 17
quis possit emere vel vendere, nisi qui habuerit characterem bestiæ, aut nomen ejus, ut eum confiteatur seu prædicet, atque ab ipso appellationem aliquam sortiatur, secundum quod nos a Christo Christiani vocamur, *aut numerum nominis ejus,* id est, de numero sit credentium Antichristo. Vel per numerum nominis ejus intelliguntur opera secundum doctrinam Antichristi multipliciter adimpleta. Itaque Christiani tunc velut excommunicati vitabuntur, et mutuo emere ac vendere non licebit aperte, nisi signatis charactere Antichristi.

Hic sapientia est, id est, in considera- 18 tione seu cognitione mysterii quod sequitur, sapientia magna consistit. *Qui habet intellectum* illuminatum a Deo, ut possit mente vivaci divina penetrare mysteria, *computet numerum bestiæ,* id est annos pertinentes ad Antichristum, ut numeri hujus agnoscat mysterium ; vel, Numerum bestiæ, id est litteras nominis ejus. *Numerus enim hominis est,* id est, numerus iste respicit Antichristum, qui erit veraciter homo, non diabolus, ut aliqui putaverunt, nec Deus, ut quidam tunc æstimabunt. *Et numerus ejus est sexcenti sexaginta sex,* scilicet anni. Vel sensus est, quod litteræ nominis Antichristi ta-

lem numerum signant, scilicet 666. Quasi dicat : Conjungat litteras quæ talem numerum signant, et habebit nomen bestiæ, scilicet Antichristi.

Circa quod scribit Berengandus : De hoc numero multi multa dixerunt, pluraque nomina repererunt in quorum litteris hic numerus invenitur. Tamen, si aliquod ex his nominibus Antichristus possideat, prævidere non potuerunt. Sed de re tam incerta nil audeo definire. Quis enim scit, si nomen quod a parentibus ei imponetur, numerum istum contineat? Hæc Berengandus. — Porro Albertus de loco isto obscurissimo subtiliter scribens, sequitur Bedam. Et ait Albertus, quod Apocalypsis, scilicet liber iste, primo a Joanne scriptus est Græco sermone. Ideo secundum modum Græcorum hic numerus nominis hominis accipiendus est. Græci autem per litteras significant numeros, secundum quod in alphabeto Græco ponuntur : ita quod prima eorum littera scilicet Alpha, significat unum; secunda, duo; tertia, tria : sicque usque ad decimam litteram, scilicet iota, quæ decem significat. Sequens autem post eam, signat viginti, et quæ hanc sequitur, signat triginta, et ita usque ad centum. Sequens demum post hanc, significat ducenta. Et sic procedendo usque ad mille. Itaque, secundum Bedam et Albertum, nomen Græcum, in quo litteræ præfatum numerum designantes contentæ sunt, est TEITAN, quod interpretatur gigas : quod nomen sibi Antichristus assumet, quasi omnibus fortior eminentiorque consistat, jactans se esse eum de quo fer-
Ps. XVIII, 6. tur in Psalmo : Exsultavit ut gigas ad currendam viam. Numerus autem hujus nominis est, sexcenti sexaginta sex, id est, talem numerum litteræ nominis hujus important. T enim designat trecenta; E, quinque; I, decem; T, trecenta; A, unum; N, quinquaginta : quæ simul faciunt 666. Simile huic, secundum Albertum, est, si juxta Latinos dicamus pro uno vocabulo, DICLUX, quod competit Antichristo, qui unicuique imperabit : Dic lux, id est, dic me esse lucem veram. In hoc autem nomine præfatus numerus invenitur. Nam apud nos, D significat quingenta : I, unum; C, centum; L, quinquaginta; V, quinque; X, decem : quæ simul numerum præfatum constituunt. De hac re plura conscribit Albertus.

Securius autem Berengandum sequor. Nam locus iste obscurissimus est omnino. — Et aliqui per numerum istum, tot annorum curricula intelligenda existimant.

Postremo, quemadmodum quidam per
bestiam de mari ascendentem, de qua in vers. 1.
hujus capituli principio agitur, intelligunt filium Chosroæ regis Persarum; et quæ de bestia ista jam dicta sunt, exponunt de persecutione Ecclesiæ illata a filio Chosroæ : ita per aliam bestiam ascendentem
de terra, de qua in sequenti hujus parte vers. 11.
capituli dictum est, intelligunt Mahometum legislatorem Sarracenorum; et quæ de bestia ista conscripta sunt, exponunt de persecutione Ecclesiæ a Mahometo et suis eidem illata. — Hæc autem expositio videtur a littera in pluribus discordare, præsertim quoad ea quæ de Mahometo dicuntur : quod diligenter inspicientibus textum et hujusmodi expositionem, reor satis posse constare. Neque enim post filium Chosroæ admirata est universa terra, nec adoravit eum, nec ipse suscepit potestatem in omnem populum et tribum et linguam et gentem, nec adorabant eum omnes reprobi qui inhabitant terram : quæ omnia de bestia ascendente de mari scribuntur. Similiter Mahometo non competit quod de alia bestia ascendenti de terra prædictum est, quod scilicet omnem potestatem prioris bestiæ fecit in conspectu illius, quodque fecit habitantes in terra adorare bestiam primam. Non enim Mahometus coram filio Chosroæ exercuit potestatem ipsius filii Chosroæ, nec induxit habitatores terræ ad adorandum filium Chosroæ; nec etiam Mahometus fecit ignem de cœlo descendere, nec angelum sanctum; nec per signa mundum seduxit, imo armis prævaluit : secundum quod ip-

semet asserit Deum sibi dixisse, quod non
permisit eum miracula facere. Similiter
reliqua non proprie videntur Mahometo
competere.

Verum, ut dicitur, Scriptura cereum
habet nasum : hinc diversis diversimode
applicatur. Ego tamen nullius catholico-
rum dicta catholice introducta infirmare
intendo, neque in his aliquid pertinaciter
assero. Solet autem inquiri, an Antichri-
stus et ejus ministri facient vera mira-
cula. Et apparet quod non, quum dicat
Ps. LXXI, 18. Psalmista : Benedictus Dominus Deus Is-
rael, qui facit mirabilia magna solus. Apo-
stolus quoque loquens de Antichristo :
II Thess. II, 9. Cujus est, inquit, adventus in omni vir-
tute et signis et prodigiis mendacibus.
Oppositum vero patet ex dictis. Facturi
sunt enim signa magna. — Et responden-
dum, quod propriissime loquendo de mi-
A rabilibus atque miraculis, utpote secun-
dum quod sunt effectus totum naturalem
rerum cursum, legem, virtutem et or-
dinem transcendentes, sic Deo dumtaxat
competit vera operari miracula. Si vero
de miraculis et mirabilibus communius
extensiusque loquamur, puta ut sunt ef-
fectus inconsueti et miri solitum rerum
cursum et ordinem excedentes, et præter
naturalem modum producti ; sic tamen
ut in rebus creatis sit naturalis causalitas,
capacitas seu potestas ad hujusmodi effe-
B ctus se extendens : sic cooperante diabolo,
miracula seu mirabilia facient : quæ tamen
vocantur mendacia ratione finis, quia ad
homines decipiendos ordinabuntur et fi-
ent. Aliqua quoque erunt omnino menda-
cia, apparentia sive phantastica, et in præ-
stigiis tantum, ut si ea quæ primo modo
miracula nuncupantur, se operari jactent.

ARTICULUS XV

EXPLANATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ET VIDI, ET ECCE AGNUS STABAT.

DENUNTIATIS gravissimis Ecclesiæ
persecutionibus, decuit consolatori-
um aliquid interponi : et hoc præsenti
agitur loco, ubi de Christo ejusque plebe
electa et gloriosa tractatur.

1 *Et vidi, et ecce Agnus stabat supra
montem Sion, et cum eo centum quadra-
ginta quatuor millia.* Per montem Sion,
quidam hic intelligunt Ecclesiam militan-
tem, alii triumphantem. Sed quantum ca-
pere valeo, utrumque dici nil prohibet.
Itaque consueta seu imaginaria visione
intuitus est Joannes Christum stantem su-
pra Ecclesiam, hoc est in vertice omnium
electorum suorum, et tam militanti quam
triumphanti Ecclesiæ præsidentem, mili-
tantibus quoque pro ipso auxiliari para-
Act. VII, 55. tum, secundum quod Stephanus ait : Ecce
video cœlos apertos, et Filium hominis
C stantem a dextris virtutis Dei. Et Christus
in Psalmo loquens de Patre : Ego, inquit, Ps. II, 6.
sum constitutus rex ab eo super Sion
montem sanctum ejus. Sion autem spe-
culatio interpretatur : quod militanti Ec-
clesiæ competit, quæ videt per speculum I Cor. XIII,
in ænigmate, revelataque facie gloriam 12 ; II Cor. III, 18.
Domini speculatur. Sed triumphanti Ec-
clesiæ competit sincerissime contemplari,
quippe quæ facie ad faciem contuetur.
Iste est mons Dei, mons pinguis, de quo Ps. LXVII,
Apostolus : Accessistis ad montem Sion. 16. Hebr. XII,
D Denique per centum quadraginta quatuor 22.
millia, numerum determinatum atque fi-
nitum, indeterminatus innuitur numerus
Sanctorum istorum. De quibus subjungi-
tur : *habentes nomen ejus et nomen Pa-
tris ejus scriptum in frontibus suis,* id
est Unigenitum Dei et Patrem æternum

(quibus prolatis, datur intelligi amborum A superdulcissimus nexus Spiritus Sanctus) in mentibus suis firmissime commorantes, amorose impressos, memoriter tentos; libera quoque et aperta confessione protestantes se Patris et Filii esse ministros, summamque Trinitatem incessanter laudantes.

2 *Et audivi vocem de cœlo.* Vox ista fuit cantus seu laus horum millium Deum laudantium, quam de cœlo militantis seu triumphantis Ecclesiæ interiori auditu audivit Joannes. *Tanquam vocem aquarum* B *multarum, et tanquam vocem tonitrui magni.* Per quod insinuatur, quod forti, affectuoso, tubali atque magnifico præconio Deum laudabant. Vel ideo ait, Tanquam aquarum multarum, quoniam fuit vox hominum plurimorum. Aquæ autem significant populum, secundum quod infra habetur : Apoc. xvii, 1, 15. Aquæ multæ, populi multi sunt. *Et vocem quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis,* id est, laus ista fuit Deo gratissima, angelis placita, mihi quoque Joanni instar C suavissimæ melodiæ videbatur delectabilis ac jucunda. Circa hoc verbum loquitur Beda : Quum citharistæ Dei sint omnes Galat. v, 24. sancti qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes, Deum lau- Ps. cl., 3. dant in psalterio et cithara; quanto amplius illi qui evangelicæ privilegio castitatis totos se Deo faciunt holocaustum, et Luc. ix, 23. singulariter abnegant semetipsos, tollentesque crucem suam, sequuntur Agnum quocumque vadit?

3 *Et cantabant quasi canticum novum* D *ante sedem Dei.* Quum enim electi de via patriam ingrediuntur cœlestem, mox novum canticum offerunt Deo, quem tunc incomparabiliter clarius cernunt, profundius noscunt, ardentius diligunt, immobilius tenent. Unde et præclarioribus eum attollunt præconiis, quæ ex mentibus per dona gloriæ innovatis, semperque recentibus et nunquam veterascentibus, prodeunt. Porro electi devoti et amorosi in præsenti Ecclesia Domino militantes, quasi canticum novum decantant, per evangelicæ legis verba et opera Deum laudando, eumque quotidie ex recenti, renovata ac inflammata devotione novis laudibus secundum multiplicem Spiritus instigationem, ubertim atque sæpissime commendando. Nam et sæculi amatores nonne frequenter carmina componunt, et cantant recentia de re sibi dilecta? Itaque, novum canticum cantaverunt ante sedem Dei, id est coram Altissimo præsidente, ad ejus honorem, ipsique cordialissime regratiantes de omni sua victoria et virtute, de universis beneficiis ejus, videlicet donis gratiæ seu dotibus gloriæ; *et ante quatuor animalia et seniores,* id est coram quatuor Evangelistis ac ceteris præcipuis Sanctis, Apostolis, Patriarchis, Prophetis, atque perfectis. Hi namque qui in præsenti adhuc peregrinantur Ecclesia, ad Deum ac Beatos in patria oculos erigunt, et in eorum præsentia se per fidei contemplationem constituunt : sicque laudes, gratiarum actiones et vota offerunt superbeatissimo Deo, cujus excellentiam attoniti rite mirantur.

Et nemo poterat dicere canticum istud, videlicet de quo nunc sermo : quia nunc agitur ad litteram de cantico virginum, qui quodam singulari cantico, gaudio, præmio, de sua virginitate lætantur, regratiantur, ac munerantur. Nam et specialis aureola eis confertur. *Nisi illa centum quadraginta quatuor millia,* id est, nisi universitas virginum mente et corpore, quæ præfato numero designatur. Præterea, secundum Bedam, singulariter canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ ceteris fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere. Quod canticum ceteri electi audire possunt, licet dicere nequeant, quia per caritatem in eorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant. Verumtamen non est putandum, quod absolute loquendo, virgines majoris sint meriti in præsenti, et præmii in futuro, quam ceteri universi electi, qui vel conjugio, vel

alio modo virginitatem amiserunt, sed quod in accidentali quodam merito præmioque excellant, et ceteris paribus, beatiores sint. Qui vero in caritate divina est ardentior sive perfectior, hic absolute eminentior est, in essentialique præmio erit sublimior. Unde quod aliqui putaverunt, virgines tantum ad angelicos ordines assumendos, ceteros vero infra futuros, stultissimum fuit. *Qui empti sunt de terra,* id est de societate terrenorum atque carnalium hominum misericorditer segregati, et de terra ac fragilitate corporis proprii sursum per gratiam elevati. Emptique
I Petr. I, 18, 19. sunt non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine Agni immaculati.

4 *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati,* id est mixti sive fœdati; *virgines enim sunt* mente et corpore. Virginitas autem sola cogitatione amissa, per pœnitentiam recuperatur : alioqui virgines aureolam non obtinerent, qui vel semel in illicitam copulam, aut etiam licitam consensissent, quantumlibet postea pœniterent et continerent. *Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* In præsenti enim sequuntur Christum, non solum per viam præceptorum, sed etiam consiliorum ; in patria quoque quadam singulari familiaritate ei adhærent, et quocumque se verterit, quemcumque visitaverit, ad quodcumque se extenderit, speciali eum prosequuntur fervore, quemadmodum nunc pro ejus amore contra propriam carnem laboriosius certaverunt. De virginibus enim hujusmodi præcipue sermo est, qui ætatem adultam sortiti, per rationis judicium, gratia duce, vicerunt se ipsos.

Unde Ambrosius ait : Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines angelis assimilantur. Major enim victoria virginum est quam angelorum. Angeli namque sine carne vivunt, virgines in carne triumphant. — Augustinus quoque circa hunc locum devotissime scribit : Pergite, Sancti Dei, pueri et puellæ, mares ac feminæ, cælibes et innuptæ, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius ; sperate felicius, cui servitis instantius ; amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis et lucernis ardentibus exspectate Dominum, quando veniat a nuptiis. Vos afferetis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris : utique tale, quale nemo poterit dicere, nisi vos. Sic enim vidit vos in Apocalypsi quidam præ ceteris dilectus Agno, qui discumbere super pectus Joann. XIII, 25; XXI, 20. ejus solitus erat. Ipse vos vidit duodecies duodena millia Sanctorum citharœdorum, illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde. Sequimini eum virginitate cordis et corporis, quocumque ierit.

Hi empti sunt sanguine Christi, *ex omnibus,* id est de toto grege Ecclesiæ, *primitiæ Deo et Agno,* id est ad hoc ut sint ad gloriam Dei Patris et Christi, nec minus ad honorem Spiritus Sancti, priores hostiæ et quasi fructus primi temporis, qui magis accepti ac dulces consistunt : quia præ ceteris exhibent corpora sua hostiam sanctam, viventem, Deo placentem. Rom. XII, 1. Hinc Berengandus ait : In lege præceptum est ut primitiæ offerrentur Domino. Exod. XXII, 29. Per primitias frugum designantur electi. Nam sicut ex multitudine fructuum parvæ primitiæ offerebantur Deo, ita ex multitudine populorum parvus electorum eligitur numerus, qui ab angelis Deo in templo gloriæ cœlestis offertur. *Et in ore eorum* 5
non est inventum mendacium, vel quia nunquam mentiti sunt, vel quia de præteritis suis mendaciis ante mortem, seu in purgatorio sunt purgati. Est autem mendacium perniciosum, quod mortale censetur, a quo timorati jugiter cavent. Qui autem in mendacium officiosum seu jocosum nunquam collapsus est, singularis est gratiæ. Interdum vero mendacium extense accipitur, pro instabilitate, vanitate, seu mutabilitate entis creati, quæ vero et incommutabili esse opponitur : sicque omnis creatura ex se dicitur mendax et vana, in quantum ex nihilo est producta,

Eccle. I, 2 juxta illud : Vanitas vanitatum, et omnia A vanitas; item alibi, Ps. XXXVIII, 6. Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens; et, Ps. CXV, 11. Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax. Apostolus quoque loquitur ad Romanos : Rom. III, 4. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax; et rursus, Ibid. VIII, 20. Vanitati creatura subjecta est. Huic mendacio seu vanitati contrariam quamdam veritatem habet homo, omnisque creatura : quæ dicitur veritas naturæ seu entis. *Sine macula* [*enim*] *sunt ante thronum Dei.* In Ecclesia enim militanti sunt sine macula peccati mortalis, in B patria vero omni macula carent.

Verum circa hæc oritur quæstio. Ex his namque videtur, quod virgines sunt absolute loquendo ceteris præstantiores, quum sint primitiæ Deo. Respondendum, quod ista eorum prærogativa ad accidentale præmium pertinet, nec sola virginitate simpliciter ceteris præferuntur, nisi et in aliis sint æquales. Verumtamen, ut recitat Beda, Tichonius non de virginibus specialiter ista exponit, sed de tota Ecclesia generaliter, II Cor. XI, 2. quam despondit Apostolus uni viro C virginem castam exhibere Christo. Ecclesia enim virgo et sponsa vocatur. Similiter Berengandus, per hæc centum quadraginta quatuor millia, intelligit universos homines jam beatificatos in patria : qui dicuntur non inquinati cum mulieribus, quia etsi inquinati fuerunt, postea tamen per pœnitentiam sunt abluti et emundati. Prima tamen expositio magis consonat textui.

6 *Et vidi alterum angelum volantem per medium cœlum, habentem Evangelium* D *æternum.* Quemadmodum supra, ita nunc nomine angeli, cœtum, chorum seu ordinem prædicationis evangelicæ legis designat, qui Joanni ostensus est, dum Agnum supra montem Sion stantem vidisset. Tunc enim revelatum est ei plenius, quod impiorum non obstante insania, persecutione et comprehensione, qua prædicatores captos clauserunt, Evangelium Christi divulgandum esset ubique. Itaque : *Vidi* in spiritu, *angelum volantem,* id est cœtum prædicantium Christum affectuose, alacriter atque celeriter procedentem, *per medium cœlum,* id est per omnem Ecclesiam, *habentem Evangelium æternum,* id est annuntiationem seu doctrinam a Christo collatam : quæ est annuntiatio bona et optima. Dicitur quoque Evangelium istud æternum, quia ab æterno dari dispositum, et quia promittit bona æterna, et quoniam aliud non succedet ei dandum a Deo. *Ut evangelizaret sedentibus,* id est morantibus, *super terram.* Quod consequenter specialius explicat : *super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum,* id est, omnibus his evangelicæ legis doctrinam infunderet.

Dicens angelus iste *voce magna,* id est 7
affectuosa, diligenti, tubali : *Timete Dominum,* o peccatores, primo, timore ad minus servili, ut saltem pœnarum formidine pœniteatis ; deinde proficiendo, timete eum timore initiali, ut ad perfectionem veniendo, timorem servilem penitus abjiciatis, Deumque ut patrem carissimum, dulcissimum atque piissimum timeatis timore filiali, casto et sancto, quo malum culpæ, scilicet Dei offensa, ex ingenti amore et zelo justitiæ timetur ac evitatur. *Et date illi honorem,* id est latriæ cultum; ei quoque in omnibus obediatis, omne bonum ipsi attribuatis, toto corde vos ipsos et alios ad divinæ majestatis honorificentiam inflammetis : optantes ex animo ipsum ab omnibus, in cunctis, semper et ubique, sollicite honorari. *Quia venit hora judicii ejus.* Quod intelligi potest de judicio discretionis, quo Deus in præsenti inter prædestinatos ac præscitos discernit ac dividit, illos misericorditer convertendo, hos juste derelinquendo : quod a tempore evangelicæ prædicationis in toto mundo maxime fieri cœpit. Propter quod ante passionem dixit Salvator : Nunc judicium est mundi, nunc princeps Joann. XII, 31. hujus mundi ejicietur foras. Vel, Venit hora judicii ejus, quoniam prope est ut singulos tempore mortis judicet judicio particulari, omnesque simul judicio uni-

versali. *Et adorate eum* cum omni reverentia, custodia, munditia cordis, mente stabili et devota, tanti Domini majestatem pensantes, *qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum,* qui ejus sapientia fluunt ex mari magno ad hominum usum.

8 *Et alius angelus secutus est eum.* Iste alius angelus sequens priorem, secundum Berengandum, est ordo seu agmen prædicatorum, qui finitis persecutionibus principalibus, Ecclesiam gubernaverunt. Prædicatores enim sibi invicem succe-
Is. xxi, 9. dunt, secundum Glossam. *Dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna.* Per Babylonem, quæ confusio interpretatur, intelligitur regnum, corpus, congregatio civitasque diaboli, vitiorum confusione repleta, utpote reproborum hominum collectio : cujus idololatria fuit per Christi discipulos jam destructa, tyrannorum crudelitas jam refrenata, omnisque mundi decor et gloria reprobati. Ideo ad ampliorem assertionem ait bis, Cecidit, et etiam propter intentionem movendam ; item, quia duplici cecidit casu, puta in culpam et pœnam æternam. Unde his verbis vanitas, instabilitas, brevitas gloriæ sæcularis exprimitur, juxta
Ps. lxxii, 19. illud : Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter
Ps. xxxvi, 2. iniquitatem suam. Et denuo : Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et tanquam olera herbarum cito decident.

Quæ a vino iræ fornicationis suæ, id est seminatione erroris, idololatriæ, impietatisque suæ multipartitæ, *potavit omnes gentes,* id est quosdam ex omni natione, et pene omnes ante Christi adventum. Idololatria autem specialiter spiritualis fornicatio vocatur, quia per eam potissimum mens a Sponso cœlesti dividitur, et dæmoni tanquam ejus adultera copulatur.
Jer. iii ; Ezech. xvi ; Osee iv, etc. De qua fornicatione in Jeremia, Ezechiele, ceterisque Prophetis frequentissime agitur. Error autem et impietas, et præsertim idololatria, dicitur vinum, quoniam animam quasi inebriat, ne rationem sequatur, ejusque statum evertit, et ipsam efficit stultam. Rursus vinum iræ dicitur, quoniam Dei iram seu ultionem meretur. Præterea, quum Babylon aliud nihil sit quam omnes gentes seu reprobi universi, quomodo omnes gentes vino iræ fornicationis suæ potavit? Respondendum, quod quia unus alium ad vitia traxit, et ille tertium, sicque deinceps ; imo unus frequenter multos infecit, et ita in omnes hos diabolicus error ingressus est : utique Babylon omnes gentes potavit.

9 *Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna.* Iste est ordo prædicatorum qui contra instantem Antichristi perfidiam circa novissima tempora prædicabit. *Si quis adoraverit bestiam,* utpote Antichristum, *et imaginem,* id est statuam *ejus,* vel ejus imitatores fuerit veneratus, *et acceperit characterem,* id est signum, cultum, professionem, figuram Antichristi, *in fronte sua,* per apertam illius confessionem, *aut in manu sua,* ei operibus serviendo (quid autem sit Antichristi character, et illum recipere in manu aut in fronte, supra dictum est ple- In Apoc. xiii, 16.
nius) ; *hic bibet de vino iræ Dei,* id est, 10
divina ultione quasi potu implebitur, *quod mixtum est mero, in calice iræ ipsius.* Merum dicitur purum. In vino autem duo inveniuntur : unum impurum, scilicet fæx ; aliud purum, videlicet merum. Quum ergo nunc dicitur, quod bibet de vino quod mixtum est mero, accipit vinum pro impuro, et merum pro puro. Insuper in Scripturis per calicem, pœna vel passio designatur, juxta illud : Transeat a me calix Matth. xxvi, 39.
iste ; et, Calicem meum bibetis. Potest Ibid. xx, 23.
quoque per calicem mensura retributionis seu ultionis, vel divina æquitas, mensurate ac proportionaliter puniens, accipi. Itaque vinum istud, id est ultio æquitatis divinæ, mixtum est mero, id est salubri antidoto seu potione medicinali, in calice iræ ipsius, id est in propinatione pœnæ quam infligit dum aliquem in præsenti vita paternaliter corrigit, ne æternaliter pereat. De calice isto multa loquitur Jere- Jer. xxv, 15. 17. 28.
mias. De quo et canit Psalmista : Calix in Ps. lxxiv, 9.

manu Domini, vini meri plenus mixto. Possumus etiam dicere, quod vinum divinæ vindictæ mixtum est mero in calice iræ ipsius, quoniam Deus semper citra condignum punit reum, misericordiam suam, quæ per merum exprimitur, rigori suæ miscens justitiæ, cujus effectus quasi fæx reprobis amarescit.

Et cruciabitur igne gehennæ, qui in se ipso non exstinxit ignem malitiæ, fervorem libidinis, inclinationem propriæ voluntatis, *et sulfure,* de quo maximus fœtor egreditur, id est fœtore tartareo : ut sicut in peccato sunt fervor improbæ voluntatis et fœtor deformitatis, ita in pœna peccati sint fervor ignis et fœtor infernalis; *in conspectu angelorum sanctorum.* Universi enim Beati reproborum tormenta conspiciunt, nec compassione aliqua affliguntur, quum sint divinæ voluntati et æquitati totaliter conformati : imo inde Deo amplius regratiantur, cernentes quid per divinam clementiam evaserunt. Siqui-
Ps. LVII, 11. dem lætabitur justus quum viderit vindictam. *Et ante conspectum Agni.* Qui coram Christo et angelis ejus peccare non erubuerunt, eis cernentibus torquebuntur
11 ad suam ampliorem confusionem. *Et fu-*
* eorum *mus tormentorum ejus* ascendet in sæcula sæculorum,* id est, ignis ille nunquam deficiet, imo reprobos dire operiet. Ignis autem inferni non clarus et splendidus, sed fumosus et quodammodo tenebrosus asseritur. Verumtamen, secundum Thomam, modicum quid sortitur de luce, in tantum ut damnati, ad calamitatis suæ augmentum, se invicem adspicere queant. *Nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus,* id est, continuo et indesinenter puniuntur. Ex quo sequi videtur, quod pœna inferni sit non solum æterna, sed etiam non interrupta. *Et si quis acceperit characterem nominis ejus,* scilicet Antichristi, juxta sensum expositum, ille (ut dictum est) punietur, imo et universi qui in mortali vitio moriuntur, his subjacent pœnis.

12 *Hic patientia sanctorum est,* id est, A in hujus æternæ damnationis pravorum consideratione sancti patientiam suam in vita hac fundant. Pensantes enim quod pro temporali persecutione vel afflictione æternam beatitudinem sortientur, impii vero et tribulatores eorum pro sua injustitia infernalem damnationem obtineant, in adversis non contristantur, sed omnia æquanimiter ferunt. *Qui custodiunt mandata Dei,* illa memoriter retinendo, et opere
exsequendo, *et fidem Jesu,* intellectum su- II Cor. x, 5.
um in Christi obsequium in captivitatem B humiliter redigentes, non immoderanter scrutantes incomprehensibilia fidei, sed auctoritati Christi ingenium suum subdentes, nec fidem propter quæcumque adversa aut aspera abnegantes vel deserentes.

Consequenter pro consolatione Ecclesiæ, descripta impiorum damnatione, proponitur beatitudo et gloria electorum in hoc sæculo multipliciter afflictorum, quatenus opposita juxta se posita, clarius in-
notescant. *Et audivi vocem de cœlo di-* 13
C *centem mihi : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Hanc vocem non corporalem, nec foris sonantem aut perstrepentem, sed spiritualem et intus formatam per angelum qui Apocalypsim seu revelationem hanc ostendit Joanni, audivit ipse B. Joannes interiori auditu ; de cœlo, puta ab angelo cive cœlesti, in sua vel prædicatorum persona loquente locutione interna, sicut in visionibus imaginariis ac intellectualibus fieri solet, quem-
admodum loquitur Zacharias : Angelus qui Zach. II, 3.
D loquebatur in me, egrediebatur. Scribe, id est, cordi proprio imprime, et ad profectum Ecclesiæ in libro exara verbum notabile quod tibi nunc dico : Beati mortui qui in Domino moriuntur. Quid est hoc? Nempe, quod mortuum est, vita caret; quod autem vita caret, nec moritur, nec mori potest, nisi prius vivificetur. Itaque intuendum, quod verbum hoc multipliciter possit exponi.

Primo : *Beati mortui,* id est, felices sunt illi defuncti, *qui in Domino moriun-*

tur, id est in Domino obierunt, puta in A statu salutis, in caritate, in divini nominis confessione, in mentis ad Deum conversione. Tales enim securi sunt quod nunquam avertentur a Deo : et si veniale quid deferant secum, per purgatorium pertingunt ad patriam; si vero plene satisfecerunt, omnive macula reatuque carent, mox evolant. Sæpe autem in Scripturis verba a connotatione temporis absolvuntur, et verbum unius temporis pro verbo alterius temporis ponitur, etiam in his quæ historialiter conscribuntur : quod in B Evangelio S. Joannis frequentissime fieri, omni constat legenti, nec opus est inde allegare exempla. — Secundo sic : *Beati mortui,* id est mortales agonizantes. Solemus enim de aliquo letaliter infirmante, mortique proximo dicere, quod sit mortuus homo. Unde Jairus archisynagogus, qui apud Marcum legitur Christo dixisse, *Marc.* v, 23. Filia mea in extremis est; in alio Evan- *Matth.* IX, 18. gelio fertur ei locutus, Filia mea modo defuncta est. *Qui in Domino moriuntur :* secundum sensum inductum. In ea enim C mentis dispositione seu conversione qua moritur homo, permanet anima ejus perpetuo. Ideo, qui in Domino moriuntur, videlicet in conversione mentis ad eum, nunquam avertuntur ab ipso, juxta illud : *Eccle.* XI, 3. In quocumque loco ceciderit lignum, ibi erit. Propter quod asserit Damascenus : Quod angelis est ruina, hoc homini mors. — Tertio sic : *Beati mortui,* id est, qui mortui sunt huic sæculo et peccatis, imo sibi ipsis, videlicet propriæ voluntati, et omni vitiosæ affectioni, atque mundanæ D vanitati, qui cum Apostolo dicere pos- *Galat.* II, 20. sunt : Vivo autem, jam non ego, vivit *Ibid.* VI, 14. vero in me Christus; et item, Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. De taliter mortuis *Rom.* VI, 2. alibi dicit Paulus : Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? Et *Coloss.* III, 3. ad Colossenses : Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Hi sunt qui dominantur animo suo, et vincunt se ipsos, odiuntque peccare amore virtutum atque sincero Dei intuitu. *Qui in Domino moriuntur,* per separationem animæ a corpore. Hi enim perseverando usque in finem, non nisi in Domino feliciter moriuntur. — Sed quoniam nunc de Antichristo facta est mentio, possunt hæc verba specialiter accipi de his qui ab illo pro fide catholica occidentur, et de universis martyribus. Ut sit sensus : Beati mortui qui in Domino moriuntur, id est, per palmam martyrii migraverunt ad Dominum, in ejus confessione spiritum exhalantes.

A modo, id est a tempore isto vitæ præsentis, vel a tempore mortis, *jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis,* id est, amplius non laborent nec affligantur; sed ab omni fatigatione, pœna, adversitate et tædio cessent, liberi et immunes sint quum ad patriam venerint, in qua æternam quietem et pacem quæ omnem sensum exsuperat, plenam- *Philipp.* IV, 7. que beatitudinem sortiuntur. In paucis *Sap.* III, 5. enim et modico tempore vexati, in multis perpetuo feliciter disponentur. Potest autem hoc loco per spiritum intelligi angelicus spiritus, cujus ministerio Deus ista revelavit Joanni; vel Spiritus Sanctus, per quem propheticæ revelationes per appropriationem quamdam fieri asseruntur : quemadmodum septem dona dicuntur dona Spiritus Sancti, quum utique sint dona totius superbeatissimæ Trinitatis, cujus indivisa sunt opera. Et quia tota superbenedicta Trinitas spiritus est (dicente Apostolo, Dominus spiritus est; et apud *II Cor.* III, 17. Joannem ipsomet Christo, Spiritus est *Joann.* IV, 24. Deus), potest jam per spiritum, Deus Trinitas accipi. Idcirco autem beati sunt isti sic mortui, et ideo requiescent.

Opera enim illorum sequuntur illos. Quomodo opera quæ præterierunt et esse desierunt, poterunt mortuos sequi? Et nonne opera nostra præcedunt nos ante mortem et præparant viam, quum oratio *Eccli.* XXXV, 20, 21. humiliantis se et deprecatio justi penetret cœlos, et Cornelio dictum sit, Orationes *Act.* X, 4.

tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei? Respondendum, quod opera bona et mala, seu meritoria et demeritoria, sequuntur morientes, id est, comitantur, vel simul pergunt cum eis, in quantum splendor virtutum, et ratio obtinendi felicitatem cœlestem, in justis decedentibus permanent, et comitantur eosdem; in reprobis autem macula vitiorum et reatus pœnæ æternæ manent, sequuntur, comitanturque eos. Itaque, non divitias, non delicias, non honores, nec aliquid hujus mundi, sed opera virtuosa desideremus, amemus, colliga-
I *Tim.* vi, 7. mus, et usque in finem custodiamus. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quia nec auferre quid possumus. Sola autem opera nostra, merita vel demerita, pergent nobiscum, et inseparabiliter adhærebunt. At vero, secundum Haymonem, quia post opus sequitur operis merces, opera electorum ipsos sequi dicuntur, quoniam præmium suorum operum consequuntur.

Consequenter de finali judicio agitur, et ipsa persona judicis imaginaria repræ-
14 sentatione describitur. *Et vidi*, imaginaria, intellectuali prophetalique visione: *et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam.* Itaque in visione imaginaria apparebat Joanni angelus similis Filio hominis, id est Christum repræsentans, vel in forma humana apparens, sedere super nubem claram et lucidam: qui habuit coronam auream, per quam regia Christi dignitas designatur; et in manu falcem acutam, per quam judiciaria ejus potestas, severaque æquitas, seu districtum ejus judicium expli-
Apoc. I, 16. cantur, quæ supra per gladium ex utraque parte acutum expressa sunt. Potest autem per nubem candidam, immaculatissima Christi caro intelligi: super quam sedet, in quantum eidem per divinitatis potentiam præsidet. Et quia in finali judicio Christus apparebit sublimis in aere, recte super nubem candidam angelus eum repræsentans videbatur sedere.

Et alter angelus exivit de templo, cla- 15
mans voce magna ad sedentem super nubem, dicens: Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora ut metatur. Angelus iste, quem in visione imaginaria vidit Joannes exire de templo Ecclesiæ triumphantis (in qua habitat tanquam civis), vel de templo Ecclesiæ militantis, puta de ipsa Ecclesia (in qua est tanquam custos et visitator ipsius), repræsentat personam Sanctorum, qui circa horam judicii desiderabunt illud compleri zelo justitiæ, ut divina æquitas declaretur, et electi plenarie glorificentur, impii quoque digna sortiantur tormenta. Hi ergo, sicut et angelus iste, clamabunt voce magna, affectuosa et seriosa ad sedentem super nubem, puta ad Christum: Mitte falcem tuam, id est, judiciariam potestatem extende in opus, exercendo judicium; et mete, id est, homines dele de terra, electos a reprobis divide, illos ad cœlos, istos ad infernum mittendo; quia venit hora ut metatur, id est, judicandi tempus a te æternaliter præordinatum advenit, et completus est numerus electorum, *quoniam aruit messis terræ*, id est, homines in terra exsistentes, qui sunt velut germina terræ in qua nascuntur, steriles facti sunt ab opere bono, et flamma vitiorum exu-
sti. Tunc enim, Christo testante, abunda- *Matth.* xxiv, 12.
bit iniquitas, et caritas refrigescet: sicque gratiarum rore subtracto, arida erit mes-
sis, quæ sicut Christus loquitur, est con- *Ibid.* xiii, 39.
summatio sæculi, utpote homines illi qui in sæculo isto futuri sunt ultimi, secundum unam expositionem.

Et mittebat, qui sedebat super nubem, 16
falcem suam in terram, id est, judiciariam potestatem in habitatoribus terræ exercuit, *et messuit terram,* id est, homines congregavit, judicavit, et unumquemque in locum quem meruit, collocavit. Loquitur autem Joannes more prophetico de futuro quasi de præterito, et quia in visione ista jam facta fuerunt.

17 *Et alius angelus exivit de templo, quod* A *est in cœlo* Ecclesiæ militantis seu triumphantis : sicut de præcedenti angelo dictum est. Templum autem, et Ecclesia, et cœlum, in libro isto frequenter pro eodem sumuntur. Electi enim, in quibus Deus per dona gratiæ seu gloriæ habitat, sunt templum, Ecclesia et cœlum. *Habens et ipse falcem acutam.* Per angelum istum quidam intelligunt eumdem qui et per sedentem super nubem exprimitur, scilicet Christum. Quia tamen nunc dicitur, Alius angelus exivit, Albertus satis con- B venienter per angelum istum intelligit [*Matth.* xix, 28.] chorum Sanctorum, qui judicabunt cum Christo, et judiciariam potestatem suo modo sortiti sunt, juxta illud [*Sap.* iii, 8.] : Judicabunt Sancti nationes. Et Paulus ait [I *Cor.* vi, 2.] : Nescitis quia Sancti de hoc mundo judicabunt ? Verum quia, ut Christus in Evangelio docuit [*Matth.* xiii, 39.], messores sunt angeli : per angelum congrue intelligitur agmen illud angelicum per quod exhibebitur atque implebitur finale judicium, secundum quod verba statim sequentia monstrabunt. Subditur C enim :

18 *Et alius angelus exivit de altari,* videlicet de principaliori et securiori loco Ecclesiæ militantis seu triumphantis, quasi de conspectu Dei egrediens, et a Christo, qui altare vocatur (ut sæpius patuit), missus ; *qui habebat potestatem super ignem :* quia angelico ministerio ignis conflagrationis per terram et aerem diffundetur, et reproborum cuneus in ignem gehennæ mittetur. Sed quoniam nomine ignis quælibet dira punitio designatur, angelus iste D potestatem habet super ignem, id est virtutem inferendi debitam pœnam malignis. *Et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam,* id est ad eos qui per præcedentem, videlicet tertium angelum, exprimuntur, *dicens : Mitte falcem tuam* [*acutam*], id est, potestatem tibi concessam extende in opus tibi commissum, *et vindemia,* id est, de terra abscinde, *botros vineæ terræ,* id est homines malos, qui sunt botri vineæ malæ. Sicut enim Ecclesia electorum est vinea Dei, sic collectio reproborum est vinea terræ, vinea mala, infructuosa, vinea plane diaboli. Unde Synagogæ Dominus ait per Jeremiam [*Jer.* ii, 21.] : Quomodo conversa es in pravum, vinea aliena? *Quoniam maturæ sunt uvæ ejus,* id est, botri ejus præfati, scilicet impii, ad plenitudinem vitiorum pervenerunt, ita quod consummatis eorum peccatis, nil restat nisi ut judicentur.

19 *Et misit angelus* iste tertius *falcem suam* [*acutam*] *in terram,* secundum quod Deus per angelum intimavit. Siquidem de divinis operibus superiores angeli inferiores illuminant, divinam eis voluntatem insinuando, quemadmodum Zacharias protestans [*Zach.* ii, 3, 4.] : Angelus, inquit, qui loquebatur in me, egrediebatur ; et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit : Curre et loquere ad puerum istum. *Et vindemiavit vineam terræ,* id est, impiorum collectionem de loco suo et statu amovit, *et misit in lacum iræ Dei magnum,* scilicet in infernum, qui ob suam profunditatem dicitur lacus. De quo apud Ezechielem [*Ezech.* xxii, xxxi, xxxii, passim.] multa scribuntur ; estque ob suam capacitatem magnus et spatiosus. De quo et Isaias ait [*Is.* xxx, 33.] : Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda et dilatata. Porro per Topheth, secundum B. Hieronymum aliosque expositores, significatur gehenna, a Rege cœlorum impiis præparata. Denique, quod angeli sancti in fine sæculi hoc modo vindemiabunt botros præfatos, atque eosdem in infernum contrudent, innotescit ex verbis Christi dicentis [*Matth.* xiii, 49, 50.] : In consummatione sæculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. Angeli quoque, secundum doctores, reprobos suscitatos ad locum judicii deferent.

20 *Et calcatus est lacus,* id est, missi in foveam infernalem, in perpetuam calamitatem depressi sunt ibi. Interdum enim continens pro contento ponitur. *Extra civitatem.* Nam lacus iste longe est extra civitatem Dei viventis, quæ est Ecclesia electorum. *Et exivit sanguis de lacu,* id

est, vindicta seu pœna pro sanguine seu A peccato inflicta exuberavit, *usque ad frenos equorum,* id est usque ad principes et prælatos, qui fastu superbiæ præfuerunt : quorum crudelitas per frenos innuitur, quia per eam subditos pro sua voluntate compescuerunt, sicut freno compescitur equus. Dicuntur autem superiores equi, quoniam sua potestate abutendo, instar equorum ad libitum hinc inde per omnia mala libere velociterque feruntur. *Per stadia mille sexcenta.* Quo numero, secundum Berengandum et alios, B omnes mali Christiani, injusti ac vani, intelliguntur. Stadium enim, secundum quod Haymo dicit, est Græca mensura, et nomen a stando sortitur; estque certi spatii metrum, quo Græci mensuraverunt loca in quibus ludebant, atque ibidem spatiantes deambulabant. Sicque per stadia ista signantur, qui ludis et vanitatibus sæculi vacant.

Potest quoque hic locus facilius, et ut apparet, convenientius explanari : ut quod ait, Exivit sanguis de lacu usque ad fre- C nos equorum per stadia mille sexcenta, sit metaphoricus ac hyperbolicus sermo, sicut quod in evangelio Joannis scriptum
Joann. XXI, 25. est : Multa alia fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum mundum arbitror posse capere eos qui scribendi
Ps. CVI, 26. sunt libros ; et in Psalmo, Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos. Et ita his verbis nil aliud designatur nisi quod ineffabiliter gravis, magna atque exuberans sit pœna reproborum in lacu gehennæ, quemadmodum inæsti- D mabiliter magna esset pressura, ubi tot homines occiderentur quod sanguis a foveis terræ usque ad frenos equorum ascenderet per stadia præsignata.

Quidam ordinem successionis temporum in expositione hujus voluminis prosequentes, per numerum centum quadraginta quatuor millium virginum, de quibus in
principio hujus capituli sermo est, intelli- *vers.* 1.
gunt religiosos a Mahometo ejusque satellitibus interfectos, quando terras Christianorum in Ægypto et alibi vastaverunt. Sed scire quis potest, nisi Deus revelet, an illi tot fuerunt, vel si inter illos tot virgines exstiterunt? Sed et numerus iste mystice potius quam secundum litteralem superficiem exponendus videtur, præsertim
quum supra, quum de signatis ab omni tri- *Apoc.* VII, 4.
bu filiorum Israel ageretur, etiam numerus iste taxatus sit. — Præterea quod subdi-
tur, et vidi alterum angelum volantem per *vers.* 6.
medium cœlum, exponunt de S. Bonifacio, misso a Romano pontifice, qui aliquibus gentibus prædicavit. Sed quomodo hoc stare possit, non video. Quomodo enim Papa misit eum ad evangelizandum super omnem gentem, tribum, linguam et populum, qui omnium linguarum usum notitiamque non habuit? Nec Bonifacius iste omni populo, omni genti et linguæ evangelizavit. Hinc antiqui et solidi expositores per angelum istum non intellexerunt aliquem prædicatorem determinatum et singularem, sed cœtum ac ordinem prædicatorum, juxta sensum præhabitum. — Qualiter autem quæ sequuntur exponant, omitto, quoniam evidentem instantiam pati videntur. Nam et per Babylonem de qua
sequitur, Cecidit, cecidit Babylon, intelli- *vers.* 8.
gunt regnum Græcorum pro tempore Justiniani imperatoris.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : ET VIDI ALIUD SIGNUM IN COELO MAGNUM.

1 HOC loco incipit visio quinta. *Et vidi* A *aliud signum in cœlo magnum et mirabile.* Quod autem fuerit signum hoc, subditur : *septem angelos, habentes septem plagas novissimas.* Itaque imaginaria visione intuebatur Joannes in spiritu quiddam mirabile, quod fuit indicium seu figura significativa rei futuræ. Vidit enim septem angelos, id est similitudinem repræsentativam eorum, in cœlo, scilicet in Ecclesia militanti, in qua ipse tunc fuit et angelus secum exsistens istaque sibi per rerum imagines monstrans; et quoniam angeli B isti ecclesiasticas personas designant, sicut patebit. Quid vero per angelos septem eorumque plagas significetur, infra in textus expositione clarebit. Nunc in tantum tangatur, quod per eos, prædicatores Ecclesiæ, per plagas autem quas habere visi sunt, vindicta et pœna quas reprobos denuntiabunt passuros, insinuatur. Et sicut per septem angelos plenitudo et universitas prædicatorum, ita per septem plagas plenitudo et consummatio supplicii reproborum innuitur : quemadmodum et in C Levitico Dominus ait, Percutiam vos septies. (Lev. xxvi, 24.) Septenario siquidem, sicut frequenter nunc patuit, universitas designatur. Hinc de plagis istis subjungitur : *quoniam in illis consummata est ira Dei,* id est, per eas rigor divinæ justitiæ judicabit plenarie demerita impiorum. Dicuntur quoque novissimæ, quia gravissimæ, et quia in fine, tempore Antichristi, potissime infligentur.

2 *Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne.* Quemadmodum per mare vitreum D intelligatur fons Baptismi, purus ac lucidus tanquam vitrum, vel doctrina evangelicæ legis instar aquæ clarissima, undique fluens, et tanquam vitrum sublimium virtutum splendore pellucida, in superioribus a nobis dictum est capitulo quarto. (In Apoc. iv, 6.) Porro mare hoc mixtum est igne, quoniam in Baptismo infunditur Spiritus Sanctus, qui ignis vocatur, et caritas ejus, qui ardor asseritur. Propter quod Joannes Baptista de Christo prædixit : Ille vos baptizabit Spiritu Sancto et igne. (Matth. iii, 11.) Christus quoque Apostolis loquens : Vos, inquit, baptizabimini Spiritu Sancto. (Act. i, 5.) Sed et virtus sacramentalis ipsius Baptismi, quum sit cooperativa ad caritatem et gratiam quæ in Baptismo præstantur, nomine ignis potest intelligi. In doctrina vero evangelicæ legis, ignis divini amoris (de quo loquitur Christus, Ignem veni mittere in terram), (Luc. xii, 49.) copiose miscetur, relucet, operatur, et inflammatur. Propter quod sacra Scriptura seu theologia, a quibusdam doctoribus dicitur affectiva potius quam practica vel speculativa.

Et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, id est, qui Antichristo et imitatoribus, atque ad eum quovis modo spectantibus, non consenserunt, nec cultum latriæ aut reverentiam exhibuerunt. Qui licet ab illis sint occidendi, spiritualiter tamen prævalebunt, veritati immobiliter adhærendo, et per patientiam in omnibus superando, quemadmodum ait Apostolus : In omnibus his superamus propter eum qui dilexit nos. (Rom. viii, 37.) *Stantes supra mare [vitreum],* id est, gratiæ baptismali, sacramentorumque fidei firmiter innitentes, veritati quoque Scripturæ insuperabiliter cohærentes, atque in ea gressus suos semper fundantes, juxta illud : Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei (Ps. cxviii, 133.)

omnis injustitia. Quod agentes, a plaga A septem angelorum eripiuntur. *Habentes citharas Dei*, id est mentes devotas Deo, Col. III, 16. in quibus juxta apostolicum documentum, cantant et psallunt Deo semper. Citharæ quoque Sanctorum sunt, mortificatio carnis, compassio cordis, patientia in adversis, prædicatio oris, gratiarum actio pro
3 beneficiis. *Et cantantes canticum Moysis servi Dei, et canticum Agni*, id est ex utriusque Testamenti Scripturis Deum laudantes. In Ecclesia enim libri Moysis frequentantur; nec Christiani sunt qui vetus B Testamentum non acceptant.

Dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens. Hoc in libris Moysis et in Evangelio Christi concorditer edocetur. Quum enim opifex Deus cunctis causis et operationibus in infinitum emineat in potestate, sapientia, voluntate, omnique perfectione, decuit opera ejus esse incomparabiliter magna et mira. Denique magna et mirabilia sunt opera naturæ, majora et mirabiliora opera gratiæ, maxima vero et mirabilissima opera C gloriæ. Hæc sunt opera creationis, recreationis, glorificationis : quæ omnia nostram capacitatem vehementer transcen- Exod. XV, 11. dunt. Hinc Moyses ait : Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia. *Justæ et veræ sunt viæ tuæ*, id est tua instituta, præce- Ps. CXLIV, 17. pta, opera atque judicia. Justus enim Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis : qui unicuique tribuit quod meretur; et quod promisit, ad- D implet; quod asserit, exhibet. Ideo ait Deut. XXXII, 3, 4. Propheta sanctus in Deuteronomio : Date magnificentiam Deo nostro; Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia : Deus fidelis et absque ulla iniquitate, ju- Dan. III, 27. stus et rectus. Daniel quoque dicit : Justus es, Domine, in omnibus quæ fecisti nobis, et universa opera tua vera, et vera sunt omnia judicia tua. *Rex sæculorum*, qui universorum es primus atque altissimus dominator, rector ac ordinator. De quo loquitur Paulus ad Timotheum : Regi autem I Tim. I, 17. sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria.

Quis non timebit te, et magnificabit nomen tuum? 4 Tanquam dicat : Nimis errat et graviter peccat, qui te non timet, et qui majestatem tuam non magnificat, id est, magnam atque dignissimam non profitetur; qui non verbis et factis pro viribus suis te magnum esse ostendit, qui tibi cum ingenti reverentia non obedit. Tua enim opera te metuendissimum summeque magnificandum et honorandum demonstrant. Nempe in omnibus tua omnipotentia, sapientia, bonitas, lucent. Hinc ait propheta Jeremias : Non est similis tui, Jer. X, 6, 7. Domine; magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium? Et Isaias : Domi- Is. VIII, 13. num exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester. Sed et Salomon ait : Fecit Deus opera sua ut Eccle. III, 14. timeatur.

Quia tu solus pius es. Nonne et pia virgo Maria? nonne et pius sanctus iste Joannes? nonne pius et Moyses, qui erat man- Num. XII, 3. suetus super omnes homines qui morabantur in terra? Quomodo ergo solus pius Deus, præsertim quum nemo placeat Deo nisi donum habeat pietatis? Sed sic solus pius Deus, quomodo solus sapiens, solus ens, solus bonus. In tantum siquidem ejus pietas omnium pietatem excedit, ut comparatione ipsius nullus sit pius. Nam et impiissimis hominibus indesinenter beneficia multa impendit, et peccantibus diu ac sæpissime parcit, judicium differt, suspendit vindictam; et frequenter in his abundantiam gratiæ cumulat, a quibus innumerabilibus vicibus gravissime est offensus. Juxta hunc modum scriptum est in libro Machabæorum : Domine Deus, qui II Mach. I, 24, 25. solus es rex bonus, solus præstans, solus justus, omnipotens et æternus.

Quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo. Nam ante finem mundi pene omnes convertentur, et jam quodammodo omnes venerunt, ut sit dis-

tributio pro generibus singulorum, non A pro singulis generum. In hora quoque judicii omnes venturæ sunt; sed tunc non omnes adorabunt : nisi forte quis dicat, reprobos tunc pro venia oraturos ex servili timore, quam nullatenus obtinebunt. *Ps.* LXXXV, 9. Hinc fertur in Psalmo : Omnes gentes quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam judicia tua manifesta sunt, id est, evidenter coram omnibus fient, quando in die judicii omnes judicabis, B cunctisque patebit quod vere et juste de *Joann.* III, 21. omnibus judicas. Omnis enim qui facit veritatem, venit ad lucem. Sicque judicia Dei sumuntur pro exsecutionibus atque effectibus divinæ justitiæ. Si autem judicia Dei sumantur prout sunt in ipso Deo (quibus ipse in se ipso de cunctis quid agendum sit, discernit : quæ licet sint unum in re, plura tamen dicuntur per relationem ad judicata); sic judicia Dei *Rom.* XI, 33. sunt incomprehensibilia, secundum Apo- *Ps.* XXXV, 7. stolum, et abyssus multa, juxta Psalmi- C stam. Unde Haymo ait : Subtilitatem judiciorum Dei quare hoc vel illud facit, nemo comprehendere valet; manifesta vero sunt in eo quod justa sunt, quia a cunctis vera noscentibus justa esse sciuntur. Præterea, ut scribit Albertus, duplex est judicium Dei, videlicet : singulare, quo unum eligit, alium reprobat, sine præviis me- *Malach.* I, 2, 3. ritis (juxta illud : Jacob dilexi, Esau vero odio habui); item quod facit unum pauperem, alium divitem, unum sanum, alium infirmum : quæ omnia facit ex causa D rationabili, licet nobis ignota. Ista judicia manifesta sunt in suo actu in quem exeunt, quia sic esse omnibus patet; sed occulta sunt in sua causa ex qua exeunt. Incertum est enim quare sic fiat. Aliud est judicium generale, et istud est triplex, videlicet : discretionis, quo in die novis- *Matth.* XXV, 32, 33. simo separabit electos a reprobis, illos ad dexteram, istos ad sinistram constituendo; secundum est disceptationis; tertium, definitionis, quo dabit sententiam.

Ista judicia nota sunt in causa, quoniam clarum est quod omnes secundum opera sua judicabuntur; ignota sunt autem quoad exitum causæ, quia nescitur qui sunt isti vel illi.

Post hæc vidi : et ecce apertum est 5
templum tabernaculi testimonii in cœlo, id est, mysteria Dei in Ecclesia omnibus intrare volentibus sunt reserata, et Christi sacramenta sunt patefacta. Templum autem tabernaculi, est ipsa Ecclesia : quæ et templum est in quo Deus per gratiam habitat, et tabernaculum quod venientem in se Dominum recipit. Estque templum et tabernaculum istud, templum et tabernaculum testimonii, per tabernaculum Moysis et templum Salomonis præfiguratum : testimonium verbo et opere usque ad sanguinem perhibens Deo, utriusque quoque Testamenti testimonia continens, præcepta adimplens, Scripturas amplectens. Quod etiam apertum est in cœlo, videlicet inter ipsos fideles, quorum conversatio est in cœlis, qui regnum cœ- *Philipp.* III, 20. lorum vocantur. Quidam vero per templum istud intelligunt Ecclesiam triumphantem seu patriam Beatorum, cujus janua merito passionis Christi est reserata.

Et exierunt septem angeli habentes sep- 6
tem plagas. Hoc jam in principio hujus articuli est tractatum. *Vestiti lapide mundo et candido,* scilicet Christo qui est lapis angularis, factus in caput anguli. De *Ps* CXVII, 22. quo scriptum est : Ecce ego mittam in *Is.* XXVIII, 16; *I Petr.* II, 6. fundamentis Sion, dicit Dominus, lapidem angularem, probatum, pretiosum; et omnis qui crediderit in eum non confundetur. Et alibi : Super lapidem unum oculi *Zach.* III, 9. septem sunt. Qui apud Danielem vocatur *Dan.* II, 34, 45. lapis abscissus sine manibus de monte. Hoc lapide vestiuntur fideles in anima, eum per amorem stringendo, et conversatione sequendo, ejus quoque protectione gaudendo, secundum quod ait Apostolus : Induimini Dominum Jesum. Qui est lapis *Rom.* XIII, 14. mundus, quia ab omni peccati labe immunis; et candidus, splendore sapientiæ,

omniumque virtutum decore. Potest quoque per lapidem istum, gratia, fides, et quælibet virtus intelligi. *Et præcincti circa pectora zonis aureis*, id est sapientiæ fulgore, caritatisque vinculis, et castimonia mentis. De hac præcinctione dictum est plenius supra, ubi et angelus Joanni
Apoc. I, 13. in Christi persona apparens, describitur zona aurea ad mamillas præcinctus : idcirco pertranseo. His autem ornamentis debent præcingi, stringi atque connecti prædicatores et omnes vicarii Christi.

7 *Et unum de quatuor animalibus*, id est Evangelistis, *dedit septem angelis*, id est prædicatoribus jam præfatis (de quibus plura dicentur propriis locis), *septem phialas aureas, plenas ira Dei viventis in sæcula sæculorum*. Phialæ aureæ, secundum Berengandum, sunt corda sapientiæ splendore ornata ; vel intelligentia Scripturarum, secundum Albertum : quod redit in idem. Unicuique ergo prædicatori, angelo seu nuntio Dei, data est phiala aurea, id est mens illuminata, vel sacræ Scripturæ notitia, quam Christus ut Deus dat auctoritative. Unum vero de quatuor animalibus dedit eam instrumentaliter : quia ex evangelico libro accipitur, et precibus impetrat eam a Deo ; missum quoque ad viatores, illustrat eosdem. Quidam per animal istud Matthæum, alii Marcum, alii Lucam intelligunt. Potius autem tenendum est, quod in imaginaria visione angelus repræsentavit Joanni effigiem unius quatuor Evangelistarum, ad innuendum quod posteriores prædicatores a prioribus illuminationem accipiunt. Sed quomodo phialæ istæ plenæ sunt ira, et non potius clementia atque dulcedine Dei ? Respondendum, quod utroque sunt plenæ. Nam impiis comminantur supplicia, justis præmia pollicentur. Unde Apo-
II *Cor.* II, 15, 16. stolus protestatur : Christi bonus odor sumus, et his qui salvi fiunt, et his qui pereunt ; aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.

8 *Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus*. Per fumum quidam intelligunt, quod in Ecclesia militanti est obscura et imperfecta cognitio divinorum, propter excellentiam majestatis ac sanctitatis Dei immensi, sicut Apostolus ait : Videmus nunc per speculum in ænigmate ; et nunc cognosco ex parte. I *Cor.* XIII, 12.
Alii per fumum quo impletur Ecclesia, intelligunt ignorantiam atque caliginem impiorum, quibus divina mysteria juste clauduntur. Beda vero exponit in bono, ut Ecclesia fumo dicatur impleta, id est quia ex igne caritatis in ipsa succenso, vapor piæ confessionis et gratiarum actionis ascendit. Denique Isaias dicit, quod templum impletum est fumo, quando videlicet Seraphim clamaverunt ter, Sanctus. *Is.* VI, 3, 4. Et ibidem Judæorum magistri, teste Hieronymo, per fumum intelligunt incensum seu thymiama, quo templum affirmant fuisse impletum propter divinæ majestatis præsentiam. Hieronymus tamen ibidem per fumum intelligit Judæorum ignorantiam et errorem. Rursus, in libris Regum et Paralipomenon legitur quemadmodum in dedicatione templi Salomonis, nebula impleverit domum Domini. III *Reg.* VIII, 10 ; II *Par.* V, 13. Ubi, secundum quosdam, per nebulam gratiosa Dei condescensio atque præsentia designatur.

Et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum, id est, nullus a fide et Christo extraneus poterit Ecclesiam ingredi, Christo incorporari, civis Sanctorum et domesticus Dei fieri, *Ephes.* II, 19. nisi a prædicatoribus audiat comminationes pœnarum quas Deus impiis præparavit, vel quousque a prædicatoribus compleatur sermocinatio qua futura tormenta denuntiant. Hoc de lege communi sic est. Nam per hujusmodi denuntiationem mali perterriti solent converti. Unde Beda scribit hoc loco : Nemo potest Ecclesiæ membris incorporari, nisi qui mysteria fidei audiens, discat a prædicatoribus quia Jesus constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. *Act.* X, 42.

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ET AUDIVI VOCEM MAGNAM DE TEMPLO.

CONSEQUENTER specificatur quid præ- A
fatis septem angelis divinitus com-
mittatur, demonstraturque damnatio im-
1 piorum per prædicationem bonorum. *Et
audivi vocem magnam de templo,* sive de
cœlo, *dicentem septem angelis,* id est cun-
ctis prædicatoribus (de quibus nunc ser-
Apoc. xv, 1. mo), qui sicut in præcedentibus patuit,
septenario designantur. Hanc autem vo-
cem angelus, Joanni omnia ista ostendens,
formavit et protulit in interioribus auri-
bus ejus, in persona Dei omnipotentis, cui
primo et proprie competit prædicationis B
officium quibus voluerit commendare. *Ite
et effundite septem phialas iræ Dei,* id
est sapientialia dogmata Scripturarum, ac
virtuosa eloquia earumdem, in quibus Dei
ultio contra iniquos ostenditur, *in terram,*
id est in habitatores ejus, præsertim in
terrenos atque carnales, annuntiando eis
quid ipsis immineat.

2 *Et abiit primus angelus,* scilicet pri-
mus prædicatorum istorum ordo vel cœ-
tus, *et effudit phialam suam in terram,*
id est, sacræ Scripturæ eloquia prædicavit C
Judæis : qui nomine terræ expressi sunt,
quoniam duri fuerunt, et terrena avide
quæsierunt ; vel etiam quia solidi, quan-
tum ad electos Judæorum, et quia per
legem divinam præ ceteris gentibus a vi-
tiorum profluviis desiccati. *Et factum est
vulnus sævum et pessimum,* id est gra-
vissima excæcatio in cordibus horum in-
I Thess. II, 16. fidelium Judæorum, in quos ira Dei per-
venit usque in finem. Ideo sequitur : *in
omnes qui habebant characterem bestiæ,*
id est fidem Antichristi, quem recipient D
pro Christo, nuncque præstolantur eum-
dem, *et in eos qui adoraverunt imaginem
ejus,* id est, eum in sua imagine seu imi-
tatoribus ejus superflue honoraverunt aut
honorabunt. Ista Judæis qui fuerunt, con-
veniunt. In quibus illud Jeremiæ comple-
tum est : Insanabilis est fractura tua, in- Jer. xxx, 12.
sanabilis plaga tua. Quibus et Christus
testatus est : Ego veni in nomine Patris Joann. v, 43.
mei, et non recepistis me ; si alius venerit
in nomine suo, illum recipietis. Præterea,
secundum Bedam, dupliciter prædicatores
phialas iræ Dei effundunt : primo, pœnas
impiorum eis spiritualiter per judicium
irrogando (sicut Petrus dixit ad Simonem
magum, Pecunia tua tecum sit in perdi- Act. VIII, 20.
tionem ; Paulus quoque excommunicavit I Cor. v, 4, 5.
Corinthium) ; secundo, eas Ecclesiæ præ-
dicando.

Et secundus angelus effudit phialam 3
suam in mare. Per mare signantur gen-
tiles, inquieti, amari ac tumidi, nullo di-
vinæ legis freno sedati : in quos secundus
angelus, utpote secundus prædicantium
chorus, phialam suam effudit, sacri elo-
quii verba infideliumque tormenta eis an-
nuntiando. *Et factus est sanguis tanquam
mortui.* Per sanguinem intelligitur, vel
effusio sanguinis prædicatorum quem fu-
derunt increduli, vel sanguinolenta eorum
transgressio, sive sempiterna damnatio. *Et
omnis anima vivens, mortua est in mari.*
Per partem intelligitur totum, videlicet
homo per animam. Ista quoque distribu-
tio est pro generibus singulorum, non pro
singulis generum, nisi secundum diver-
sam mortis acceptionem. Gentilium enim
aliqui convertebantur, et hi ab incredulis
pro magna parte occidebantur ; occisores
vero propria impietate, infidelitate et ra-
bie, deterius occiderunt se ipsos, atque
totaliter perierunt.

Et tertius angelus effudit phialam su- 4

am, id est, tertius ordo prædicantium A evangelicam veritatem, eamdem aperuit, *super flumina et super fontes aquarum*. Flumina ista et fontes, sunt hæretici cum hæresiarchis suis magistris : qui hæretici instar fluminum abundabant et undique effluebant et discurrebant, ut plures sibi in erroribus consociarent. Quoniam tamen respectu aliorum pauci fuerunt, et qui ex eis orti sunt, potius flumina quam mare vocantur : præsertim quia non solum a Catholicorum Ecclesia, sed etiam a se invicem variis assertionibus dividuntur. Quo- B rum principes et magistri fontes sapientiæ se æstimari præsumunt, suisque poculum mortis propinant, qui aquas furtivas (Prov. IX, 17.) judicant dulciores. *Et factus est sanguis :* quia ipsi incorrigibiles sunt atque damnantur, et prædicatores catholicos pro viribus persequuntur.

Verum circa hæc quæritur, cur non omnes angeli isti phialas suas fuderunt super terram, sed secundus super mare, tertius super flumina, etc., quum tamen vox divina dixerit eis : Effundite phialas C vestras super terram. Et respondendum, quod ibi per terram, habitatores terræ, scilicet homines, designantur, qui ob varias proprietates et culpas, diversis postea exprimuntur nominibus.

5 *Et audivi angelum aquarum dicentem : Justus es, Domine*. Per angelum aquarum, id est populorum (aquæ enim significant populum, sicut et Salomon ait : Mitte pa- (Eccle. XI, 1.) nem tuum super transeuntes aquas), intelligitur multitudo tam supernorum spirituum, qui præsunt hominibus, quam D prædicatorum atque pastorum bonorum Ecclesiæ, qui populum Dei custodiunt. Omnes isti divinam approbant æquitatem, et de justo ejus judicio gratias agunt, dicentes : Justus es, Domine, qui das unicuique quod ei debetur, seu dare te decet. *Qui es et qui eras sanctus* per essentiam, ac totius justitiæ es origo, *quia hæc judicasti*, id est, ista judicia exercuisti, et reprobos taliter perdidisti : in quo relucet tua justitia. Unde quod ait, Quia, non notat causam a priori, seu proprie, sed signum vel causam a posteriori, scilicet quantum ad nos, quibus divina per suos effectus innotescit justitia.
6 *Quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum fuderunt :* eo modo quo omnes perversi ac persecutores, una generatio et unum corpus diaboli appellantur; sic quod unus seu quidam fecerunt, toti adscribitur. Secundum quod ait Salvator Judæis : Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super (Matth. XXIII, 35.) terram, etc. Prædicatores autem Ecclesiæ primi et præcipui gratiam propheticam habuerunt. *Et sanguinem dedisti eis bibere*, id est, sui sanguinis effusione eos replesti, ita quod et ipsi occisi sunt, vel morte eos potasti, atque dirissima ultione eorum homicidia vindicasti; *ut digni sunt* per sua demerita. Unde in Prophetis sæpius scriptum est : Sanguis tuus super caput tuum; et, Sanguis ejus super eum (Ezech. XXXIII, 4. Osee XII, 14.) veniet. In Genesi quoque habetur : Qui- (Gen. IX, 6.) cumque effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis illius.

7 *Et audivi alterum dicentem*, scilicet angelum, *ab altari*, id est secretiori loco Ecclesiæ, vel de interiori cordis affectu. Altare etenim Dei est mens devota. *Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua*. Per angelum istum signati sunt ceteri militantis ac triumphantis Ecclesiæ nuntii et custodes : qui eorum quos per præcedentem angelum jam dixi expressos, confirmant sententiam, et divinæ applaudunt ac gratias agunt æquitati : ad insinuandum quod singuli electorum de beneficiis cuique electo collatis, in Deo gaudere et gratias referre debent.

8 *Et quartus angelus effudit phialam suam*. Istud de quarto angelo et phiala sua exponatur sicut de primo, secundo et tertio angelis, eorumque phialis. *In solem*. Quidam per solem intelligunt Antichristum, qui se asseret solem justitiæ; alii, principes Ecclesiæ, qui ratione potestatis, dignitatis atque scientiæ, per solem notantur. *Et datum est illi æstu affligere [homines] et igne*, id est variis tribulatio-

nibus et pressuris quibus principes subdi-
9 tos vexant. *Et æstuaverunt homines æstu*
magno, id est, gravissimis afflictionibus
laboraverunt, *et blasphemaverunt nomen*
Domini habentis potestatem super has pla-
gas. Indurati namque et superbi impatien-
tesque, dum suis exigentibus excessibus
exercentur adversis, non attendunt se ea
propter sua pati peccata, et ad præclario-
rem suæ mentis profectum; sed passioni-
bus animam obtenebrantibus, arbitrantur
sibi injuriam fieri, et Deo altissimo corde
et verbo maledicere audent. Hinc subdi-
tur : *neque pœnitentiam egerunt, ut da-*
rent illi gloriam, sua peccata humiliter
confitendo, seque talia juste pati pensan-
do, ac Deo de hoc quod in præsenti eos
castigat, gratias agendo. His ergo nequa-
quam assimilemur; sed nos ipsos in om-
nibus ex animo accusando, et Deum in
cunctis laudando, pœniteamus, et Deo glo-
riam demus, juxta illud Josue : Fili mi, da *Josue* VII, 19.
gloriam Deo.
10 *Et quintus angelus effudit phialam su-*
am super sedem bestiæ, id est super re-
gnum et ministros Antichristi, contra hos
prædicando. *Et factum est regnum ejus*
tenebrosum, id est, ex prædicatione illa,
caligo perfidiæ, et tenebræ vitiorum po-
puli hujus et principis ejus patebunt, *et*
commanducaverunt linguas suas præ do-
11 *lore. Et blasphemaverunt Deum cœli præ*
doloribus et vulneribus suis, et non ege-
runt pœnitentiam ab operibus suis. Multi
utique dolebunt et turbabuntur, scilicet
Antichristus et ejus fautores, quando ad
prædicationem Eliæ et Enoch falsitas ipso-
rum aperietur, et millia multa ad Domi-
num convertentur. Quod autem dicuntur
linguas suas præ doloribus manducaturi,
hyperbolica est locutio, sicut de homine
multum afflicto ac mœsto asserimus quod
cor suum consumit. Insuper, quum ultio
Dei in Antichristum magnamque sui exer-
citus partem descenderit, non pœnitebunt;
sed Christum cœli creatorem et omnium
Deum blasphemando, cœlitus occidentur.
12 *Et sextus angelus,* id est sextus ordo

A prædicatorum, *phialam suam effudit,* id
est, prædicationis eloquia sparsit, *in flu-*
men magnum Euphraten. Per Euphraten
fluvium Babylonis, intelligitur grandis fal-
sorum fratrum collectio : qui fertiles esse
videntur (Euphrates siquidem fertilitas in-
terpretatur), sed intus vanitatum confu-
sionibus pleni sunt. Vel per Euphraten
intelliguntur reprobi illi qui Antichristo
adhærebunt, et ipso occiso in sua perseve-
rabunt duritia, vitiis carnalibus servientes
ac defluentes. Propter quod nomine Eu-
B phratis exprimuntur, quia in aquis suæ
luxuriæ et propriæ impietatis abundantia
demorabuntur, quousque subito auferan-
tur. Quum enim dixerint, Pax et securitas, I *Thess.* V, 3.
repentinus eis superveniet interitus, jux-
ta Apostolum. *Et siccavit aquam ejus,* id
est delicias, omnemque copiam horum su-
bito tollendam annuntiabit. *Ut præpare-*
tur via regibus ab ortu solis : id est, ideo
sic prædicabit, quatenus sua prædicatione
ad Christum reducat reges et principes ab
Antichristo deceptos : qui ad litteram pro
C maxima parte orientales, ut dicitur, erunt.
Idcirco quoque ait, Ab ortu solis, quo-
niam non redibunt ad veritatem, nisi in
cordibus eorum oriente per inspirationem
internam Christo sole justitiæ.
Et vidi de ore draconis, et de ore be- 13
stiæ, et de ore pseudoprophetæ exisse spi-
ritus immundos tres in modum ranarum.
Per draconem diabolus non quilibet, sed
ille supremus et primus, qui in Antichri-
sto habitabit, intelligi debet; per bestiam,
Antichristus; per pseudoprophetam, cœ-
D tus seu multitudo prædicatorum Antichri-
sti. Itaque, ad innuendum quod diabolus
in Antichristo habitans, diriget dæmones
inferiores ad introeundum Antichristi sa-
tellites ac prophetas, visus est spiritus im-
mundus de ore draconis exisse. Rursum,
de ore Antichristi prædicatorumque ejus
visi sunt egredi spiritus immundi, puta
diaboli, quoniam non Spiritu Sancto, sed
diabolico pleni loquentur, talemque spiri-
tum qualem ipsi sortiti sunt, per suas
prædicationes suis auditoribus insuffla-

bunt. Qui spiritus immundi ranarum speciem habent, quoniam in omni deformitate ac sordibus vitiorum delectantur. Et sicut ranæ turpem proferunt sonum, sic ipsi suggerent documenta perfida atque falsissima, coram Deo et omni corde illuminato ineptissime turpissimeque sonantia.

14 *Sunt enim spiritus dæmoniorum,* id est dæmones, qui spiritus sunt, *facientes signa,* id est quædam mirifica, sicut per magos Pharaonis fecerunt. Quomodo autem hoc possint et quantum, dictum est supra, quum ostendebatur quomodo Antichristus miracula sit facturus. [In Apoc. xiii, 14.] *Et procedunt ad reges* [*totius*] *terræ, congregare illos in prælium,* id est, regibus inspirant et suggerunt occasiones et propositum præliandi contra se invicem, et præsertim contra fideles et justos : quod et tempore Antichristi potissime facient; *ad diem magnum Dei omnipotentis,* id est, ut prælientur tempore divinitus præstituto : qui dies dicitur magnus, quia magna fient in eo. Potest quoque per diem hunc, dies judicii accipi, quia ex præliatione illa regum injusta, sequetur quod ad divinum judicium ducentur, et coram omnibus dijudicabuntur. Unde in Christi persona subjungitur :

15 *Ecce venio sicut fur,* id est, improvise ac subito ad judicandum descendam, et peccata ulciscar. Unde in Evangelio loquitur : [Luc. xii, 40.] Qua hora non putatis, Filius hominis veniet; et rursus : [Matth. xxiv, 38, 39.] Sicut erant in diebus Noe edentes et bibentes, quousque venit diluvium, et tulit omnes; ita erit adventus Filii hominis. *Beatus* est nunc in spe et in merito, *qui vigilat* mente, id est, coram Deo diligens est ne peccet, sed Deo in cunctis obediat, juxta illud : [Prov. iv, 23.] Omni custodia custodi cor tuum; *et custodit vestimenta sua,* id est, virtutes et dona et cetera gratiarum charismata, et quantum possibile est, opera bona continuat, quibus anima decoratur, protegitur et vestitur, *ne nudus ambulet,* id est, donis gratiæ spoliatus vivat, ad infernumque tendat, *et videant* Deus et angeli boni et mali, vel etiam proximi, qui poterunt scandalizari, *turpitudinem ejus,* id est inhonestam ac vitiosam ipsius conversationem, et animæ deformitatem. Verba hæc supra plenius scripta et exposita sunt. [Apoc. iii, 18.]

16 *Et congregabit illos in locum qui Hebraice dicitur Hermageddon :* quod est, secundum Bedam, consurrectio in priora, vel mons globosus. Quod et in bono et in malo accipi potest. Si in bono, sensus erit quod Christus judex congregabit reges terræ, imo et omnes, ad locum sui judicii : in quo ipsemet Christus consurget, ut testis fidelis et verax pro suis et contra iniquos; ubi et universi homines quodammodo suo concursu conglobabuntur. Si in malo, sensus est quod diabolus, seu trium præfatorum immundorum spirituum numerus, colliget, interius suggerendo, reges terræ ad collegium Antichristi, ut ei adhæreant. Quod collegium consurget adversus fideles prioremque fidem Ecclesiæ, et erit sua multitudine velut mons globosus contra electos.

17 *Et septimus angelus,* id est septimus ordo prædicatorum (quorum distinctio in isto capitulo non semper accipitur ex parte personarum, sed interdum ex parte officiorum seu actuum), *effudit phialam suam,* id est prædicationem suam, et futuræ plenariæ damnationis iram, *in aerem,* id est aerias potestates, secundum Bedam et Albertum, illarum pœnas denuntiando : quæ simul cum Antichristo et ejus ministris, in infernum trudentur, quemadmodum per Isaiam prædictum est : [Is. xxiv, 21, 22.] In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, et super reges terræ; et congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, et claudentur in carcere. Dæmones autem ob suam levitatem, spiritualitatem et mobilitatem, per aerem designantur, et etiam quia in ipso usque ad diem judicii commorantur.

18 *Et exivit vox magna de templo* Ecclesiæ militantis seu triumphantis, *a throno,* puta a loco quo Deus residere dicitur et

regnare. Istam vocem angelus in interiori sensu Joannis formavit et protulit. *Dicens: Factum est* omne quod Deus futurum prædixit et fieri jussit, adestque finis.

18 *Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua.* Ista enim tunc ad litteram corporaliter fient, ad insinuandum horrorem instantis judicii. Similiter fient tunc fulgura, id est miraculosi effectus, in superioribus inferioribusque corporibus, juxta
Luc xxi, 25. quod ait Salvator, Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium; et voces et tonitrua, id est annuntiationes imminentium operum Dei, et comminationes futuri supplicii. *Et terræ motus factus est magnus.* In visione imaginaria factus jam videbatur; tunc autem realiter fiet. *Qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram : talis terræ motus sic magnus.* Et hoc rursus dupliciter potest exponi. Primo, quia tunc erit, secundum Albertum, terræ motus vehementissimus universalis : nam erit a causa supernaturali voluntaria et divina. Secundo, per terræ motum intelligitur commotio cordium humanorum, quia tunc tribulatio et inquietudo maxima erit. Veni-
Dan. xii, 1. etque tempus quale non fuit ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud, quemadmodum apud Danielem legitur.

19 *Et facta est civitas magna in tres partes :* id est, reproborum societas, quæ major est numero quam catalogus electorum, in tres portiones, videlicet in Judæos, paganos, et falsos seu impios Christianos, dividetur, ita quod quælibet pars secundum sui peccati mensuram supplicia sortietur. Circa hunc locum dicit Beda : Triforme bellum impia civitas infert Ecclesiæ Dei, quam gentiles et hæretici aperto certamine et subdola fictione, falsi fratres pravis infestant exemplis. *Et civitates gentium ceciderunt.* Nam igne conflagrationis omne ædificium destruetur, et viventes gentiliter damnabuntur. *Et Babylon illa magna,* videlicet præfata jam civitas, seu collectio impiorum vitiis deordinata (Babylon enim confusio dicitur), *venit in memoriam ante Deum,* id est, Deus invariabilis, per suæ æquitatis effectum ostendet se memorem iniquitatum ejus in die judicii, *dare illi,* id est, ut det ei, *calicem vini,* id est poculum damnationis, mensuratamque pœnam secundum mensuram culpæ, *indignationis iræ ejus,* id est pœnæ procedentis ex indignatione iræ Dei contra ejus peccata, hoc est ex zelo justitiæ, quo ejus crimina Deus justissimus et sanctissimus detestatur. Porro, secundum Albertum, quoties Joannes in libro isto loquitur de pœna malorum, dicit calicem vini, et non aquæ : ad innuendum quod plaga eorum irrevocabilis erit ac desperata, sicut signum est desperatam esse plagam, dum vinum propinatur laboranti in febre acuta.

Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi, id est, habitacula tunc in terra cessabunt, et habitatores de terra tollentur. Sed et terra complanabitur in novissima hora. Aliqui autem per insulas intelligunt justos, instar insularum jactibus persecutionum contusos, qui tunc mente se a reprobis segregabunt; per montes vero, perfectos, qui tunc in damnatione pereuntium non invenientur participes. 20

Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo, id est, gravissima Dei percussio, scilicet pœna inferni, tunc ruet super iniquos ; *et blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis, quia magna facta est vehementer.* Impii enim et reprobi, præsertim damnati, ex Dei flagellis non emendantur, sed indurantur; et impatientia pleni, blasphemant, quasi Deus injuste agat cum eis, optantes eum non esse, ejusque omnipotentiæ et gloriæ ineffabiliter invidentes. In inferno enim erit odium omnis boni honesti, superbia, ira, invidia, etc., quæ omnia augebunt calamitatem miserrimorum, quum animus tam inordinatus sibi ipsi pœnosus sit. Peccabunt autem miseri, sed non demerebuntur, quum non sint in via seu statu merendi ac demerendi, sed in termino. 21

ARTICULUS XVIII

EXPLANATIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : ET VENIT AD ME UNUS DE SEPTEM ANGELIS.

Apoc. xvi, 17. SUB effusione phialæ septimi angeli, A
diem judicii S. Joannes circa finem
præcedentis capituli summatim perstringens, nunc ad ea quæ prætermisit, revertitur : atque sub specie mulieris meretricis civitatem diaboli describens, quas pro suis sceleribus pœnas passura sit, nunc declarat. Jam enim causa reprobationis impiorum ostenditur.

1 *Et venit ad me unus de septem angelis qui habebant septem phialas.* Quemadmodum per septem angelos istos universitas prædicatorum Christi, et per septem B
phialas eorum totius sacræ Scripturæ intelligentia seu doctrina insinuetur, in præcedentibus duobus articulis dictum est. Itaque in visione hac imaginaria apparebat Joanni effigies alicujus prædicatoris evangelicæ legis, gerens personam alicujus ordinis, chori seu agminis prædicatorum. Et forte aliquis Evangelistarum seu Apostolorum, tempore hujus revelationis defunctus, Joanni in visione apparuit. *Et locutus est mecum* locutione interna, *dicens : Veni,* per considerationem inten- C
tam, *et ostendam tibi damnationem meretricis magnæ,* id est civitatis diaboli : quæ est generatio reproborum, collectio impiorum. Quæ non meretrix tantum, sed etiam adultera appellatur, quoniam relicto Sponso cœlesti, Creatore suo deserto, dæmoni constuprandam se ac maculandam prosternit, cum vanis atque caducis mente miscetur, innumeris sordibus maculatur. *Quæ sedet super aquas multas,* id est, in multis populis conquiescit, ex quibus et ipsa consistit, quos decipit, quibus D
et dominatur. Resident quoque in concupiscentiæ aquis, atque in discordium fluctibus populorum : quemadmodum econ-

trario multitudinis credentium erat cor Act. iv, 32.
unum et anima una, quos despondit Apo- II Cor. xi, 2.
stolus uni viro virginem castam exhibere
Christo. *Cum qua fornicati sunt reges* 2
terræ. Reges enim, principes et magnates sæculi hujus, sunt principalis primaque portio civitatis istius ; et inferioribus vitiosis, quos bene dirigere debuerunt, in vitiis sunt conformes ; simulque cum eis a Deo cor suum avertunt, et ad ea quæ dæmonibus complacent, illud convertunt, spiritualiter et corporaliter fornicantes. *Et inebriati sunt,* id est ultra mensuram repleti, *qui habitant terram,* videlicet carnales terreni, qui ad cœlestia non adspirant, *de vino prostitutionis ejus,* id est de carnalibus ejus oblectamentis, vel quibuscumque bonis temporalibus deceptivis, quibus anima prostituitur dæmoni.

Et abstulit me in desertum in spiritu, 3
id est, in spirituali hac visione seu mentis consideratione avertit me ab intuitu cui eram intentus, ad considerationem populi a Deo relicti, qui per desertum exprimitur, tanquam a Dei inhabitatione alienus. Unde Berengandus : Per desertum, omnium impiorum multitudo designatur, eo quod ipsa deseruerit Deum, et ideo derelicta sit ab eo. *Et vidi mulierem sedentem super bestiam,* id est diabolo seu Antichristo innitentem, atque in ipso fallaciter quiescentem, *coccineam,* id est peccatis cruentam, et sanguinis martyrum, quem effudit, ream. Coccus namque sanguinei est coloris. *Plenam nominibus blasphemiæ,* id est, multa verba blasphemiæ proferet contra Christum. Antichristus quoque multa divinitatis nomina sibi ipsi non sine grandi adscribet blasphemia. Porro diabolus id summe conatur, ut ad pec-

cata blasphemiæ mentes inducat humanas. *Habentem capita septem et cornua decem.* Quid per hoc designetur, paulo
vers. 9, 12. post in hoc ipso capitulo sanctus docet Joannes. Nam et parabolam hanc ipse exponit in textu.

4 *Et mulier erat circumdata purpura et coccino, et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis.* Per quod intelligi potest, quod hujus congregationis pars potior, mundi hujus regia fulget virtute, omnique ornamento mundano; quod item filii hujus sæculi perituras quærunt divitias et vestimentorum ornatus, ac cetera quibus coram hominibus decorentur : qui mentem Deo immaculatam exhibere non satagunt. Spiritualius autem, per purpuram simulata perfectio sumitur, quam impia plebs, ambitiose dominans, sibi fingit inesse; per coccinum, cruenta ferocitas contra justos; per aurum, sapientia, quia astuti sunt filii sæculi; per lapidem pretiosum, caritas; per margaritas, ceteræ virtutes insinuantur, quibus callida plebs se fingit ornatam. *Habens poculum aureum,* id est delectabilia mundi, *in manu sua,* quia talia præbet amatoribus suis, videlicet divitias, delicias, et honores vitæ præsentis, *plenum abominatione et immunditia fornicationis suæ,* id est abominationibus, vitiis et inquinamentis spiritualis corporalisque fornicationis : quæ omnia incurrunt hi qui mundum et ea quæ mundi sunt, amplectuntur, seu de poculo bibunt præfato. Berengandus per poculum aureum, intelligit documenta philosophorum ac poetarum erroribus plena;
Matth. xxiii, 28. Beda vero, hypocrisim eorum qui foris parent hominibus quasi justi, intus vero pleni sunt omni spurcitia.

5 *Et in fronte ejus nomen scriptum, Mysterium :* id est, meretrix ista in aperto seu in manifesta sua operatione ostendet
Ibid. vii, 16-20. qualis sit, quia ex operibus suis quisque cognoscitur, et arbor ex fructibus suis judicatur. Verumtamen, quoniam tot simulatis virtutibus decoratur, non omnibus mulieris hujus pravitas innotescet,

A sed justis atque prudentibus : ideo nomen ejus, mysterium quoddam est, id est secretum. Mysterium enim vocatur, quod est alicujus occulti contentivum, atque in quo aliud cernitur, et aliud intelligitur. Deinde nomen complexum exprimitur : *Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ.* Babylon nempe vocatur, quoniam impietatum confusionibus plena, nil agens veraciter, ordinate, sapienter ac virtuose, quum semper habeat intentionem corruptam; magna, propter
B multitudinem filiorum suorum, enormitatemque criminum; mater fornicationum, id est origo immunditiarum, radix aversionum a Deo, quæ verbo et exemplo alios et a Dei copula casta avertit, et suis impuritatibus miscet.

Et vidi mulierem ebriam de sanguine 6
Sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu, id est immoderanter repletam transgressione qua sanguinem electorum effudit, quorum sanguinem instar ebrii sitit. Et quia hæc mulier totum reproborum
C corpus repræsentat, adscribitur ei non solum effusio sanguinis martyrum Christi sub evangelica lege effusi, sed eorum quoque qui ante Salvatoris adventum pro justitia occubuerunt.

Et miratus sum, quum vidissem eam, admiratione magna. Fuit enim effigies ista et significatio ejus valde mirabilis, rara, sapientialis ac mystica. Et in hac visione multa revelata sunt S. Joanni, quæ ante tam distincte ac particulariter non cognovit. In persona quoque Ecclesiæ miratus
D est Joannes, quod Deus electos suos tam multiformiter tentari permittit, quod etiam reprobos tam patienter ac longanimiter suffert. De qua re Jeremias et Habacuc, *Habac.* i,
imo et Job, vel in sua, vel in infirmorum 13; *Job* xxi, 7 *et seq.*
persona, non parum se admirari testantur, Jeremia dicente : Justus quidem es, *Jer.* xii, 1.
Domine, si disputem tecum; verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur? etc.

Et dixit mihi angelus : Quare miraris? id est, noli nimium admirari, sed 7

causa cognita, admiratio cesset. *Ego dicam tibi sacramentum,* id est occultam significationem, *mulieris, et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem et cornua decem.* Ista enim consequenter angelus exponit, et de significatione mulieris ac bestiæ jam dicta sunt aliqua.

8 *Bestia quam vidisti,* id est diabolus, qui supra dictus est draco, seu Antichristus, *fuit.* (Apoc. XII, 3 et seq.) Diabolus enim, ante Domini Salvatoris adventum, pene cunctis dominabatur hominibus. Similiter Antichristus modico tempore regnaturus est : et quantum ad hoc, de ipso dicitur, Fuit, scilicet in mundo hoc regnans. *Et non est* nunc post Christi adventum in mundo sic dominans, sicut olim fuit ipse diabolus. Propter quod passione instante testatus est Christus : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. (Joann. XII, 31.) De Antichristo quoque dicitur, Non est, quoniam regnum ejus sicut crudelissimum, ita et brevissimum erit. *Et ascensura est de abysso,* id est, tam dæmon quam Antichristus, de impietatis profundo, de insidiarum occulto, de latebris calliditatis, et abundantia pravitatis, ascendet in fine mundi ad hominum deceptionem et ad principatum super iniquos ; *et in interitum ibit,* æternam damnationem recipiendo. Antichristus quoque quum omnibus præsidens fuerit, repente divina occidetur virtute. *Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ a constitutione mundi, videntes bestiam quæ erat, et non est :* id est, habitatores terræ terrena magis quam cœlestia appetentes, qui ab æterno prædestinati non sunt, stupebunt videntes Antichristum, seu diabolum per Antichristum, tam potenter regnare, tamque mirabilia operari in mundo. Mirabuntur quoque, quum viderint regnum illud tam repente dejectum, et principem suum tam subito esse exstinctum.

9 *Et hic est sensus,* id est, interpretatio seu expositio eorum quæ vidisti, hæc est, *qui habet intelligentiam**, id est illi qui capere potest, qui docilem habet mentem et intelligentiam Scripturarum. Quasi dicat : Interpretatio horum difficilis est et profunda.

* sapientiam

Deinde exponit quæ sint capita bestiæ. *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, et,* pro id est, *septem reges sunt :* id est, per septem capita bestiæ, intelliguntur septem montes, id est septem reges, utpote præ ceteris potestate sublimes, animositateque tumidi, ac ceteris præsidentes : qui sunt velut fundamentum ac stabilimentum mulieris istius meretricis, civitatis diaboli, congregationisque reproborum, quia illorum potestati innititur, et de eorum præsumit potentia. Impii enim subditi, scientes dominorum suorum potentiam atque malitiam, audacter agunt mala quæ dominis suis placere noverunt. Hinc, secundum Berengandum, sicut Apostoli dicuntur fundamentum civitatis Dei, puta Ecclesiæ, sic isti sunt fundamentum civitatis diaboli. (Ephes. II, 20.) Septenario autem universitas regum ac principum horum exprimitur.

10 *Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit :* id est, horum septem regum quinque jam perierunt : illi videlicet qui a tempore Adæ usque ad diluvium regnaverunt ; item et illi qui post diluvium usque ad Abraham fuerunt ; deinde et hi qui deinceps usque ad Moysen præfuerunt ; postea illi qui a tempore Moysis usque ad transmigrationem Babylonis rexerunt; quinto et hi qui ab illo tempore usque ad Christi adventum dominabantur. Omnes isti durissimum Dei judicium sunt perpessi, quoniam potestate sibi concessa abusi sunt, impios fulciendo atque portando contra fideles ac justos. Unus autem regum istorum, videlicet sextus, nunc est sub evangelica lege : per quem omnes reges et principes persequentes Ecclesiam innuuntur. Et alius, utpote septimus, nondum venit, scilicet Antichristus. *Et quum venerit, oportet illum breve tempus manere* in regno. Tribus enim annis cum medio legitur aperte ac generaliter regnaturus. Unde et ejus persecutio

sicut durissima, ita erit brevissima. Ideo A
Matth. ait Salvator : Nisi breviati fuissent dies
xxiv, 22. illi, non fieret salva omnis caro ; sed pro-
pter electos breviabuntur. Unde Gregorius
asserit : Quia et superbos et infirmos nos
Dominus conspicit, dies quos singulariter
malos intulit, misericorditer breviatos di-
cit, profecto ut et superbiam nostram ter-
reat de adversitate, et infirmitatem foveat
de brevitate.

11 *Et bestia,* scilicet Antichristus, sive dia-
bolus, *quæ erat, et non est,* secundum
expositionem jam habitam, *et ipsa octava* B
est : id est, quamvis ad reproborum con-
gregationem pertineat, tanquam caput ip-
sius, ob singularem tamen suam nequi-
tiam, potestatem, eminentiam, ponitur in
numerum, et proprium obtinet locum ; *et*
de septem est, id est, ad reproborum ca-
talogum spectat, *et in interitum vadit,*
scilicet in damnationem perpetuam.

Insuper ostenditur, quid decem cornua
12 bestiæ signent. *Et decem cornua quæ vi-*
disti, in bestia, scilicet Antichristo, *de-*
cem reges sunt, id est repræsentant, *qui* C
regnum nondum acceperunt, sed potesta-
tem tanquam reges una hora accipient.
Dicunt aliqui, quod regnum Romanum
circa Antichristi tempus dividetur in de-
cem regna : quorum reges adhærebunt
Antichristo sicut capiti cornua ; et per il-
los impugnabit Ecclesiam, qui nunc quo-
que per decem reges signantur. Securius
Apoc. xii, 3. autem videtur dicendum, quod sicut supra
quandoque, ita et nunc, per denarium
universitas insinuatur, ita ut per decem
reges intelligantur omnes reges qui Anti- D
christo tunc acquiescent : qui nondum
regnum sortiti sunt, quia nec nati sunt,
sed tempore illo una hora, id est modico
tempore, potestatem accipient et habe-
bunt, sicut et Antichristus non diu regna-
bit. Accipient autem tanquam reges, quia
præsidentia eorum tam brevis et impia
erit, ut potius dicatur apparentia quam
veritas regiæ potestatis. Accipient quoque
post bestiam, id est imitando suum prin-
cipem Antichristum, per potestatis abu-
sum, et non in tanta plenitudine sicut
ipse.

Hi unum consilium habent, id est, con- 13
cordes erunt in malo, ad persequendum
Ecclesiam ; *et virtutem et potestatem su-*
am bestiæ tradent, id est, se ipsos et suos
exercitus ad cooperandum et obsequen-
dum Antichristo præbebunt ; vel ei, quid-
quid possunt, adscribent. *Hi cum Agno,* id 14
est contra Christum, *pugnabunt :* qui pro-
pter innocentiam et immolationem suam
pro nobis, agnus vocatur. Pugnabunt au- *Is.* liii, 7;
tem contra eum, ejus fidem et legem pro *Jer.* xi, 19; *Joann.* i, 29.
posse tollendo, ejusque membra infestan-
do, de quibus testatur : Quod uni ex mi- *Matth.* xxv, 40.
nimis meis fecistis, mihi fecistis. *Et Agnus*
vincet eos, dando suis militibus patien-
tiam in adversis, Antichristum etiam pe-
rimendo, evangelicam legem postea refor-
mando, et quosdam persecutorum istorum
corporaliter occidendo, æternaliterque dam-
nando, quosdam forsitan post Antichristi
interitum convertendo. *Quoniam Domi-*
nus dominorum est et Rex regum : idcir-
co cunctis potentior, et ad superandum
idoneus ; *et qui cum illo sunt,* id est, qui
ei fideliter usque ad mortem in omni tri-
bulatione adhærent, hi sunt *vocati* a Deo
per inspirationem aut prædicationem, *et*
electi ad vitam beatam, *et fideles* re et
nomine.

Deinde angelus exponit, quid per aquas
præfatas signetur. *Et dixit mihi,* scilicet 15
angelus : *Aquæ quas vidisti ubi meretrix*
sedet, id est, civitas diaboli seu reprobo-
rum collectio conquiescit, sicut paulo an-
te expositum est, *populi sunt, et tribus* *, * *gentes*
et linguæ, id est variæ nationes ex qui-
bus malignorum societas constat. *Et decem* 16
cornua quæ vidisti in bestia, scilicet re-
ges et reprobi memorati, *odient fornica-*
riam, id est meretricem civitatem diaboli,
quum se viderint cum ea pariter peritu-
ros. Sed et unus odiet alium, secundum
quod inter superbos semper sunt jurgia : *Prov.* xiii, 10.
imo odient et se ipsos, optando se non
esse, et posse impie agere et frui caducis.
Nam et qui diligit iniquitatem, odit ani- *Ps.* x, 6.

mam suam. *Et desolatam facient eam et nudam* : quia tunc ei non ferent auxilium quemadmodum ante, quando divitiis atque deliciis sæculi subditos suos ornaverunt ; *et carnes ejus manducabunt, et ipsam igne concremabunt.* Si carnes ejus comedent, quomodo eam comburent? Hyperbolica ergo et metaphorica est locutio, ad innuendum magnitudinem mutui odii eorum in pœnis qui socii fuerant in peccatis, qui sibi mutuo augent suæ damnationis supplicia. Nam et Apostolus ait :
Galat. v, 15. Si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.

17 *Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi,* id est, meretrici mala pœnalia inferant modo præfato. Si autem referatur ad mala culpæ, intelligendum est quod Deus dedit hoc
Rom. i, 24, 28. permissive, sicut ait Apostolus : Tradidit illos in reprobum sensum, ut contumeliis afficiant corpora sua in se ipsis. Unius nempe peccati demerito meretur peccator a Deo relinqui, gravius excæcari ac transgredi. *Ut dent regnum suum bestiæ,* id est, congregationem sibi subjectam atque in vitiis similem, exponant diabolo puniendam, vel ab Antichristo et diabolo se regi permittant, sequentes Antichristi malitiam, etiam post ejus interemptionem, *donec consummentur verba Dei,* id est, opere impleantur quæ servi Dei ex divina revelatione de cursu statuque istorum prædixerunt : quibus impletis, impii pa-
riter sine fine cruciabuntur. *Et mulier* 18
quam vidisti, scilicet meretrix sedens super aquas, puta collectio reproborum, *est civitas magna,* id est civitas diaboli, scilicet reproborum hominum multitudo, *quæ habet regnum super reges terræ,* id est potestatem et dominium tale ac tantum quod etiam reges sibi plurimos subjugabit, ut secum Antichristo consentiant. Vel hoc ideo dicitur, quia reges sunt pars civitatis istius. Rex autem ut una persona, a multitudine superatur.

ARTICULUS XIX

EXPLANATIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : ET POST HÆC VIDI ALIUM ANGELUM DESCENDENTEM.

CONSEQUENTER mystico difficilique sermone describit S. Joannes hujus mundi immundi seu sæculi nequam vanitatem, et justam condemnationem ejusdem.

1 *Et post hæc vidi alium angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam ; et terra illuminata est a gloria ejus.* Secundum Albertum, hic incipit visio sexta : ideo ait, Post hæc, puta visionem quintam præscriptam. Porro in visione hac imaginaria apparebat Joanni, quod angelus præpotens atque præsplendidus de cœlo descendens, tanti esset fulgoris ut ipsa terra inde fulgeret. Hæc autem per quasdam similitudines, species sive effigies angelus sanctus Joannem instruens, intusque alloquens, monstravit eidem. Denique per angelum istum quidam intelligunt Christum, qui per incarnationis mysterium cœlitus venit, qui est vir- I *Cor.* i, 24.
tus et sapientia Patris, et magni consilii *Is.* ix, 6,
Angelus : a cujus gloria, id est eminen- juxta LXX.
ti sapientia, prædicatione, miraculosaque operatione illuminati sunt habitantes in terra, videlicet militans electorum Ecclesia, quando populus qui sedebat in tene- *Ibid.* 2.
bris vidit lucem magnam. Alii per angelum istum intelligunt cœtum seu ordinem doctorum et prædicatorum, qui de militantis Ecclesiæ cœlo descendit, et magnæ virtutis est, potens solvere et ligare pec-

cata, et viatores illustrat. Potest quoque A per angelum hunc angelicus spiritus accipi, ad consolationem fidelium, mundi seu impiorum ruinam eis denuntians.

2 *Et exclamavit in fortitudine, dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna.* Hoc Apoc. xiv, 8. ipsum in superioribus dictum expositumque recordor. Quod autem per Babylonem civitas dæmonis, videlicet impiorum et reproborum hominum universitas, designetur, in isto potissimum libro, frequenter prædictum est. Præterea, sicut in libris prophetarum Isaiæ, Ezechielis, Jeremiæ, B per Babylonem ad litteram exprimitur urbs illa Chaldææ in qua Nabuchodonosor rex regnavit, per quam ibidem spiritualiter mundus vanitatibus deditus, et mundanorum hominum multitudo intelligi datur ; ita præsenti capitulo per Babylonem ad litteram significatur præfatus mundus, vitiorum confusione repletus, sicut I Joann. ii, 16. ait Joannes : Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Unde in isto capitulo multa verba scribit Joan- C nes, quæ in memoratis habentur Prophetis. Verumtamen litteralis sensus distinctus est. Rursus, quia non solum per Babylonem, sed per Ægyptum quoque et Tyrum, mundus spiritualiter explicatur ; aliqua hic verba scribuntur, quæ apud Ezech. xxvi-xxviii. Ezechielem de Tyro dicuntur.

Itaque : *Cecidit, cecidit Babylon,* id est, vani homines corpore et anima perierunt, et in utroque damnabuntur ac punientur. Et sicut nunc cadunt in profunda vitiorum, ita tunc cadent in barathrum D tormentorum. *Et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis :* id est, sicut civitas materialis eversa funditusque destructa, fit mansio et locus brutorum ; sic impiorum caterva, peccando, facta est locus, domus et civitas dæmoniorum spirituum immundorum, qui ob suam in altum vitiosam tendentiam, volucres immundæ at- Eccli. x, 7. que odibiles appellantur. Odibilis enim coram Deo et hominibus est superbia. Et in Evangelio ait Salvator, quod volucres Luc. viii, 5. cœli comederunt semen verbi Dei, id est diaboli. Rursus, civitas ista cadendo in mala pœnæ æternæ, fit habitatio dæmonum, quoniam in inferno opera diabolica incessanter exercet, omne bonum virtutis odio habens, et Deum sine cessatione blasphemans. Impii autem odibiles sunt, non quantum ad esse, quod habent a Deo, sed quoad culpam, quam habent a proprio.

Quia de ira fornicationis ejus, id est 3 de voluptate immunda, seu amore illicito, ac impia vanitate, Dei iram seu vindictam provocante, Babylonis hujus, *biberunt,* id est gustaverunt, *omnes gentes* per consensum, appetitum seu actum : omnes, inquam, gentes, gentiliter, non rationabiliter, conversantes, seu quædam de omnibus. *Et reges terræ cum illa fornicati sunt* mente et corpore, terrena magis quam cœlestia amplectendo, et concupiscentias assequendo. *Et mercatores terræ de virtute divitiarum,* id est magnis et fortibus divitiis, *ejus divites facti sunt.* Quod de negotiatoribus litteraliter accipi potest, qui opes sæculi congregando ditantur. Spiritualiter vero mercatores sunt omnes avari, juxta quod in Ecclesiastico scriptum est : Avaro nihil est scelestius ; et, Nihil Eccli. x, 9. est iniquius quam amare pecuniam : hic Ibid. 10. enim animam suam habet venalem. Isti pro temporali abundantia suas animas infelici commutant mercatu.

Sed quum Babylon ista aliud nihil sit quam gentes omnes iniquæ cum regibus reprobis, quomodo mercatores et reges ac gentes omnes de ira fornicationis ejus biberunt ? Et respondendum, quod loquitur de eisdem quasi de diversis, secundum diversas proprietates et considerationes : quemadmodum in Scripturis de Ecclesia et fidelibus fit mentio quasi de diversis, quum tamen sint idem. Quoniam ergo plerumque unus reproborum alium inducit ad impietatem, interdum vero reprobi se ipsos provocant ad peccandum ; nunc no-

mine Babylonis quasi unum aliquid, nunc
aliis nominibus quasi plures signantur.
4 *Et audivi vocem aliam de cælo dicentem : Exite de illa, populus meus.* Vocem
hanc in interioribus viribus animæ S. Joannis angelus eum informans formavit,
quam ipse interiori auditu percepit. Per
quam prædicatio Christi et servorum ejus
hortantium fideles ut ab impiis se elongent, intelligi datur. Nam et Paulus : Ex- II Cor. vi, 17.
ite, inquit, de medio eorum, et immundum
ne tetigeritis. Denique Jeremias Babylonis
destructionem prænuntians, populum Judæorum hortatur exire de medio Babylo- Jer. L, 8.
nis. Sed et Isaias ait : Exite, exite, et pol- Is. LII, 11.
lutum nolite tangere. Semper autem et
ubique exeundum est de congregatione
malorum, mente et animo, ne scilicet consentiamus vanitati et pravitati illorum,
sed omne vitium detestemur, et peccatum
semper displiceat. Interdum vero, quum
fieri potest, etiam corporalis recessus perutilis est, maxime imperfectis, qui aliorum malitia faciliter maculantur. *Et ne
participes sitis delictorum ejus,* eadem
mala agondo, seu eadem bona omittendo,
aut certe illorum peccatis consentiendo,
aut etiam non redarguendo, *et de plagis
ejus non accipiatis,* id est, de pravis exemplis et scandalis, quibus animæ vulnerantur, occasionem ruinæ sumendo, sed inflexibiles sitis in bono. Rursus, De plagis
ejus non accipiatis, id est, supplicia ei parata nolite incurrere. Tanquam dicat : Si
non communicatis in peccatis, non communicabitis in tormentis. Ita egressus fuit
de Babylone Jeremias, qui ait : Non sedi Jer. xv, 17; xvii, 16.
in concilio ludentium, et diem hominis
non concupivi; a facie manus tuæ, Domine, solus sedebam. Itemque Psalmista :
Non sedi cum concilio malignantium, et Ps. xxv, 4.
cum iniqua gerentibus non introibo. Itaque nos barbati studeamus implere quod
in libro Tobiæ puella quædam implesse
se veraciter profitetur : Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in Tob. III, 17.
levitate ambulant participem me præbui.
5 *Quoniam pervenerunt peccata ejus us-*

A *que ad cælum,* id est, in tantum coram
Deo creverunt atque enormia facta sunt,
ut exigente justitia, sit damnanda. Simile
est quod loquitur Jeremias : Pervenit judi- Jer. LI, 9.
cium ejus usque ad cælum. Et de Ninive
Dominus ait : Ascendit malitia ejus coram Jonæ I, 2.
me. *Et recordatus est Dominus iniquitatum ejus,* id est, statim per ultionis effectum monstrabit se peccata ejus attendere.

Consequenter Dominus ait electis et
sanctis : *Reddite illi, sicut et ipsa reddi-* 6
B *dit vobis,* id est, Babyloni seu congregationi pravorum infligite pœnas justas, pro
persecutionibus quas intulit vobis injuste.
Nec hoc est contra illud quod ait Salvator,
Benefacite his qui oderunt vos; et Apostolus, Nulli malum pro malo reddentes. Hoc Matth. v, 44. I Thess. v, 15; I Petr. III, 9.
enim ideo dicitur, ne quis propria auctoritate se vindicet, aut zelo inordinatæ vindictæ affligat. Sed ex commissione divina,
et secundum processum justitiæ, licet id
agere, præsertim non ut propria injuria
vindicetur, secundum quod propria, sed
C in quantum est Dei injuria, ejusque offensiva. *Et duplicate* illi *duplicia,* id est, pro
duplicibus pœnis quas intulit vobis, in
corpore et in anima vos affligendo, infligite ei duplicem punitionem, ut corpore
et anima in inferno crucietur. Et hanc duplicem punitionem duplicate, ut corpus
affligatur frigore et calore (juxta illud
Job : Ibunt ab aquis nivium ad calorem Job xxiv, 19.
nimium), anima vero, verme conscientiæ
et carentia visionis divinæ. Iterum, pœnæ
istæ duplicari dicuntur, quia pro tempo-
D ralibus persecutionibus quas impii infligunt electis, æternales recipiunt punitiones. Hæc ergo facite ei *secundum opera
ejus,* id est secundum quod mala acta ipsius merentur, juxta illud Jeremiæ : Red- Jer. L, 29.
dite ei secundum opus suum; juxta omnia
quæ fecit, facite ei. *In poculo quod miscuit vobis,* id est pro multiformi tribulatione qua vos potavit, *miscete ei duplum,*
id est, duplicatam et æternalem pœnam ei
infligite (secundum modum præfatum). —
Sed nonne hoc videtur esse contra justi-

tiam et crudele, quum ultio non debeat A quantitatem culpæ excedere? Respondendum, quod non. Non enim ultra, imo citra condignum puniuntur iniqui, quamvis illa pœna sit multo major quam pœna quam intulerunt justis.

7 *Quantum glorificavit se,* contra Deum atque justitiam inaniter gloriando, vel se per superbiam erigendo, humanam gloriam appetendo, aliis se gloriosam exhibendo, *et in deliciis fuit,* in carnalibus carnaliter delectando ; *tantum date illi tormentum,* quo in corpore affligatur pro- B pter delicias impuras præhabitas, *et luctum,* id est dolorem in anima, contra glorificationem inanem : sicque pœna correspondeat culpæ. Sed quum incomparabiliter major ac diuturnior sit pœna inferni quam delectatio præsens, quomodo dicitur, Tantum date illi, etc.? Respondendum, quod sensus est, ut secundum exigentiam demeritorum suorum puniatur, tamen citra condignum, propter immensitatem divinæ clementiæ. Unde proportio ista attenditur penes genus, ut qui ma- C gis se glorificavit, et in deliciis majoribus fuit, acrius puniatur, ceteris paribus. — Quæ verba superbis et luxuriosis præsertim timenda sunt et pensanda : quia quo nunc amplius intumescunt, et in carnis vilissimæ fœtidissimis delectationibus se resolvunt, eo dirius in infima tartari deprimentur, atque intensius torquebuntur : similiter cupidi et gulosi, qui in auro, argento, cibo et potu delectationes suas constituunt. Omnis autem delectatio munda et licita, est in Deo, vel in rebus creatis D secundum Deum.

Quod autem Babylon ista jure sic punietur, verba pandunt sequentia. *Quia dicit in corde suo,* stulte, præsumptuose ac impie cogitando : *Sedeo regina,* id est potestate, honore et opulentia rerum vallata, *et vidua non sum,* id est, a multis mecum spiritualiter aut corporaliter fornicantibus diligor; *et luctum non videbo,* id est, adversa et tristia non incurram, neque experiar. Impii namque quamvis se sciant pro suis sceleribus puniendos, fingunt tamen se non videre quod vident, et memoriam mortis a sua mente rejiciunt, ne tristis cogitatio lætitiam cordis eorum perturbet. Tales sunt filii hujus sæculi, qui sine timore peccant, et in tanta vivunt se- *Eccle.* VIII, 11.
curitate stultissima, quasi morituri non essent.

Ideo in una die venient plagæ ejus, puta in die judicii. 8
Quæ vero sint plagæ istæ, subjungitur : *mors, et luctus, et fames.* Per mortem intelligitur mors secunda, videlicet infernalis miseria ; per luctum, pœnarum acerbitas, dolor, confusio ; per famem, desiderium quietis quam nunquam habebit, seu omnis boni defectus quo jugiter plena erit. *Et igne comburetur,* quia æterno igne torquebitur, non consumetur. *Quia fortis est Deus, qui judicabit illam :* ideo nullus potest ei resistere, et quidquid sibi justum videtur, potest efficere. — Præterea, unicuique impio ad civitatem Babylonicam pertinenti, et vana securitate negligentiaque decepto, mala ista in die una eveniunt, quando hora qua non putavit, corporaliter moritur, divinitus condemnatur, omnibus temporalibus quæ dilexit, privatur, quemadmodum legitur dives ille dixisse : Ani- *Luc.* XII, 19, 20.
ma, habes multa bona reposita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt? Advertant igitur amatores mundi, quod loquitur Christus : Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis; *Ibid.* VI, 25, 24.
væ vobis qui saturati estis, quia esurietis; væ vobis divitibus, qui nunc habetis consolationem vestram. — Porro his verbis consonant quæ apud Isaiam de Babylone conscripta sunt : Dixisti, In sempi- *Is.* XLVII, 7-9.
ternum ero domina; quæ dicis in corde tuo, Non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem : venient tibi hæc duo subito in die una, sterilitas et viduitas.

Et flebunt et plangent [*se*] *super illam* 9
reges terræ, qui cum illa fornicati sunt et in deliciis vixerunt, quum viderint fu-

mum incendii ejus : id est, tempore dam- A
nationis infernalisque pœnæ ipsius Baby-
lonis, videlicet congregationis pravorum,
reges et principes animosi et impii, qui
sunt principalis portio Babylonis istius,
communem ejus calamitatem dolebunt ac
flebunt, se simul cum ea deflentes, quum
viderint simulque senserint fumum in-
cendii ejus, id est inflammationem qua
ab igne gehennæ torquebitur. Loquitur
autem Scriptura hoc loco de his secun-
dum modum loquendi aliquibus usitatum.
Frequenter nempe contingit ut præclara B
aliqua urbe ab hostibus capta, præcipui
cives ejus, quamvis et ipsi videant se mox
trucidandos, suam tamen miseriam reti-
cendo, totius civitatis suæ vastitatem et
clades deplorent.
10 *Longe stantes propter timorem tormen-
torum ejus,* id est, animo vehementer ab-
horrentes ac refugientes tormenta impiæ
civitatis : quæ et ipsi simul cum ea ex-
periuntur inviti. Unde Berengandus hic
disseruit : Stabunt longe mente et volun-
tate, horrentes quod æternaliter crucia- C
buntur. Sed cur tunc Joannes non ait,
Stabunt longe propter sensum seu ex-
perientiam tormentorum ejus ? Ad quod
respondet Albertus : Quia plus cruciabit
eos interius cogitatio de continuatione do-
loris, quam sensus exterioris tormenti. Et
hoc verbum Alberti valde imprimendum
est cordi. *Dicentes : Væ, væ civitas illa
magna Babylon :* maxima quippe est re-
proborum collectio; *civitas illa fortis* ro-
bore corporis et naturalibus viribus ac
ministrorum frequentia in sæculo isto : D
quæ potestate sibi concessa abutens, for-
tis fuit et est ad mala agenda, mollis vero
et debilis ad vitia expugnanda. Cui com-
petit id Sapientiæ : Potentes potenter tor- *Sap.* VI, 7, 9.
menta patientur, et fortioribus fortior in-
stat cruciatus. Contrario autem modo se
habet fortitudo electorum, fortitudini im-
piorum : quia electi fortitudinem suam
convertunt ad exsequendum actus virtu-
tum eradicandaque vitia ; impii vero ad
exsequenda ea ad quæ propriæ voluntatis
et sensitivi appetitus inclinat affectio. Id-
circo de eis scriptum est : Factus est cur- *Jer.* XXIII, 10.
sus eorum malus, et fortitudo dissimilis.
Quoniam una hora venit judicium, id est
damnatio *ejus.* De quo ait Salvator : Qui *Joann.* V, 29.
mala egerunt, procedent in resurrectio-
nem judicii.
Et negotiatores terræ, de quibus nunc 11
dictum est, *flebunt et lugebunt super il-
lam,* eo modo quo reges : quia et ipsi sunt
pars civitatis istius, et simul cum ea cru-
ciabuntur ; *quoniam merces eorum nemo
emet amplius,* id est, quia ista caduca et
temporalia amiserunt in quibus sibi fi-
nem ultimum statuerunt, sicque eorum
prosperitas erit finita.
Consequenter specificantur merces quas
nemo peracto judicio amplius emet : *Mer-* 12
*ces auri, et argenti, et lapidis pretiosi,
et margaritæ, et byssi,* id est candidissimi
lini seu vestimenti inde facti, *et purpu-
ræ, et serici, et cocci,* quod rubei est co-
loris ; *et omne lignum thyinum* (de quo
genere ligni legitur tertio Regum Salo- III *Reg.* X, 12.
mon fecisse cantoribus templi lyras et ci-
tharas ; estque lignum istud, ut dicitur,
imputribile, crescens in Ophir), *et omnia
vasa eboris,* id est eburnea ; *et omnia va-
sa* facta *ex lapide pretioso, et æramento,*
id est ære, *et ferro, et marmore.* Ista
oblectant visum. Deinde ponuntur quæ
oblectant olfactum : *et cinnamomum,* quod 13
est species aromatica, cinereum habens
colorem, crescens ad modum cannæ, et
fractum fundit odorem suavem, *et amo-
mum,* quod secundum Albertum, est spe-
cies seminis, faciens effluere menstrua et
urinam ; *et odoramentorum* mercem ne-
mo plus emet, *et unguenti et thuris.* De-
inde tanguntur sensibilia oblectantia gu-
stum : *et vini, et olei, et similæ,* quæ est
delicatissima farina, *et tritici.* Insuper no-
minat ea quæ hominum usibus deservi-
unt : *et jumentorum, et ovium, et equo-
rum, et rhedarum,* id est quadrigarum, *et
mancipiorum,* id est servorum, *et anima-
rum hominum,* id est hominum qui ve-
nales præbentur. Porro per animas homi-

num ipsi homines designantur, secundum A
quod nomine partis totum intelligi solet.
14 *Et omnia poma desiderii animæ tuæ,*
id est carnalitatis tuæ, quæ anima tua
sensualitatem secuta vehementer appetiit.
Et quamvis sint alia multa in quibus
carnales homines magis quam in pomis
delectentur, tamen pomis expressis, adjunctum est, Desiderii animæ tuæ : ad
innuendum, secundum quod Haymo scribit, quod non tantum in rebus pretiosis
atque majoribus, sed etiam in minoribus
valde offenditur Deus, si ultra quam ap- B
peti debeant, appetantur. Vel per poma
intelliguntur vilia quæque, quæ sæculi
amatores præferunt bonis spiritualibus et
æternis. Unde similes sunt pueris, qui poma et pira magis quam pretiosa quælibet
amplectuntur. Hinc quoque in hominibus
talibus ponitur vitium puerilitatis, quod
stultitia appellatur, et dono sapientiæ, quo
divina sapiunt animo, contrariatur. *Discesserunt a te. Et omnia pinguia et præclara perierunt a te,* utpote opes et fercula delicata, ac cetera quæ magni pretii C
æstimasti, quamvis comparatione spiritualium divitiarum sint nullius momenti.
15 *Et mercatores horum qui divites facti*
sunt ab ea, id est a divitiis Babylonis, scilicet mundi hujus non nisi terrena amantis, *longe stabunt propter timorem tormentorum ejus,* juxta sensum quo reges
vers. 10. longe stare jam dicti sunt, *flentes ac lu-*
16 *gentes, et dicentes : Væ, væ civitas illa*
magna, scilicet Babylon, *quæ amicta erat
bysso et purpura et cocco, et inaurata est
auro et lapide pretioso et margaritis,* id D
est, prædictis rebus, ornamentis et vestibus, in sæculo isto lascive, curiose, pomposeque usa est, quærens in sensibilibus
delectari, ab hominibus honorari, et corpus, non animam, ornans ac vestiens ;
17 *quoniam una hora destitutæ sunt tantæ*
divitiæ, id est, brevissimo tempore seu
momento ablata est ei omnis opulentia
ista.

Et omnis gubernator, scilicet in temporalibus vel in spiritualibus præsidens,
ut episcopi ac principes sæculares ; *et
omnis qui in lacum,* id est in mundo, *navigat,* vel* in aqua, ut hi qui ad majora * velut
adspirant, et in præsenti vita exaltari affectant ; *et nautæ, et qui in mari operantur.* Per nautas intelligi possunt, vel qui
navem Ecclesiæ regere habent, vel qui
navigia dirigunt. Per mare quoque intelligitur, vel sæculum nequam, vel quælibet
congregatio aquæ in qua homines lucris
insistunt. *Longe steterunt et clamaverunt,* 18
videntes locum incendii ejus, id est infernum, in quo et ipsi pariter erunt inclusi,
dicentes : Quæ similis civitati huic magnæ? id est, quis in divitiis, deliciis, honore, potestate, et ceteris mundi fallacibus
bonis, similis fuit Babyloni præfatæ, videlicet impiæ congregationi ?

Et miserunt, id est in inferno mittent, 19
pulverem super capita sua, id est, signa
mœroris ostendent, et de peccatis suis, in
quantum sunt eis causa supplicii, pœnitebunt, juxta illud Sapientiæ : Dicentes *Sap.* v, 3, 4.
intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Nos insensati,
etc. Et post pauca : Talia dixerunt hi qui *Ibid.* 14.
sunt in inferno. Denique in vita præsenti
miserunt pulverem super capita sua, id
est, terrena, vana et levia superposuerunt
per vitiosum amorem cordibus suis. At
vero, secundum Berengandum, per caput
mens, per cinerem peccata signantur. Cinerem itaque super capita sua ponent,
quia memoria peccatorum a mentibus eorum nunquam recedet. *Flentes, et lugentes, dicentes : Væ, væ,* id est, damnatio
æterna in corpore et in anima nunc inest
tibi, o Babylon, *civitas illa magna, in qua
divites facti sunt omnes qui habent naves
in mari,* id est gubernatores et mercatores ac nautæ præfati, [*de pretiis ejus;*]
quoniam una hora desolata est, id est
subito omni gaudio opibusque privata.
Propter quod cives civitatis istius apud
Sapientem fatentur lugubriter : Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum *Ibid.* 8, 9.
jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.

Præterea, quia damnatio reproborum A
cedit in augmentum gloriæ electorum, jux-
Ps. LVII, 11. ta illud, Lætabitur justus quum viderit
20 vindictam, subjungitur : *Exsultate super*
eam, id est de justa damnatione et pœna
Babylonis, *cœli,* id est, cives cœlestes an-
geli, *et sancti Apostoli et Prophetæ*, qui
præ ceteris fuistis à civibus Babylonis af-
flicti, et qui ista ejus supplicia prædixi-
stis, *quoniam judicavit Deus judicium*
vestrum de illa, id est, judicium quod
zelo justitiæ optastis fieri, et quod vestræ
justitiæ debebatur, Deus de Babylone exer- B
cuit. Hoc est enim judicium de quo su-
Apoc. VI, 10. pra Sancti locuti sunt Deo : Usquequo,
Domine, sanctus et verus, non judicas et
non vindicas sanguinem nostrum ?
21 *Et sustulit unus angelus fortis lapi-*
dem quasi molarem [*magnum*], *et misit in*
mare, dicens : Hoc impetu mittetur Ba-
bylon illa magna. In visione imaginaria
apparebat Joanni quòd angelus sanctus
projecit saxum grande in mare, ad figu-
randum et facto exemplari prænuntian-
Is. IX, 6, juxta LXX. dum quod Christus, magni consilii An- C
gelus, in die judicii projiciet subito in
infernum omnem impiorum catervam. Et
huic simile est quod legitur Jeremias di-
Jer. LI, 61, 63, 64. xisse ad Saraiam : Quum veneris in Baby-
lonem, ligabis lapidem ad librum istum,
et projicies illum in medium Euphraten,
dicens : Sic submergetur Babylon, et non
consurget a facie afflictionis quam ego
adducam super eam. Unde nunc subditur
de Babylone, cujus typus fuit Babylon illa
Chaldaica : *et ultra non invenietur,* vi-
delicet in pristino statu et prosperitate D
mundana, aut sæculo isto.
22 *Et vox citharœdorum et musicorum, et*
tibia canentium, et tuba, non audietur
amplius in ea, id est, nulla suavitas har-
moniæ, nullus sonus auditum mulcens,
sed planctus et ululatus et miserabilis cla-
mor erit in damnata impiorum collectio-
ne. *Et omnis artifex, omnisque ars non*
invenietur in ea amplius. Nonne multi
artifices damnabuntur? Quomodo ergo non
erunt in societate damnata? Et respon-
dendum, quod substantialiter erunt ibi,
non autem quantum ad usum suæ artis,
seu commodum impiæ civitatis. Porro,
quod nec artem dicit ibi manere, consonat
ei quod Salomon ait : Quodcumque potest Eccle. IX, 10.
manus tua, instanter operare : quia nec
opus, nec ratio, nec sapientia, nec scien-
tia erunt apud inferos. Ex quibus proba-
biliter æstimatur, quod damnati non erunt
suæ artis atque scientiæ memores in in-
ferno. Si enim gravis infirmitas inducit
scientiæ oblivionem, quanto magis vehe-
mentia illa infernalis tormenti? Quod si
scientia remanet ibi, non ad usum jucun-
dum, sed potius ad calamitatis cumulum
remanet. *Et vox molæ non audietur in ea*
amplius. Non enim cibaria eis parantur.
Propter quod Ecclesiasticus dicit : Ante Eccli. XIV, 17.
obitum operare justitiam, quoniam non
est apud inferos invenire cibos. *Et lux* 23
lucernæ non lucebit tibi amplius, id est,
nulla tibi ad consolationem claritas reful-
gebit, sed in densissimis tenebris æterna-
liter permanebis, ne visus aliquo modo
exhilaretur. Siquidem, ut in Ecclesiaste
dicitur, Dulce lumen, et delectabile oculis Eccle. XI, 7.
videre solem. *Et vox sponsi et sponsæ non*
audietur adhuc in te, id est, de cetero
non celebrabuntur nuptiæ seu carmina et
gaudia nuptiarum in te, nec luxuriaberis
amplius.

Quia mercatores tui : de quibus præ-
dictum est, qui spiritualia pro terrenis
dederunt, suasque animas pro temporali-
bus commutaverunt, ac dæmonum pote-
stati ac servituti se tradiderunt ; *erant*
principes terræ, id est civium tuorum.
Nam tales maluisti habere rectores quam
justos. *Quia in veneficiis tuis,* id est di-
versis erroribus, pravis exemplis, pesti-
feris persuasionibus, magicis trufis, *erra-*
verunt omnes gentes ad tuum collegium
pertinentes, atque gentiliter conversantes,
seu multæ de omnibus. Quia ergo in vita Luc. XVI, 25.
tua recepisti bona et divitiis abundasti,
honore et deliciis exuberasti, nunc in in-
ferno cruciaris.

Et in ea, puta in Babylone, *sanguis* 24

Prophetarum et Sanctorum inventus est, A
et omnium qui interfecti sunt in terra :
id est, generatio ista reproba, rea est ef-
fusionis sanguinis omnium electorum in
terra hac injuste occisorum ab ea : sicut
Matth. xxiii, 36. ait Salvator, Venient hæc omnia super ge-
nerationem istam. Per hoc autem quod
ait, Et omnium qui interfecti sunt in ter-
ra, innuitur quod non solum sanguis San-
ctorum requiretur ab ea, sed etiam ma-
lorum quos occidit injuste, quamvis digni
essent occidi. Propter quod Glossa hic di-
cit : Si malus malum occiderit, non ex-
cusat occisi nequitia. Sed eum justitia
excusat, ut si juste a justo judice occi-
datur.

ARTICULUS XX

EXPOSITIO CAPITULI NONIDECIMI : POST HÆC AUDIVI, ETC.

DESCRIPTA præcedenti capitulo Baby- B
lonicæ civitatis damnatione, nunc ci-
vitatis Dei exsultatio denuntiatur, quæ
amore boni et zelo æqui ac veri, Deo al-
tissimo pro impiæ civitatis damnatione
gratiarum actiones reponit.
1 *Post hæc audivi* interiori auditu, sicut
in visionibus imaginariis fieri solet, *vo-
cem magnam,* id est affectuosam ac de-
votissimam Dei laudationem et gratiarum
actionem, *quasi vocem tubarum multa-
rum in cœlo dicentium : Alleluia.* Potest
autem per cœlum intelligi Ecclesia mili- C
tans ac triumphans : utraque enim ob
causam prætactam Deo laudes gratiasque
rependit. Et vox ista ob suam eminentiam
comparatur sono tubarum multarum, præ-
sertim quum sit vox doctorum et prædi-
Is. lviii, 1. catorum, quorum cuilibet dicitur : Quasi
tuba exalta vocem tuam. Alleluia autem
designat, Laudate Deum. Unde et ipsum
nomen exponendo, vel eumdem sensum
ex devotione resumendo, ut fervor amoris
fortius inardescat, subjungitur : *Laus, et
gloria, et virtus Deo nostro,* id est, honor D
et exaltatio, præconium, felicitas, pote-
stas, sanctitas Deo competunt et adscri-
2 benda sunt semper ; *quia vera et justa
Apoc.* xvi, 7. *judicia ejus sunt* (quod supra scriptum
atque expositum est) ; *qui judicavit de
meretrice magna,* id est, Babylonicam ci-
vitatem, seu reproborum numerosissimam
collectionem, pro suis peccatis damnavit,
quæ corrupit terram, id est, habitantes
in terra ad peccata induxit, vitiisque in-
fecit, *in prostitutione sua,* id est in pe-
tulantia, lascivia, procacitate, vanitate,
qua se cunctis peccare volentibus præbuit
impudenter paratam, et alios provocavit
ad impurissimam voluptatem ; *et vindica-
vit sanguinem servorum suorum de ma-
nibus ejus,* id est, eam punivit pro eo
quod servos Dei persecuta est et occidit.
Et iterum dixerunt : Alleluia. Com- 3
memorando enim divinæ æquitatis judi-
cia, delectati fuerunt in laude ipsius :
ideo repetitis Deum vocibus laudaverunt ;
ad innuendum etiam quod infatigabili ac
incessabili voce Deum excelsum et glo-
riosum laudare debemus. *Et fumus ejus
ascendit in sæcula sæculorum,* id est, in-
fernalis succensio Babylonis æternaliter
perseverat. Unde et pœna inferni, quæ
gravis est propter tormenti acerbitatem, et
gravior propter suppliciorum diversitatem
ac multiformitatem, gravissima perhibetur
propter suppliciorum æternitatem. Estque
verbum præfatum vehementer pavendum,
et sollicite reminiscendum.
Et ceciderunt viginti quatuor senio- 4
*res, et quatuor animalia, et adoraverunt
[Deum] sedentem super thronum, dicen-*

tes : Amen, Alleluia. Quemadmodum per viginti quatuor seniores intelliguntur Sancti veteris ac novi Testamenti, qui filii sunt duodecim Apostolorum atque duodecim Patriarcharum, vel ipsi Patriarchæ et Apostoli, omnes quoque doctores judices-
In Apoc. iv, v. que Ecclesiæ, superius tractatum est sæpe. Per quatuor autem animalia, Evangelistæ et prædicatores universi intelliguntur. Verum hoc loco, per seniores et animalia, omnes cives Ecclesiæ militantis ac triumphantis, potissime tamen primi et superiores in eis, accipi possunt : qui omnes Deo se profundissime humiliantes ac latriæ cultum (ut dignum est) exhibentes, præfato Dei præconio faventes et annuentes, dicunt : Amen, id est, vere sic est, et ita fiat, hoc est, ita laudetur Deus omnipotens. Insuper et ipsum idem agentes, adjiciunt : Alleluia.

5 *Et vox exivit de throno,* id est de loco
gloriæ Dei sublimis ac benedicti, videlicet de Ecclesia triumphanti ac militanti : nam et prædicatores Ecclesiæ quotidie exhortantur quod ista vox admonet. Et vocem hanc in interioribus auribus Joannis angelus eum instruens protulit et formavit. Deinde vox subditur : *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus* servitute dilectionis et casti timoris, *et qui timetis eum* timore filiali vel saltem initiali, *pusilli et magni,* videlicet superiores et inferiores, sapientes et simplices.

Consequenter ponitur Dei laudatio propter pietatem ejus in suis electis, vel potius propter excellentiam ejus in se-
6 metipso. *Et audivi quasi vocem tubæ ma-*
gnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium : Alleluia, id est, Deum laudate. Et cur hoc, additur : *quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.* Itaque vox ista, quæ tot rebus comparatur, est unanimis laudatio qua Sancti in cœlo et terra Deum altissimum devotissima mente collaudant. Quæ vox assimilatur tubæ, ob sonum evidentem tubalem ; et aquis multis, propter laudantium copiam ; magnis quoque tonitruis, quoniam adversariis potestatibus ac Babyloni est terribilis, et item, quoniam alta pandit mysteria. Ideo itaque Deum collaudant, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens, id est, Babylonicæ civitatis regnum destruxit, aeriarum potestatum aciem stravit ac superavit. Omnes quoque hos congregavit Is. xxiv. 22.
congregatione fascis unius, et clausit in carcere gehennæ. Insuper electos suos ab omni malo eripuit, suæ voluntati ac ditioni perfecte conformavit ac subdidit, atque in ipsis per dona gloriæ nunc regnare dignatus est, in quibus ante per dona gratiæ fuerat regnans. Nempe canticum illud refertur potissime ad consummatum patriæ regnum, quo, peracto judicio, Deus in omnium electorum una regnabit Ecclesia, quam ultra nulla adversariorum impugnabit malitia. Et tunc Christus potestatem quam habet in cœlo et in terra, aperte monstrabit ac plene, cunctis adversariis suis sibi subjectis, pereuntibus atque damnatis. In Ecclesia autem militanti Christus regnare exorsus est, quando ad ejus fidem et cultum homines converti cœperunt. Et de hoc ejus regno, quo nunc in fidelibus regnat, etiam gratulandum est nobis, et laudes ac gratias ei referre debemus ; sed de futuro illo consummato beatifico regno maxima erit laudatio, gratulatio, gratiarumque actio. Ideo sequitur :

Gaudeamus et exsultemus, id est, men- 7
te et corpore, seu intellectivo sensitivoque appetitu lætemur : juxta illud, Cor meum Ps. lxxxiii, 3.
et caro mea exsultaverunt in Deum vivum ; *et demus gloriam ei,* id est, ipsum in omnibus et de omnibus summe atque finaliter glorificemus, gloriosum fateamur, et omnis boni fontem opulentissimum munificentissimumque dicamus. *Quia venerunt nuptiæ Agni,* id est plena et consummata conjunctio Christi cum Ecclesia. Et ista conjunctio, est ejus in ea regnatio : quæ conjunctio plena et universaliter erit, peracto judicio, dum Christus electos in anima et corpore glorificabit. Unde hæ nuptiæ sunt internæ

ac spirituales, dum per beatificam visio- nem, suavissimam fruitionem, inamissibilem tentionem, mentes electorum Christo in thalamo regni cœlestis jungentur. Insuper, secundum Albertum, harum nuptiarum sponsalia contracta fuerunt in Prophetarum sponsione. Perfectum est matrimonium per verbum de præsenti, in collocutione mutua angeli et Mariæ, consummatum fuit in carnis et Verbi unione, solennitas cœpit celebrari in ascensione. Nunc paulatim introducitur sponsa in domum sponsi, sed totaliter introducetur in fine, et tunc fiet convivium generale. *Et uxor ejus,* id est Ecclesia, quæ est sponsa et conjux Christi, *præparavit se,* id est, aptam et dignam se fecit in via ista, uniri sponso suo in patria. Triplex autem est sponsa Christi, videlicet : universalis, quæ est Ecclesia ; particularis, ut anima devota ; singularis, scilicet Virgo beata. Rursus, sunt nuptiæ Christi cum militanti Ecclesia per gratiæ dona, et sunt nuptiæ ejus cum Ecclesia triumphanti per gloriæ munera.

Luc. I, 26 *et seq.*

8 *Et datum est illi,* id est gratia Dei concessum, non propriis viribus, *ut cooperiat se byssino splendente candido.* Quid autem per byssinum hujuscemodi intelligatur, auctor ipse exponit. *Byssinum enim sunt justificationes Sanctorum,* id est virtuosæ operationes et observantiæ præceptorum : de quibus in psalmo illo, Beati immaculati in via, etc., sæpe fit sermo. Itaque sensus est, quod auxilio gratiæ collatum est congregationi fidelium ut se virtuosis actibus suis decoret : qui actus sunt candidi per gratiæ claritatem, conscientiæ puritatem, justitiæ lucem. Splendentes quoque sunt, quia sunt aliis exemplares. Unde ait Salvator : Lux vestra luceat coram hominibus. Convenienter vero per byssinum justificationes signatæ sunt : nam sicut byssus multis tunsionibus perducitur ad candorem, sic electi per varias tribulationes pertingunt ad gloriam.

Ps. CXVIII.

Matth. V, 16.

9 *Et dixit mihi* angelus me informans : *Scribe* in corde tuo et libro ad Christianorum consolationem, verbum valde suave atque notabile : *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni,* id est ad patriæ beatificam refectionem, seu divinæ bonitatis immediatam fruitionem, *vocati sunt* per prædestinationem et inspirationem internam efficacem, ita quod actualiter pervenerunt ad eas seu perventuri sunt. Et ista refectio potius cœna quam prandium appellatur, quum ultima sit, nec alia ei succedat. Refectio autem qua fideles in præsenti a Deo per verba sacræ Scripturæ, charismata gratiæ, consolationes internas, reficiuntur, prandium dicitur. Interdum tamen cœna vocatur, tanquam inchoatio cœnæ futuræ. Unde superius dixit Salvator : Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo. De hac beatifica spirituali cœnatione Christus disseruit : Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Itaque Dominum deprecemur indesinenter, ut ejus continuo gratioso auxilio ad cœnam nuptiarum istarum pertingere mereamur ; et quanta beatitudo repromissa sit Christianis, sapienter intueamur, nec præsentis vitæ delicias admittamus.

Apoc. III, 20.

Luc. XXII, 29. 30.

Et dixit mihi : Hæc verba Dei vera sunt. Quum enim Deus sit essentialiter veritas ipsa, verba ejus non vera esse non possunt. Propter quod Christus loquitur Patri : Sermo tuus veritas est ; et Psalmista, Principium verborum tuorum veritas.

Joann. XVII, 17. *Ps.* CXVIII, 160.

10 *Et cecidi ad pedes ejus,* scilicet angeli : qui in sua natura pedes non habet, sed in imaginaria visione in specie hominis apparebat. Et aliqui asserunt, quod ex aere corpus assumpsit. Potius tamen tenendum, quod quia Joanni interius loquebatur et apparebat, non verum corpus, sed corporis effigiem interiori sensui S. Joannis objecit ac demonstravit. Cecidit ergo Joannes ad pedes ejus, eo modo quo Ezechiel in spirituali visione adductus in Jerusalem, scribit se cecidisse in faciem suam. Nam casus iste in spiritu fuit, vi-

Ezech. XL, 1, 2; XLIII, 3; XLIV, 4

delicet imaginarie, quemadmodum supra A
Apoc. I, 10. Joannes ait : Fui in spiritu in dominica die. Voluit autem Joannes angelo reverentiam exhibere, tanquam superiori in natura et gloria pro tunc. Ideo subditur : *ut adorarem eum*, non adoratione latriæ, sed duliæ, per quam proximis honorem impendimus; item, ut gratiarum actionem angelo exhiberet pro beneficio prophetiææ
Josue v, 15. cæ illustrationis. Hoc modo Josue legitur angelum adorasse.

Et dixit mihi : Vide, id est, attende et cave, *ne feceris* quod cœpisti. *Conservus* B *tuus sum, et fratrum tuorum* spiritualium, scilicet Christianorum, *habentium testimonium Jesu,* id est dona gratiæ, per quæ ostenduntur esse famuli Christi, seu opera virtuosa; eorum quoque qui verbo et opere testimonium perhibent Christo. Sed nonne Joannes bene fecit procidendo, et venerari volendo? Cur ergo prohibitus fuit? Et respondendum, quod utique bene fecit. Angelus tamen propter majus bonum id fieri non permisit, puta ex humilitate, et propter eminentiam dignitatis ac C sanctitatis tanti Apostoli : potius tamen propter dignitatem ac reverentiam humanæ naturæ a Verbo assumptæ. Et in hoc docetur, quantum per unigeniti Filii Dei incarnationem dignificata sit humana natura, seu omne genus humanum : quia post incarnationem Verbi, angeli ab hominibus renuunt adorari, qui super se hominem Deum adorant : quod in veteri Testamento non renuerunt. Non ergo negligamus nos ipsos, nec gratiam Dei parvi pendamus, ne graviori damnationi efficia- D mur obnoxii.

Deum adora cultu latriæ, quæ est virtus Deo cultum cærimoniamque impendens. *Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ,* id est, spiritum seu gratiam prophetalem habere, signum ac testimonium est quod homo sit Christi et servus ejus : non quia semper sic est, quum gratia prophetiæ sit gratia gratis data, quæ potest bonis ac malis esse communis; sed quia ut frequenter sic est. Prophetia namque vere ac proprie dicta, non est nisi a Spiritu Sancto; nec datur communiter nisi dispositis ad illuminationem divinam, scilicet virtuosis. Propter quod princeps Apostolorum in sua secunda ait Canonica : Non volun- II Petr. I, 21.
tate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. — Potest quoque ita exponi : Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ, id est, quidquid per spiritum propheticum prædixerunt Prophetæ, aliquo modo testimonium perhibet Christo. Propter quod loquitur Petrus : Huic omnes Act. x, 43.
Prophetæ testimonium perhibent.

Consequenter, secundum Bedam, agitur
de futura gloria supernæ Jerusalem. *Et* 11
vidi cœlum apertum : et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur Fidelis et Verax. In visione imaginaria ista sic corporaliter apparebant : quorum spiritualem intelligentiam, angelo edocente, Joannes mox intellexit. Itaque, per hoc quod cœlum sibi apertum apparuit, significabatur quod divina mysteria in divinæ mentis præscientia clausa, pandebantur Joanni; item quod janua cœli, primi parentis peccato clausa, est aperta merito Christi; rursus, ad innuendum quod Christus per sui auxilii exhibitionem ac militum suorum missionem, de cœlo descenderet, secundum modum subscriptum. Porro per equum album, cujus effigiem angelus præsentavit interiori oculo S. Joannis, intelligitur immaculatum Christi corpus, seu natura ejus humana, per quam adversarias potestates devicit : super quam Christus secundum naturam divinam sedebat, id est, eam in omnibus dirigebat, et ei in singulis præsidebat. Qui vocatur Fidelis, implens quod spopondit, et Verax, secundum quod ait : Ego sum via, veritas et Joann XIV, 6.
vita.

Et cum justitia judicat : nam secundum quod homo, constitutus est judex vi- Act. x, 42.
vorum ac mortuorum; nec sine æquitate, sed justissime cuncta discernit; *et pugnat,* suis bellatoribus dando præliandi ac prævalendi doctrinam ac potestatem : quibus

et angelos in auxilium mittit. De quo ait A
Ps. CXLIII, 1. Psalmista : Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. Denique, ut Moy-
Exod. XV, 3. ses ait : Dominus quasi vir pugnator; Omnipotens, nomen ejus.

12 *Oculi autem ejus sicut flamma ignis,* quia adspectus ejus erit terribilis reprobis. Nam quia in equo quasi adversarios expugnaturus apparuit, igneum atque terribilem prætendebat ad impios visum. Ideo etiam oculi ejus ut flamma ignis, quia
Eccli. XXIII, 28. interiores oculi animæ ejus sunt lucidissi- B mi, ita quod omnia cernunt. Vel oculi ejus dicuntur dona Spiritus Sancti (sicut supe-
Apoc. V, 6. rius de ipso dixit Joannes, quod habet oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei), qui ignis flammæ merito comparatur. Ignis namque illuminat et accendit, rubiginem tollit, duritiam ferri emollit, frigida calefacit, liquida quoque consolidat. Sic dona Spiritus Sancti inflammant ad dilectionem Dei et proximi, illuminant ad cognitionem veri et falsi, boni et mali, consumunt rubiginem peccati, emolliunt C duritiam animi, corda frigida calefaciunt, fragiles mentes confortant. *Et in capite ejus diademata multa,* id est universale dominium super cœlum et terram, se-
Matth. XXVIII, 18. cundum quod ait, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ; seu multi triumphi, vel multitudo Sanctorum qua cingitur.

Habens nomen scriptum, id est sic inditum atque conveniens, *quod nemo novit,* id est, plene comprehendit, *nisi ipse.*
Philipp. II, 9. Hoc est nomen de quo ait Apostolus, quod D dedit ei Pater nomen quod est super omne nomen : quo in una persona verus Deus et verus homo vocatur. Quod nomen nominatum, scilicet res ipsa, secundum id quod divinitatis est, incomprehensibile est omni menti creatæ, loquendo de plena comprehensione, qua aliquid cognoscitur tam perfecte sicut ex sua natura cognoscibile exsistit. Porro in eo quod ait, Quod nemo novit nisi ipse, non excluduntur Pater et Spiritus Sanctus. In his enim quæ absolute Deo conveniunt, quod de una Persona dicitur, de aliis quoque duabus intelligi datur : sicut quum Filius ait ad Patrem, Hæc est vita æterna, ut cogno- Joann. XVII, 3.
scant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum ; et iterum, Nemo Matth. XI, 27.
novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit etc. ; et quum ait Apostolus, Quæ sunt I Cor. II, 11.
Dei, nemo scit nisi Spiritus Dei.

Et vestitus erat veste adspersa sanguine, id est corpore, proprio sanguine tempore passionis rubricato. Vel in tali veste apparuit, ad insinuandum quod impios occidere venit. De veste autem præfata scriptum est apud Isaiam : Quare rubrum est Is. LXIII, 2.
indumentum tuum ? *Et vocabatur nomen ejus, Verbum Dei,* id est Unigenitus Patris æterni. Est enim Verbum æternum quod Pater se ipsum intelligendo intra se invariabiliter profert. De quo scriptum est : In Joann. I, 1.
principio erat Verbum. 13

Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum. Quod de civibus Ecclesiæ triumphantis regem suum comitantibus accipi potest. Quum enim Christus venerit debellare Antichristum cum suis, descendent sancti angeli, et Christi imperium contra impios exsequentur. Rursus intelligi potest de fidelibus Ecclesiæ militantis, qui per vias præceptorum et semitas consiliorum Christum sequuntur. De illis vero potissime sumitur qui tempore Antichristi erunt constantes, et in virtute Christi Antichristo usque ad mortem resistent. *In equis albis,* id est mundis seu castis corporibus : quoniam scient vas I Thess. IV, 4.
suum possidere in sanctificatione, et ab omni inquinamento animæ et carnis se II Cor. VII, 1.
emundabunt. Si autem de civibus triumphantis Ecclesiæ exponatur, per equos albos intelligendi sunt sancti viatores, quibus illi præsidebunt et opem impendent. *Vestiti byssino albo et mundo,* id est justificationibus suis, sicut expositum est. Unde et scriptum est : Sacerdotes tui induan- Ps. CXXXI, 9.
tur justitiam. Et sanctus Job : Justitia, in- Job XXIX, 14.
quit, indutus sum. 14

15 *Et de ore ipsius procedit gladius* [*ex*

utraque parte] *acutus*, id est judicialis A In Apoc. i, 16; ii, 12, 27. sententia et increpatorius sermo (sicut supra plenius expositum est), *ut in ipso percutiat gentes,* id est, gentiliter carnaliterque viventes reprehendat, reprobet et condemnet. *Et ipse reget eas in virga ferrea,* id est rigorosa justitia, impœnitentes dirigendo in finem eis debitum, scilicet damnationem æternam, pœnitentes autem Ps. ii, 9. in hac vita disciplinando. Hoc in secundo psalmo de Christo constat prædictum. *Et tanquam vas figuli confringentur,* id est, electæ et pœnitentes, salubriter frangent B et abnegabunt se ipsas, amittendo quod erant per culpam, prout Salomon ait : Prov. xii, 7. Verte impios, et non erunt. Aliæ autem confringentur, in anima et corpore pereuntes. Istud implebitur etiam tempore Antichristi, quando Judæi convertentur ad Dominum, et alii multi, saltem Antichristo occiso.

Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Torcular quandoque vocatur congregatio recentium fructuum; interdum locus ubi, seu instrumentum per C quod vinum exprimitur; interdum supplicium, per modum torcularis premens et opprimens. Secundum hæc, verba ista diversimode exponuntur. Si enim torcular exponatur pro pœna, sensus est quod Christus calcat torcular, id est, mortem superavit. Nam moriendo pro nobis, mortem æternam abstulit et destruxit, juxta Osee xiii, 14. quod per Osee protestatur : Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne. Mortem quoque temporalem in se ipso, tertio die resurgens, devicit. Hæc autem mors seu D pœna æterna, est vinum furoris iræ Dei, id est retributio a divina justitia hominibus pro suis peccatis, vel primi parentis originali peccato, instar poculi propinata. Secundum hanc expositionem loquitur Is. lxiii, 3. Christus apud Isaiam : Torcular calcavi solus. Si vero sumatur torcular pro loco supplicii seu pressuræ, designat hoc loco infernum : quem Christus calcat, demergendo in eum ac conculcando injustos. Estque torcular hoc vinum iræ Dei, id est locus pœnalis pro peccato inflictus. Demum si torcular sumatur pro instrumento premendi, sensus est quod ignem inferni impiis superducit. Juxta quem modum scriptum est : Torcular calcavit Dominus Thren. i, 15. virgini filiæ Juda. Furor autem et ira in Deo omnipotente, non passionem aut mentis commotionem, sed æquitatis rigorem et ultionis acerbitatem designant.

16 *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Per vestimentum Christi, jam significata est ejus humanitas, seu caro Verbo unita. Per femur vero Christi, spiritualis ejus fecunditas, qua multos genuit seu convertit, videlicet perfectio suæ virtutis, sanctitatis et caritatis, signatur. De quo ait Psalmista : Accingere gladio tuo Ps. xliv, 4. super femur tuum, potentissime. Itaque sensus est quod in Christi humanitate et corpore indelebiliter demonstratur, quod ipse sit Rex regum et Dominus dominantium. Nam et humana ejus natura prælata est omni creaturæ, et per eam, omnipotentiam suam ostendit in miraculis et salvatione humani olim perditi generis. Similiter in fecunditate ejus qua mundum spiritualiter regeneravit, idem ostenditur. — Berengandus et Beda per vestimentum Christi intelligunt electorum Ecclesiam, juxta illud in Isaia : Omnibus his quasi Is. xlix, 18. ornamento vestieris. In quibus declaratur quod Christus sit Rex regum et Dominus dominantium. Albertus per vestimentum intelligit Christi humanitatem, ut a Verbo assumptam; per femur vero eamdem, ut a patribus propagatam.

17 *Et vidi unum angelum stantem in sole; et clamavit voce magna omnibus avibus quæ volant per medium cœli.* Ita in imaginaria visione apparebat Joanni. Per angelum istum designatus est ordo seu cœtus prædicatorum, qui in fine mundi prædicabit quæ subsequuntur; vel angelicus spiritus, qui tunc alloquetur electos. Angelus iste stetit in sole, quoniam prædicatores illi fixi erunt in Christo sole intelligentiæ atque justitiæ; vel, in sole, id

est in eminenti splendore sapientiæ. Per A
aves vero significantur fideles ad cœlestia
se levantes : qui pennis virtutum, oratio-
ne et contemplatione, volant per medium
cœli, id est per totam Ecclesiam, vel per
patriam Beatorum, cœlestium civium or-
dines, mansiones et gaudia speculantes, et
Philipp. III, 20. conversationem in cœlo illo habentes. *Di-
cens : Venite, congregamini ad cœnam
magnam Dei,* id est ad cœnam nuptiarum
vers. 7. Agni (de qua dictum est jam), hoc est, ad
18 refectionem patriæ festinate, *ut manduce-
tis carnes regum,* [*et carnes tribunorum,*] B
et carnes fortium, et carnes equorum, id
est inferiorum, *et sedentium in ipsis,* id
est præsidentium ipsis : hoc est, venite ad
patriam, ut de impiorum justa punitione
delectetur ac reficiatur mens vestra zelo
justitiæ, et quia tantum supplicium eva-
Is. LXVI, 24. sistis. Unde scriptum est in Isaia : Egre-
dientur (scilicet electi) et videbunt ca-
davera virorum qui prævaricati sunt, et
erunt usque ad satietatem visionis omni
carni. In reproborum quoque damnatione
elucebit sapientia Dei, quæ inordinatio- C
nem culpæ instaurat per ordinationem
pœnæ. Præterea, ut apparet, locus iste
potest intelligi de comestione corporum
occisorum ab avibus cœli aerii, eorum vi-
delicet qui Christi virtute cum Antichri-
sto subito occidentur. De quo in Ezechiele
Ezech. XXXIX, 17 *et seq.* plura leguntur. Sicque quod ibi intelligi-
tur per victimam quam Deus dicit se avi-
bus immolare, intelligeretur hæc cœna,
secundum metaphoram quamdam.

Consequenter prædicitur prælium An-
19 tichristi contra Christum. *Et vidi bestiam* D
et reges terræ, scilicet Antichristum et ei
credentes, *et exercitus eorum congrega-
tos ad faciendum prælium cum illo qui
sedebat in equo,* id est contra Christum,
sicut expositum est, *et cum exercitu ejus,*
id est contra fideles in fide constantes.
Pugnabunt autem contra Christum, ejus
fidem et cultum destruendo, ejusque mem-
bra persequendo et occidendo. Ista præ-
vidit Joannes in spiritu.

Et apprehensa est bestia, id est, Anti- 20
christus Christi virtute conteretur, dicente
Apostolo : Quem Dominus Jesus interficiet II *Thess.* II, 8.
spiritu oris sui ; *et cum illa pseudopro-
pheta,* id est cœtus prædicatorum Anti-
christi, vel aliquis prædicator ejus præ-
cipuus, *qui fecit signa coram ipsa,* id est
in beneplacito seu præsentia Antichristi,
*quibus seduxit eos qui acceperunt chara-
cterem bestiæ,* id est, conformitatem vitæ
Antichristi, *et qui adoraverunt imaginem
ejus,* id est statuam seu imitatores Anti-
christi. De his prædicatorum Antichristi
miraculis, et adoratione imaginis ejus et
ejus charactere, superius dicta sunt plu- In Apoc. XIII, 13 *et seq.*
ra : idcirco pertranseo. *Vivi missi sunt hi
duo,* scilicet Antichristus et pseudopro-
pheta ipsius, *in stagnum ignis sulfure
ardentis,* id est, divina plaga occisi, mox
cum impetu ruent in tartara, quasi si vi-
ventes repente absorberentur a terra, et
caderent in infernum. Sic enim Dathan et
Abiron viventes in infernum descendisse *Num.* XVI, 32.
dicuntur, quamvis morerentur antequam
illuc venirent, secundum doctores.

Et ceteri Antichristo adhærentes, mi- 21
nus rei et impii, *occisi sunt in gladio se-
dentis super equum,* id est, Christi impe-
rio perierunt. Multi enim eorum subito
morientur ac damnabuntur. [*Qui procedit
de ore ipsius.*] *Et omnes aves saturatæ
sunt carnibus eorum :* secundum sensum
nunc præinductum. Sic enim saturabun-
tur, quomodo manducabunt. Loquitur au-
tem Joannes more prophetico de futuris
tanquam præterito, propter certitudinem
propheticæ denuntiationis.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI : ET VIDI ANGELUM DESCENDENTEM DE COELO.

FINALEM damnationem diaboli, scilicet projectionem ejus in tartara, volens auctor plenius atque distinctius elucidare, primo ostendit qualiter victus, ligatus atque damnatus est a Christo in primo ejus adventu. Denique, secundum Berengandum, triplex ponitur damnatio dæmonis : prima, quando ob suam superbiam de cœlo projectus est ; secunda, quando per Christi passionem perdidit genus humanum et relegatus est in abyssum ; tertia, quando in infernum cum omnibus suis æternaliter cruciandus mergetur.

1 *Et vidi angelum descendentem de cœlo.* Angelus iste Christum designat, cujus a
Ps. xviii, 7. summo cœlo fuit egressus, quando per incarnationis mysterium descendit de sinu Patris in uterum Virginis. *Habentem clavem abyssi,* id est potestatem claudendi quos vult in inferno, et eripiendi seu retrahendi de eo. Vel clavis abyssi, est potestas ligandi et solvendi diabolum, qui nihil valet nisi permissus a Christo. Intellectus autem verbi hujus plenius patet ex his quæ in expositione superiorum
Apoc. i, 18. scripta sunt, scilicet super id : Habeo claves mortis et inferni. *Et catenam magnam in manu sua.* Catena ista quam habet in potestate sua Salvator, est multitudo electorum suorum sibi invicem instar ansarum per caritatem, ordinem, gradus atque officia, pulchre connexa ; aut certe inevitabilis sua potestas, cuncta constringens.

2 *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui vocatur diabolus et Satanas, et religavit eum per mille annos.* Hoc fecit Christus, quando per suam dignissimam passionem eripuit genus humanum a potestate diaboli, ejusque potestatem restrinxit, compescuit, de innumerabilium hominum cordibus expulit : per sacramenta quoque Ecclesiæ virtutem diaboli vehementer minuit et ligavit. Porro per mille annos, ob hujus numeri perfectionem, totum evangelicæ legis tempus exprimitur, per quod ista durat ligatio : nisi quod tempore Antichristi tribus annis cum medio plus solito sæviet, sicut
infra dicetur. *Et misit eum in abyssum,* 3
scilicet in infernum teterrimum, profundissimum, turbulentum ; vel in corda tenebrosa reproborum, eorum potissime qui persequebantur Ecclesiam. In quibus licet et antea fuerit, tamen tunc missus fertur in ea permissive a Deo, quia tunc magis quam ante regnabit in eis. Hinc passione imminente Christus perhibuit : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Joann. xii, 31. Magis autem videtur missio ista de projectione ejus in infernum intelligenda, propter verba sequentia. [*Et clausit,*] *et signavit super illum,* id est, signum reclusionis adhibuit virtute signaculi crucis, prohibens illum egredi ante tempus præfinitum, *ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni,* id est tempus durationis evangelicæ legis usque ad Antichristi adventum. Ideo sequitur : *Et post hoc oportet illum solvi modico tempore,* quo Antichristi persecutio desæviet et durabit.

Præterea, constat quod Christus suæ passionis virtute non misit neque ligavit dæmones universos in inferno, quum certum sit homines a dæmonibus indesinenter tentari. Si ergo religatio ista de inferno exponatur, per diabolum non tota diabolorum caterva, sed aliqua pars eorum forte crudelior erit intelligenda. Et

aliqui dicunt, per diabolum de quo nunc sermo, primum illum apostatam dæmonum principem accipiendum, a quo affirmant Christum tentatum, et illum a Christo in infernum retrusum ac vinctum donec Antichristus nascetur, quem (ut asserunt) diabolus iste intrabit ac diriget. Si autem per diabolum de quo nunc mentio, intelligatur quicumque spiritus malignus hominumque tentator, et per abyssum accipiantur impia peccantium corda : tunc quod ait scriptura hæc, Ut non seducat amplius gentes, intelligendum est de gentibus prædestinatis ; vel, ut non seducat eas tot modis tamque copiose ut ante. Verum repressio ista diaboli tempore persecutionis Antichristi cessabit, quia tunc ejus potestas magis solvetur ac prævalebit quam ante. Non tamen putandum est quod diaboli permittentur tunc hominibus, quantum possent si permitterentur, nocere : quia si hoc, quis posset evadere, aut in vita corporali manere ? Tunc ergo oportebit diabolum solvi, ut impleantur Scripturæ, et quia id Deus prædixit, et quia electis hoc utile erit ad gloriam ampliorem.

Matth. IV, 1 *et seq.*

Advertendum quoque quod diabolus nunc pluribus nominibus expressus est. Nempe, ut Beda testatur, draco vocatur, propter nocendi malitiam ; serpens, propter nocendi astutiam ; diabolus, ob status sui casum (diabolus enim, deorsum fluens interpretatur) ; Satanas, ob instantiam seu obstinationem adversandi Domino et electis ejus. Et, ut scribit Albertus, quantum ad illos qui peccant ex infirmitate, dicitur draco, propter violentiam tentationis ; quantum ad illos qui peccant ex ignorantia, dicitur serpens, propter astutiam deceptionis ; quantum ad illos qui peccant ex certa malitia, diabolus, quasi deorsum fluens per malitiam ; quantum vero ad bonos, dicitur Satanas, quoniam illis jugiter adversatur.

Consequenter agitur de liberatione et gloria electorum, quæ dæmonis ligationem
4 secutæ sunt. *Et vidi sedes : et sederunt*
A *super eas, et judicium datum est illis.* Per sedes has primo intelligi possunt mansiones cœlestes, et throni gloriosi in quibus animæ Sanctorum sunt collocatæ dominicæ passionis merito et virtute, quibus data est judicandi potestas cum Christo : cujus dono etiam nunc frequenter aliqua judicant, faciendo mirabilia in hoc mundo, suis cultoribus succurrendo, dæmones ab obsessis corporibus ejiciendo, atque miracula varia peragendo. Secundo, per sedes intelliguntur mansiones, dignitates,
B auctoritates Ecclesiæ, in quibus superiores resident et prælati, quibus datum est judicium discretionis ac sententiationis de actibus inferiorum, potestas quoque ligandi et solvendi peccata.

Insuper vidi *et animas decollatorum,* id est occisorum, *propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei,* id est prædicationem, vel Jesum, qui est Verbum Dei secundum naturam divinam ; *et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, et qui non acceperunt characterem ejus*
C *in frontibus aut manibus suis.* Quamvis jam sæpe per bestiam intellectus sit Antichristus, et per imaginem ejus statua vel imitatores ipsius ; nunc tamen per bestiam et imaginem ejus, intelligendi videntur hi qui ejus figura fuerunt, et in typo ipsius præcesserunt, videlicet falsi dii, qui se hominibus colendos et adorandos exhibuerunt. Unde et martyres, qui pro Christo mori maluerunt quam idola adorare seu impios homines colere, dicuntur non adorasse bestiam nec imaginem ejus, nec
D characterem ejus, id est criminis imitationem et notam, seu signum quod pertinerent ad eum, accepisse in frontibus, id est in confessione aperta, neque in manibus, id est in operibus suis. Potest quoque per bestiam dæmon intelligi, qui in idolis adoratur. Huic autem expositioni arbitror consonare, quod de Antichristo scribit Apostolus ad Thessalonicenses, quia mysterium nunc operatur iniquitatis. Est etiam modus loquendi, ut unum similium alterius nomine exprimatur, et qui ali-

II *Thess* II, 7.

quid facit æquivalenter, sic facere illud A asseritur, ac si formaliter faceret illud.

Et vixerunt animæ istæ vita gloriæ, *et regnaverunt cum Christo* in patria (quem-
II Cor. v, 1. admodum ait Apostolus : Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis ; et Christus in Evan-
Joann. xvii, 24. gelio : Volo, Pater, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam), *mille annis,* id est omni tempore nunc currenti usque ad resurrectionem futu- B ram. Per determinatum etenim numerum annorum, indeterminatus numerus designatur, sicut quum dicitur in Psalmo :
Ps. civ, 8. Memor fuit testamenti sui, verbi quod
5 mandavit in mille generationes. — *Et ceteri mortuorum,* id est mortui ad numerum electorum societatemque martyrum non pertinentes, *non vixerunt* vita naturali, corporali, humana, *donec consummentur mille anni,* id est usque ad finem mundi seu diem judicii, quando resurgent et vivent in corpore ad majorem sui C miseriam.

Hæc, scilicet vita gloriæ animarum sanctarum cum Christo in patria, *est resurrectio prima :* quia præcedit illam, qua corpora sua resument. Et item vita hæc dicitur resurrectio prima, quia per eam ab hac misera vita, quæ comparatione illius vitæ umbra mortis et mors nuncupatur, eriguntur : et homo sanctus hic moriens, ibi in patria vivere incipit melius atque felicius; sicque a morte naturæ, qua cecidit corpore, resurgit, pertingendo D ad vitam gloriæ, qua vivit in mente. — Quidam autem per primam resurrectionem intelligunt resurrectionem spiritualem, qua homo per Baptismum et Pœnitentiam resurgit a morte culpæ, prout monet Apo-
Ephes. v, 14. stolus ad Ephesios : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis. Quibus objicit Beren-
6 gandus quod subditur : *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in his mors secunda non habet potestatem,* id est, in his mors secunda non habet locum. Multi enim post Baptismum pœnitentiamque peractam peccant, et pereunt.

Itaque : *Beatus* est in re, *et sanctus,* quia omni labe peccati carens, et confirmatus in bono, *qui habet partem,* id est consortium, *in resurrectione prima,* id est in animarum beatificatione. *In his mors secunda,* id est damnatio ultimata, *non habet potestatem,* quia de sua æterna felicitate securæ sunt. *Sed erunt sacerdotes Dei et Christi,* id est Patris ac Filii, nec dubium quin et Spiritus Sancti. Beati namque in patria se ipsos perfectissime offerunt Deo, et incessabilem gloriæ hymnum. quod est sacrificium laudis, perfecte decantant superbeatissimæ Trinitati. *Et regnabunt cum illo mille annis,* id est, usque ad resurrectionem corporum beatificati in spiritu, et dehinc cum corpore et anima pariter glorificatis, regnabunt cum eo in sempiternum.

Et quum consummati fuerint mille an- 7
ni, id est circa finem temporis quod currit a principio evangelicæ legis usque ad terminum ejus, *solvetur Satanas de carcere suo,* id est abysso, ubi nunc religatus et missus descriptus est, *et exibit.* Unde apparet quod per abyssum non proprie intelligantur corda reproborum, quia de illis Satanas non exibit tempore Antichristi : imo ea tunc tenacissime possidebit, et per ea tanquam per vasa instrumentaque sua, electos gravissime persequetur. De inferno itaque tunc primus apostata egredietur cum crudeliori sua phalanga, *et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ,* id est, in quatuor plagis terræ multos de omni natione ac populo fallet per Antichristum et prædicatores ipsius, eorumque signa, hypocrisim et doctrinam, prosperitatem, dona, comminationes et persecutiones.

Et hæ gentes sunt *Gog et Magog :* secundum interpretationem nominum horum. Gog enim interpretatur tectum : per quod quidam intelligunt Antichristum, qui erit velut tectum seu habitaculum dæmonum. Alii per Gog eos intelligunt qui tunc ma-

litiam suam tegentes, justos se simulabunt. Magog vero interpretatur, de tecto : per quod quidam accipiunt exercitum Antichristi, de quibus velut de tecto ipse impugnabit fideles. Alii vero per Magog eos specialiter intelligunt, qui de tecto cordis sui egredientes, in manifesta peccata prosilient. Verumtamen agnoscendum
Ezech. XXXVIII, XXXIX. quod de Gog et Magog plura apud Ezechielem scripta sunt, et ibidem varios modos loquendi de Gog et Magog ex verbis Hieronymi, Augustini, et aliorum expositorum recitavi, quos hic resumere esset prolixum. Quidam autem per Gog et Magog intelligunt decem tribus; alii, Getas et Massagetas; alii, gentes Scythicas innumerabiles et immanes. Verumtamen Augustinus libro vicesimo de Civitate Dei, satis rationabiliter ex præsenti ostendit scriptura, quod per Gog et Magog non designentur aliquæ determinatæ gentes, in aliqua parte terrarum constitutæ. Toto namque orbe terrarum significatæ sunt esse, quum dicitur, Seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, easque subjecit esse Gog et Magog.

Et congregabit eas in prælium contra fideles. Non tamen universæ gentes illæ erunt corporaliter adunatæ, sed multi erunt earum exercitus in quatuor angulis terræ : quæ omnes uno animo invadent Ecclesiam, sicut sequentia verba declarant. *Quarum numerus est sicut arena maris :* id est, innumerabilis erit illarum
8 gentium multitudo. *Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum,* id est acies Christianorum, seu ipsos fideles, virtutibus contra invisibiles atque visibiles hostes armatos, et caritate conjunctos. Loquitur autem Joannes de futuro tanquam præterito, propter certitudinem veritatis. Quasi dicat : Tam verum et certum est quod dico, ac si nunc esset impletum. *Et civitatem dilectam,* id est Ecclesiam, quæ est castra sanctorum. Toto enim orbe terrarum Ecclesia tunc ab incredulis illis cingetur et invadetur. Ecclesia autem militans est civitas Deo et Ec-
A clesiæ triumphanti carissima. Quidam vero per civitatem dilectam, intelligunt ipsam Jerusalem in Judæa : quam tunc asserunt a Christianis inhabitandam, et ab Antichristo ac suis specialiter impugnandam.

Et descendit ignis de cœlo, et devoravit 9
eos, id est, divina plaga Antichristum et multos de adhærentibus ipsi consumet, et (ut quidam dicunt) fulminabuntur. *Et diabolus qui seducebat eos,* scilicet gentes præfatas, *missus est in stagnum ignis et sulfuris,* id est in lacum et puteum tar-
B tarei calidissimi et fœtidissimi ignis. Tunc enim omnes diaboli, peracto judicio, in infernum mergentur, nec amplius egredi-
entur. *Ubi et bestia et pseudopropheta,* id 10
est Antichristus et ordo seu cœtus prædicatorum ejus, *cruciabuntur die ac nocte,* id est sine cessatione, *in sæcula sæculorum,* id est æternaliter. Non itaque finietur pœna inferni.

Consequenter de finali judicio et resurrectione mortuorum secunda seu corpo-
rali breviter tractat S. Joannes. *Et vidi* 11
C *thronum magnum candidum, et sedentem super eum.* In visione imaginaria apparuit Christus omnium judex, sedere in solio judiciali, sublimi ac splendido, ad insinuandum hujus Judicis majestatem. Juxta quem sensum loquitur Isaias : Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. *Is.* VI, 1. Et per thronum hunc, designatur Ecclesia tam militans quam triumphans : utrique enim præsidet Christus. Et sicut Ecclesiam militantem regit, eam per dona gratiæ ad finem ultimum diri-
D gendo, sic gubernat et triumphantem, eam per dona gloriæ in fine ultimo jam adepto, inavertibiliter conservando. *A cujus conspectu,* id est imperio atque præsentia, *terra fugit et cœlum,* id est, a modo seu qualitate suæ exsistentiæ recedent, quia mutabuntur in melius, sicut in principio sequentis capituli plenius est dicendum ; *et locus non est inventus ab eis,* id est, ipsa amplius non comparebunt, videlicet eo modo et statu ac forma accidentali in quibus nunc sunt.

12 *Et vidi mortuos magnos et pusillos,* eos A scilicet qui mortui fuerunt, et tunc suscitati erunt ac vivi, *stantes in conspectu throni,* id est coram judice Christo, secundum quod ipse prædixit : Quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes; et item, Veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient, etc. Apostolus quoque ait : Oportet nos omnes manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit.

Matth. xxv, 31, 32. — Joann. v, 28. — II Cor. v, 10.

Et libri aperti sunt. Isti sunt libri con- B scientiarum, qui sunt ipsæ conscientiæ, secundum quod in eis merita vel demerita continentur atque leguntur. Qui tunc aperientur, quia tunc conscientiæ singulorum singulis innotescent, ita quod unusquisque merita vel demerita omnium aliorum cognoscet, ut Dei judicium esse justissimum omnibus declaretur. Hinc in Daniele scribitur : Judicium sedit, et libri aperti sunt. Beda per libros intelligit vetus ac novum Testamentum : quæ tunc aperientur, quia secundum eorum scripturas judicabitur C mundus. Augustinus vero per libros apertos intelligit Sanctos, in quibus mali poterunt legere seu videre bona quæ facere debuerunt et neglexerunt. *Et alius liber apertus est, qui est liber vitæ.* Liber iste est præscientia seu prædestinatio Dei, nunc latens : qui tunc aperiendus asseritur, quia tunc patebit ad oculum qui in ipso scripti fuerunt et qui non, id est, qui electi, qui reprobi. De libro hoc vitæ nos quidem supra diximus. Ceterum Augustinus per librum istum intelligit vim divinam, qua D fiet ut unicuique sua facta monstrentur ac pateant, ita quod se juste damnari vel salvari conspiciet. *Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris* conscientiarum suarum seu Scripturarum. [*Secundum opera ipsorum.*] Magis autem judicabuntur secundum cordium suorum affectiones, intentiones et cogitatus, quam secundum opera exteriora. In illis siquidem magis immediate et proprie ratio meriti et demeriti, seu virtutis vitiique consistit.

Dan. vii, 10. — Apoc. iii, 5.

13 *Et mare dedit mortuos suos qui in eo erant :* id est, qui in mari submersi fuerunt, vel qui in sæculo isto, quod per mare intelligi solet, sepulti seu resoluti fuerunt, inde consurgent. Cineres enim ex suis locis colligentur, et in corporis formam redigentur. *Et mors et infernus dederunt mortuos suos :* id est, diabolus auctor mortis, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum, et carcer tartareus animas ibi detentas, ad ingrediendum corpora exhibebunt sive dimittent. Terra autem, mare et infernus dabunt mortuos suos, id est, materialiter quasi præbebunt. Per mortem quoque videtur posse intelligi ignis conflagrationis, quo tunc viventes interficientur, moxque resurgent. Hæc autem resurrectio ante judicium fiet, quamvis hic per epilogum quemdam post descriptionem judicii describatur. Scriptura namque non semper servat ordinem rerum gestarum seu gerendarum. *Et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum,* intelligendo per opera, quemlibet actum, etiam interiorem et locutionem. Ex ore enim tuo, ait Scriptura, justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis.

Sap. ii, 24. — Matth. xii, 37.

14 *Et infernus,* id est omnes reprobi, ad inferni habitaculum pertinentes : solent enim per locum habitatores ejus intelligi; *et mors,* scilicet ignis conflagrationis, qui eos in infernum ruentes involvet, et simul cum eis descendet quantum ad id quod in ipso caloris est ac fumositatis, secundum Basilium; vel, Mors, id est diabolus cum angelis suis apostatis; *missi sunt in stagnum ignis,* id est, in infernalem puteum igneum ac sulfureum projicientur, Christo dicente : Ite, maledicti, in ignem æternum. *Hæc,* scilicet æterna damnatio et infernalis calamitas, *est mors secunda,* gravissima plane, consummata ac perhorrenda. Prima etenim mors, est mors culpæ seu ipsum peccatum, pro quo mors ista secunda infligitur. Quam qui susceperint, mortem illam quæ esse naturæ aufert, optabunt : mallent etenim mori seu prorsus non esse, quam talia sustinere ;

Ibid. xxv, 41.

Apoc. IX, 6. sed fugiet mors illa ab eis. *Et* omnis *qui* A
15 *non est inventus in libro vitæ scriptus,* id est in divinæ mentis prædestinatione contentus, *missus est in stagnum ignis,* videlicet omnes reprobi homines. Quod tamen intelligendum est de his qui in mortali vitio discesserunt. Infantes enim non baptizati, non punientur ab igne, sed erunt in limbo puerorum. — Sicque per infernum, intelligi possunt angeli principis tenebrarum; per mortem, princeps eorum; per non scriptos in libro vitæ, homines impii.

Ista metuenda sunt magis quam exponenda. Itaque cogitemus quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis, *Hebr.* X, 31. et tanti judicii districtionem quotidie perpendamus, timoratique simus : quia tunc erunt securi, qui modo non sunt securi; tuncque timebunt ac disperibunt, qui modo non metuunt, et negligunt miseri semetipsos.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : ET VIDI COELUM NOVUM.

1 ET *vidi cœlum novum et terram novam.* B Postquam descriptus est status Ecclesiæ quem habet ante finale judicium, nunc status ejus describitur quem post finale judicium sortietur. Denique, secundum Albertum, hic incipit septima ac ultima visio hujus libri, in qua ornatus sanctæ Ecclesiæ, quæ sponsa est Christi, prænuntiatur.

Itaque ait : Vidi in spiritu cœlum novum. Quod quidam exponunt de cœlo aerio, scilicet aere innovando. Sed generaliter accipi debet de tota cœlestium C corporum regione. Omnes enim orbes cœlestes, planetæ et stellæ in fine sæculi, electorum corporibus glorificatis, pariter innovabuntur, et plus solito ornabuntur. Unde hoc loco per duo ista extrema, scilicet cœlum et terram, simul intelliguntur et media, utpote alia tria elementa, et quidquid cœlestium corporum sub primo mobili continetur. Quum enim hæc corporalia propter hominem sint creata, illi hominis statui tunc conformabuntur quem electi peracto habebunt judicio. D Ideo, sicut corpora electorum innovabuntur, et digniores qualitates habebunt, videlicet claritatem et incorruptibilitatem; ita et elementa atque cœlestia corpora tunc clariora consistent, et elementorum mutua alteratio desinet, motus quoque cœlestes cessabunt, et sol jugiter stabit in oriente, luna in occidente. Porro, ut creditur, terra in superficie pervia erit ut vitrum, aqua sicut crystallus, aer ut cœlum, ignis ut sidera. De quantitate autem meliorationis qualitatis solis et lunæ loquitur Isaias : Erit lux lunæ sicut lux *Is.* XXX, 26. solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum. Quantitas vero meliorationis cœlestium orbium Deo est cognita. Talis ergo status innovatio et melioratio erit circa hunc mundum sensibilem post finale judicium, ad gloriam Creatoris, ut ejus excellentia in suis declaretur effectibus, electi quoque in sensibilibus rebus, exterioribus sensibus magnificentiam Dei jucundissime speculentur atque collaudent.

Quum igitur in Scripturis leguntur corpora ista corrumpenda, desitura seu peritura, intelligendum est quantum ad modum essendi, videlicet quoad cessationem actionum, passionum et motuum. Sic namque ait Apostolus : Præterit figura hujus I *Cor.* VII, 31. mundi; et Psalmista : Opera manuum tua- *Ps.* CI, 26, 27.

rum sunt cœli ; ipsi peribunt, et omnes sicut vestimentum veterascent. Idem quoque *II Petr.* III, 10-13. Petrus testatur : Adveniet dies Domini tanquam fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur ; novos autem cœlos, et novam terram exspectamus. Itemque per Isaiam *Is.* LXV, 17. Dominus ait : Ecce ego creo cœlos novos et terram novam. Hinc subditur : *Primum enim cœlum et prima terra abiit,* id est, corpora memorata, quantum ad pristinum statum ac modum essendi cessabunt. Juxta hunc sensum debemus nos *Luc.* IX, 23. *Ephes.* IV, 22. ipsos abnegare, relinquere, et veterem hominem exuere.

Et mare jam non est. Circa quod libro vicesimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Utrum mare maximo illo ardore siccetur, an et ipsum vertatur in melius, non facile dixerim. Verum si mare sumatur pro mari Oceano totam terram cingente, juxta illud Psalmi, *Ps.* CIII, 6. Abyssus sicut vestimentum amictus ejus (quomodo utique sic sumendum videtur), dubium nullum est quin substantialiter perseveret, quum sit unum quatuor elementorum. Sed quantum ad pristinum modum non erit : nam amaritudo ejus grossitiesque tollentur. Et remanebit in primo statu, tamen innovato ac meliorato, secundum Albertum. Si autem sumatur mare pro quocumque mari particulari per terram currente et ex Oceano profluente : an sic mare manebit in pristino loco, an omnia maria hujuscemodi in Oceanum revertentur, seu siccabuntur, ita quod per terram nec maria nec flumina current, scriptum non reperi, nec de incertis certi aliquid fari præsumo. Quanquam probabile arbitrer quod maria et flumina, quæ propter hominum necessitates et commoda juxta infinitæ sapientiæ Dei altissimi ordinationem currunt per terram, tunc in ea amplius non decurrent nec erunt, et magna eorum pars per ignem conflagrationis siccabitur.

2 *Ego Joannes,* cui tanquam evangelistæ et apostolo firmissime est credendum, *vidi civitatem sanctam Jerusalem,* id est triumphantem Ecclesiam, ex angelis hominibusque constantem : in qua est civium perfectissima unio, et æternæ increatæque pacis Dei superbenedicti consummata gustatio, splendor quoque virtutum sine omnis admixtione peccati ; *novam,* id est per dona gloriæ innovatam, et in corporibus glorificatam : tunc namque animæ sanctæ habebunt corpora impassibilia, agilia, clara atque subtilia ; *descendentem de cœlo :* quia tunc omnes Beati descendent cum Christo ad judicii locum, et animæ sanctæ ad sua corpora resumenda. Quia tamen modo non agitur de judicio illo, sed statu ipsum sequente, aptius fertur civitas ista de cœlo descendere, quia ab eo qui præsidet cœlo exoritur et descendit, inde dona gloriæ sortiendo, quemadmodum Jacobus ait : Omne donum optimum *Jacob.* I, 17. et omne datum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Quod non de corporali descensu, sed de emanatione ac dependentia est sumendum. Rursus, descendit de cœlo, quoniam per reverentialem timorem a divinæ magnitudinis contemplatione in propriam descendit parvitatem, atque per humilitatem non sibi, sed Deo attribuit gloriam, cui se summa humilitate prosternit ac subdit.

A Deo paratam, id est donis gratiæ in præsenti, et donis gloriæ in patria decoratam atque dispositam ad beatificos Divinitatis amplexus, *sicut sponsam ornatam viro suo :* nam sicut sponsa sponso seu viro, ita Ecclesia Christo ornabitur. Unde ad innuendum quod tunc Christo usque ad satietatem per felices amplexus jungetur, et a Christo summe implebitur atque fecundissima reddetur, potius dicit, Sicut sponsam ornatam viro suo, quam, Sponso suo. Jam enim est sponsa per fidem et dilectionem illi conjuncta, tunc vero uxor consistet.

3 *Et audivi vocem magnam de throno dicentem.* Vox ista fuit angelica, tubalis, sonora, affectuose prolata, et magnæ rei indicativa, quam angelus in interioribus

sensibus S. Joannis formavit; et in visione imaginaria videbatur sibi de throno majestatis divinæ egredi, quia et angelus eam proferens, civis fuit cœli empyrei. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Per tabernaculum Dei, quidam intelligunt Christi humanitatem, quæ fuit divinitatis templum, ut sit sensus : Ecce tabernaculum Dei, scilicet Christi humanitas, nunc est et æternaliter erit cum hominibus, sanctis scilicet et electis, in eadem cum illis gloria permanendo. Alii per tabernaculum intelligunt Ecclesiam. Sed quum homines sancti sint Ecclesia, non apparet proprie dictum quod Ecclesia erit cum hominibus : nisi intelligatur quod Ecclesia quæ dudum jam fuit triumphans, de cetero tunc erit cum hominibus electis qui usque ad finem mundi in hoc mundo militantes fuerunt, et tunc ad supernorum civium consortium assumentur. Potest itaque sic exponi : Ecce tabernaculum, id est habitatio Dei, seu locus cœlestium deliciarum in quo habitat Deus, scilicet empyreum cœlum, erit perpetuo cum hominibus, qui tunc omnes simul ascendent ad patriam, quam nunquam amittent.

Et habitabit cum eis, id est, per dona gloriæ in æternum cum ipsis et in ipsis manebit, sicut pater cum filiis, dominus cum ministris, magister cum discipulis, defensor in gyro suorum. *Et ipsi populus ejus erunt,* id est, Deo suo familiares atque carissimi erunt : quibus nil erit quod Deo eorum displiceat; in quibus valde beneplacitum erit eidem. In quo scilicet populo plene complebitur illud Sophoniæ : Gaudebit super te Dominus in lætitia, silebit in dilectione tua, et exsultabit super te in laude. *Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus :* id est, Deus omnipotens, qui solus est verus Deus, et per creationem ac generalem præsidentiam est communiter omnium Deus, erit singularissimo modo Deus istorum : ita quod ei tota mente integerrime inhærebunt, incessanter eum adorabunt, colent, laudabunt, eritque ab eis perfecte dilectus atque possessus. Unde de re maxime cara et jugiter cogitata dicitur, quod sit deus taliter eam amantis et cogitantis.

Ps. CXLIX, 4. — Soph. III, 17.

4 *Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum.* Perfecta enim beatitudo omnem excludet ab eis miseriam, omnem mali admixtionem, omnem pœnam et occursum contrarium. *Et mors non erit ultra* in eis, quia nec mors naturæ, nec culpæ, neque miseriæ. In inferno quoque non erit mors naturæ, videlicet separatio animæ a corpore. *Neque luctus,* pro quacumque causa, *neque clamor,* ex dolore proveniens, vel ex desiderio aliquid obtinendi. Erit tamen ibi, secundum quosdam, laus vocalis. *Neque dolor,* quia nec dolebunt dolore afflictivo de suis peccatis. *Quæ prima abierunt,* id est, mala ista pœnalia in præcedenti vita fuerunt, et finem ceperunt.

5 *Et dixit qui sedebat in throno,* id est Deus æternus, unus et trinus, in empyreo residens cœlo : *Ecce nova facio omnia,* id est, terram et cœlum ac corpora electorum jam innovo, melioraque facio. Et tunc nova faciet Deus omnia, de quibus et Christus prædixit : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. (Joann. XII, 32.) *Et dixit mihi* Deus per angelum : *Scribe* hæc omnia et verba sequentia, utpote, *Hæc verba fidelissima et vera sunt,* quia non solum neminem fallunt, verum credentes ad summam felicitatem perducunt.

6 *Et dixit mihi : Factum est,* id est, nunc impletum est quod a principio mundi de finali retributione bonorum atque malorum cœpit prædici. *Ego sum Alpha et Omega, initium et finis.* Hoc semel dictum et expositum fuit. (Apoc. I, 8.) *Ego sitienti,* id est his qui in vita præsenti esuriunt sitiuntque justitiam, et veram salutem desiderant, id quoque præcipue sitiunt ut Deus in omnibus honoretur, (Matth. V, 6.) *dabo de fonte aquæ vivæ,* id est, ex opulentia mea liberalissima et immensa, quæ omnis boni origo est, infundam dona gloriæ consummata, et ex sapientia mea fontana illi

sapientiæ rivos immittam. Fons ergo est
ipsemet Deus ditissimus, et aqua viva est
sapientia ejus beatificans et beata. Hæc
itaque dabo *gratis :* non sic gratis, quod
sine meritis; sed gratis quantum ad meri-
torum radicem : quoniam gratiam gratum
facientem, quæ merendi est causa, sine
meritis dedi, et quia ultra condignum re-
munero, et quia omnia electorum merita,
Rom. vi, 23. mea sunt dona. Ideo dicit Apostolus : Gra-
tia Dei vita æterna. Quod autem non sine
bonis operibus istud præstetur adultis,
7 docet subdendo : *Qui vicerit, possidebit*
hæc, id est, qui adversariis suæ salutis,
tentamentis diaboli, concupiscentiis car-
nis, vanitatibus mundi, inordinatis moti-
bus animi, omni quoque peccato mortali
efficaciter restiterit ac prævaluerit, tan-
II Tim. II, 5. tum præmium consequetur. Non enim co-
ronatur nisi qui legitime certaverit. *Et*
ero illi Deus, id est, singulari providentia
eum custodiam, *et ipse erit mihi filius,*
id est valde dilectus, et per virtutes ac
dona Spiritus Sancti specialiter assimila-
tus, in futuro autem per dona gloriæ ple-
nius conformatus.

Ecce quam dulcia sunt omnia verba
hæc, et quam dignanter ac amorose hor-
tatur nos Deus ad bene agendum, tanta
bona se redditurum promittens. Itaque
benevolentiæ ejus conemur esse veraciter
grati. Quid autem nobilius quam esse fi-
lium Dei? Hinc in sua epistola scribit Jo-
I Joann. III, 2. annes : Nunc filii Dei sumus, et nondum
apparuit quid erimus; scimus quia quum
apparuerit, similes ei erimus, quia vide-
bimus eum sicuti est.

8 *Timidis autem* timore inordinato, mun-
dano, carnali, aut etiam pure servili, qui
corporalia mala et damna terrena magis
timent quam Deum amittere et salutem,
qui plus hominem verentur quam Deum,
et arctam viam salutis arripere trepidant,
et incredulis, qui fidem non habent ca-
tholicam, sicut hæretici, pagani, Judæi, *et*
exsecratis, id est excommunicatis seu ex-
secrabilia peccata agentibus, ac recidivan-
tibus, *et homicidis* voluntate seu opere :

A nam et qui odit fratrem suum, homicida I Joann. III, 15.
est, secundum Joannem ; *et fornicatori-*
bus, id est, omnibus vitiose concumbenti-
bus : nam et vehemens conjugis amator,
adulter est coram Deo; *et veneficis,* id est
sortilegis, magis, infectoribus, maleficis;
et idololatris : quibus, secundum Aposto-
lum, similes sunt avari, imo et omnes qui Ephes. V, 5;
magis inhærent creaturæ quam Creatori ; Coloss. III, 5.
et omnibus mendacibus mendacio perni- Rom. I, 25.
cioso seu consuetudine mentiendi : nam
et venialia per consuetudinem fiunt mor-
B talia; *pars,* id est retributio, *illorum erit*
in stagno ardenti igne et sulfure. Quod
expavescendum est magis quam exponen-
dum. Etenim quam pauci sunt qui nulli
horum subjacent vitiorum ! *Quod,* scilicet
pœnam hanc pati, *est mors secunda,* id
est infernalis miseria pro culpa inflicta;
vel, Quod stagnum, est mors secunda effe-
ctive, quia inducit hanc calamitatem.

Et venit ad me *unus de septem angelis* 9
habentibus septem phialas plenas septem
plagis novissimis. De angelis istis, qui sint
C et quid designent, quid etiam per septem
phialas et per septem plagas novissimas
intelligi debeat, dictum est supra. *Et lo-* In Apoc.
cutus est mecum, imo intra me, sicut in XV, 1, 7; XVI passim.
imaginariis visionibus fieri solet, *dicens :*
Veni, non corporaliter procedendo, sed
mentaliter advertendo, *et ostendam tibi*
sponsam uxorem Agni. Quidam hoc loco
per sponsam uxorem Agni, intelligunt mi-
litantem Ecclesiam. Sed in sequentibus
multa dicuntur quæ Ecclesiæ militanti
non congruunt, sicut in prosequendo tan-
D getur, et nunc modice tangam. Nam de
civitate hac sequitur : Non intrabit in eam vers. 27, 25, 23, 22.
aliquid coinquinatum; et nox ibi non erit;
et civitas non eget sole neque luna; et
templum non vidi in ea. — Dicendum ita-
que, quod in isto loco usque ad finem vo-
luminis describitur status et excellentia,
pulchritudo et dignitas triumphantis Ec-
clesiæ, quæ vere est uxor Christi. Nam et
de statu Ecclesiæ militantis et persecutio-
nibus ejus, de finali quoque judicio et re-
proborum damnatione æterna, dictum est

supra. Nunc ergo in speciali tractatur de conditionibus Ecclesiæ triumphantis. Et A
Apoc. xvii, 1. sicut in principio capituli septimidecimi unus de septem angelis memoratis ostendit Joanni damnationem civitatis diaboli, scilicet Babylonis; ita nunc perhibet unum de septem angelis illis sibi monstrasse beatitudinem civitatis Dei Jerusalem illius cœlestis.

10 *Et sustulit me in spiritu,* id est secundum imaginariam repræsentationem et spiritualem ostensionem ac elevationem :
Ezech. xl, 2. juxta quem modum ait Ezechiel se translatum de Babylone in Judæam in visionibus Dei; B *in montem magnum et altum.* Sic enim imaginarie videbatur Joanni. Nec tamen decipiebatur, quoniam angelo eum docente intellexit quid imaginaria illa visio designaret. Nempe per montem magnum et altum intelligitur Christus, cui innititur Ecclesia militans et triumphans, vel certe cœlum empyreum, quo in loco Ecclesia triumphans locatur. Quamcumque autem personam dicatur hic angelus Joannem sic ferens ac instruens designasse, C angelus iste realiter fuit angelicus spiritus in Christi persona apparens, atque de omnibus his Joannem informans, quemadmodum jam supra patuit, et infra innotescet. Verumtamen angelus iste diversarum personarum effigiem repræsentavit Joanni interius. Et juxta hoc, quasi a diversis dicit Joannes sibi quædam ostensa.

Insuper intuendum, quod verba S. Joannis in his duobus capitulis ultimis, præsertim in isto, consonantiam magnam habent cum his quæ in ultima visione beati D Ezechielis de civitate et templo leguntur. Nam et ipse Ezechiel quadragesimo libri
Ibidem. sui capitulo, visionem illam incipiens, asserit se in montem excelsum adductum, in quo erat quasi ædificium civitatis. Verumtamen sensus in pluribus est distinctus. Quæ enim ibidem descripta sunt, de Ecclesia militanti a catholicis patribus exponuntur, ista vero, de Ecclesia triumphanti. In aliquibus tamen sensus coincidit.

Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cœlo. Hæc verba sunt nunc in hoc ipso articulo explanata. vers. 2.
Itaque supernam Jerusalem triumphantem Ecclesiam ostendit Joanni, non sicut ipsa in se est, sed sub similitudinibus corporalium rerum, scilicet magnæ civitatis, sicut infra describit. *Habentem claritatem Dei,* 11
id est divinæ et increatæ lucis copiosissima participatione perfusam. Fulgebunt Matth xiii, 43.
enim justi sicut sol in regno Patris eorum. Incircumscriptum quoque illud supersplendidissimum lumen clara acie facialiter contemplantur. Electi itaque in anima et corpore inæstimabili claritate erunt repleti. Potest etiam specialiter claritas ista lumen gloriæ accipi, per quod ad divinæ essentiæ beatificam visionem immediate disponuntur.

Et lumen ejus simile lapidi pretioso. Hoc dupliciter intelligi potest : Primo, quod lumen ejus, id est Christus, qui est lumen Ecclesiæ triumphantis, lumen utique objectale, quod ipsa jugiter intuetur, et efficientiale, a quo feliciter illustratur, est simile lapidi pretioso, quoniam Christus in Scripturis frequenter lapis angula- I Petr. ii, 6.
ris et pretiosus vocatur. Secundo, quod lumen ejus, id est præfata claritas participata Ecclesiæ triumphantis, assimilatur lapidi pretioso, utpote Christo, quia per claritatem illam Christo tanquam capiti conformatur. *Tanquam lapidi jaspidis,* id est, lumen illud ob suam deliciositatem, vigorem et venustatem, jaspidi est conforme. Jaspis namque sua viriditate pulcherrima visum valde delectat atque confortat, estque grandis vigor et firmitas lapidis hujus. Unde tam Christus quam claritas participata Beatorum, jaspidi assimilantur idonee. *Sicut crystallum,* id est, lumen istud etiam assimilatur crystallo. Nam sicut crystallum, purum, clarum atque perspicuum est seu transparens, ita et claritas ista Sanctorum mundissima est, et per eam habetur clarissima Dei cognitio; se invicem quoque penetrant intelligendo.

Et habebat murum magnum et altum. 12

Per quem inexpugnabilis Dei protectio ac A securissima ejus custodia, qua supernam Jerusalem ambit et protegit, designatur; vel ipsemet Christus, seu Trinitas Deus illam defendens, juxta illud Isaiæ : Salvator ponetur in ea murus et antemurale; et in Psalmo : Dominus in circuitu populi sui. Christus autem magnus est et altus, quia immensus et incomprehensibilis ac superexaltatus secundum quod Deus. Imo, de eo etiam secundum quod homo, prædictum est : Hic erit magnus. Præterea advertendum, quod templum Ezechieli os- B tensum, cingebatur triplici muro : quia Ecclesia militans triplici indiget protectione, videlicet divina, angelica, et humana, per prælatos et principes ejus. Triumphans vero, divina protectione eget dumtaxat. *Habentem portas duodecim.* Per quas duodecim Patriarchæ, itemque duodecim Apostoli insinuantur, quorum exempla, fidem, doctrinam sequendo, cœlestem Jerusalem introimus. Eorum quoque patrocinio quasi per portas patet nobis ingressus ad vitam æternam. Rursus, duo- C decim portæ sunt observationes decem præceptorum Decalogi, et duorum caritatis Dei ac proximi.

Is. xxvi, 1. — Ps. cxxiv, 2. — Luc. i, 32. — In Ezech. xl, 5.

Et in portis angulos duodecim. Per quos ceteri prædicatores, doctores, prælati sumuntur, qui instar angulorum parietes nectentium plures spiritualiter copulant mentis dilectione, concordia et doctrina : qui omnes Apostolis innituntur, idcirco in portis esse feruntur. *Et* duodecim *nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* Per nomina duode- D cim tribuum filiorum Israel, intelliguntur universi electi veteris Testamenti; imo et omnes prædestinati, qui per dona gratiæ filii Patriarcharum vocantur : qui in portis duodecim scripti sunt, quoniam Patriarcharum seu Apostolorum virtutibus inhærendo et doctrinis, ingressi sunt, intrant, aut introibunt regnum cœlorum.

13 *Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab austro portæ tres, et ab occasu portæ tres.* Idcirco civitas ista visa est versus quamlibet principalium terræ plagarum tres portas habere, quia de quatuor partibus mundi multi conversi sunt, atque in fide superbenedictæ Trinitatis salvati, quemadmodum Isaias prædixit : Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi. Christus quoque in Evangelio : Multi ab oriente et occidente, ab austro et aquilone venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum. Ideo quoque versus quamlibet plagam tres portæ consistunt, quia ex omni parte quidam salvantur in statu incipientium, quidam in statu proficientium, quidam in statu perfectorum, omnes quoque per tres virtutes theologicas ingrediuntur ad regnum.

Is. xlix, 12. — Matth. viii, 11; Luc. xiii, 29.

Et murus civitatis habens fundamenta 14 *duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum et Agni.* Hoc quod dicitur, Et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum, asserit Berengandus expositorium esse ejus quod præmittitur : Et murus civitatis habens fundamenta duodecim. Unde, secundum eum et Bedam, ista duodecim fundamenta sunt duodecim Apostoli, qui alia et alia ratione dicuntur portæ et fundamenta. Nam portæ dicuntur, ob rationem præhabitam; fundamenta vero, quia catholicam fidem primo prædicaverunt, et in ea alios fundaverunt. Ipsi quoque tanquam robustissimi alios super se portaverunt, eorumque imbecillitatem sustentaverunt. Alii per fundamenta duodecim accipiunt duodecim Patriarchas, qui primi hanc fidem tenuerunt : in quibus scripta fuerunt nomina Apostolorum et Agni, quia fuerunt Apostolorum et Salvatoris figuræ, et prænuntiatores Christi. Rursus, nonnulli per duodecim fundamenta intelligunt duodecim articulos fidei, quorum cognitio est fundamentum seu inchoatio cognitionis perfectæ quæ habetur in patria : in quibus articulis scripta sunt nomina duodecim Apostolorum, quia hanc fidem primitus publicaverunt; et Agni, id est nomen Christi, quia objectum articulorum fidei

Christus est, quum aliqui sint de ejus humanitate, aliqui de divinitate.

Præterea advertendum, quod licet sit unum primum ac principale seu universale fundamentum Ecclesiæ, scilicet Chri-
I Cor. III, 11. stus, dicente Apostolo, Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus; plura tamen sunt fundamenta secundaria parti-
Ps. LXXXVI, 1. cularia : de quibus cantamus, Fundamenta ejus in montibus sanctis. Sed et Christus secundum quod homo, est fundamentum instrumentale; verum ut Deus, est fundamentum per auctoritatem, fundamentum utique fundans, non fundatum. Sicque tota supergloriosa Trinitas est unum summum Ecclesiæ militantis ac triumphantis fundamentum, cui cuncti innituntur electi.

15 *Et qui loquebatur mecum,* scilicet angelus in Christi persona apparens et loquens, *habebat mensuram arundineam auream,* id est arundini similem, *ut metiretur civitatem, et portas, et murum ejus.* In hoc angelus repræsentavit Christi personam, qui omnium merita discutit et mensurat, et singulis electorum in patria præmium donat juxta meriti sui proportionem, mensuram et qualitatem. Itaque per mensuram arundineam auream, intelligitur sapientialis justitia, seu justa sapientia Christi, judicis et remuneratoris universorum : qui per sapientiam suam
Sap. XI, 21. omnia in numero, pondere et mensura constituit, omniumque merita pensans, quantum de præmio dandum sit, inspicit. In visione quoque Ezechielis angelus vi-
Ezech. XL, 3. sus est habere in manu funiculum lineum et calamum mensuræ. Sed quum per murum civitatis istius ipsemet Christus, seu divina protectio intelligatur, quomodo murus ejus mensurari asseritur, nisi quod Deus se ipsum secundum certum determinatumque modum applicat unicuique electorum secundum exigentiam meritorum ?

16 *Et civitas in quadro posita est,* id est quadrangularis in situ, seu in quadro
A æquilatero, ita quod in longo et lato ejusdem seu paris est quantitatis. Ideo subditur : *et longitudo ejus tanta est quanta et latitudo.* Eodem modo templum Ezechielis situatum describitur. Per quod Ezech. XLVIII, 16.
nunc designatur firmitas atque stabilitas Beatorum in Deo, ita quod nec averti, nec concuti, nec cadere queunt, sicque habent se instar quadrati, quod, quocumque vertatur, permanet fixum; itemque quod nihil distortum, inæquale, seu disproportionatum invenitur in patria, nec aliquid
B incircumcisum, sed polita et recta ibi sunt omnia. Rursus, per quadraturam istam insinuatur, quod per contemperaturam quatuor virtutum cardinalium, et per doctrinam quatuor Evangelistarum, ad patriæ beatitudinem pervenitur. Imo et in Beatis virtutum cardinalium permanet quadratura quantum ad actus aliquos. Quælibet nempe earum duos actus sortitur. Nam, secundum Albertum, primus prudentiæ actus est, præcavere insidias, qui non manet in patria; alius, nihil Deo præponere vel
C æquare, qui manet in ea. Primus quoque temperantiæ actus est, noxias delectationes reprimere, qui ibi non manet; secundus, nullo motu noxio delectari, qui manet. Primus autem fortitudinis actus est, molestias fortiter ferre, quem certum est in patria non manere; alius, Deo fortiter adhærere, qui permanet. Postremo, primus actus justitiæ ponitur, proximo subvenire, qui ibi non manet quantum ad eos qui ibi sunt, vel post diem judicii; secundus, Deo regenti subditum esse, qui
D manet. Per longitudinem vero civitatis, intelligenda est perfectio virtutum ad vim intellectivam pertinentium, per latitudinem perfectio virtutum ad vim affectivam spectantium; vel per longitudinem contemplatio, per latitudinem dilectio : et ista æqualia perhibentur. Quo enim Beati Deum clarius contemplantur, eo ipsum ferventius amant, et econtrario : sicque amor affectus æquatur notitiæ intellectus.

Et mensus est civitatem, scilicet spatium ejus, [*de arundine aurea*] *per stadia*

duodecim millia. Per quod amplitudo et A magnitudo cœlestis Jerusalem designatur : non quod cœli empyrei spatium hac mensura stringatur ; sed per minus intelligitur majus, et per determinatum, indeterminatum, sicut superius sæpenumero per septenarium universitas significatur. Unde, quemadmodum spatium civitatis hic descriptum, vehementer excedit consueta urbium spatia ; ita his verbis insinuatur, quod patria electorum omnem locum viatorum quasi incomparabili capacitate et mole transcendit : nec solum capacitate B et mole, sed et omnium bonorum affluentia, gaudio et decore, secundum illud Baruch prophetæ : O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus ! Magnus et non habens finem, excelsus et immensus. Hinc etiam civitas ista multo major describitur, quam illa de qua Ezechiel vaticinatur. Illa enim est habitatio viatorum, et secundum quosdam, habet in gyro triginta ; hæc vero habet in ambitu, ut affirmant, quadraginta octo millia stadia : nam et duodecim millia C stadia de quibus littera loquitur, referuntur ad unum latus præfati quadrati.

Baruch III, 24, 25.

Cf. *Ezech.* XLV, 6; XLVIII, 16.

Longitudo et latitudo et altitudo ejus æqualia sunt. Qui ista de Ecclesia militanti exponunt, per longitudinem intelligunt fidem, quæ facit credere præterita, præsentia et futura ; per latitudinem vero, caritatem, quæ ad omnia se extendit ; per altitudinem autem, spem, quæ erigit ad superna. Hæc tria æqualia sunt in viatore, non in dignitate, quum major horum sit caritas, sed in profectu seu in- D cremento et operatione : quo enim quis amplius crescit in una harum virtutum, eo magis et in aliis duabus, loquendo de fide formata et spe viva. Sed quia de Ecclesia triumphanti exponenda sunt hæc, per tria ista intelligendæ videntur tres dotes animæ glorificatæ, virtutibus theologicis succedentes : ut per longitudinem intelligatur beatifica visio, quæ cuncta attingit ; per latitudinem, beata fruitio ; per altitudinem, tentio, qua intus tenetur Altissimus.

I *Cor.* XIII, 13.

Quod autem hic dicitur de altitudine civitatis, quantum ad imaginariam pertinet visionem, non de altitudine murorum, sed spatii sumitur : cujus altitudo accipitur secundum montis ascensum, in quo civitas ista visa est sita, sicut jam dixit : Sustulit me in montem magnum et altum. Sicque altitudo montis est duodecim millium stadiorum, quemadmodum longitudo spatii et latitudo ipsius.

vers. 10.

17 *Et mensus est muros ejus centum quadraginta quatuor cubitorum,* scilicet in altitudine. Et quamvis unus visus sit murus, nunc tamen pluraliter loquitur, Muros, propter quatuor latera ejus. Totus enim murus videbatur quadratus æquilaterus. Et per murum istum in altitudine, stabilis perfectio sanctæ illius civitatis exprimitur. Nam computus iste quadraturam duodenarii comprehendit, eo quod duodecies duodeni, centum quadraginta quatuor faciunt, qui est numerus quadratus, resultans ex ductu duodenarii in se ipsum. Idcirco designat securitatem et stabilitatem felicitatis supernæ : nam corpus quadratum, ut tactum est, stat firmiter in quolibet latere. Propter quod primo Ethicorum virtuosus comparatur quadrato : In omni eventu, virtuosus in ratione et virtutum medio perseverat. *Mensura hominis quæ est angeli :* id est, sic mensurantur merita et præmia hominum, sicut et angelorum. Vel sensus est, quod æqualis erit beatitudo angelorum et hominum, sicut loquitur Christus : Erunt sicut angeli Dei in cœlo. His ergo verbis innuitur, quod ad angelorum ordines homines assumuntur, et una est omnium beatitudo ex parte objecti, quæ per denarium diurnum omnibus operariis datum exprimitur. Omnes enim facie ad faciem vident Deum.

Matth. XXII, 30.

Ibid. XX, 9, 10.

I *Cor.* XIII, 12.

18 *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide.* Totus itaque murus videbatur ex lapidibus hujuscemodi factus : et rite. Per murum enim, ut dictum est, Christus seu ejus protectio designatur. Christus autem jaspidi assimilatur, ut dictum est sæpe,

quoniam sicut jaspis sua viriditate decora visum oblectat et roborat, sic Christus omnibus contemplantibus eum delectabilis est, et confirmativus eorum in bono. *Ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo.* Civitas ista est universitas Beatorum : qui aurum mundum vocantur, quia in omnibus caritatis fervor sine omni peccati macula dominatur. Estque aurum hoc simile vitro mundo, quoniam caritatis fervori adjunctus est præclarissimus sapientiæ splendor, ita quod Beati instar vitrorum sibi mutuo patent seu cogniti sunt. Et sicut vitrum lumine penetratur, sic Sancti in patria intus et foris divinæ lucis participatione implentur, imo cogitationes suas alterutrum intuentur, secundum Augustinum.

19 *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata.* Fundamenta ista, ut dictum est, sunt ipsi beati Apostoli : qui omni lapide pretioso ornantur, quia cunctis virtutibus decorantur. — *Fundamentum primum, jaspis :* id est, primus lapis pretiosus fundamentorum istorum est jaspis, utpote virtus per jaspidem designata. Per quam caritatem intelligo, qua nihil est dulcius, et mentem vehementer oblectat et confortat in Deo, sicut jaspis oculos exhilarat et confortat. — *Secundum* (vel, ut alii dicunt, Secundus), *sapphirus :* id est, secundus ornatus fundamentorum supernæ Jerusalem est virtus per sapphirum signata, videlicet donum sapientiæ. Nunc enim nomen virtutis communiter sumitur, nec condistinguitur dono. Quemadmodum enim sapphirus cœliformem habet colorem, sic Sancti in patria, per sapientiam istam quæ donum est, angelicis mentibus comparantur. Rursus, sicut sapphirus corpus humanum vegetat et membra consolidat, sic sapientiæ donum spiritum nutrit, et vires ejus in Deo defigit. Iterum, sicut sapphirus tactus radiis solis, ardentem ex se mittit fulgorem, sic sapientia Beatorum tacta et perlustrata radio Solis æterni, mox cum fervore splendifluo tendit in Deum.

A *Tertium, chalcedonius :* id est, tertius horum ornatus est virtus nomine chalcedonii propter proprietatum similitudinem designata, videlicet donum intellectus. Quemadmodum enim chalcedonius pallidi est coloris et fortissimæ resistentiæ, ita ut in eo sculpere quis difficillime queat ; sic donum intellectus, quo ea quæ fidei subsunt, acute atque subtiliter penetrantur, præsertim in patria, omni argumento quod fidei contrariatur, fortissime reluctatur. Verumtamen, quoniam ea B quæ cadunt sub fide, nulla mens creata plene comprehendere potest, donum intellectus quasi pallenti lapidi assimilatur, non plenarie rubeo atque totaliter claro ac splendido.

Quartum, smaragdus. Per smaragdum intelligo donum consilii. Quemadmodum enim smaragdus eximiæ viriditatis et pulchritudinis est, in tantum ut ea quæ circa se sunt, sua viriditate afficiat, imo et aerem ex repercussione virescere faciat, nullaque gemma gratior oculis (nam et her- C bas sua superat viriditate) ; sic donum consilii in se ipso decorum atque suave est, et aliis se diffundit, eorumque mentes sua afficit directione. Per donum quoque consilii homo fit aliis valde acceptus, imo gratissimus. Melius enim vincit homo consilio quam fortitudine. Denique, sicut hic lapis valet contra morbum caducum, sic donum consilii præcipue tollit peccati ruinam. — De hoc lapide Augustinus et Beda atque Isidorus multa pulchra conscribunt. Plura enim ejus sunt genera. Et tellus D qua nobiliores smaragdi nascuntur, locuples est, sed inhabitabilis. Nempe quum auro et gemmis abundet, gryphes omnia tenent, aves ferocissimæ, vel potius feræ volantes. Sunt enim quadrupedes, et corpore quidem leonibus, capite vero et alis aquilis simillimæ. Arimaspi cum his dimicant, qui uno oculo in fronte medio feruntur insignes, ut accipiant hos lapides, mira cupiditate et feris custodientibus et Arimaspis eos rapientibus.

Quintum, sardonyx. Lapis iste candidus 20

perhibetur, in rubeum colorem parumper declinans. Ejus tamen multa sunt genera. Nam alius rubeus fertur; alius bicolor, ut dictum est; alius triformiter coloratur, primum habens nigrum, medium candidum, superius rubeum : et iste est pretiosior. Per quem donum fortitudinis designatur : quæ inter adversa et prospera permanet fixa, et in martyrio stabilit mentem; in patria vero solo candore ornatur, quia circa tristia et læsiva non occupatur. Et sicut sardonyx humilem efficit et pudicum, ita per fortitudinem animositas et carnalitas superantur, ita quod homo humilis atque pudicus efficitur. — *Sextum, sardius.* Sardius, secundum Bedam, ex integro sanguinei seu rubei est coloris : tamen secundum Berengandum, pro eo quod in rufinum colorem aliquantulum declinare videtur, paululum obscuratur. Per quem donum scientiæ insinuatur : quæ per hoc quod facit mentem cum gustu perpendere quod in nulla re creata statuendus est ultimus finis, eo quod illa in se sit deficiens et caduca, ad sapientiæ fulgorem propinquat, increatique boni amore spiritum afficit. Verumtamen, quia non immediate circa increatum objectum, sed circa creatum versatur, quia de rebus creatis dat bene et connaturaliter judicare; hinc a puritate auriformis rubeique coloris parumper occumbit, et splendore sapientiæ minor est. Et sicut sardius pellit timorem, et gaudium parit atque accendit; sic donum scientiæ tollit timorem perdendi terrena, acceditque gaudium in contemptu eorum et in amore cœlestium.

Septimum, chrysolithus. Gemma hæc tota aurei est coloris, et ardentes videtur scintillas diffundere; confortat insuper intellectum, et timores expellit nocturnos. Quo enim ratio amplius confortatur, eo passiones magis sedantur. Per quam donum pietatis intelligo : quæ facit hominem inter proximos quasi aurum acceptum et carum; facitque eum ad alios liberalem sive benevolum, ita quod af- A fectiones scintillantes diffundit. Meretur quoque specialem illuminationem et confortationem a Deo. — *Octavum, beryllus.* Beryllus eximiæ claritatis est, cæruleum habens colorem admixtum, secundum Berengandum. Et secundum Bedam, sic est quasi consideres aquam solis fulgore percussam, rubicundum ac decorum exhibere colorem. Facit quoque in bello invictum, et mitem efficit ac benignum. Per quem donum timoris congrue designatur. Filialis etenim, castus, sanctusque timor, B præclaræ est sinceritatis, et in spirituali pugna facit invictum : quia in tantum facit hominem Dei offensam vitare, quod mallet mori quam Deum inhonorare, sicque mansuetum ac benignum constituit animum.

Nonum, topazius. Gemma hæc pretiosissima omni fulget colore. Duo tamen colores, videlicet aureus et aerius, in ipsa abundant : quæ quum solis radio tangitur, jubar suum undique spargit, omniumque gemmarum superat claritatem, in suum C adspectum præcipue trahens adstantes. Hæc gemmarum amplissima est, et regibus adeo cara ut ea nil carius inter divitias suas habere se reputent. Valet demum contra iram atque lunaticam passionem. Per quam justitia designatur : quæ est præclarissima virtus, et non est lucifer nec hesperus tam admirabilis; quæ lucem suam circumquaque diffundit, omni quoque virtutum decore splendescit, præsertim aureo et æthereo, quoniam Dei et proximi dilectionem præcipue respicit. Hæc D quo purior ac perfectior fuerit, eo sanis oculis delectabilior comprobatur. Quam reges et omnes qui præsunt, maxime debent diligere, et opibus cunctis præferre. Quæ etiam in Beatis præcipue locum habet : nam ipsi demum plenam implent justitiam, reddentes cuique quod suum est, et Deo se ipsos totaliter. Per quam et viatores inquietudines animæ vitant. — *Decimum, chrysoprasus.* Lapis hic viridis est coloris, et hinc inde quasi aureis guttulis est distinctus, et valet contra lepram.

Per quem prudentia, quæ cardinalis est virtus contra dona sapientiæ et scientiæ condistincta, accipitur. Suo namque virore in agendis mentem perfundit, et aliis floridam exhibet. Aureo quoque ornatu passim fulcitur, dum ad ultimum finem dirigit humanos actus : quod faciendo, cordis pellit putredinem, ne terrenorum attactu quasi leprosum, infectum et corruptum reddatur.

Undecimum, hyacinthus. Hyacinthus cærulei fertur coloris. Et, ut ait Berengandus, sereni cœli habet colorem, sicut sapphirus; sed ille maculas habet, istius autem pulchritudo maculis non deformatur. Lucet ut purpura, sed non semper æqualiter rutilat, quia cum facie cœli mutatur. Nam in sereno perspicuus est et gratus, in nubilo autem obscurus. Qui pretiosus et bonus est valde, dat membris vigorem, et salutiferum facit saporem. Per quem virtus latriæ designatur. Hujus namque virtutis actus perfectissime insunt Beatis, qui laudi et cultui Dei indesinenter cum tota mente sine interruptione insistunt, quia divino lumine incessabiliter perfunduntur : quo si carerent, protinus rutilare cessarent. Sed et actibus latriæ Beati dulcissime reficiuntur, et sine interpolatione inenarrabiliter oblectantur. — *Duodecimum, amethystus.* Lapis iste triformi ornatur colore, roseo, violaceo atque purpureo, et parvulas flammas fundit, facitque vigilem, et malam pellit cogitationem. Per quem Beatorum in patria plenissima castitas explicatur : quia ut *Matth.* XXII, 30. ait Salvator, non nubent neque nubentur, sed angelicæ sunt munditiæ. Et quoniam castitati eorum fervor divini amoris et humilitatis profunditas sunt adjuncti, quasi triplici fulget decore, nec cogitationem admittit impuram.

Ista de lapidum horum mystica expositione utcumque prolata pie sumantur. Alii enim aliter eos interpretantur, quorum melioribus dictis ista non derogant.

Consequenter agitur de materia et ornamento portarum : quod tamen spiritu-

A aliter est sumendum. *Et duodecim portæ* 21
muri civitatis supernæ, *duodecim margaritæ sunt per singulas,* id est, quum portæ istæ exsistant duodecim, in qualibet earum præfati duodecim pretiosi lapides habentur : quia ut dictum est, in quolibet Apostolorum (qui portæ sunt civitatis istius) virtutes his margaritis expressæ, excellenter reperiuntur. *Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Si singulæ portæ erant ex singulis margaritis, quomodo in unaquaque fuerunt duodecim B margaritæ? Itaque, secundum Berengandum et Albertum, istud secundum litteræ superficiem stare non valet. Idcirco dicendum, quod licet in unoquoque Sanctorum præfata sint ornamenta virtutum, in quolibet tamen aliqua emicat virtus, a qua et specialiter commendatur ac nominatur, juxta illud quod de quolibet eorum cantatur : Non est inventus similis illi. *Eccli.* XLIV, 20. Ideo singulæ portæ ex singulis margaritis constare dicuntur. *Et plateæ civitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum.* C Hoc et de civitate jam dixit, atque expositum est. *vers.* 18. Unde hoc loco, ut aliqua assignetur distinctio, per plateas civitatis cœlestis Jerusalem intelligi possunt inferiores et subditi, et qui per vias aliqualiter latiores ambulaverunt, contenti observantia mandatorum, non ingressi semitas consiliorum strictiores. Ad insinuandum ergo quod hi quoque ad patriæ beatitudinem conducantur, atque ibidem caritatis fervore ac splendore sapientiæ, seu mentis et corporis glorificatione splende- D bunt, dictum nunc est quod plateæ civitatis, scilicet inferioris gradus ac meriti homines, similes sunt auro puro ac vitro pellucido.

Et templum non vidi in ea, id est ma- 22
terialem locum ad offerendum Deo orationes ac sacrificia pro peccatis. Templum nempe est locus orationis et sacrificiorum *Is.* LVI, 7. hujusmodi. Beati autem in patria, præsertim post finale judicium, secundum quod nunc agitur de civitate superna, omni malo carebunt, omnique bono pleni erunt;

nec tunc deprecabuntur pro aliis, nec sacrificia offerent pro peccatis : ideo materiale templum ibi non erit. Nihilo minus tota Ecclesia illa triumphans, templum et domus Dei spiritualiter erit, quoniam unusquisque in mente sua Deo sacrificium laudis exhibebit æternæ. *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est :* quia in ipso tanquam in beatificante * objecto æternaliter conquiescunt. Ipse ergo habitabit in eis, dona gloriæ influendo dataque conservando; et habitabunt in eo, in cunctis actibus suis in ipso finaliter quiescendo. *Et Agnus.* Nam Christus secundum quod Deus, unum et idem templum eorum est cum Patre et Spiritu Sancto, sicut et unum felicitatis objectum. Porro secundum naturam assumptam, est præcipuum præmii accidentalis objectum. Nam ejus humanitate reficientur exterius : et quantum ad hoc, quiescent et commorabuntur in ipsa.

* *alias* beatificationis

23 *Et civitas non eget sole neque luna,* id est, illustratio luminarium cœli non erit necessaria beatificatis in patria, quum corpora eorum clariora sunt illis futura. Ideo subditur : *nam claritas Dei illuminabit eam,* scilicet, increata lux Dei efficienter, et claritas ab ipso Beatis communicanda illuminabit eam instrumentaliter atque formaliter, *et lucerna ejus est Agnus.* Lucerna non est lumen, sed luminis contentiva : ita et Christus ut homo, non substantialiter lux est, sed receptaculum ac retinaculum lucis præcipuum. In ipso namque habitat plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II, 9.). Quoniam ergo humanitatis Christi claritas post increatum lumen omnibus Sanctis maxime refulgebit, virtute divinæ immensæque lucis in ea manentis atque per ipsam micantis, Agnus merito lucerna cœlestis Jerusalem nuncupatur. — His autem verbis, et ceteris quæ subduntur, consonant quæ apud Isaiam scripta sunt : Non erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam (*Is.* LX, 19.).

Et ambulabunt gentes in lumine ejus : 24
quia sicut electi nunc vivunt in lumine fidei ipsius Ecclesiæ militantis, et in Christo, qui est lumen fidelium ; ita in patria ambulabunt, agent, vivent, atque in Deum se jugiter erigent, et erecti manebunt in lumine Ecclesiæ triumphantis. Corporaliter quoque movebuntur et ambulabunt in lumine corporum glorificatorum, potissimum corporis Christi, cujus corporea claritas lumen solis inæstimabiliter superat, regionem quoque terræ viventium implet. *Et reges terræ,* videlicet principes et prælati idonei, omnes quoque qui bene rexerunt se ipsos, *afferent gloriam suam et honorem in illam,* id est, spirituales suas divitias, merita magnificentiamque virtutum suarum, secum in cœlestem Jerusalem deferent. Opera enim illorum sequuntur illos (*Apoc.* XIV, 13.); gloria quoque est conscientiæ puritas (dicente Apostolo : Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (II *Cor.* I, 12.)) : quam secum adducent. Rursus, gloria et honor regum istorum, sunt subditi, quos digne rexerunt, et secum ad beatitudinem perduxerunt, sicut discipulis suis loquitur Paulus : Gloria nostra vos estis in Domino (I *Thess.* II, 20.); et iterum, Gaudium meum et corona mea, sic state in Domino (*Philipp.* IV, 1.). Quid autem tam honorificum homini sicut alios secum salvasse, eosque ad patriam perduxisse? Nam et filius sapiens, gloria patris (*Prov.* X, 1.). Malis quoque seu deceptis discipulis scribit Paulus apostolus : Quoniam confundor in vobis (*Galat.* IV, 20.). Ergo in bonis honorificabatur.

Et portæ ejus non claudentur per diem, 25
id est nunquam : nam ibi erit dies perpetuus. Ideo subditur : *Nox enim non erit illic.* Quibus datur intelligi quod non erit ibi occursus malus, nec timor, sed summa et sempiterna securitas; item quod corda Beatorum æternaliter patula erunt, et in contactu actuali lucis divinæ, nec caligo ignorantiæ seu peccati erit ibidem. Hinc apud Isaiam legitur : Aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur (*Is.* LX, 11.). Rursus, per diem, id est tempus

evangelicæ legis, apertus est aditus regni
26 cœlestis. *Et afferent gloriam gentium et honorem in illam :* quia ut tactum est, qui salubriter præfuerunt, gentes suo regimine salvatas, earum quoque virtutes et merita simul cum ipsis secum adducent, ac Domino tanquam pretiosissimum spolium de faucibus hostis ereptum repræsentabunt et offerent. Simili modo angeli sancti, rectores Ecclesiæ militantis, eos qui suæ directioni acquieverunt, secum in patriam ducent.

27 *Et non intrabit in illam aliquid coinquinatum,* id est quocumque mortali peccato fœdatum, *et abominationem faciens,* id est exsecrabilia opera et plurimum detestanda, *et mendacium,* fallaciter agendo, aut false loquendo. Vel per coinquinatum intelliguntur spiritualia vitia, per abominationem carnalia. Vel illud refertur ad peccata cordis, istud ad vitia operis, men-

A dacium ad vitia oris. *Nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni,* id est, prædestinati et purificati intrabunt dumtaxat, non vitiosi ac reprobi. Nullus autem cœlestem Jerusalem ingredi valet, nisi ab omni labe atque reatu sit prorsus immunis. Quis enim eloqui queat, quam purum esse oporteat cor quod divinæ increatæque luci immediate ac beatifice unietur ? Non poterit in ea esse vel minima macula. Si ergo post vitam præsentem nolumus diu differri a gloria, nec gravissima purgatorii ferre
B supplicia, satagamus nunc indesinenter Deo pura mente intendere, vigilanti animo deservire, cum omni reverentia obedire, in caritatis fervore proficere, cor nostrum sollicite custodire, mentem ubique ad Deum levare, continuis precibus insudare, quotidianos defectus deplangere, emendare, vitare, ac tali martyrio nos ipsos Deo quotidie mortificare atque offerre.

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : ET OSTENDIT MIHI FLUMEN AQUÆ VIVÆ.

CONSEQUENTER sacratissimus evangelicæ legis Propheta, S. Joannes, cœlestis Jerusalem pandit edulium, atque beatæ refectionis materiam et objectum.

1 *Et ostendit mihi flumen aquæ vivæ.* Per flumen aquæ vivæ intelligi potest exuberans illa effusio donorum gloriæ a Deo superbenedicto in mentes beatas, seu increatæ beatitudinis participatio copiosa, seu ipsemet Spiritus Sanctus, fons totius bonitatis, felicitatis ac voluptatis. Quod flumen dicitur aquæ vivæ, quoniam post vitæ præsentis laborem dulcissime recreat sive refrigerat, et vitam gloriæ præstat. De quo flumine accipi potest illud in Psal-
Ps. XLV, 5. mo : Fluminis impetus lætificat civitatem
Ps. XXXV, 9. Dei ; et rursus, Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Per Isaiam quoque Dominus

C protestatur : Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium. Denique Ezechiel describit torrentem aquæ de templo procedentem. Sed quoniam ibi de militanti Ecclesia agitur, per torrentem illum, Baptismatis sacramentum vel evangelicæ legis doctrina exprimitur. *Splendidum tanquam crystallum.* Nam Spiritus Sanctus immensæ est puritatis, et communicatio munerum gloriæ seu beatitudo Sanctorum participata, nullam habet prorsus culpæ labem ad-
D mixtam. *Procedens de sede Dei et Agni,* id est a Patre et Filio, a quibus tanquam ab uno principio procedit Spiritus Sanctus. A Patre quoque et Filio, haud dubium quin et a Spiritu Sancto, profluit omnis felicitas Beatorum. *In medio plateæ* 2

Is. LXVI, 12. *Ezech.* XLVII, 1 *et seq.*

ejus, id est per omnes consistentes in civitate superna, seu per latitudinem mentis universorum civium supernorum, qui uno omnes splendidissimo, opulentissimo ac liberalissimo fonte potantur atque re-
Dan. vii, 10. plentur. Hinc quoque Daniel : Fluvius, inquit, igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus.

Consequenter Beatorum cibus describitur. *Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ.* Omnia ista ostensa sunt S. Joanni sub corporalium similitudinibus rerum. Unde in imaginaria visione apparuit ei, quod per medium civitatis decurreret splendidissimum flumen, et ex utraque parte consisteret lignum vitæ. Palam est autem, quum idem numero lignum non stet in utraque ripa torrentis, quod in imaginaria visione videbantur plura ligna ; sed in Scripturis frequenter numerus singularis ponitur pro plurali, et econverso. In vi-
Ezech. xlvii, 7, 12. sione quoque Ezechielis, ex utraque ripa aquæ ostensa sunt plura ligna : per quæ ibi fideles in Christo renati atque virtutibus fructuosi, signantur. Hic vero per lignum vitæ intelligitur Christus sapientia Dei Patris, secundum quod in Proverbiis
Prov. iii, 18. de sapientia Salomon fassus est, quia lignum vitæ est omnibus apprehendentibus eam. Quoniam ergo Christus secundum divinitatis naturam ubique est præsens, omniumque Beatorum mentes alit, confirmat, felicitat, vitam gloriæ influens, lignum vitæ ex utraque parte fluminis est ostensum. Porro partes inter quas fluvius emanavit, sunt Angeli hominesque beati.

Afferens fructus duodecim. Ideo Christus lignum vitæ vocatur, quoniam cives in patria feliciter reficit, dona sua illis communicans. Itaque fructus quos Christus profert in patria, quibus et Beatos illico nutrit, sunt universa quæ ad plenam electorum felicitatem pertinent et concurrunt. Beatitudo namque est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Et dona hæc, quamvis sint plurima, convenienter tamen duodenario designantur : quoniam per Apostolorum duodecim præ-
A dicationem electi in novo Testamento sunt spiritualiter generati atque salvati, sicut in veteri Testamento ex duodecim Patriarchis alii corporaliter profluxerunt. Præterea duodecim fructus isti sic queunt taxari : ut primus dicatur lumen gloriæ ; alii tres, dotes tres animæ, scilicet visio, tentio atque fruitio ; quintus, pax, quam S. Thomas et alii multi ponunt a dotibus istis distinctam : estque realiter delectatio seu quietatio consummata Beatorum in Deo. Alii quatuor erunt quatuor dotes cor-
B porum glorificatorum, puta agilitas, impassibilitas, subtilitas, claritas. Decimus autem fructus, sit accidentalis illa beatitudo in adspectu humanitatis Christi consistens ; undecimus, gaudium quod Beati ex mutuo consortio et conspectu, Christo donante, concipiunt ; duodecimus, quod ex consideratione totius machinæ mundialis tunc innovandæ et clarificandæ sunt sortituri. His fructibus Christus eos æternaliter tanquam vitis ac fructuosa arbor alet.

Per menses singulos anni æternitatis
C *reddens fructum suum :* id est, Christus fructus hos indesinenter conservabit in mentibus Beatorum. Æternitas namque nominibus temporum frequenter exprimitur, ut in Psalmo : Anni tui non deficient ; Ps. ci, 28.
et in Isaia, Erit mensis ex mense, et sab- Is. lxvi, 23
batum ex sabbato. Et quoniam mensis est anni principium, verbis his insinuatur quod in patria æterna erit innovatio incessabilisque continuatio. *Et folia ligni,* id est verba quibus Christus suos in patria suavissime alloquetur allocutione interna
D et corporali : siquidem, sicut ipse promisit, præcinget se, et faciet illos discum- Luc. xii, 37.
bere, et transiens ministrabit illis ; *ad sanitatem gentium,* id est, perpetuam sospitatem, confortationem et consolationem inducet Beatis, ita quod nulla usquam adversitate lædentur. Verba quoque evangelicæ doctrinæ Christi in præsenti dant animæ sanitatem.

Et omne maledictum non erit amplius : 3
id est, in cœlesti convivio nulla erit alicujus verbi mali prolatio, nulla contentio,

nec aliqua Dei offensio, vel pœnæ ab ipso A
Is. LX, 18. inflictio, juxta illud Isaiæ : Non audietur
ultra iniquitas in terra tua, vastitas et
contritio in terminis tuis. Imo ibi erit in-
deficiens gratiarum actio et jucundissi-
ma summi Dei laudatio. *Sed sedes Dei et
Agni :* id est, Deus Pater seu Trinitas, et
Christus homo, æternaliter habitabit in
Sanctis, et ipsi erunt thronus ipsius. Con-
fundatur ergo qui in Beatis dixit esse rui-
nam. *Et servient ei* servitute latriæ, Deum
reverenter adorando, indefesse laudando,
ejusque beneplacito in omnibus obtempe- B
rando. Estque servitus ista sine labore,
non ad meritum sed ad præmium spe-
ctans. Nam et præsentis servitutis est mer-
ces ; taliterque Deo servire, est summa
nobilitas, ac perfecte regnare.

4 *Et videbunt faciem ejus,* id est, divi-
nam essentiam clare et immediate per
speciem contemplabuntur, ita quod plene
cognoscent quod in vita hac credunt. Et
hæc visio, tota est merces : quam amatori
suo Christus apud Joannem promittens,
Joann. XIV, 21. Manifestabo, inquit, ei me ipsum ; et ali- C
Ibid. XVII, 3. bi, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te
solum verum Deum, et quem misisti Je-
sum Christum. Videbunt quoque corpora-
libus oculis corpoream faciem Christi :
quod beatis hominibus ineffabile gaudium
erit, et caritatis mirabiliter inflammati-
vum, cernentibus suam naturam sic Deo
hypostatica unione conjunctam, et per
eam tot bona sibi esse collata. Quantæ au-
tem deliciositatis atque dulcedinis, quam-
que incomprehensibilis felicitatis, digni-
tatis ac nobilitatis sit, Dei faciem intueri, D
meditandum est magis quam exponen-
dum. Nonne objectum illud est in se ipso
infinitæ pulchritudinis, suavitatis ac volu-
ptatis, omni menti creatæ prorsus conveni-
entissimum, desiderabilissimum, summe-
que amplectendum ? Cur ergo ejus amore
non aspernamur ista caduca et vana ? Cur
unquam in ejus obsequio animo fatiga-
mur ? Quare non consideramus quanta no-
bis beatitudo promittitur ? — Præterea
quum facies Dei dicatur ejus præsentia,
secundum Albertum, triplex ponitur fa-
cies Dei, videlicet : præsentia ejus per
gratiam, præsentia ejus per carnem as-
sumptam, præsentia ejus per gloriam. Po-
testque addi et quarta : præsentia Dei per
iram seu æquitatem, juxta illud Psalmi,
Pones eos ut clibanum ignis in tempore *Ps.* XX, 10.
vultus tui. Unde et sanctus Job ait : A fa- *Job* XXIII, 15.
cie ejus turbatus sum, et considerans eum,
timore sollicitor.

Et nomen ejus, videlicet descriptum *in
frontibus eorum :* id est, apertissime per
dona gloriæ innotescet quod ipsi sint filii
Dei ab æterno prædestinati. Ipsi quoque
nequaquam cessabunt Deum suum magni-
ficis laudare præconiis.

Et nox ultra non erit in patria, nulla 5
scilicet caligo ignorantiæ, seu adversitas.
*Et non egebunt lumine lucernæ neque lu-
mine solis.* Si de materiali lucerna et sole
sensibili intelligatur, certissimum est. Be-
rengandus autem per lumen solis intelli-
git novi Testamenti doctrinam, per lumen
vero lucernæ et etiam lunæ, doctrinam
veteris Testamenti : quibus in patria opus
non est. Cujus causa annectitur : *quoniam
Dominus Deus illuminabit illos,* in tan-
tum quod nunquam poterunt deviare aut
falli, sed intus et foris perfusi et superim-
pleti sunt lumine multiformi ; *et regna-
bunt in sæcula sæculorum* cum illo, cujus *Luc.* I, 33.
regni non est finis.

Hucusque protenditur visio septima.
Quæ autem sequuntur, ad admonitionem
pertinent S. Joannis et reliquorum fide-
lium, suntque libri hujus conclusio. *Et* 6
dixit mihi, scilicet angelus qui omnia
præinducta mihi ostendit : *Hæc verba fi-
delissima sunt et vera.* Hoc et supra jam *Apoc.* XXI, 5.
dixit, sed modo repetit propter assertio-
nem majorem. *Et Dominus Deus spiri-
tuum Prophetarum,* id est creator et illu-
strator animarum Prophetarum, seu dator
prophetalium gratiarum ac spiritualium
munerum Prophetarum (unde et Paulus
ait : Spiritus Prophetarum Prophetis sub- *I Cor.* XIV, 32.
jecti sunt), *misit angelum suum,* qui ista
revelavit, *ostendere* Joanni, et per eum

toti Ecclesiæ, *quæ oportet fieri cito,* id est A
statum et cursum ac remunerationem fi-
7 nalem Ecclesiæ. *Et ecce venio velociter,*
scilicet ad faciendum judicium particula-
re in mortibus singulorum, generale quo-
que in fine mundi. Hinc per Jacobum
Jacob. v, 9. dicitur : Ecce judex ante januam adsistit;
Joel III, 4. et per Joelem quoque, Cito velociter red-
dam vicissitudinem super caput vestrum.
Quanta autem sit libri hujus utilitas, sub-
ditur : *Beatus* nunc in spe, in inchoatio-
ne, in merito, nondum in præmio, in re, in
consummatione, *qui custodit verba pro-* B
phetiæ libri hujus, rite credendo, et di-
ctis parendo, audita quoque memoriter
retinendo.
8 *Et ego Joannes, qui audivi et vidi hæc.*
Quasi dicat : Nullus de veritate vel au-
ctore dubitet vel contendat, quum ego
Joannes apostolus horum assertor consi-
stam. *Et postquam audissem et vidissem*
hæc omnia, *cecidi ut adorarem ante pe-*
9 *des angeli qui mihi hæc ostendebat, et*
dixit mihi : Vide ne feceris : conservus
enim tuus sum, et fratrum tuorum pro- C
phetarum, scilicet Apostolorum et aposto-
licorum virorum, prophetali gratia præ-
Apoc. XIX, 10. ditorum (verba hæc supra scripta sunt et
tractata : idcirco pertranseo), *et eorum*
qui servant verba prophetiæ hujus, cre-
dendo, docendo et obediendo. Frequenter
in volumine isto jam dictum est, prophe-
ticum esse hunc librum, quia ut patuit,
cum aliis Prophetarum codicibus in plu-
ribus habet concordiam in verbis ac sen-
sibus, potissimum cum his quæ in Isaia,
Ezechiele et Zacharia scribuntur. [*Deum* D
adora.]
10 *Et dixit mihi : Ne signaveris verba*
libri hujus, id est, scripturam hujus vo-
luminis non omnino obscuram relinquas,
nec fidelibus sensum earum penitus clau-
das. Sed quum liber iste sit obscuritatibus
plenus, non videtur Joannes angelo obe-
disse in isto. Respondendum, quod ange-
lus ei jussit ne penitus scripturam istam
inexplanatam relinqueret. Unde vicissim
se ipsum exponit, et quædam interserit
per quæ datur occasio ad intelligentiam
ceterorum. Berengandus vero ita respon-
det : Quod non fecit scribendo, credimus
eum fecisse prædicando. Unde et Beda
refert, quemadmodum B. Dionysius Ale-
xandrinus antistes affirmat, quod exsur-
gentibus quibusdam hæresibus occasione
voluminis hujus, Joannes errorem redar-
guit, ejusdemque prophetiæ sensum ab
omni carnalis intelligentiæ nubilo purga-
tum, ad æterna promissa cœlestia trans-
tulit. *Tempus enim prope est,* quo ista
implenda sunt : idcirco sunt propalanda.
Qui nocet, peccando in proximum, *no-* 11
ceat adhuc, iniquitatem continuando; *et*
qui in sordibus est, se ipsum vitiis inqui-
nando, *sordescat adhuc,* in deteriora ru-
endo. Non præceptive aut hortative, sed
comminatorie, prænuntiative et ironice di-
ctum est hoc. Tanquam dicat : Qui juxta
admonitionem Scripturæ se emendare con-
temnit, juste relinquetur a Deo, et in
pejora casurus est, nec dira evadet tor-
menta. Juxta hunc modum Job sanctus ait
suis amicis, Quod cœpistis, implete : et Job VI, 28.
tamen de eo quod cœperunt, eos redar-
guit. Sic et gymnasiarchæ dicere solent
pueris quos corrigere intendunt, dum eos
intempestive ludentes inveniunt : Ludite,
ludite. Quo audito, illi scientes quo animo
id dicatur, ab incepto desistunt. Sic et
Christus in Evangelio : Aut facite, inquit, Matth. XII, 33.
arborem bonam, et fructum ejus bonum;
aut facite arborem malam, et fructum
ejus malum. *Et justus justificetur adhuc,*
id est, in virtutibus crescat; *et qui san-*
ctus est, id est perfectus, quantum ad
viatores, ut sunt viri heroici, *sanctificetur*
adhuc, id est, in puritate et caritatis fer-
vore proficere non desistat. Quum enim
hæc vita sit via ad aliam, in ea non pro-
ficere est deficere. Nemo utique ita de
suis confidat profectibus, ut tepescat aut
negligentius agat : imo proficiendi pro-
positum quotidie renovet, et vigilantiori
mente Deo semper deservire conetur.
Ecce venio cito (ut dictum est) ad judi- 12
candum; *et merces mea mecum est,* id est vers. 7.

digna retributio pro meritis atque demeritis singulorum, A *reddere unicuique secundum opera sua :* per opera etiam interiores actus, scilicet cogitationes, intentiones, affectiones, itemque locutiones Is. XL, 10. intelligendo. Simile est et illud Isaiæ : Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur; ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo.

13 *Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis.* Verba hæc Apoc. I, 8. supra scripta sunt atque exposita. Quamvis autem Filius Dei sit vere genitus a B Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque procedat, nihilo minus Filius et Spiritus Sanctus sunt primus et novissimus : imo tres superbenedictæ Personæ, sunt unus primus et unus novissimus, sicut sunt unus æternus et unus immensus, sumendo scilicet hæc nomina substantive. Siquidem in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus. Verumtamen in divinis ponitur prioritas originis, item auctoritatis et subauctoritatis, non dignitatis aut temporis. Sed quantum ad creaturas, C sunt unum principium, unusque finis. Dicitur autem Deus novissimus, non quod aliquid eum præcessit, aut omnia sint peritura, ipso tantummodo permanente ; sed quia æternus a parte post, sicut ab ante, nec aliquid erit quando ipse non erit.

14 *Beati qui lavant stolas suas,* id est, virtutes quibus animæ vestiuntur, ab impuritate vitiorum custodiunt, qui corda sua a malis præteritis purgant, qui operum suorum sordes lacrimis pœnitentiæ, exercitiisque ceterarum virtutum emundant : D Jer. IV, 14. juxta illud Jeremiæ, Lava a malitia cor Is. I, 16. tuum ; et Isaiæ, Lavamini, mundi estote ; [*in sanguine Agni,*] *ut sit potestas eorum in ligno vitæ,* id est, Christo frui possint in patria, et nunc conserventur ac stabiliantur in ipso, eique jugiter innitantur; *et per portas intrent in civitatem,* id est, per observantiam præceptorum cœlestem Jerusalem ingrediantur, juxta quod scri- Matth. XIX, 17. ptum est : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

15 *Foris autem,* id est, extra civitatem hanc manebunt, *canes,* id est iracundi, gulosi, et recidivantes, more canum ad II Petr. II, 22. vomitum redeuntes. Unde ad Philippenses ait Apostolus : Videte canes, videte Philipp. III, 2. malos operarios. *Et venefici :* de quibus jam dictum est. *Et impudici,* id est luxu- Apoc. XXI, 8. riosi, et omnes qui sine verecundia peccant, nec divini vultus erubescunt præsentiam, juxta illud Jeremiæ : Frons mulieris Jer. III, 3. meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. *Et homicidæ,* qui maxime peccant in proximum ; *et idolis servientes,* qui directe peccant in Deum ; *et omnis qui amat et facit mendacium,* id est, cum delectatione et ex proposito seu consuetudine dicit quæ falsa esse cognoscit, vel impie agit. Omne enim peccatum est quoddam mendacium. Nam, sicut triplex est veritas, scilicet vitæ, doctrinæ, justitiæ, ita et triplex est falsitas. Rursus, sicut est veritas rei et veritas propositionis, ita est falsitas operis falsitasque sermonis. Tales itaque sunt, qui lætantur quum male fe- Prov. II, 14. cerint et exsultant in rebus pessimis.

16 *Ego Jesus misi angelum meum testificari hæc vobis in Ecclesiis :* quia ut dictum est sæpe, Jesus per angelum revelavit hæc Joanni, et per eum cunctis Christianis, primitus Asianis. *Ego sum radix et genus David.* David radix est totius sobolis suæ : quomodo ergo Christus, quum sit filius David, radix est ejus ? Et respondendum, quod secundum divinam naturam est radix, origo et causa ejus ; sed secundum formam servi, est genus seu proles ipsius. Factus est enim ex semine Rom. I, 3. David, secundum Apostolum. De quo per Isaiam dictum est : Egredietur virga de Is. XI, 1. radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Ego sum *stella splendida et matutina :* quia per sapientiam meam cunctis splendidior sum, et cunctos per eam illumino, qui diem gratiæ, diemque gloriæ præcedo, annuntio, atque efficio. In resurrectione quoque post tenebras passionis, veluti stella clarissima mane splendens surrexi.

17 *Et Spiritus et Sponsa dicunt : Veni :* id est, Spiritus Sanctus seu Trinitas adoranda, et item ipsa Ecclesia militans ac triumphans, dicunt omni fideli ut veniat ad ea audienda ac adimplenda quæ modo præscripta sunt. Vel dicunt Christo ut veniat ad judicium, quatenus electi plenius beatificentur. Hoc enim Sancti desiderant, et tempore suo Deus Christo, secundum naturam assumptam, id ipsum injunget. *Et qui audit* quæ Dei sunt, *dicat : Veni,* o Christe, ad judicandum, et interim ad miserendum. Vel, Veni tu, proxime, ad audiendum sermones Dei in hoc libro alibique conscriptos. Quilibet ergo hortetur proximum suum ad bona. *Et qui sitit* justitiam in præsenti, et gloriam in futuro, *veniat,* id est, humili mente et incessabili prece ad Deum pro gratiæ donis accedat. *Et qui vult,* id est, vere appetit Deo placere, uniri, impleri, qui utique facit quod in se est, ad gratiam se disponendo, *accipiat aquam vitæ gratis,* id est gratiam et doctrinam evangelicæ legis sine meritis suis. De qua aqua Salvator ait :
Joann. IV, 13, 14. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Nec verba hæc obviant verbo
Jer. X, 23. Jeremiæ, dicentis, Non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos ; nec ei quod loquitur Pau-
Rom. IX, 16. lus, Non est volentis neque currentis : hæc enim idcirco dicuntur, quod gratia non ex nostris est meritis, nec eam de condigno meremur, nec sine gratia gratum faciente mereri aut salvari valemus.

Consequenter prohibet sanctus Joannes formam verborum hujus libri subtractio-
18 ne aut additione mutari aut vitiari. *Contestor ego omni audienti verba prophetiæ libri hujus,* id est, testificor et prænuntio ei, quod subdo : *Si quis apposuerit ad hæc,* textum sua inordinata additione mutando, aut dissonantia veritati miscendo, *apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto,* videlicet pœnas impiis in-
fligendas. *Et si quis diminuerit de verbis* 19
prophetiæ libri hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, id est, in judicio eum reprobum, et non esse prædestinatum ostendet, *et civitate sancta,* id est de cœlesti Jerusalem, ita quod ibi portionem nullam habebit, *et de his quæ scripta sunt,* id est de bonis promissis, *in libro isto.*

Dicit qui testimonium perhibet horum, 20
id est Christus, qui hæc vera esse testatur : *Etiam,* id est, sic sit. Vel quod ait, Etiam, refertur ad verbum quod subditur : *venio cito,* secundum sensum expositum. *Amen. Veni, Domine Jesu.*

Gratia Domini nostri Jesu Christi, id 21
est gratia gratum faciens, quam Christus secundum quod Deus, dat auctoritative et efficienter ; et secundum quod homo, Dei ac hominum mediator, dat eam ut causa instrumentalis ac meritoria ; nam sua passione atque sanctissima conversatione eam nobis promeruit, ejusque merito datur : sine qua nemo meretur. Potest tamen hoc loco per gratiam, omne spirituale donum ad salutem necessarium sive accommodum, accipi. Sit *cum omnibus vobis. Amen.* Si enim gratia hac non adjuvamur, in omnibus deficiemus, et omnia beneficia Christi erunt nobis occasio gravioris damnationis. Semper ergo pro gratia et ejus incremento quotidiano, viscera misericordiæ Dei nostri totis præcordiis deprecemur. Quo enim illa plus crescit in anima, eo ad universa opera meritoria reddimur fortiores. Quam cunctis donet hominibus, ad sui ipsius laudem et gloriam sempiternam, qui est omnium finis bonorum, super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN APOCALYPSIM

PARÆNESIS

D. DIONYSII CARTUSIANI

AD STUDIOSUM SACRÆ SCRIPTURÆ

A*URIS bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. Concupiscentia* enim *sapientiæ deducet ad regnum perpetuum.* Eccli. III, 31 ; Sap. VI, 21.

Non utique de sapientia hujus mundi, non de sapientia philosophorum, poetarum aut rhetorum (quoniam, teste Apostolo, stultam fecit Deus sapientiam hujus *I Cor.* I, 20.
mundi ; principem quoque philosophorum Aristotelem, gloriosus et sanctus pater noster Hieronymus principem nominat fatuorum), sed de sapientia sacræ atque divinæ Scripturæ, rite intelliguntur verba præmemorata. Nonne vani ac fatui sunt, qui relictis his quæ ad salutem animæ requiruntur, qui omissa divinorum præceptorum custodia et salutari Scripturarum sanctarum notitia, in supervacuis, puta in his quæ Deus non requirit ab eis, jugiter occupantur? Hinc tales videmus infinitis vanitatibus obfuscari, sine timore Dei conversari, ludis, jocis ac risibus, ut de gravioribus vitiis taceam, delectari. Numquid hæc est via arcta ducens ad vitam : quam, *Matth.* VII,
Christo docente, inveniunt pauci? Fac ergo quod docet sermo divinus : Altiora te ne 14. *Eccli.* III,
quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita 22.
semper ; et, In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter. Denique quid prodest *Ibid.* 24.
cognitio creaturarum sine dilectione ac debita veneratione Creatoris? Imo utique plurimum obest, damnabilioremque efficit sciolum.

Non igitur magis delectet te studium naturalis philosophiæ quam theologiæ ; sed in intellectu ac studio sacræ paginæ delectatio tua consistat præcipua, ut dicere possis : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. Et rursus : In via *Ps.* CXVIII,
testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis ; itemque, Bonum 103. *Ibid.* 14.
mihi lex oris tui super millia auri et argenti. Hoc expertus Hugo de S. Victore : Nihil, *Ibid.* 72.
inquit, in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil sic mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil hominem sic juvat et excitat ad omne bonum, sicut studium sacræ Scripturæ. Et iterum : In sacra Scriptura quidquid docetur est veritas ; quidquid præcipitur, bonitas ; quidquid promittitur, felicitas.

Itaque hoc est saluberrimum studium, quod discit homo cognoscere semetipsum, vitam corrigere, in omni gratia Spiritus Sancti proficere. Idcirco hortatur Augustinus :

NOTA. — Ista Parænesis (ex tractatu de Arcta via salutis, art. I, sumpta) reperitur ad calcem commentarii Actuum Apostolorum, in editione Coloniensi anni 1533, et in sequentibus.

Utere lectione divina pro speculo, fœda in te corrigendo, pulchra conservando, pulchriora agendo. Pinguissimus est sermo divinus, omnes in se delicias continens. Quum hoc speculum oculis mentis opponimus, faciem nostram internam conspicimus; ibi sentimus quantum profecimus, quantumve a perfectione distamus. Hinc ait Isidorus : Geminum confert donum lectio Scripturarum, quoniam mentis intellectum erudit, atque a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Numquid hujus sapientiæ studio aliud aliquod potest scientiæ studium comparari? Præterea audi Gregorium : Quamvis, inquit, omnem scientiam et doctrinam sacra Scriptura sine aliqua comparatione transcendat : quæ vera prædicat, ad cœlestem patriam vocat, a terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis invitat; quæ nec sic clausa est ut pavesci debeat, neque sic patet ut vilescat; quæ usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur quanto amplius meditatur : omnes tamen scientias et doctrinas, etiam ipso locutionis suæ more transcendit. Hinc quoque ait Hieronymus : Ama studia Scripturarum, et vitia carnis non amabis.

Cupio ergo animam tuam hac divinæ Scripturæ supernaturali ac nobilissima sapientia adornari : quæ æternæ, summæ et increatæ Sapientiæ fulgor quidam radiusque consistit; cujus lectio (teste Hieronymo) sensum acuit, intellectum multiplicat, teporem calefacit, torporem repellit, libidinis tela exstinguit, gemitum excitat, lacrimas elicit, Deo nos proximos facit; cui quum studemus, Spiritus Sanctus loquitur nobis, ut ait Isidorus. Postremo, hujus sacræ ac salutaris scientiæ singulariter capax es, *Sap.* VIII, 19. quum et naturali acumine intellectus sis decoratus, ita ut illud dicere queas : Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Det itaque tibi clementissimus Deus tantam hujus sapientiæ delectationem, ut cum auctore libri Sapientiæ veraciter di- *Ibid.* 2, 16. cas : Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus *Prov.* III, 15. illius, sed gaudium atque lætitiam. Hinc Salomon loquitur : Pretiosior est sapientia cunctis opibus; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Absit ergo ut animam tuam in inferioribus vilioribusque scientiis occupes.

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONUM IN S. SCRIPTURAM

COMPLEMENTUM

CONTINENS

ENARRATIONES IN SEPTEM PSALMOS PŒNITENTIALES,

MONOPANTON, ET EPITOME TOTIUS BIBLIÆ

ENARRATIO
IN SEPTEM PSALMOS
PŒNITENTIALES

ORNATISSIMO VIRO ET DOMINO D. MATTHIÆ DE SARACASTRO, BONARUM ARTIUM AC UTRIUSQUE JURIS DOCTORI OMNIUM CONSULTISSIMO, CURIÆ TREVIRENSIS JUDICI ET OFFICIALI, NON MINUS DILIGENTI QUAM ÆQUISSIMO, DIVI SIMEONIS TREVIRENSIS DECANO, ET BEATI CASTORIS COLLEGIATÆ ECCLESIÆ CONFLUENTINÆ CANONICO, ETC., F. THEODORICUS LOER A STRATIS, ORDINIS ET DOMUS CARTUSIENSIS IN COLONIA HUMILIS MONACHUS ET VICARIUS. S. P. D.

QUONIAM, ut summus ille sanctæ Romanæ Ecclesiæ antistes Innocentius multa ratione testatur, psalmodia post Orationem dominicam, quæ omnium summa est, cunctis quibusque aliis longe præstat preculis (quamobrem et divorum templis ecclesiastico instituto amplius frequentatur); operæ pretium me facturum ratus sum, si divi nostri Dionysii a Rickel Cartusiani devotissimas juxta et doctissimas psalmorum expositiones multo studio et labore per R. P. Joannem Romberch Kirspensem, Dominicanæ professionis eximium theologum, verbique Dei præconem acerrimum, recognitas, ad amussim limatas et expolitas, ut (sine adulatione loquor) omnibus placituras speremus, in lucem ediderimus : quo habeant divino cultui mancipati, qui horatim Symphoniadis nostri psalmos in conspectu Altissimi concinunt, unde affectiones eorum sursum rapiantur ad angelicos choros, indefesse Deum laudantes : ne solis dumtaxat labiis Deum honorent, si absque dulcedine spiritus submurmurent quod non intelligunt. Quem veternum hi facile excutient, qui hujus Patris piis studiis adjuti in psalmorum intelligentia, eos devoto ac sincero pectore ruminantes, alacriter pronuntiarint ore quod in corde versatur : ut non modo voluptatem et utilitatem (cujusmodi ceteræ etiam qualescumque disciplinæ afferre possent) hinc assequantur, sed et in lege Domini hoc pacto die noctuque meditantes, promissam in psalmis æternam beatitudinem in jubilo præstolentur. Quando igitur hæcce meditabamur, quibus provincia evulgandi omnes libros hujus pii Patris (quod summo desiderio effectum iri cupimus, priusquam nobis hora claudatur extrema) demandata est, putabamus quasi jentaculum quoddam symposio, psalmis et hymnis plenissime instaurando, præferendum : quo prælibari liceat quam dulci nectare et ambrosia, pius Pater divina dulcedine plenus, pasturus sit eos qui inebriari peroptant ab ubertate domus Dei, in qua Sponsum *Ps.* xxxv, 9.
in hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus jubilantes prosequuntur. Unde bre- *Coloss.* III, 16.
vem atque fructuosissimam septem psalmorum pœnitentialium expositionem, ceu totius psalterii commentationum arrhabonem, evulgandam curavimus, nomini tuo, celeberrime Doctor, in pignus nostræ, quam in te unum collocavimus, magnæ fiduciæ, quam sis nos inter hæc turbatissima tempora, quando passim religiosi universi

gravibus ac multis affliguntur opprimunturque molestiis, pio favore prosecuturus, tanquam fidelissimus et amicus et patronus. Quandoquidem multorum scriptis et relatu, et præcipue reverendi patris Christophori Ryneck, domus Cartusianæ istic apud Treverim moderatoris vigilantissimi integerrimique, intelleximus te non modo communem reipublicæ christianæ vindicem a perversissimis hujus nostri ævi perduellionibus, sed omnium pientissimum fautorem religionum, et maxime Ordinis nostri Cartusiani te singularem semper exhibuisse patronum; nihil diffidimus quin hoc, licet perexiguo munusculo, tibi simus gratificaturi, quum alioqui huic nostro auctori (cujus jam in Pauli et aliorum Apostolorum canonicas Epistolas, et Joannis Apocalypsim, et cetera nostro studio evulgata accepisti commentaria) adeo te affectum audiamus, ut potius velis saluberrimam ejus doctrinam humili quidem sed munda phrasi amplecti toto affectu, quam animum oblectari in supervacaneis aliorum studiis, qui verborum lenocinio et fuco solas aures absque utilitate ulla replent. Quod si hoc opusculum in præclara illa supellectili, et pretiosissimo super Crœsi divitias thesauro librorum tuorum admittendum censueris, habebis profecto in primis unde nonnunquam ab externis negotiis et variis occupationibus spiritum tuum tibi restituas, tibique inservire valeas : nempe, quando in horum septem psalmorum commentariis leges quomodo, si quam inviti etiam aliquando a sollicitudinibus contraxerimus vel levissimam labem, per pœnitentiam abstergere et abolere possimus. In illis ipsis namque psalmis, Davidi pœnitentiam acturo a septiformi Spiritus Sancti gratia inspiratis, discemus miseriam nostram, et Dei misericordiam,
Ps. L, 19. qui cor contritum et humiliatum non despiciet : unde et animabimur ad pœnitentiam peccatorum quæ in septem dierum hujus sæculi hebdomada perpetravimus, jugiter Domino humili corde et contrito eosdem psalmos recitantes. Insuper, si didicerimus nos tibi hisce gratificatos, longe majora opportune a nobis exspectabis. Vale. Ex cœnobio divæ Barbaræ Cartusianorum in Colonia, XVII Novembris die, videlicet S. Hugonis Cartusiani, episcopi Lincolniensis. [Anno MDXXX.]

PROŒMIUM

SCRUTEMUR *vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus* Deum. Thren. III, 40-42.

Hoc est nostræ salutis exordium, diligenter discutere propriam conversationem, an Deo sit placita, an potius offensiva. Sed quia jam certi sumus quod in multis offendimus omnes, scrutari et investigare debemus quæ et quanta ac qualia sint nostra peccata : quorum enormitatem multitudinemque nobis ipsis prorsus innumerabilem dum pro viribus intueri cœperimus, hoc unicum restat remedium, ut revertamur ad Dominum. Etenim ipse solus est qui peccata potest dimittere : qui animarum est sapientissimus, misericordissimus ac potentissimus medicus, fons gratiæ ac salutis, qui cordium medetur languoribus, atque ex sua benignitate prorsus immensa, interdum facit gratiam abundare ubi abundavit peccatum. Porro, reversio ista ad incircumscriptibilem Deum ubique præsentem, est per pœnitentiam salutarem : qua homo de suis ingemiscit excessibus, ac intime dolet se a dignissimo Deo per vitiorum devia recessisse, seque peccatorem vilissimum, Dominum majestatis ac sanctitatis infinitæ tam frequenter ac graviter offendisse, nec Patri obtemperasse spirituum, juxta illud Jeremiæ : Scito et vide quia malum et amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te. Quod quam enorme, injustum atque damnabile sit, intelligens peccator, jam pœnitens loquitur cum Michæa : Faciam planctum quasi draconum, et luctum veluti struthionum. Denique, quoniam pœnitentialis ista reditio, est nostræ salutis initium, tam ipse beatissimus Joannes Baptista, quam Dominus et Salvator, sic evangelizare exorsi sunt : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Conformiter, ut narratur in Apostolorum Actibus, dolentibus quibusdam Judæis quod Dei Filium occidissent, dicentibusque ad Apostolos, Quid faciemus, viri fratres ? sacratissimus princeps Apostolorum, sciens se amare flendo misericordiam consecutum, respondit : Pœnitentiam agite. Hoc est quod Osee admonet : Convertere ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Peccatum quippe infelicissima est ruina, et profundissimus casus a summo et incommutabili bono, superpulcherrimo Creatore, ad commutabile et caducum, ad monstruosissimam iniquitatis deformitatem. Saluberrima ergo est pœnitentia ista, qua ab imo culpæ ad altissimum Deum resurgitur ac reditur.

Jacob. III, 2. — *Marc.* II, 7. — *Rom.* V, 20. — *Jer.* II, 19. — *Mich.* I, 8. — *Matth.* III, 2; IV, 17. — *Act.* II, 37, 38. — *Osee* XIV, 2.

Levemus ergo, o peccatores, et sine mora levemus quotidie, imo assidue, corda nostra cum gemitu et singultu, cum præcordiali dolore et plena contritione, etiam cum corporalibus manibus, pœnitentialibus quoque operibus, ad Deum in cœlos : qui quamvis ubique sit præsens, specialiter tamen in cœlo esse et habitare ac præsidere
Deut. xxxiii, 27. censetur, quia ibidem se clarius ostendit ac gloriosius operatur. Etenim habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna. Nos inique egimus, et bona multa ac ma-
Ps. cv, 6. gna omisimus. Peccavimus namque cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem, imo iniquitatum congeriem fecimus. Sicque ad iracundiam, ad justæ ultionis inflictio-
Hebr. i, 12. nem provocavimus Deum, qui in se ipso idem ipse æternaliter manet.

Itaque, juxta prætacta, debemus vias nostras coram Deo quotidie perscrutari,
Job xiii, 15. arguere, castigare, quemadmodum sanctus Job dixit, haud dubium quin et fecit : Vias meas in conspectu ejus arguam. Quod quam fructuosum sit et salubre, pandit subden-
Ibid. 16. do : Et ipse erit salvator meus. Hinc ad omnem Christifidelem quantumlibet magnum aut parvum, præsidentem et subditum, pertinet se ipsum quotidie saltem aliqua hora, in loco quieto et secreto reponere, mentem suam in præsentia Judicis summi colligere,
Ephes. iv, 1. conscientiam suam discutere, an secundum exigentiam suæ vocationis ambulet digne Deo, quid boni omittat, quid mali committat, qualiter omne tempus suum expendat, in quibus magis defectuosus reprehensibilisque consistat : et ita se coram misericordissimi Dei vultu cum ingenti humilitate prosternere, accusare, aspernari, veniam profusis lacrimis postulare, emendationem et satisfactionem pro posse firmissime cum
Eccli. iii, 20. grandi compunctione proponere. Præterea, quanto quis major est, quo pluribus præest, ac majora desuper dona sortitus est ; eo plus obligatur ad talia, aut certe tanto amplius necessarium ac salubre est sibi ista peragere, prout sanctus pater Bernardus in libro de Consideratione ad sanctum et humilem Papam Eugenium protestatur.

Auctoris protestatio. Et nunc, quoniam præsens scribitur opusculum ad jussionem inclyti ac sublimis viri, qui et in Ecclesia Dei columna est, suæque probitatis merito major creditur cito præstante Deo futurus : qui et de columna cognominatur ; qui in flore ac robore juventutis suæ optavit super septem psalmos pœnitentiales per modum compendii aliquid sibi conscribi : utile reor de ipsa pœnitentia parumper præmittere, quo item affectu ipsum pœnitentem oporteat exorare et psalmos istos proferre.

Quid sit pœnitentia, et de actibus et proprietatibus ejus.

Pœnitentia, sicut beatus definit Gregorius, est præterita mala deplangere, et deplangenda iterum non committere. Quæ verba Magister, libro quarto, in definitionis redigens formam : Pœnitentia, inquit, est virtus qua præteritas culpas deplangimus, et deplangendas non iteramus, id est, firmiter proponimus non iterare. Quocirca quæri potest : Si pœnitentia virtus est, quomodo dicitur sacramentum ? Virtus namque est interior habitus, sacramentum vero sensibile signum. Et respondendum, quod pœnitentia proprie sumpta, est dolor interior de peccatis : tamen ut quarto Sententiarum, distinctione 14, fertur, pœnitentia duplex est, puta interior atque exterior. Pœnitentia exterior appellatur confessio, seu satisfactio pro peccatis : et illa est sacramentum, id est sacrum signum interioris doloris ; sicut et ipsa exterior confessio, qua pœnitens et

confitens subdit se sacerdoti confessori, et ei tanquam Dei vicario sua confitetur peccata, signum est interioris subjectionis qua confitens et pœnitens intus Deo se subjicit, sua recognoscendo, accusando, et deflendo seu dolendo peccata coram illo. — Præterea, sicut ibidem S. Thomas conscribit, pœnitentia et vindicativa justitia aliquo modo circa idem versantur, puta circa punitionem offensæ; sed differunt in duobus : Primo, quoniam vindicativa justitia proprie est in judice pœnam infligente, quam reus interdum suffert invite; pœnitentia vero est in ipso qui pœnam pro culpa sustinet sponte. Secundo, quia justitia vindicativa respicit offensam communiter, pœnitentia vero concernit Dei offensam. Hinc pœnitentia consistit in emendatione offensæ assumpta spontanee, et tali emendatione qualis Deo competit seu debetur. Quemadmodum autem hominibus, qui vident ea quæ foris apparent, recompensatio fit per exteriora; sic Deo, qui corda intuetur, recompensatio exhibetur et fit in ipso cordis affectu. Exterius quoque fit recompensatio offensæ per duo : primo, per hoc quod quis exterius subit pœnam pro offensa quam fecit; secundo, per hoc quod de cetero ab offensa consimili cavet. Sic et duo hujusmodi oportet pœnitentem exhibere Deo in corde, ut scilicet de præterita pœniteat culpa, et in futurum abstinere proponat de illa. I *Reg.* XVI, 7.

Denique pœnitentia hæc, ut asserit Damascenus libro secundo, est motus redeuntis in Deum, et revocatio mentis in eum. Quæ, teste glorioso Hieronymo, est secunda post naufragium tabula, quoniam si quis vestem innocentiæ in Baptismo perceptam corrupit, hanc per pœnitentiam potest recuperare. De Fide orthodoxa.

De laudibus pœnitentiæ in libro de Pœnitentia sanctus loquitur Augustinus : Quantum appetenda sit pœnitentia, tota clamat auctoritas Scripturarum, et omnis ostendit conversatio Beatorum. Hæc spiritualiter sanat languores, curat leprosos, suscitat mortuos, vitia fugat, virtutes reparat et exornat, mentem munit et roborat, et omne bonum fundat in anima. Pœnitentia acquirit indulgentiam, sine qua nemo pertingit ad gratiam et salutem. Ex dolore pœnitens dixit : Peccavi; quid faciam tibi, o custos hominum? Quasi dicat : In tantum doleo me peccasse, quod nihil mihi tam grave est quod non velim pati et infligere mihi. Quæro quid supplicii in me possim excogitare, quod tibi queat sufficere, et quo valeam te placare. Assidue peccantibus, pœnitentia ista assidue necessaria est. Nullum peccatum tam parvum est, quod non crescat neglectum. Consurgamus puri, et ad puram perfectionem conemur attingere, sicut admonet Christus, Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est : ne his quæ parva videntur multiplicatis, quasi scabie quadam corrumpamur et collidamur. Recte pœnitens quidquid sordis post Baptismi purificationem contraxit, oportet ut saltem abluat lacrimis cordis. Sed satis durus est, cujus interiorem ac mentalem dolorem oculi carnis nequeunt declarare. Imo sciat se culpabiliter durum, qui deflet temporalia damna, aut mortem amici, et dolorem peccati non ostendit in lacrimis. Non est ut quis excuset se, non habere se fontem lacrimarum pro peccatis, qui unquam lacrimis ostendit se temporalium habere dolorem. Et quoniam verecundia magna est pœna, qui confitendo erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. Unde patet, quod quanto pluribus confitetur in spe veniæ turpitudinem culpæ suæ, tanto facilius consequitur veniam remissionis. Erubescat igitur semper coram Domino, in cujus conspectu peccavit. Quod si quis conversus et pœnitens spiritualiter vivat, non promittimus quod omnem pœnam evadat. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fru- *Job* VII, 20. *Matth.* V, 48.

ctum conversionis. Hic autem ignis quamvis æternus non sit, attamen miro modo gravis est. Excedit enim omnem pœnam quam aliquis unquam passus est in hac vita. Nunquam in carne mortali inventa est tanta pœna, licet mirabilia martyres sancti sint passi tormenta. Studeat ergo quisque sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat pœnam tolerare. Hæc Augustinus.

Insuper de hac materia Guillelmus Parisiensis scribit multum profunde, devote et pulchre, tam in suo Sacramentali, quam in libro suo de Pœnitentia; similiter Climacus in suo notabilissimo libro : quæ introducere esset nimis prolixum. Quædam quoque ex eis infra poterunt breviter tangi.

Verum, ut natura et vis veræ pœnitentiæ seu contritionis clarius intelligatur, una adhuc præmittenda est quæstio ista : Utrum contritio sit maximus dolor qui est in natura, hoc est, utrum ad hoc quod aliquis habeat veram contritionem, requiratur quod plus doleat de quocumque peccato mortali, quam ipse seu alius de quocumque malo pure pœnali, hoc est de quocumque damno temporali, læsioneve corporali, seu adversitate, vel persecutione mundana. Si ad hanc quæstionem respondeatur affirmative, multi quasi ad desperationem inducentur : quum plurimi etiam boni ac simplices dolorosius plorent de amissione temporalium rerum, et morte parentum seu sobolis suæ, quam de suis peccatis.

Ad hoc dominus Guillelmus Antisiodorensis respondet in Summa sua, libro quarto : Infinite magis diligenda est vita spiritualis, quam corporalis. Idcirco qui vere conteritur, magis dolet et luget dolore ac luctu spirituali, quam doleret de morte unigeniti sui : non tamen oportet quod amplius doleat dolore et luctu corporali et exteriori. Spiritualiter vero plus luget puniturque anima, ita quod per luctum internum exit ab ea quasi sanguis quidam, puta carnalitas et peccati vestigium. Denique simile est de caritate atque cupiditate. Quamvis enim caritas plus diligat Deum quam cupiditas millia auri et argenti, non tamen caritas semper plus movet ad opera bona exteriora, quam cupiditas ad opera mala.

Præterea, Thomas ad quæstionem respondens diffusius : In contritione, inquit, est duplex dolor : Unus in voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio, estque displicentia peccati præteriti. Et talis dolor in contritione excedit ceteros omnes dolores, quoniam quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet : finis autem super omnia placet, quum propter ipsum cetera omnia desiderentur. Ideo peccatum quod ab ipso avertit, debet super omnia displicere. Alius dolor est in parte sensitiva, qui nascitur ex primo dolore, vel ex necessitate naturæ, prout vires inferiores sequuntur motum potentiæ superioris, vel ex electione, prout homo pœnitens, in se ipso habens dolorem, excitatur ut doleat de peccatis. Et hunc dolorem non oportet maximum esse, quoniam vires inferiores vehementius moventur a propriis objectis, quam ex redundantia virium superiorum in eas. Dolor quoque inferiorum virium ex electione assumptus, non obedit rationi ad nutum.

Huic responsioni Thomæ concordat Bonaventura : Dolor, inquiens, uno modo vocatur displicentia rationis; secundo, dicitur passio resultans in parte sensitiva ex primo illo dolore. Et hoc secundo modo non est necesse plus dolere de peccato quam de damno temporali, nec hoc est in potestate cujuslibet hominis. Talis enim dolor non sequitur immediate amorem, sed affectionem, et affectio experimentalem cognitionem;

et quia non omnes habent experientiam divinæ dilectionis, ideo non omnes ita sensibiliter dolent de peccatis sicut de damnis et corporalibus pœnis. Loquendo autem de dolore ut est displicentia rationis, dico quod displicentia ista mensuratur secundum quantitatem caritatis. Quantitas autem caritatis accipi potest in se, et item in comparatione ad alios amores. Et in se, est parva in incipientibus, major in proficientibus, maxima in perfectis. Porro, ad alios amores, vindicat sibi dominium in corde habentis, nec unquam est ibi nisi sit domina : ita quod ad hoc ut quis diligat Deum ex caritate, oportet quod pro nullo damno incommodoque vitando, velit Deum offendere. Conformiter necesse est, peccatum in tantum displicere rationi, ut nullo pacto nullove commodo seu incommodo velit in ipsum consentire aut consensisse.

In hanc responsionem Alexander, Albertus, Petrus de Tarentasia, Richardus de Mediavilla, et alii conveniunt. Et est evidens ratio. Quemadmodum enim tenemur Deum summe incomparabiliterque diligere, ita tenemur de ejus offensa, contemptu et amissione, maximum et incomparabilem habere dolorem in parte animæ superiori, quamvis non sit necesse inde plorare, quoniam fletus ex sensitivæ partis dolore immediate nascitur.

Quo qualique affectu atque compunctione oporteat pœnitentem orare, ac psalmos proferre pœnitentiales.

Omnis orans et psallens debet duo attendere, videlicet, qualis sit ipse qui orat, et qualis Deus quem orat et laudat, hoc est, considerare proprietates proprias, et proprietates ipsius Dei. Attendat igitur orans, quam graviter et frequenter Deum offenderit, quoties et quam graviter æternam damnationem promeruerit, quam ingratus fuerit Creatori, quantam irreverentiam atque injuriam irrogaverit ei, quantum etiam nocuerit sibi ipsi peccando. Perpendat omnem defectuositatem et vilitatem suam in anima et in corpore, et pronitatem suam ad omne malum; quam incessabiliter et enormiter peccet assidue, nisi desuper præservetur. Intueatur quam horrendum sibi instet judicium, *Hebr.* x, 31.
quam immane supplicium; quot et quantis hostibus suæ salutis crudelissimis, callidissimis et infatigabilibus undique circumdatus sit; quot et quibus laqueis, insidiis, periculis circumvalletur. Insuper contempletur quam infinita sit misericordia Dei, et sic oret ac psallat cum spe veniæ ac ingenti fiducia; quam infinita sit justitia Judicis summi, et sic oret cum formidine et timore; quam immensa ac dulcis sit bonitas, caritas et liberalitas Creatoris ad nos, sicque oret cum divini amoris fervore; quam interminabilis sit sapientia ejus, quem nil penitus latet, et sic oret cum erubescentia maxima atque pudore, quod coram oculis ejus tam turpiter et inique se habuerit; quam incircumscripta sit omnipotentia et majestas illius, sicque oret et psallat cum omni reverentia, attentione, atque custodia cordis.

Præterea perpendamus qualiter rei mortis temporalis deprecentur hominem judicem, si aliqua sit eis spes evadendi, quam lacrimose, quam clamorose, quam humiliter, compuncte, qualiter se prosternant. Si igitur taliter invocant hominem, qui vel semel meruerunt occidi : quam lacrimosissime, affectuosissime, humillime oportet nos, qui millies æternam damnationem meruimus, invocare judicem Deum? Videmus

quoque, quam reverenter, attonite, custodite adstent, loquantur ac serviant majoribus, prælatis, regibus et principibus, eorum ministri : nonne ergo cum summa custodia, cum præcordiali reverentia, cum omni amoris ac timoris affectu, cum profundissima humilitate et attentissima mente oportet nos sacrificium laudis, thymiama orationis,
Ps. II, 11. cultum mentis et corporis exhibere Altissimo? Juxta quod scriptum est : Servite Do-
Jer. XLVIII, 10. mino in timore, et exsultate ei cum tremore. Etenim maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Et ipse Dominus Deus noster in suo obsequio respuit indevotum,
Apoc. III, 16. evomit tepidum, negligentem contemnit, inobedientem repellit. Qui enim declinat
Prov. XXVIII, 9. aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Peccatori demum impœni-
Ps. XLIX, 16. tenti dixit Deus : Quare tu enarras justitiam meam ? Nec speciosa est laus in ore
Eccli. XV, 9. peccatoris.

Præterea formam orandi præscribit pœnitenti Guillelmus Parisiensis episcopus in libro suo de Pœnitentia et Divina rethorica, id est oratione, dicendo : Ha, ha, ha ! Domine Deus, Pater misericordiarum, audeone venire et apparere coram te, et in conspectu angelorum sanctorum, susceptor ingratus beneficiorum tuorum, impudens exsecrabilisque abusor eorum, qui toties et tam diu beneficiis tuis te impugnare non timui, qui stipendiis tuis militare contra te diabolo non erubui, qui dona tua in arma diaboli vertere non expavi, qui me ipsum adversario tuo diabolo exhibui servum, imo et gladium flammeum ac ignitum ad vulnerandum et interficiendum animas proximorum ? Heu, heu ! quoties linguam meam exhibui arcum mendacii ! quoties detractionis et adulationis sagittas emisi ! Tu me de massa perditionis in filium gratiæ tuæ elege-
Rom. VIII, 17. ras, in confratrem et coheredem unigenito Filio tuo adoptaveras, atque ad cœlestis regni gloriam et honorem vocaveras : et ego his omnibus spretis, in spurium et degenerem me converti ; ego me tradidi diabolo distrahendum per sterquilinia luxuriæ, per spineta avaritiæ, per flatus et procellositates superbiæ ; et per pretiosissimas talentorum tuorum divitias, paupertatem nuditatemque animæ, imo infernalem calamitatem, mihi mercatus sum, infernalibus quoque dilaniandum me ac devorandum projeci.

Hanc orationem doctor præfatus prolixe prosequitur : quam unusquisque juxta mensuram illuminationis sibi concessæ prosequi potest. Et pro excitanda compunctione atque fovenda humiliatione, potest se in suo secreto coram Deo instar latronis
I *Esdr.* IX, 6. manibus retro dorsum detentis exhibere dicendo : Ecce, Domine Deus, confundor et erubesco faciem meam levare coram vultu sanctitatis et gloriæ tuæ immensæ, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt super caput meum, et delicta mea creverunt usque in cœlum. Fateor, Domine, quia indignus sum pane quo vescor, indignus sum terram calcare, aerem respirare, et omnium creaturarum tuarum usu et obsequio statui me indignum : imo plane hoc merui, ut omnes contra me insurgant, et Creatoris sui in me injurias ulciscantur. O Domine, quid hic dicam ? Certe si quis terreni regis prolem necasset, si sponsam ejus aut filiam violasset, nonne ipsa morte amarius et intolerabilius ei esset cogi illi præsentari ? Porro filiæ tuæ ac sponsæ carissimæ, sunt animæ fideles devotæ, quarum plurimas scandalizasse me vereor, et exemplo aut negligentia peremisse. Quantum ergo coram te erubescere, formidare, pœnitere, humiliare et
Luc. XVIII, 13. emendare me teneor ? Unde nec oculos ad cœlum levare præsumens, cum publicano pectus meum percutio, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Quod utinam ea

contritione proferrem qua protulit David, Peccavi Domino, ut merear cum eodem audire : Dominus transtulit peccatum tuum. II Reg. XII, 13.

Recitatio gestorum exemplaris veraciter pœnitentium.

Nunc dicta sunt aliqua de vehementia et acerbitate veræ contritionis. Sed quoniam in moralibus exempla interdum plus movent quam verba, et ipsa moralia documenta tanto sunt perfectiora quanto ad particularia plus descendunt : volo adhuc breviter recitare quorumdam pœnitentium gesta et verba ædificatoria valde. Itaque Climacus, qui decem et novem annis fuit monachus monasterii montis Sinai, deinde annis quadraginta duxit eremiticam vitam, postmodum in abbatem montis Sinai electus atque assumptus, refert se multis fuisse diebus in monasterio grandi, conversationis sanctissimæ, in quo exstitit carcer, et reclusi in eo admirabilem vitam duxerunt, qui verbis et factis ostenderunt se habere contritionem verissimam, quos ipse Climacus anxio visitavit affectu, quemadmodum refert :

Quum accessissem, inquiens, in pœnitentium mansionem, vidi et audivi ibidem facta et verba quæ possent vim Deo facere, et inclinare ejus benignitatem. Vidi quosdam incarceratorum illorum cunctis noctibus vigiles stare usque mane, pedes tenendo immotos, et a vi naturæ miserabiliter præ defectu somni confractos : qui dejicientes se ipsos, ignominiis et improperiis increpabant se jugiter, nullam sibi requiem tribuentes. Alios vidi in cœlos lamentabiliter adspicientes, et inde auxilium cum gemitibus, fletibus, et ejulatibus invocantes. Alios vidi in orationibus die et nocte stantes, et more damnatorum manus retro ligatas tenentes, qui vultum suum obscurum et mœstum declinaverunt in terram, indignos se arbitrantes cœlum adspicere. Alios vidi in pavimento sedentes, in sacco et cinere, qui faciem suam genibus operientes, frontem in terram percutiebant. Alios vidi pectus suum semper tundentes, suamque vitam ad memoriam revocantes, qui et pavimentum lacrimis irrigabant. Porro alii lacrimari non valentes, se ipsos disciplinis diris cædebant. Vidi ibi quosdam mœrore, et more, et meditatione, excedere semetipsos; stupentes et quasi mutos, ad omnia quoque quæ sunt mundi insensibiles factos, mentem suam profundantes de cetero in totius humilitatis abyssum. Alios vidi repletos mœstitia sedentes, terramque intuentes, et sua capita indesinenter moventes, ac instar leonum e medio cordis sui emittentes rugitus, dentibus quoque frendentes, et angustiatos. Vidi ibi animas humiles et contritas incurvatas sub pondere oneris, potentes vocibus suis lapideum cor compungere, quæ dixerunt : Scimus, o Domine, quia sufficientes non sumus ad satisfactionem et rationem reddendam debitorum nostrorum, etiamsi universum convocaverimus et adduxerimus orbem plorantem pro nobis. Hoc vero, o Domine, deprecamur, ne in furore tuo Ps. VI, 2. arguas nos, neque in ira tua corripias nos; sed a multis comminationibus tuis, et a tormentis dissimilibus, innominatis et occultis, nos libera. Ibi erat videre linguas adustas, et instar canum ex ore projectas. Vidi ibi genua a genuum flectionum multitudine arefacta, oculos extra factos, et intus in parte concavos ad profundum, capillis privatos, atque a calidarum lacrimarum fervore genas exustas, facies tabidas et pallidas, a mortuis modice differentes, pectora plagis dolentia. Ubi in illis apparentia risus, otio-

sumve verbum? ubi ira aut furor? qui neque si in hominibus ira esset, sciebant, luctu in eis iram prorsus exstinguente. Omnia quoque indumenta eorum dirupta ac sordida, septupedibus aut pulicibus cooperta.

Hæc multaque his consimilia ardua Climacus refert de illis, quorum multa dimitto: neque enim hæc omnibus sapiunt, sed quibus datum est. Verumtamen horum consideratione discamus nostram qualemcumque pœnitentiam pro nihilo reputare, et majora perfectioraque aggredi. Si enim peccati enormitatem pensemus, divinæ justitiæ immensitatem intueamur, ac futurorum suppliciorum acerbissimam immanitatem atque æternam acerbitatem lucide speculemur : puto quod et præfata pœnitentiæ opera arbitrabimur parva, et accingemus nos ad producendum dignos pœnitentiæ fructus.

ENARRATIO

IN SEPTEM PSALMOS

PŒNITENTIALES

ENARRATIO IN PSALMUM I PŒNITENTIALEM

Ps. vi. 2 *DOMINE, ne in furore tuo arguas me,* A
neque in ira tua corripias me.

Quam humiliter et compuncte, quam
lacrimose, affectuose et contrite debeamus
hunc versum proferre, patet ex introdu-
ctis. Peccator ergo suorum excessuum
multitudinem magnitudinemque perpen-
dens, quantam per eos damnationem pro-
meruit pensans, timens ac tremens, di-
vinæ quoque justitiæ rigorem advertens,
sic orsus est exorare : *Domine, ne in
furore tuo arguas me.* Ac si dicat : Scio,
o Domine, quod nullum peccatum permit- B
Job xxiv, 12. tis inultum, juxta illud Job, Deus inultum
abire non patitur : idcirco non peto non
Apoc. iii, 19. argui, præsertim quum dixeris, Ego quos
amo, arguo et castigo ; verum hoc oro, ne
in furore tuo arguas me, hoc est secun-
dum rigorem justitiæ tuæ, præsertim in
particulari aut generali judicio me æter-
naliter condemnando. Quod adeo est pa-
Job xiv, 13. vendum, ut sanctus Job oraverit : Quis
mihi tribuat ut in inferno protegas me
et abscondas me, donec pertranseat furor
tuus, et constituas mihi tempus in quo C
recorderis mei ? Hinc et sanctificatus in
utero Jeremias precatus est : Corripe me, Jer. x, 24.
Domine, verumtamen in judicio (id est in
moderamine pio tuæ discretionis, juxta
imbecillitatem meæ capacitatis), et non
in furore tuo, ne forte ad nihilum redi-
gas me.

Neque in ira tua corripias me. Tan-
quam dicat : Non solum, o Domine, expa-
vesco et perhorresco argui in tuo furore
per æternæ damnationis inflictionem, jux-
ta illud, Ite, maledicti, in ignem æter- Matth. xxv, 41.
num ; sed et minorem metuo illam ultio-
nem, videlicet purgatorii pœnam, omnibus
hujus vitæ tormentis acerbiorem. Hanc
quoque metuo vehementer. Quis enim pro
omnibus hujus mundi divitiis, deliciis et
honoribus, vellet per unum diem nudo
corpore in ardenti jacere fornace ? Ecce
quam æstuantissimus fuit fornax ille Chal-
daicus, de quo Daniel : Non cessabant, Dan. iii, 46, 47.
inquit, ministri regis succendere forna-
cem naphtha, et stuppa, et pice, et mal-
leolis : ita ut flamma ignis effunderetur
super fornacem cubitis quadraginta no-
vem. Quis pro omnibus mundi regnis
vellet per unam horam in tali torqueri

NOTA. — Secuti sumus Colonienses editiones ann. 1530, s. t. n., et 1532, apud Melchiorem Novesianum.

incendio ? Cur ergo non magis veremur purgatorii pœnas ? præsertim quum et S. Thomas ac alii quidam super quartum scribant Sententiarum, quod non solum pœna sensus, sed etiam pœna damni ipsius purgatorii, universa hujus vitæ excedat supplicia.

Præterea, interdum quoque in sæculo isto infligit Omnipotens pœnas humanæ infirmitati quasi intolerabiles, prout sanctus Job sibi contigisse insinuat, alloquens (*Job* xxx, 20, 21.) Deum : Clamo ad te, et non exaudis me ; sto, et non respicis me : mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Tale quoque in novo Testamento parentibus S. Clementis, sancto item Eustachio ejusque conjugi, legitur accidisse. Potest ergo versiculus iste et ita intelligi, ut pœnitens ab hujusmodi reprehensione et castigatione postulet præservari : quemadmodum filii Israel a crudeli Antiocho ac satellitibus ejus im- (II *Mach.* x, 4.) maniter tribulati, scribuntur orasse ut si quando peccarent de cetero, mitius punirentur, nec tam crudelibus traderentur tyrannis. — Verum circa hoc quæri potest, quomodo Deus quandoque sic punit (I *Cor.* x, 13.) in præsenti, quum dicat Apostolus, Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari super id quod potestis. Dicendum, quod quamvis Deus nonnunquam permittat suos tentari et affligi super id quod possunt per naturam, non tamen super id quod possunt per gratiam, quum et idem ipse te- (II *Cor.* i, 8.) stetur Apostolus : Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut nos tæderet vivere. Sic et Moyses ab improba plebe Israel excessive afflictus locutus est Deo : (*Num.* xi, 15.) Obsecro ut interficias me, ne tantis afficiar malis.

Insuper est et alia quædam reprehensio Dei in sæculo isto, ex furore ejus procedens, qua arguit ipsum Cain dicendo, (*Gen.* iv, 9.) Ubi est frater tuus ? et rursus, Quid feci- (*Ibid.* 10.) sti ? Quem foris per justitiam increpavit, sed per gratiam intus non unxit : ideo Cain verba Dei audire corporaliter potuit, sed emendare contempsit, ut beatus scribit Gregorius. A tali igitur correptione præservari petamus, et Dominum deprecemur ut dum aut intus aut foris nos arguit, per instinctum angelicum, per prælatos aut judices, aut prædicatores Ecclesiæ, intus gratiose nos ungat, ita ut acquiescamus et emendemus. — Denique ex Scripturis docemur, esse et aliam Dei correptionem et redargutionem, non ex furore et ira, sed ex paterna potius caritate dulcique pietate descendentem. De qua Salomon contestatur : Quem diligit Domi- (*Prov.* iii, 12.) nus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. Ab hac pœnitens non postulat erui, quum præmittatur ibidem : Discipli- (*Ibid.* 11.) nam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis.

Postremo hic quæritur, cur in Scripturis veteris Testamenti furor et ira tam frequenter imperturbabili, impassionabili, ac tranquillissimo Deo attribuantur. Respondendum, quod multiplici ratione ad nostram commonitionem hoc factum est. Primo, ne quis sibi de misericordia Dei immoderate ac temere blandiatur. Hinc Ecclesiasticus : Non adjicias, inquit, pec- (*Eccli.* v, 5-7.) catum super peccatum ; et ne dicas, Miseratio Domini magna est : misericordia enim et ira cito ab illo proximant, et in peccatores respicit ira illius. Secundo, ad incutiendum nobis salubrem timorem, quatenus ponderemus quam horrendum sit (*Hebr.* x, 31.) incidere in manus irascentis furentisque Dei. Tertio, ad designandum districtionem ultionis divinæ, præsertim in vita futura. Unde et Deus irasci et furere perhibetur, propter similitudinem effectus seu ultionis, non propter veritatem commotionis aut passionis. Nam et ipse, qui per Jeremiam toties de suo fatur furore, nihilo minus per eumdem fatetur Prophetam : Numquid ad iracundiam me provocant ? (*Jer.* vii, 19.) Nonne semetipsos, in confusionem vultus sui ? Quarto, quoniam lex Moysis lex fuit timoris, sicut lex Christi lex est amoris. Hinc Deus per verba et facta, per comminationes et celeres ultiones timorem populo illi duræ cervicis incussit. Ideo scri-

Nahum I, 2. ptum est : Deus æmulator, et ulciscens Dominus; ulciscens Dominus, et habens furorem.

3 *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

Quemadmodum nono de Civitate Dei asserit Augustinus, misericordia est alienæ miseriæ in corde nostro compassio, qua alteri subvenimus. Hinc secundum Damascenum libro secundo, De Fide orthodoxa. misericordia est tristitiæ species, et quidam dolor. Sicque designat motum sensitivi appetitus; nec ita est virtus, sed passio; nec convenit Deo nisi per similitudinem operis, ut de furore et ira expressum est. Alio modo, misericordia nominat motum seu affectum appetitus intellectivi, quo misericordi displicet malum alterius, puta miseria ejus, et relevat eam. Quumque duplex sit malum, videlicet malum pœnæ, et malum culpæ, certum est malum culpæ esse deterius malo pœnæ. Idcirco miseria culpæ est major ac pejor quam miseria pœnæ. Unde ad misericordem potissime pertinet, alium a miseria culpæ eripere, ac ejus defectum supplere, opemque impendere. Et sic misericordia convenit Deo : imo potissime et excellentissime competit ei, in tantum ut proprium ei dicatur misereri ac parcere, qui et omnipotentiam suam parcendo et miserendo maxime manifestat. Ei quippe ex propria bonitate, liberalitate ac pietate, imo et caritate qua diligit universa quæ condidit, præcipue rationales creaturas, summe et primo ac universaliter convenit omnibus subvenire, omnia conservare, peccatis ignoscere, a miseriis relevare : qui aperit manum Ps. CXLIV, 16. suam et implet omne animal benedictione. De quo legitur : Misereris omnium, Sap. XI, 24, 25, 27. quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam : diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti; parcis autem omnibus, quoniam tua sunt.

Itaque, *Miserere mei, Domine,* id est, per modum compatientis mecum te habe, A et a miseriis culpæ ac debitæ pœnæ me purga et libera, *quoniam infirmus sum.* Motivum miserendi est duplex : Unum ex parte miserentis, quod est ipsa bonitas, dilectio, pietas, liberalitas, misericordia ejus, seu etiam dispositio naturalis qua aliqui naturaliter ad actus misericordiæ proni sunt, ut S. Eustachius, qui per hujusmodi actus adhuc gentilis coluit Christum. Atque beatus Job de se vere protestans : Ab infantia, inquit, crevit mecum Job XXXI, 18. miseratio, et de utero matris meæ egressa B est mecum. Hujus motivi intuitu petiit sibi misereri editor hujus psalmi, in alio loquens ac deprecans psalmo : Secundum Ps. XXIV, 7. misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine. Sic et Daniel legitur orasse : Propter temetipsum, Dan. IX, 17, 18. Deus meus, inclina aurem tuam, et audi me. — Aliud miserendi motivum est ex parte miseri seu afflicti, utputa miseria seu indigentia ejus, vel propinquitas aut pertinentia ejus ad miserentem. Et hoc modo petit Psalmista in isto versu sub C persona cujuslibet pœnitentis sibi ignosci, dicens : Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, id est impotens ad resistendum tentationibus et peccatis, pronus ad vitia, vulneratus quatuor vulneribus ex originali peccato inflictis : quæ sunt ignorantia in ratione, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, concupiscentia in vi sensitiva concupiscibili. Itaque, Infirmus sum ad resistendum et prævalendum, præsertim invisibilibus hostibus animæ meæ, sine auxilio gratiæ D tuæ : ideo non confido in me, sed tuo innitor auxilio. Qui suam infirmitatem coram Deo sic confitetur, ab ipso adjuvari ac confortari meretur, juxta illud : Do- Is. XXV, 1, 4. mine Deus meus, confitebor tibi, quoniam factus es fortitudo pauperi et egeno in tribulatione sua.

Sana me a læsione peccati, et a reliquiis ejus, quæ manent in anima etiam post remissionem peccati, et sunt pronitas seu inclinatio ad peccandum, atque debilitas ad resistendum : quæ reliquiæ

tanto plus ab anima exstirpantur, quanto plus in gratia atque virtutibus crescit. *Quoniam conturbata sunt ossa mea.* Potest hoc uno modo de corporalibus ossibus accipi. Quum enim contritio sit maximus dolor in superiori animæ appetitu, operatur redundantiam magnam in partem sensitivam et corporalem naturam, in tantum ut in ossa corporum suo modo redundet. Unde in alio psalmo pœnitentiali *Ps.* CI, 6. habetur : A voce gemitus mei, adhæsit *Ibid.* 4. os meum carni meæ ; itemque, Ossa mea sicut cremium aruerunt. Potest quoque exponi de naturalibus superioribus et fortioribus viribus animæ, intellectu, voluntate, memoria, quæ ex vehementi contritionis acerbitate immutantur, terrentur, et *Baruch* II, 18. affliguntur, secundum illud : Anima tristis super magnitudine mali, quæ incedit curva et infirma, et oculi deficientes præ *Jonæ* II, 8. dolore. Et Jonas ait : Quum angustiaretur in me spiritus meus. Tertio potest exponi de virtutibus, quæ sunt robur, munimentum, sustentamentumque animæ, quemadmodum corporalia ossa carnis. Porro pœnitentia universas animæ virtutes convocat secum in domum luctus, ut lugeant secum, et unaquæque earum defleat vitium sibi contrarium, ut castitas luxum, liberalitas tenacitatem : in qua deploratione pœnitentiali ipsæ virtutes salubriter conturbantur, id est, ad exhorrendum ac puniendum peccata incitant mentem. De hac invocatione ad flendum in Ecclesiaste *Eccle.* VII, 3. legitur : Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. Hinc demum Antisiodorensis in Summa sua libro quarto disseruit : Cujuslibet virtutis est contristari, pœnitere, et flere de vitio sibi contrario, sicut gaudere in suo actu virtuoso.

4 *Et anima mea turbata est valde ; sed tu, Domine, usquequo ?*

Qui etenim peccata sua distincte ac lucide intuetur, et eorum enormitatem vigilanter perpendit, tormenta quoque quæ per ea promeruit limpide speculatur, quanta etiam nocumenta, id est gratuitorum A spoliationem, naturalium vulnerationem, æternæ salutis amissionem, per ea incurrit, sapienter perpendit : quid mirum si valde, imo et vehementissime, conturbetur, formidet, obstupescat, tristetur ? Denique, sicut corporaliter videntium triplex est genus (quidam namque cæcutientes sunt, qui non nisi grandia corpora cernunt, faciliterque in minora impingunt ; alii mediocriter vigent visu ; alii quasi lynceo pollent intuitu : minima tamen, ut sunt atomi volitantes in aere, vix aliquis B videt, nisi in ipso solis radio clarius infulgente) ; sic spiritualiter videntium genus est triplex : Unum, eorum qui jam illuminari cœperunt, ita ut mortalia sua attendant peccata, et pœnitent inde, venialia vero non ponderant : qui incipientes dicuntur. Secundum, eorum qui in divina proficiunt illuminatione et caritate, ita ut quotidiana sua peccata venialia consueta et grossiora intelligant et deplorent, confiteantur et vitare conentur : qui proficientes vocantur. Tertium C est eorum qui radio sapientiæ salutaris abundantius jam perfusi, caritatis quoque ardore succensi, etiam minimas culpas et omissiones, mentisque distractiones, et imperfectiones acute considerant, vehementer abhorrent, cordialiterque deplangunt, et ea in se acriter ulciscuntur : qui perfecti censentur. Præterea constat, quod quanto quis plenius desuper illustratur, tanto peccatorum labem, pluralitatem et gravitatem subtilius inspicit, amarius deflet, vehementius detestatur, odit et vitat. D Hinc viri sancti sua peccata quotidiana quasi mortalia ponderant et deplangunt : etiam multo plus quam pusilli et imperfecti sua mortalia.

Itaque, horum consideratione, et ex tua metuendissima comminatione, *anima mea turbata est valde ; sed tu, Domine, usquequo ?* id est, quamdiu manebo in ista anxietate, in ista turbatione et inquietudine animæ, sine consolatione tua interna, et absque dulci fiducia veniæ obtinendæ ? Naturale quippe est animæ velle gaude-

re, consolationem exquirere ; et durum A est valde in gravi afflictione sine admixta lætitia permanere, juxta illud Michææ : *Mich.* IV, 9, 10. Et nunc quare mœrore contraheris? quoniam innovavit te dolor sicut parturientem. Salvabo te, et liberabo te ; noli timere. *Habac.* I, 2. Sic et Habacuc : Usquequo, Domine (ait), clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? Verum in tali afflictione atque angustia, servanda est patientia inconcussa, ita ut omne carnale et inordinatum vitetur solatium, et mens afflicta ad Deum adspiciat ac respiret, B æquanimiter ferens ac fervide postulans consolationem ipsius, qui in talibus solet gratiose succurrere ac dulciter advenire, juxta illud in alio psalmo : *Ps.* LXXVI, 3, 4. Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum. Tobias quoque ait : *Tob.* III, 22. Non delectaris, Domine, in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis. — Denique, juxta hunc modum turbatus fuit valde Manasses rex Juda, peccator gravissimus, sed profun- C dissime pœnitens : *Oratio Manassæ.* Peccavi, inquit, super numerum arenæ maris; multiplicatæ sunt iniquitates meæ ; et non est respiratio mihi, quia excitavi iracundiam tuam.

5 *Convertere, Domine, et eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam.*

Peccator pœnitens, et ex divinorum consideratione judiciorum æternaliumque pœnarum valide contremiscens, desperare nullatenus debet, sed ad divinæ pietatis abyssum confugere atque remedium D flagitare : ita ut abyssus miseriarum abyssum invocet misericordiarum. Sic etenim devotus rex Josaphat loquebatur Deo : *II Par.* XX, 12. In nobis non est tanta fortitudo, ut possimus resistere adversariis nostris; sed quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Ita et nunc pœnitens cujus anima turbata est valde, sciens se manum Dei, hoc est justitiam et omnipotentiam Judicis mundi, non posse effugere, ad ejus misericordiam infinitam festinat confugere, *Convertere,* dicens, *Domine.* — Constat Deum altissimum invariabilem prorsus esse, qui per Malachiam contestatur : Ego Dominus et non mutor. *Malach.* III, 6. Quomodo ergo convertitur, qui ab una dispositione in aliam in se ipso nequaquam mutatur? Et respondendum, quod in se ipso minime variatur, sed in creaturis diversimode operatur : et nunc misericordiæ, nunc justitiæ actum exercet ; nunc dulciter miseretur, misericorditer suffragatur, nunc juste relinquit, dire repellit, inexorabilisque videtur. Convertitur ergo Deus, quia se ipsum libere vertit a severitate justitiæ ad dulcorem clementiæ : quod totum immutabiliter agit secundum tenorem æternæ ac perfectissimæ providentiæ suæ. Sicque Zacharias hortatur ac pollicetur : Convertimini ad me, et *Zach.* I, 3. convertar ad vos. — Sic ergo, Convertere, Domine, *et eripe animam meam* a nimia sua turbatione, a culpa et pœna, a potestate diaboli, a jugo peccati, a laqueis inimici, ut cum Isaia decantem : Confi- *Is.* XII, 1. tebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi; conversus est furor tuus, et consolatus es me.

Salvum me fac a meis miseriis, gratiam conferendo in præsenti, et gloriam in futuro : quod tibi soli est proprium, qui per Isaiam fateris : Deus justus et *Ibid.* XLV, 21. salvans non est præter me ; per Osee quoque, Ego Dominus Deus tuus, et salvator *Osee* XIII, 4. non est præter me. Sic, Salvum me fac *propter misericordiam tuam,* ex propria pietate, non ex mea æquitate, quæ aut nulla, aut parva est. Quemadmodum dictum est paulo ante, duplex est motivum miserendi : unum ex parte miserentis, aliud ex parte miseri indigentis. Primum motivum allegat nunc pœnitens, deprecando : Salvum me fac propter misericordiam tuam, hoc est, quia in te et ex tua natura infinite misericors es, qui per Isaiam dixisti : Propter me ego faciam. De *Is.* XLVIII, 11. quo et in Ezechiele : Non propter vos ego *Ezech.* XXXVI, 22. faciam, ait Dominus, notum sit vobis; sed

propter nomen sanctum meum. — Potest et ita exponi : Salvum me fac propter misericordiam tuam finaliter, ob tuæ adorandæ misericordiæ manifestationem et ad tui ipsius gloriam et honorem, ut tua pietas innotescat et glorificetur ab hominibus. Sic nempe et Salomon loquitur : *Prov.* xvi, 4. Universa propter se ipsum operatus est Dominus. Atque uti Esdras effatur : *IV Esdr.* viii, 31, 32, 36. Tu, Domine, propter nos peccatores misericors vocatus es; itemque, Recte misericors appellaris, si misertus fueris nostri, nobis non habentibus substantiam bonorum operum. Denique quidquid omnipotens incomprehensibilis Deus in electis agit et reprobis, totum ad suæ misericordiæ aut suæ justitiæ declarationem repræsentationemque facit, et ad suæ gloriam majestatis, dicente Apostolo : *Rom.* ix, 22, 23. Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum : ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam suam.

6 *Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?*

Hic pœnitens aperit unam causam, cur tam anxie et ferventer repetitisque vicibus indulgeri sibi precetur, et gratiam ac salutem sibi præstari : videlicet, quoniam *Eccle.* ix, 10. post hanc vitam, non est indulgentiæ locus nec tempus merendi, neque spes veniæ aut salutis, his qui in peccato decedunt mortali : et hoc, de lege communi, quamvis Deus ex privilegio aliud facere queat; prout libro secundo asserit Damascenus : *De Fide orthodoxa.* Quod angelis est casus, hoc hominibus est mors. Quemadmodum etenim angeli manent perpetuo in ea aversione qua corruerunt de cœlo; sic homo in ea dispositione seu affectione, hoc est conversione aut aversione, qua discedit a corpore. Et hoc est quod in Ecclesiaste legitur : *Eccle.* xi, 3. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. In quibus verbis per lignum intelligitur homo, per austrum status seu fervor caritatis, per aquilonem frigus impietatis.

Quum ergo tam incerta et brevis sit vita præsens, ut nec diem sciam nec horam, *Matth.* xxv, 13. merito ita oro, *quoniam non est in morte,* id est in interitu æternæ damnationis (de qua morte Apocalypsis loquitur : *Apoc.* xxi, 8. Pars iniquorum erit in stagno ardente igni et sulfure, quod est mors secunda), *qui memor sit tui.* Impii in inferno per experientiam suarum pœnarum Deum cognoscunt, odiunt et blasphemant, secundum illud in alio psalmo : *Ps.* lxxxii, 18, 19. Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi ; et confundantur et pereant ; et cognoscant quia nomen tibi Dominus. Verum cognitio illa pœnalis est infructuosa, nec reputatur. Propter quod ait Scriptura : *Eccle.* ix, 10. Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* quasi dicat : Damnati per definitivam sententiam, qui sunt in inferno inferiori, nunquam confitentur tibi salubriter, confessione propriæ culpæ, neque confessione laudis divinæ, quum sint obstinati in malo ; nec pœnitent de peccato in quantum est offensivum inhonorativumque Dei, et turpe ac deforme in se, sed solum in quantum est eis causa tantæ miseriæ. Unde scriptum est : *Sap.* v, 2, 3. Videntes conturbabuntur timore horribili, intra se pœnitentiam agentes. Et sequitur ibi : *Ibid.* 14. Taliter dixerunt in inferno qui peccaverunt. Neque his obviat quod Trajanus imperator dicitur de inferni suppliciis liberatus ad preces sancti et magni Papæ Gregorii : hoc namque ex privilegio creditur factum, nec per definitivam sententiam fuit absolute damnatus. Multi quoque qui in peccatis obierunt mortalibus, et forsitan ad tempus in inferno fuerunt, per preces Sanctorum resuscitati leguntur. Præterea advertendum quod super quartum Sententiarum asserit Thomas : Damnati nil valent considerare

eorum quorum consideratio possit eorum A relevare supplicium ; sed ea dumtaxat quorum consideratio auget eorum calamitatem.

Hæc omnia diligentissime ponderemus, nec indultum pœnitentiæ tempus infructuose aut negligenter perdamus. Imo, quo morti quotidie propinquiores efficimur, eo omni die timoratiores, diligentiores, atque in omni bono opere ferventiores esse curemus, et quidquid boni valemus, operemur instanter, sicut admonet Christus : Vigilate ergo, quia nescitis qua hora B Dominus vester venturus sit ; et denuo : Vigilate (nescitis enim quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes. Unde et Baruch : Non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus eorum, dabunt honorem Domino.

Matth. XXIV, 42. *Marc.* XIII, 35, 36. *Baruch* II, 17.

7 *Laboravi in gemitu meo ; lavabo per singulas noctes lectum meum ; lacrimis meis stratum meum rigabo.*

Hic sanctus David ad omnium informa- C tionem pœnitentium, exprimit ea quæ ad verum pertinent pœnitentem, quæ item orationem ejus reddunt exaudibilem et acceptam : quæ sunt satisfactio pro peccatis, et continuatio satisfactionis, contritionis ac fletuum in futurum. *Laboravi,* inquit, *in gemitu meo :* pro peccatis meis gemendo, et ad tuam misericordiam suspirando, operibus satisfactionis institi cum labore, et mentis ac corporis afflictione. Quum enim in peccatis sit delectatio inordinata, seu propriæ voluntatis relaxatio D prava ; justum est ut in operibus satisfactionis (ut sunt oratio, jejunium, disciplina, eleemosynarum largitio, peregrinatio) sit labor, dolor, afflictio : ut contrariis curentur contraria. Sicque unum et idem opus in quantum venit ex caritate, est meritorium, et prout ultra hoc est labori adjunctum, dicitur satisfactorium.

Lavabo per singulas noctes lectum meum. Potest et istud de corporali lecto intelligi, quum pœnitenti conveniat nocturnis temporibus præsertim, orationi, devotioni, contritioni vacare, nec in ipso lecto a lacrimarum profluviis penitus abstinere, quotiesque excitatur a somno, mox ad Deum erigere mentem : et sic Deo offerre spiritum pœnitentem, quantum vires capitis queunt sufferre, et cum discretione cuncta peragere, dicente Apostolo : Rationabile obsequium vestrum. *Rom.* XII, 1. Potest quoque per lectum conscientia designari, in qua, si munda sit, quies est animæ. Hic lectus purgatur per lacrimas multo nitidius quam vestis per aquas, Christo testante : Beati qui lugent, quoniam ipsi *Matth.* V, 5. consolabuntur. Deinde ad confirmationem dicti, idem sensus per alia repetitur verba : *lacrimis meis stratum meum rigabo.* Per stratum potest corpus intelligi, quod substratum est animæ, et locus est suæ quietis, saltem quandoque : quod lacrimis pœnitentiæ saluberrime irrigatur, dum genæ beatis fletibus perfunduntur. Totum namque denominationem sortitur a parte.

O quanta est virtus lacrimarum ex sancta caritate, ex sincera contritione, ex vera devotione manantium ! Propter quod ait Hieronymus : O lacrima sancta ! tuum est regnum, tuum imperium, tu coram Altissimo intras, cœlumque penetras, atque faciliter quidquid vis impetras. Denique archiapostolus Petrus flendo amare, *Ibid.* XXVI, 75. veniam et majorem quam ante habuerat gratiam procuravit. Idem quoque, ut S. Clemens descripsit, omni nocte a primo gallorum cantu, flevit uberrime, ita ut sacra facies ejus quasi adusta videretur. Quantam demum veniam, gratiam ac virtutem, beatissima Maria Magdalene plorando obtinuit, Evangelium pandit. *Luc.* VII, 37 *et seq.* Sic etiam viri virtutum, Dei et proximorum succensi caritate, non sua dumtaxat, sed et proximorum, potissime subditorum, lugent peccata, sicut Apostolus recitat se fecisse. *II Cor.* XII, 21. Daniel quoque propheta : Eram, ait, lugens trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum. *Dan.* X, 2, 3. Et idem alibi, non ad suam laudem, sed

Dan. IX, 3. ad nostram scribit ædificationem : Posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare et deprecari in jejunio, sacco et cinere. Talis afflictio ac humiliatio cordis et corporis, valde efficacem reddunt orationem. — Sic igitur defleamus in primis propria, deinde et proximorum peccata, in quantum inhonorativa et offensiva sunt Dei, fœda, perversa, et vilia in se *Jer.* IV, 14. ipsis, sicut et Jeremias hortatur : Lava a malitia cor tuum, ut salva fias. Itemque : *Ibid.* XIV, 17. Deducant, inquit, oculi mei lacrimas per diem et noctem, et non taceant : quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei.

Circa hæc quæritur : primo, utrum ad hoc quod opera pœnitentiæ sint satisfactiva atque idonea, oporteat ea fieri ex caritate et vera contritione, sicut hoc loco insinuari videtur ; secundo, an oporteat contritionem et pœnitentiam esse continuam, sicut hic dicitur, Lavabo per singulas noctes, etc.

Ad primum istorum respondet Antisiodorensis in Summa sua, libro quarto : Quidam sunt qui sciunt se opera satisfactionis fecisse in peccato mortali : hi tenentur pœnitentiam iterare. Alii dubitant inde, quorum duo sunt genera. Quidam namque non satisfecerunt, sicut qui fuerunt in peccato mortali, non tamen scienter : et hi iterare pœnitentiam obligantur. Aliqui sunt qui satisfecerunt in caritate, non tamen habent aliquod signum eos aliquo modo certificans quod in caritate exsistant : qui et ipsi pœnitentiam iterare tenentur. Alii probabilia habent signa caritatis et gratiæ : qui non tenentur pœnitentiam iterare. Hinc pro certo asserimus, quod pœnitentia in mortali facta sit iteranda. Qui enim in mortali peccato est, nullum bonum apud Dominum proprie promeretur, nec æternum, nec temporale, quum non serviat Deo, neque ædificet ei domum, nec hortum deliciarum in quo Dominus delectetur. Porro Nazaræi *Num.* VI, 9. totum votum suum iterabant, dum morticinum tangebant. Lex vero Nazaræorum

A non significavit communiter omnem pœnitentium vitam, sed solum vitam contemplativorum : quorum est nutrire, non radere capillos, id est bonas cogitationes ; quorum etiam est non solum melius, sed et securius agere. Hinc si vita contemplativi et perfecti tangat morticinum, id est, mortaliter peccet, ejus est totam suam pœnitentiam iterare, quamvis in caritate sit facta : quoniam sicut tenetur ad melius, ita ad tutius. Hæc Antisiodorensis. Cujus hoc ultimum verbum non vi-B detur procedere, nisi contemplativus probabiliter æstimaret se suam pœnitentiam non implesse ex caritate. — Insuper, ad secundum respondet : Semper dolendum est de peccatis, id est certis et competentibus horis, sicut ait Apostolus : Sine intermissione orate. *I Thess.* V, 17. Sicque intelligendum est quod loquitur Augustinus : Propositum pœnitentis, est semper de peccatis suis dolere, et dolere se non semper sic doluisse.

At vero Thomas super quartum, distin-C ctione 15 : Quædam, inquit, sunt satisfactiones ex quibus manet quidam effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus satisfactionis transivit, quemadmodum ex jejunio remanet corporis debilitatio, et ex eleemosynarum largitione diminutio substantiæ. Et tales satisfactiones in peccatis factas, non oportet reiterare, quoniam quantum ad id quod de eis manet, Deo per pœnitentiam sunt acceptæ. Satisfactiones autem quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, post-D quam actus transivit, oportet quod iterentur, sicut oratio et consimiles satisfactiones. Ad secundum quoque respondet, non esse de necessitate pœnitentiæ, ut usque in finem continuetur, nisi quantum ad propositum abstinendi jugiter a peccato. — Bonaventura quoque circa hæc scribit : Satisfacere ex vi nominis importat acceptationem divinam, et reconciliationem ac amicitiam. Quumque sine gratia gratum faciente impossibile sit aliquem Deo placere, et opera ejus acceptari ab

eo, aut amicitiam ejus habere, impossi- A
bile est sine caritate et gratia satisfacere
Deo. Pœnitentia autem uno modo dicitur
vera, quoniam habet ea quæ spectant ad
suam essentiam : sicque non oportet ve-
ram pœnitentiam continuari usque in fi-
nem ; sed consultum est eam continua-
ri quousque homo per signa probabilia
noscat sibi esse indultum. Secundo, pœ-
nitentia dicitur vera, quia perfecta et effi-
cax, hoc est ad finem salutis perducens :
et ita in finem est continuanda. Hæc Bo-
naventura, et consonat Alexander.

8 *Turbatus est a furore oculus meus ;*
inveteravi inter omnes inimicos meos.

Merito itaque sic plorabo, quia *oculus*
cordis mei, videlicet intellectus seu ratio,
turbatus est a furore, id est ex conside-
ratione rigoris tui judicii ac vindictæ :
vers. 4. sicut jam dictum est, Anima mea turbata
est valde. Hac consideratione Job dixit :
Job XXIII, 13, 15. Cogitationem Dei nemo avertere potest :
idcirco a facie ejus turbatus sum, et con-
siderans eum, timore sollicitor. Jeremias
Jer. XV, 17. quoque : A facie, inquit, manus tuæ solus
sedebam, quoniam amaritudine replesti
me. Vel, Turbatus est oculus meus a fu-
rore, id est ex irrationabili concupiscen-
tia : quæ recte furor libidinis nominatur,
et superiorem partem animæ in peccante
subvertit, et turbat ac inquietat, juxta
Dan. XIII, 56. illud Danielis : Species decepit te, et con-
cupiscentia subvertit cor tuum. De tali
Osee VII, 4. furore legitur in Osee : Omnes adulteran-
tes, quasi clibanus succensus a coquen-
Ibid. 5. te ; et denuo, Cœperunt principes eorum
furere a vino. Denique passiones animæ
nisi refrenentur, a medio virtutis oculum
cordis abducunt. Interdum etiam turbatur
oculus pœnitentis a furore, id est ex ve-
hementi indignatione et ira per zelum,
qua contra se ipsum et vitia propria ira-
Job XVII, 7. scitur et indignatur, secundum illud, Ca-
ligavit ad indignationem oculus meus. Sic
indignati et irati fuerunt contra se ipsos
beatissimi patres Benedictus, Bernardus,
Franciscus. Benedictus enim advertens se
concupiscentia inflammatum, mox exuit
vestes, et inter spinas se volvit. Simile
fecit Franciscus, quum persuasisset sibi
diabolus ut suo parceret corpori. Bernar-
dus quoque, advertens se oculos in fe-
minam fixisse incaute, se præcipitavit in
aquam, quousque congelaretur in ea et
fieret pene exsanguis.

Inveteravi inter omnes inimicos meos,
id est, in vitiis diu permansi, inveteratus
in eis, et veterem secutus sum hominem
inter invisibiles animæ meæ hostes et in-
ter adversarios meæ salutis. Contra quod
B hortatur Apostolus : Exuite veterem ho- Coloss. III, 9, 10; Eph. IV, 24.
minem cum actibus suis, et induite no-
vum, qui secundum Deum creatus est. Ita
inveteramur, dum pristinis moribus et
solitis vitiis implicamur, dum ecclesiæ
malignantium communicamus, dum dia-
bolo incorporamur. Unde Baruch dicit ple-
bi aversæ ac animæ peccatrici : Quid est, Baruch III, 10, 11.
Israel, quod inveterasti in terra aliena ?
Coinquinatus es cum mortuis, deputatus
es cum descendentibus in infernum. Quo-
rum ratio mox ibidem subjungitur : De- Ibid. 12, 13.
C reliquisti fontem sapientiæ : nam si in
via Dei ambulasses, habitasses utique in
pace super terram. Ab hac vetustate eri-
pimur et spiritualiter innovamur per di-
vinorum charismatum infusionem, per
spiritualem profectum, et per divinorum
contemplationem fervidumque amorem,
prout ad Ephesios monet Apostolus : De- Ephes. IV, 22-24.
ponite vos secundum pristinam conversa-
tionem veterem hominem, qui corrumpitur
secundum desideria erroris ; renovamini
autem spiritu mentis vestræ, et induite
D novum, qui (ut ad Colossenses additur) re- Coloss. III, 10.
novatur in agnitionem Dei secundum ima-
ginem ejus qui creavit illum.

Discedite a me, omnes qui operamini 9
iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus
vocem fletus mei.

Discedite a me, omnes qui operamini
iniquitatem : id est, o vos inimici ani-
mæ meæ, inter quos inveteravi, jam nunc
recedite a me. Modo enim dolos vestros
adverto, et qualiter sub specie boni me
decepistis. Hinc vestris suggestionibus de

cetero acquiescere non intendo : imo resistere volo : quod faciendo, fugabo et repellam vos a me : juxta illud Jacobi,
Jacob. IV, 7. Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Ad universos quoque quantumlibet propinquos, et caros aut sociales, qui nos ad peccatum moliuntur trahere, aut a spirituali profectu perfectionisque via impedire nituntur, debemus hæc dicere verbo aut facto. Et nisi recedant a nobis, debemus ab ipsis recedere, ad minus mentis affectu ipsis dissentiendo, quum et Christus testetur : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et fratres, et sorores, non potest meus esse discipulus. *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei,* id est orationem meam cum fletu fusam : ut pie confido, vel ex revelatione certo scio, aut ex devotione seu consolatione interna probabiliter nosco. His siquidem modis cognoscere potest orans se exauditum esse a Domino. Nempe, quum Veritas dicat, Omnis qui petit accipit, potest orans confidere se exaudiri a Deo, præsertim si rationabiliter petat et instanter. Si autem Deus per allocutionem internam, vel angelicam apparitionem, aut per allocutionem externam a sancto homine factam, ostendat se exaudisse, pro certo constat sic esse. Porro, dum pœnitens et afflictus sentit se subito consolari, et fervidum ac alacrem fieri ac bonæ spei consistere, cum pleno emendationis proposito ; tunc probabiliter et conjectura potest cognoscere se esse desuper exauditum, sicut Psalmographus iste in alio psalmo ait : Ad ipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea.

(Marginal references: *Luc.* XIV, 26. — *Ibid.* XI, 10. — *Ps.* LXV, 17.)

Circa hæc quæritur, utrum diabolus semel victus ab homine, prorsus recedat ab eo, ita ut non redeat ad tentandum eumdem. Quod videtur Origenes sensisse, ita ut nec illum nec alium de cetero posset tentare hominem. Alii dicunt, quod eumdem non valet tentare de cetero, sed alium. Quidam vero existimant, quod victus non possit victorem magis tentare de eodem peccato, sed de aliis vitiis. Verum, ut in Evangelio scriptum est, diabolus consummata omni tentatione, recessit a Christo ad tempus. Per quod insinuari videtur, quod postea rediit ad tentandum eumdem : præsertim, quum passione jam imminente dixerit Christus, Venit ad me princeps hujus mundi. Communiter etiam fertur, quod Lucifer tentavit primos parentes in paradiso, et Filium Dei in eremo, in pinnaculo, et in monte excelso ; tentaturus etiam sit, penitusque victurus et possessurus Antichristum. Præterea creditur, quod unusquisque homo a vitæ suæ principio usque ad mortem, habeat angelum sanctum custodem, et angelum malum tentatorem, qui quamvis frequenter victus, non recedit in totum, nisi completo vitæ hominis curriculo.

(Marginal references: *Luc.* IV, 13. — *Joann.* XIV, 30. — *Gen.* III, 1 *et seq.* *Matth.* IV, 1 *et seq.*)

Verum, ut super secundum Sententiarum Thomas fatetur, quæ opinionum illarum sit verior non est multum certum, quum nec auctoritate, nec ratione evidenter probetur. Scribit quippe ibidem sanctus Doctor, distinctione 6 : Omnes concedunt dæmonem semel victum, a tentatione aliquo modo cessare ; sed de hoc qualiter cesset, tres sunt opiniones : sicut jam tactum est. Opinio autem dicentium, quod postquam quis dæmonem de aliquo vitio vicit perfecte, non potest de eodem vitio tentari a dæmone victo, sed de aliis vitiis, habet causam plus manifestam : quoniam ille dicitur diabolum vincere de aliquo vitio, in quo passiones ad illud vitium inclinantes plene superantur, ut hi in quibus acquiruntur habitus virtutis consuetudinalis : et tunc non manet magna pronitas ad illud peccatum, ideo non tentantur a diabolo de hoc peccato, quia diabolus vires ipsorum cognoscit. — Porro in prima parte Summæ, quæstione 114, scribit : Aliqui dicunt, quod dæmon semel superatus, nullum de cetero potest tentare, nec de eodem peccato, neque de alio. Alii dicunt, quod alios potest tentare, non eum a quo victus est. Quod probabilius dicitur, si tamen intelligatur de impotentia illa usque ad aliquod tempus.

Cujus duplex est ratio : Una ex parte di- A
vinæ clementiæ, quia (ut ait Chrysosto-
mus) non tamdiu tentat diabolus homines
Dei ut vult, sed quamdiu Deus permittit :
qui etsi permittat illum ad tempus ten-
tare, tamen repellit tentantem, propter in-
firmam tentati naturam. Alia ratio sumi-
tur ex parte diabolicæ astutiæ, quia ut ait
Ambrosius super Lucam, diabolus insta-
re formidat, quia frequentius refugit tri-
umphari. Quod tamen aliquando redeat
ad eum quem dimisit, patet per illud Mat-
Matth. XII, 44. thæi : Revertar in domum meam, unde B
exivi. Hæc Thomas in Summa.

At vero Bonaventura : Diminutionem,
inquit, fieri in exercitu dæmonum est
probabile, quum juxta legem belli, supe-
ratus removeatur a bello. Verumtamen,
quantum, et quando, ac qualiter remo-
veatur tentator, determinare est difficile.
Ideo quidquid dicat Origenes, melius est
super hoc dubitare, quam aliquid defini-
re. Hæc Bonaventura. De his Alexander
scribit diffuse, dicitque Origenem opina-
tive esse locutum ; et responsio ejus re- C
sponsioni Thomæ satis concordat. Petrus
quoque et Richardus scribunt dæmonem
plene victum, recedere saltem ad tempus,
nisi conjiciat hominem victorem interim
debiliorem esse effectum.

Hæc breviter tango, non prosequor, pro-
lixitatem devitans. De quibus tam horum
doctorum quam aliorum opiniones, su-
per secundum Sententiarum plenius re-
citavi.

10 *Exaudivit Dominus deprecationem me-
am ; Dominus orationem meam suscepit.* D

Quod in fine præcedentis versiculi se-
mel expressit, in isto versu bis repetit : ad
insinuandum certitudinem suæ exauditi-
onis, magnitudinem quoque suæ gratitu-
dinis, itemque jucunditatem suæ men-
tis ; ut alios ad gratulandum ac gratias
agendum secum inducat, et rursus ut om-
ni pœnitenti præstet bonæ spei occasio-
nem. Est autem consuetudo gaudentium
vehementer, materiam gaudii sui frequen-
Ibid. 34. ter exprimere. Siquidem ex abundantia
cordis os loquitur ; et affectus intus abun-
dans, foris erumpit. Denique, quanto quis
dolorosius, affectuosius ac cordialius quæ-
rit ac invocat Deum, tanto celerius ac
gratiosius exauditur ab ipso, juxta illud
Deuteronomii : Quum quæsieris Dominum *Deut.* IV, 29.
Deum tuum, invenies eum, si tamen toto
corde quæsieris eum, et tota tribulatione
animæ tuæ. Quum ergo sciam me exau-
ditum,

Erubescant et conturbentur vehemen- 11
*ter omnes inimici mei ; convertantur et
erubescant valde velociter.*

*Erubescant et conturbentur vehementer
omnes inimici mei,* invisibiles hostes, quo-
rum suggestione peccavi, vel qui de mea
ruina lætati sunt : quibus modo in Deo
confidens insulto, et de eorum dejectione
exsulto. *Convertantur et erubescant valde
velociter.* Obstinati illi non convertuntur
salubriter, sed victi simul vertuntur ac
redeunt ad principem suum immediatum
seu mediatum. Nam et princeps fornica-
tionis multos sub se habet satellites dæ-
mones, similiter princeps superbiæ, prin-
ceps avaritiæ, et ita de aliis (prout super
Josue asserit Origenes) : quorum omnium
princeps est Lucifer sævus. — Potest it-
idem istud exponi de visibilibus hostibus,
ut sit sensus : *Erubescant* erubescentia
bona et salutari de suis peccatis. Nempe,
ut legitur in Ecclesiastico, Est confusio *Eccli.* IV, 25.
adducens peccatum, et est confusio addu-
cens gratiam et gloriam. Quarum utram-
que tangit Jeremias : Confusi sunt, quia *Jer.* VI, 15.
abominationem fecerunt ; quinimo confu-
sione non sunt confusi, et erubescere ne-
scierunt. Sic erubescant de turpitudine
suæ iniquitatis, et qui alios scandalizant,
inimici mei, qui odiunt me, quamvis di-
ligam eos quantum ad naturam eorum ;
convertantur ad Dominum, a quo per odi-
um, invidiam ac alia vitia sunt aversi, *et
erubescant valde velociter,* quia pericu-
lum est in mora, et nihil periculosius, ni-
hil stolidius, quam hominem in eo vivere
statu in quo mori non audet.

Ecce hunc psalmum felici compunctio-

ne, profunda contritione, ingenti anxietate, ardenti devotione refertum ac redolentem, compunctissimo corde pronuntiemus, A atque exemplo sancti David de nostris excessibus præcordialissime pœnitere discamus.

ENARRATIO IN PSALMUM II PŒNITENTIALEM

Ps. xxxi. 1 BEATI *quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.*

Si lucide ac prudenter intueamur quanta sit enormitas vilitasque peccati in se ipso, quam ineffabiliter displiceat Deo, quam intolerabilem mereatur damnationem, et qualiter peccans per peccatum fiat adversarius Christi, membrum et servus diaboli, contemptibilis omnibus Sanctis, dicemus ex corde : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates,* quibus Deus indulsit transgressiones ipsorum, saltem quantum ad culpam, *et quorum tecta sunt peccata,* omnino operta et quasi ignota Deo, per hoc quod ea dimisit, delevit, ac si non fuissent. Econtra de impœnitentibus et in suis vitiis sordentibus loquitur Amos : Cognovi multa scelera vestra (Amos v, 12.) et fortia peccata vestra. Denique dicitur Deus quædam nescire : Primo, quia non approbat ea. Unde ait Salvator : Multi dicent mihi in die illo : Domine, Domine, (Matth. vii, 22, 23.) nonne in nomine tuo prophetavimus, etc.? et tunc confitebor illis, Quia nunquam novi vos. Electæ vero Israeliticæ plebi ait : Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ. (Amos iii, 2.) Secundo, quoniam habet ea quasi non sint, nec fuerint, seu quia omnino ignovit : et sic peccata indulta ignorat.

Hi ergo beati sunt nunc in spe et merito, beatificandi postmodum in re et præmio : ita tamen ut in remissione peccati simul intelligatur infusio gratiæ, quæ est inchoatio gloriæ, et sine cujus infusione non remittitur culpa mortalis. Hinc scriptum est : Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum. (Is. xxvii, 9.) Nempe, ut Salomon fassus est : Justitia elevat gentem ; miseros facit populos peccatum. (Prov. xiv, 34.) Quid enim separat nos B a fonte nostræ salutis, nisi iniquitas nostra, quæ est summa miseria? In confessione autem sacramentali multa sunt quæ valent ad deletionem et remissionem peccati, videlicet : contritio et confessio atque humiliatio pœnitentis, oratio et absolutio confessoris, vis clavium, satisfactio quoque injuncta ; et erubescentia qua confitens de suorum vitiorum fœditate, inhonestate et enormitate verecundatur : quæ est pudor sapientialis quo intra nos coram Deo sanctitatis immensæ confundimur, C ac rubore perfundimur; quod in præsentia majestatis, puritatis ac gloriæ suæ, tam insipienter, turpiter et inique habuimus nos. Quamvis autem iniquitas sit peccatum, tamen in hoc loco per iniquitates possunt intelligi culpæ in Deum, per peccata, culpæ in proximum ; vel per iniquitates, culpæ commissionis, per peccata, culpæ omissionis. Et intelligendum est istud de non recidivantibus. Alias post perceptam remissionem rursus excedere est enormius.

D *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.* 2

Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, vel quoniam innocens est a mortali, vel quia de ipso ita contritus est, quod Deus illud sibi de cetero non imponit, *nec est in spiritu ejus dolus,* id est, a fraude et dolo alienus consistit. Etenim virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. (Ps. v, 7.) Teste quoque Isaia, fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mi- (Is. xxxii, 7.)

tes et innocentes in sermone mendacii. A Hinc simulatores et callidi provocant iram (*Job* XXXVI, 13.) Dei. De quibus loquitur Jeremias (*Jer.* IX, 8.) : Sagitta vulnerans est lingua eorum ; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Hæc spiritualia ac latentia vitia coram Deo sunt graviora. Propter quod sacratissimus apostolici agminis vertex in sua prima hortatur Canonica : Deponentes omnem malitiam, et omnem (I *Petr.* II, 1, 2.) dolum, et simulationes, et invidias, et detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite : hoc B est, in simplicitate et sinceritate christianæ innocentiæ ambulate.

Circa hæc quæritur, quid in justificatione impii seu remissione peccati sit prius, infusio gratiæ, aut remissio culpæ. Dicendum, quod in justificatione impii, ita se habent remissio seu expulsio culpæ præteritæ, et infusio gratiæ, sicut in naturalibus se habent expulsio unius formæ, et introductio formæ alterius : quia secundum ordinem causæ materialis seu secundum viam generationis, remissio culpæ C præcedit gratiæ infusionem, sed secundum ordinem causæ formalis, et efficientis, atque finalis, infusio gratiæ naturaliter prior est : propter quod unum dicitur causa alterius, et econtra. Infusio namque gratiæ causa est remissionis culpæ, per modum causæ formalis, et quodammodo efficientis, imo et finalis, quia ad gratiæ susceptionem tanquam ad finem ordinatur expulsio culpæ. Forma autem et finis atque [causa] efficiens, coincidunt in idem numero, aut specie. Nec inconveniens est, D unum et idem esse causam et causatum, in diverso genere causæ : quum ambulatio sit causa efficiens sanitatis, sanitas vero causa finalis est ambulationis. In hanc solutionem concordant Alexander, Thomas, Albertus, Bonaventura, alii quoque communiter.

3 *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.*

Post commendationem vere pœnitentium et purgatorum, reus accusat se ipsum, dicendo : *Quoniam tacui,* id est, peccatum meum abscondi, negavi, excusavi, neque confessus sum, *inveteraverunt ossa mea,* id est, superiores et robustiores vires animæ meæ, in quibus virtus et vitium esse queunt, vetustate peccati fœdatæ sunt, et in fæcibus suis nimis diu manserunt. Confessio etenim culpæ est iter renovationis internæ, et sanationis confortationisque animæ, prout Salomon asserit : Qui absconderit peccata sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit et (*Prov.* XXVIII, 13.) reliquerit ea, misericordiam consequetur. In Job quoque de ita tacente habetur : Quum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua. (*Job* XX, 12.) Porro excusatio et negatio propriæ culpæ, valde gravia sunt peccata. Propter quod Dominus per Jeremiam : Ecce, ait, ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi. (*Jer.* II, 35.) Et in alio psalmo orat Psalmographus : Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. (*Ps.* CXL, 4.) Juxta hunc modum scriptum est : Væ mihi, quia tacui, quia pollutis labiis ego sum. (*Is.* VI, 5.) Verumtamen est quædam tacentia seu occultatio culpæ bona, contraria inverecundæ manifestationi, impiæque jactantiæ, ac scandalosæ narrationi propriæ transgressionis, juxta illud : Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. (*Ibid.* III, 9.)

Itaque, Quoniam tacui, ubi et quando et qualia tacere non debui, inveteraverunt ossa mea, *dum clamarem tota die,* id est, assidue garrulus fui, clamorose et contentiose locutus sum, et quæ tacenda erant expressi, contra illud Ecclesiastici agens : Homo sapiens tacebit usque ad tempus ; (*Eccli.* XX, 7.) lascivus autem et imprudens, non servabit tempus. De tali clamore ait Apostolus : Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor tollatur a vobis. (*Ephes.* IV, 31.) Est autem, ut Seneca docet, cum modestia et mediocri voce loquendum. Verum tota die sic clamare, quid est aliud quam insanire, et proprium cor incessanter collidere ? Quemadmodum in Ecclesiastico legitur : Qui multis utitur (*Eccli.* XX, 8.)

(*Eccli.* XIX, 5.) verbis, lædit animam suam ; qui autem (A) odit loquacitatem, exstinguit malitiam.

4 *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

Quemadmodum asserit Augustinus, animus inordinatus sibi ipsi gravis est et pœnalis. Et quamvis vitia quædam delectabilia sint iniquis, quibus venenum dulcius melle est ; attamen multæ afflictiones, inquietudines, sollicitudines admixtæ sunt illis, juxta illud (*Eccle.* II, 26.) : Homini bono dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam ; peccatori autem dedit afflictionem, et curam superfluam. Apte igitur pœnitens loquitur Deo : *Quoniam die ac nocte,* id est assidue, *gravata est super me manus tua,* id est ultio tuæ potentiæ, et disciplina tribulationis continuæ : quemadmodum legitur (I *Reg.* V, 6.), Manus Domini aggravata super Philistæos. De qua sanctus Job precabatur (*Job* XIII, 21.) : Manum tuam longe fac a me. Denique hac manu solet Deus suis electis porrigere disciplinam dum peccant, immittendo eis tribulationes, adversitates ac tædia, quibus excitantur et commonentur converti ad Dominum. Propter quod ait (*Osee* II, 6.) : Ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria. Harum adversitatum et afflictionum consideratione atque duritia, plurimi convertuntur. Unde subjungitur : *Conversus sum* a via lata perditionis ad arctam viam salutis (*Matth.* VII, 13, 14.), *in ærumna mea,* id est in præfatis miseriis : ex quarum afflictione adverti quam stultum sit Deum offendere, damnabiliter conversari, et pro parvis ac brevibus hujus vitæ prosperitatibus salutem (D) negligere sempiternam. Sicque perpendi quam vere in Ecclesiaste dicatur (*Eccle.* I, 14.) : Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus. Hinc loquitur Isaias (*Is.* XXVIII, 19.) : Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui ; et rursus loquens ad Deum (*Ibid.* XXVI, 16.), In tribulatione (inquit) murmuris doctrina tua eis. *Dum configitur spina,* id est, dum ærumna seu miseria mea trahit me ad acutam contritionem de meis excessibus, atque ad conscientiæ synderesisque remorsum. Sicut enim ex effectu cognoscitur causa, ita ex pœna attenditur culpa pro qua infligitur pœna. Hinc per Jeremiam Dominus loquitur (*Jer.* VI, 8.) : Erudire, Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te. Ubi Septuaginta transtulerunt : Per omnem dolorem et flagellum erudieris. Non itaque ex afflictionibus ad impatientiam concitemur : imo salubriter informemur, et nostra pensemus piacula, gratias Domino referentes quod in hac vita paterne nos castigat, humiliat, purgat et admonet. (Cf. *Job* V, 17, 18.)

(B) 5 *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.*

Delictum meum cognitum tibi feci, id est, evidenter coram te confessus sum, sicque per modum facientis cognoscere me habui : quum certum sit, Deum nihil de novo cognoscere, nec ex humana actione influxum ullum recipere. Sed quum dictum sit, Deum nescire pœnitentis peccata (vers. 1.), per hoc quod homo ea humiliter recognoscit et fatetur : quomodo pœnitens modo ait, Delictum meum cognitum tibi (C) feci ? Dicendum, quod utrumque verum sit, secundum diversum respectum, juxta expositionem inductam : sic enim unum alteri non repugnat. *Et injustitiam meam non abscondi,* loquendo de reprehensibili absconsione, contraria salubri confessioni, sicut expositum est. Hinc Job (*Job* XXXI, 33.) : Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. Quid enim est peccatum proprium inordinate abscondere, nisi venenum intra se clausum tenere, vulnusque pessimum piissimo animarum medico nolle detegere? Quod quum sit stultum et impium,

Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino ; et tu remisisti impietatem peccati mei.

Dixi, id est, firmiter decrevi : *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino,* id est, ad laudem et gloriam Dei, ipsique Deo et ejus vicario sacerdoti ac judici, confitebor humiliter et expresse quidquid contra justitiam omisi aut commisi : prout justitia est virtus communis et omnis vir-

tus, quum omnis virtus sit quædam justi- A
tia. Sic igitur, Confitebor adversum me,
id est accusando me ipsum, non tamen
contra meam salutem, injustitiam meam :
non eam imputando fatali necessitati; nec
ipsi supergloriosissimo Creatori, in quem
quidam perversi iniquitatem suam retor-
Ps. LIV, 4. quent, juxta illud Psalmi, Quoniam decli-
naverunt in me iniquitates; nec tentatori,
Gen. III, 13. instar Evæ, quæ dixit, Serpens decepit me,
et comedi; nec proximo, uti Adam, qui
Ibid. 12. ait, Mulier quam dedisti mihi sociam, de-
Josue VII, 19. dit mihi. Hinc scriptum est : Fili mi, da B
gloriam Domino Deo, et confitere atque
indica quid feceris. *Et tu remisisti impie-
tatem peccati mei,* id est, merito hujus
propositi boni ignovisti mihi. Sufficit enim
bona voluntas imperativa plene parata ad
opus : quæ et data facultate, occasioneve
data, mox in opus procedit. Ideo si quis
veram habens contritionem confiteri pro-
ponat : nisi postea opportuno tempore con-
fiteatur, pro negligentia et contemptu con-
fitendi damnari meretur. Hinc sanctus Job
Job XIII, 15, 16. protestatur : Vias meas in conspectu ejus C
arguam; et ipse erit salvator meus.

6 *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in
tempore opportuno.*

Hic pœnitens persuasionem quamdam
inducit, ad ostendendum quod deceat
ipsum sic deprecantem desuper exaudiri :
quum et universi sancti in hoc sæculo
peregrinantes, et in fragili carne degentes,
aliquando peccent venialiter saltem, habe-
antque pro suarum remissione culparum
Dominum exorare. Itaque ait : *Pro hac,*
supple, pro remissione peccatorum, *orabit* D
ad te omnis sanctus : quia ut Salomon
III Reg. VIII, 46. ait, non est homo super terram qui faciat
bonum et non peccet; *in tempore oppor-
tuno,* id est congrua hora : quoniam actus
virtutis fieri debet tempore apto. Inter-
dum est tempus gratias referendi, inter-
dum orandi, interdum meditandi, nonnun-
quam docendi. Vel, In tempore opportuno,
id est toto tempore vitæ præsentis : et
hoc, congruis horis. Etenim totum hoc
tempus, est tempus pœnitendi, orandi, ac
promerendi. Denique sancti in hac vita
dicuntur homines perfecti, viri heroici ac
divini, plenam passionum reformationem
adepti, a privato amore prorsus purgati,
dono sapientiæ in gradu ejus supremo, ca-
ritate quoque consummata decorati, sic-
que sublimiter contemplativi, mysticam
theologiam experti, ac per hoc amici Al-
tissimi, atque occulti filii Dei : qui ni-
hilo minus quotidie mirabiliter crescunt
in omni virtute ac dono Spiritus Sancti.
Nempe in hac perfectione et sanctitate est
multiplex gradus, secundum quem unus
est sanctior et perfectior alio. Unde dixit
Apostolus : Quæ retro sunt obliviscens, in Philipp. III, 13.
anteriora extendo me ipsum. Hi quamvis
suo modo sancti, venialibus et quotidianis
non carent culpis, quemadmodum unus
eorum disseruit, Si dixerimus quia pecca- I Joann. I, 8.
tum non habemus, nos ipsos seducimus;
et alter, In multis offendimus omnes. Jacob. III, 2.

Circa hoc quæritur, an aliquis adultæ
ætatis rationisque compos valeat in hac
vita esse sine peccato. Quod non videtur,
ex dictis. Oppositum tamen probatur, quo-
niam viri sancti in hoc mundo pro quo-
tidianis suis peccatis, non solum satis-
faciunt omni die, sed insuper maxime
promerentur et crescunt : propter quod
evolant morientes. Præterea sanctus Job
dixit : Neque reprehendit me cor meum Job XXVII, 6.
in omni vita mea; Apostolus quoque, Ni- I Cor. IV, 4.
hil mihi conscius sum. Ad hoc Doctor ir-
refragabilis, puta Alexander, super secun-
dum, Doctor item solennis in Quodlibetis,
respondent : De Christo et ejus dignissima
Genitrice nulla est quæstio. De ceteris
Sanctis dicendum, quod ad modicum tem-
pus, sed non diu, vivere queunt sine ve-
niali, quum in ipsis fomes et quatuor vul-
nera ex ipso inflicta, prorsus exstincta
non sint penitusque sopita. Unde et ipsi
indigent exorare : Dimitte nobis debita no- Matth. VI, 12.
stra. Et de sanctissimo Joanne Baptista ait
Chrysostomus, super illud, Ego a te debeo Ibid. III, 14.
baptizari : Ego peccator, quia homo. Ad
objecta dicendum, quod Job et Paulus de
mortalibus vitiis loquebantur. Alioqui sibi

ipsis essent contrarii, quum Job dicat ad A Dominum (*Job.* XIV, 17) : Signasti quasi in sacculo peccata mea; et denuo (*Ibid.* 16), Parce peccatis meis.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Per aquas in Scripturis plurima designantur : Primo, homines, juxta illud Apocalypsis (*Apoc.* XVII, 1, 15) : Aquæ multæ, populi multi; et Ecclesiastæ (*Eccle.* XI, 1), Mitte panem tuum super transeuntes aquas. Atque in Isaia (*Is.* VIII, 7) : Adducet Dominus super eos, videlicet super populum Judæorum, aquas multas et fortes. Et quæ fuerint aquæ illæ protinus B subdit Isaias (*Ibidem*) : Regem, inquiens, Assyriorum et omnem gloriam ejus. Secundo, tribulationes, juxta illud Psalmi (*Ps.* LXVIII, 2) : Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Tertio, dona sapientiæ et scientiæ. Unde clamabat Jesus (*Joann.* VII, 38) : Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et alibi (*Eccli.* XV, 3) : Aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Quarto, abundantia tentationum, ut (*Thren.* III, 54), Inundaverunt aquæ super caput meum. Quinto, affluentia carnalium voluptatum, C quæ aquæ concupiscentiæ appellantur.

Est itaque sensus : *Verumtamen in diluvio aquarum multarum*, etc., tanquam dicat : Quamvis omnis sanctus orabit ad te tempore opportuno, attamen in abundantia deliciarum carnalium non approximabunt homines ad te, quamvis in maximis exsistant periculis, quoniam voluptatibus excæcati propria non advertunt pericula. Propter quod, teste Apostolo (*Rom.* VIII, 8), Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Hinc Ecclesiasticus jubet (*Eccli.* XVIII, 30, 31) : Post concupiscentias D tuas non eas, et a voluptate tua avertere; si præstiteris animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. In diluvio quoque tentationum et tribulationum multi pusilli et imperfecti non propinquant, sed recedunt a Domino, qui ut ait Salvator (*Luc.* VIII, 13), ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. In diluvio item infirmitatum et adversitatum quidam per impatientiam superantur. In isto diluvio etiam, inundatione, seu strepitu hominum plurimorum, multi impediuntur et abstrahuntur a Deo. Ad quod innuendum, de contemplantibus, quibus multitudo dulcedinis Dei datur gustari, fertur in Psalmo (*Ps.* XXX, 20) : Abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominum; proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum (*Ibid.* 21). Dominus quoque ait discipulis (*Marc.* VI, 31) : Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.

Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me; exsultatio mea, erue me a circumdantibus me. 7

Tu es refugium meum : quasi dicat : Illi non propinquabunt ad te; ego vero ad te confugio; *a tribulatione quæ circumdedit me.* Non enim viribus meis evadere aut prævalere posse me præsumo; tu vero, quem super omnia diligo, in quo præ omnibus spero, quem omnipotentem, piissimum, fidelissimumque cognosco, es unicum meum refugium, qui solus potes me a peccatis purgare et præservare, in bono confortare, gratiam et salutem conferre. De quo loquitur Jeremias (*Jer.* XVI, 19) : Dominus fortitudo mea et robur meum et refugium meum in die tribulationis. De quo et Salomon asserit (*Prov.* XVIII, 10) : Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. — Confugiamus ergo ad misericordiam ejus, a cujus omnipotentia atque justitia fugere non valemus. Ad hoc invitat nos Salvator dicendo (*Matth.* XI, 28, 29) : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et invenietis requiem animabus vestris. Nec inaniter hoc quis agit, quum iterum protestetur (*Joann.* VI, 37) : Eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Circumdamur autem in valle hac lacrimarum tentationibus, tribulationibus et periculis multis, et in medio laqueorum ac invisibilium hostium ambulamus. Specialiter quoque multæ sunt tribulationes justorum (*Ps.* XXXIII, 20).

Exsultatio mea, id est tu, Domine, es objectum et causa lætitiæ meæ, in cujus contemplatione et amore glorior maxime, cujus infinitæ felicitati et gloriæ gratulor summe, extra quem gloriari adulterinum nunc reor. Talis fuit venerabilis illa Es-

Esther xiv, 18. ther, quæ bona conscientia dixit : Nunquam lætata est ancilla tua ex quo translata sum huc, nisi in te, Deus Israel. *Erue me a circumdantibus me,* id est ab omnibus adversariis salutis animæ meæ, quatenus adjutorio gratiæ tuæ illis felici triumpho prævaleam : juxta illud Apostoli :
Rom. xvi, 20. Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Unde sanctus Job loquitur Deo :
Job xvii, 3. Libera me, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Sic et orat
Eccli. xxiii, 1, 3. vir sapiens : Domine pater, et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu et consilio illorum, ne incidam in conspectu adversariorum meorum et gaudeat inimicus meus. Itaque, quo adversarii nostræ salutis magis invidiose atque crudeliter contra nos præliantur, eo vigilantius et virtuosius resistamus eisdem, confugiendo et orando ad Dominum, nostraque jugiter meditando novissima, juxta illud
Ibid. vii, 40. Ecclesiastici, In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis : ut sic cum gratiarum ac-
Ps. cxvii, 12. tione Deo dicamus : Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis; et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

8 *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris; firmabo super te oculos meos.*

His verbis consolatur Dominus pœnitentem, ejus orationem se exaudisse contestans : *Intellectum,* inquiens, *tibi dabo.* Constat quod Dominus omni homini præstitit intellectum, id est intellectivam potentiam, qua a brutis secernimur; intellectuale quoque lumen quod synderesis appellatur, scintillaque rationis, ac habitus principiorum primorum in agibilibus et agendis : de quo fertur in alio psalmo,
Ps. iv, 7. Signatum est super nos lumen vultus tui,
Is. xi, 2. Domine. Intellectum vero qui est unum de donis Spiritus Sancti, quo ea quæ fidei sunt cum rationibus credendorum salubriter ac formate conspiciuntur, intellectualem etiam actualem illuminationem Spiritus Sancti, Deus non omnibus, nec æque

A cunctis largitur; universis tamen in caritate et gratia gratificante exsistentibus hic secundum aliquem gradum largitur : et tanto plus, quanto amplius in caritate profecerint. Denique, intellectus apud theologos atque philosophos diverso modo sumitur : Primo, pro intellectuali substantia : sicque Deus et angeli intellectus vocantur. Nam et duodecimo Primæ philosophiæ Aristoteles Deum nominat honoratissimum intellectum; atque divinus Dionysius angelos nuncupat deiformes intellectus. Se-
B cundo, pro intellectiva potentia : et sic in intellectum agentem possibilemque dividitur de anima. Tertio, pro habitu intellectuali : et ita Philosophus in Ethicis annumerat intellectum inter quinque habitus intellectuales ; Isaias vero inter septem Is. xi, 2.
dona Spiritus Sancti connumerat, Requiescet, dicens, super eum spiritus sapientiæ et intellectus : quæ sunt habitus supernaturales infusi quibus mens efficitur prompte mobilis ac dirigibilis a Spiritu Sancto. Quarto, pro actuali illuminatione
C seu consideratione intellectus creati : et ita potissime modo accipitur. Sicque ad Timotheum scribit Apostolus : Dabit tibi II Tim. ii 7.
Dominus de omnibus intellectum. Pro quo frequenter orat Psalmista : Da mihi intel- Ps. cxviii,
lectum. Per quem ab adversariis nostris 34, 73, 125, 144.
eripimur.

Et instruam te, per illuminationem internam, per inspirationem angelicam, per homines sapientes, per Scripturas et sapientiæ ac omnipotentiæ meæ effectus. Etenim, Beatus homo quem tu erudieris, Ps. xciii. 12.
D Domine, et de lege tua docueris eum. Per quam instructionem cognoscimus qualiter adversariis nostris reluctari jam debeamus. Unde orat vir sanctus : Deus Ps. xvii, 29,
meus, illumina tenebras meas : quoniam 30.
in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum, id est omne salutis obstaculum. *In via hac qua gradieris,* in peregrinatione sæculi hujus, et in via pœnitentiæ ac salutis, qua tendis ad patriam claritatis æternæ, *firmabo super te oculos meos,* id est, gratiose, diligenter ac fixe te

intuebor ac protegam. Nempe, tam perfecte ac provide regit Omnipotens totum mundum, ut nihilo minus unumquemque tam indesinenter ac distincte consideret et gubernet, quantum in ipso est, ac si solum illum attendat. Propter quod Job
Job xxxi, 4. fatetur : Nonne ipse considerat viam meam, et omnes gressus meos dinumerat? De his oculis Dei (qui sunt intellectus et sapientia ejus, imo unus simplex, æternus, invariabilisque intuitus suæ mentis)
Eccli. xxiii, 28. in Ecclesiastico legitur : Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum. — Quæ quum ita se habeant,

9 *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.*

Nolite bestiis conformari per sensum carnalem et irrationalem vitam, qui ad superbenedictæ Trinitatis imaginem ac similitudinem estis creati, divinæ illuminationis capaces quam et Deus vobis conferre paratus est, et facti estis ut sitis sicut angeli Dei. Verum, ut scriptum est,
Ps. xlviii, 13, 21. Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. Qui enim instar brutorum concupiscentias suas sine rationis refrenatione sequuntur, suarumque motibus passionum feruntur, indigni sunt hominis appellatione, et rite bestiæ appellantur, juxta illud
I *Cor.* xv, 32. Apostoli : Si secundum hominem ad bestias, id est contra bestiales homines, pugnavi Ephesi. Imo, ut etiam dixit Philosophus, homo malus decies millies pejor est bestia. Qui rursus in Politicis optime est locutus : Sicut homo est optimum animalium, si ratione et prudentia gubernetur ; ita est animalium pessimum, si relicto rationis gubernaculo, irrationabiliter conversetur. Hinc Raphael angelus dixit juniori
Tob. vi, 16, 17. Tobiæ : Ostendam tibi in quos potestatem habeat dæmonium : in eos qui uxores accipiunt ut suæ vacent libidini, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. At vero equus est brutum luxuriosum ; mulus, gulosum : per luxuriam autem et gulam homines bestiis potissime conformantur. Qui vero spiritualibus vitiis involvuntur, ut superbi, invidi, acediosi, seminatores discordiæ, detractores, potius dicendi sunt diabolici quam brutales, quum per vitia illa dæmonibus impiissime assimilentur.

In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te : hoc est, impœnitentium et de suis peccatis gloriantium seque jactantium reprime ora per adversa majora et minora, et eos a vitiis per adversitates retrahendo (ut dictum est). Unde Dominus ait regi Assyriorum : Ponam circulum in naribus tuis, et frenum in maxillis tuis, et reducam te *Is.* xxxvii, 29.
per viam qua venisti. Hinc scriptum est de quibusdam : Obstructum est os loquentium iniqua. *Ps.* lxii, 12.

Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. 10

Multa flagella peccatoris. De hoc jam dicta sunt multa super illud, Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua. vers. 4.
De quibus multa quoque continentur in aliis psalmis, quum dicitur : Pluit super *Ps.* x, 7.
peccatores laqueos, ignis, sulfur, spiritus procellarum, pars calicis eorum ; itemque : Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui ; Dominus in ira sua *Ps.* xx, 10.
turbabit eos et devorabit eos ignis. Per Jeremiam quoque loquitur Dominus : Dabo eos in vexationem et maledictionem, et *Jer.* xxix, 18, 19.
in stuporem et sibilum, et in opprobrium, eo quod non audierint verba mea. Hinc Salomon dicit : Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus. *Prov.* xix, 29.
Denique quum Deus nullum peccatum deserat impunitum, quam innumerabilia sunt peccata, tam innumerabilia et tormenta. *Job* xxiv, 12.
Nam et singula venialia, æternaliter in inferno pœnis propriis puniuntur, in quantum mortalibus sunt conjuncta.

Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit : id est, Deus misericorditer aderit undique et succurret speranti in se : loquendo de actu spei formatæ, quæ est certa exspectatio futuræ felici-

tatis, ex gratia Dei et meritis nascens. Qui A
autem sine operibus virtutum sperat salvari, inaniter sperat. Si vero exsistens adhuc in peccato mortali, proponat se emendare, incipiatque quod in se est facere, et Deum fiducialiter invocet pro succursu, misericordiam consequetur. Hinc
Eccli. II, 11, 12. in Ecclesiastico habetur : Respicite et videte quia nullus speravit in Domino, et confusus est; permansit in mandatis ejus, et confusus est. Aut quis invocavit illum, et despexit eum? Ideo asserit Jere-
Jer. XVII, 7. mias : Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. B Merito ergo debemus in Deo sperare, quum ipse sit creator, salvator, pater noster, cunctis in infinitum melior, fidelior, et ad salvandum potentior. Qui quum sit essentialiter verus et veritas ipsa, et ad sperandum in se hortetur, atque speranti in se misericordiam repromittat, debemus plene in ipso confidere : sic tamen ut non cessemus ejus præcepta implere, quia ut sanctus affirmat Gregorius, De spe incassum præsumit, qui Deum timere et ei C parere in suis operibus renuit.

Quamvis autem spes fructuosa exigat opera bona ac meritoria, principalius tamen inniti debet spes nostra divinæ benignitati quam meritis nostris, quum et ipsa merita sint Dei dona, et suæ pietati attribuenda. Et quantum ad hoc, sanctus te-
Ps. XC, 9. statur Bernardus : Tu es, Domine, spes mea. Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es, Domine, spes mea. Hæc una omnium promissionum est causa, hæc D tota ratio meæ exspectationis. Prætendat
Matth. XX, 12. *Luc.* XVIII, 12. *Ibid.* 11. *Ps.* LXXII, 28. alter meritum, portare se jactet pondus diei et æstus, jejunare se bis in sabbato dicat, postremo non se esse ut ceteri hominum glorietur : mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Quæ utique verba non sunt intelligenda ut opera excludantur, sed potius ad docendum quod hæc sit spes humillima et perfecta, quæ cum operibus bonis abundet, merita non attendit.

Lætamini in Domino et exsultate, justi : et gloriamini, omnes recti corde. 11

Lætamini in Domino et exsultate, justi. Per virtutes theologicas, et per sapientiæ donum, gaudemus et delectamur immediate in Deo, tanquam in objecto : cujus increatæ veritati debemus cum gaudio credere, cujus æternam beatitudinem debemus cum jucunditate præstolari, cujus bonitatem prorsus immensam ac puram debemus super omnia toto corde gaudiose diligere, in cujus contemplatione debemus hilariter inflammari, atque in ejus interminabili pulchritudine maxime gratulari. Secundo, gratulamur in Domino per ceteras virtutes et per reliqua dona tanquam in objecto mediate, in bonis et virtuosis gaudendo operibus interioribus et exterioribus, ad gloriam et honorem Dei. Sicque omnis ordinata lætitia, in Deo est, secundum Deum, et propter Deum. Unde monet Apostolus : Gaudete in Domino semper. *Philipp.* IV, 4. Hæc spiritualis lætitia debet esse tam grandis in mente, ut redundet in corpore : quod dicitur exsultare, quasi extra se saltare : sicut illud in Psalmo, Cor meum et caro mea exsultaverunt in *Ps.* LXXXIII, 3. Deum vivum; et rursus, Exsultabunt la- *Ps.* LXX, 23. bia mea quum cantavero tibi, et anima mea quam redemisti, Domine. Hinc Habacuc ait justus : Ego autem in Domino *Habac.* III, 18. gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. Ita gaudere non convenit nisi justis, quemadmodum scriptum est : Non est gaudere *Is.* XLVIII, 22. impiis, dicit Dominus. Verumtamen naturalis sapientia suam habet speculationem, et quamdam delectationem, ut in primo Timæi innuit Plato. Qui et in Phædone testatur : Tunc maxime delectatur anima, quum in serena intelligibilia ac divina transfertur, et in immortalia ac superna erigitur. Sed delectatio ista informis et nuda est, non spectans ad meritum : quæ in philosophis fuit gentilibus. Quorum princeps fatetur, quod philosophia mirabiles habet delectationes admixtas.

Et gloriamini, omnes recti corde. Repetitio est ejusdem sententiæ, in signum

seriositatis, et confirmationis indicium. A Porro recti corde sunt justi, qui unicuique quod suum est tribuunt, et suam voluntatem voluntati divinæ in cunctis ordinate subjiciunt et conformant : non tamen semper volendo quod vult Deus, qui aliquos vult damnari quos cupimus et precamur salvari ; sed volendo id quod ipse vult nos velle, et sicut vult nos velle : prout circa finem Sententiarum habet declarari. Præterea, sicut teste Euclide, corporaliter rectum est cujus medium non exit ab extremis ; sic spiritualiter B rectum censetur cujus medium, hoc est actio seu conversatio, non recedit neque discordat a primo principio, quod est Deus, nec ab ultimo fine, qui est idem summum bonum ac perfruitio ejus. A quibus qui dissentiunt ac discordant, distorti, curvi et injusti vocantur : prout uni ta-
Act. VIII, 21. lium vertex dixit Apostolorum, Non est cor tuum rectum coram Deo. Itaque, recti gloriantur in Deo quem diligunt, juxta
Cant. I, 3. illud in Canticis : Recti diligunt te.

Ex hoc psalmo docemur eos beatificare C quorum deleta sunt vitia, qui a peccatis et criminibus sunt immunes, non eos qui temporaliter prosperantur, atque carnaliter delectantur : quos ut tales parvi pendamus, juxta quod scriptum est de viro justo, Ad nihilum deductus est in con- *Ps* XIV, 4.
spectu ejus malignus. Denique, ut lætari valeamus in Domino, carnalia et mundana contemnamus solatia : quia ut ait Chrysostomus, Sicut impossibile est ignem accendi in aqua, sic cordis compunctio ac spiritualis lætitia in deliciis nequeunt carnis vigere. Unde sanctus fatetur Bernardus : Illud est verum sincerumque gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur : cui comparata omnis aliena jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor, omne dulce amarum. Nihilo minus de creatura ad Creatorem debito modo relata licitum est gaudere, juxta illud : Delectasti me, Domine, in factura *Ps.* XCI, 5.
tua. Discamus itidem exemplo veri pœnitentis peccata nostra plene et plane ex intima contritione, non superficiali et arida consuetudine, confiteri : quod si faceremus, sine dubio non ita faciliter recidivaremus. O quam felix est hoc lavacrum confessionis, in quo, ut ait Scriptura, om- *Prov.* XXVIII, 13.
nia immunda lavantur ! Unde Joannes :
Si confiteamur (inquit) peccata nostra, *I Joann.* I, 9.
fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate.

ENARRATIO IN PSALMUM III PŒNITENTIALEM

Ps. XXXVII. 2 DOMINE, *ne in furore tuo arguas me,* D *neque in ira tua corripias me.*

Ps. VI, 2. Iste versus jam in exordio primi horum septem psalmorum expositus est. Ex eisdem quippe considerationibus et contritionibus, tam illum quam istum incepit psalmum ; diverso modo autem prosecutus est.

3 *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.*

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Quasi dicat : Merito, o Domine, precor non argui a te in tuo furore : jam enim acriter infixæ sunt mihi in corpore et anima sagittæ tuæ, id est tuæ acutæ comminationes et ultiones atque multiplices pœnæ, quibus propter peccatum originale, et præsertim propter propria peccata omissionis et commissionis, læsus sum et affligor : quia ut dictum est psalmo præ-
habito, Multa flagella peccatoris. Hinc scri- *Ps.* XXXI, 10.
ptum est : Sagittæ Domini sunt in me, *Job* VI, 4.
quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. *Et*

confirmasti super me manum tuam, me A
acriter disciplinando : juxta sensum psal-
Ps. xxxi, 4. mi præcedentis, quo dictum est, Quoniam
die ac nocte gravata est super me manus
tua. Sic conquassatus tribulationibus lo-
Jer. xv, 10. cutus est Jeremias : Væ mihi, mater mea,
Job iii, 3. quare me genuisti ? Et Job : Pereat dies
in qua natus sum. Quod plane non ex
impatientia protulit absolute, sed ad insi-
nuandum dispositionem animæ suæ quan-
tum ad partem sensitivam. Quemadmodum
Marc. xiv, 33. Christus cœpit pavere et tædere, in tantum
Matth. xxvi, 39. ut dixerit : Pater, si possibile est, transeat B
a me calix iste. De hac aggravatione ma-
nus Omnipotentis super genus humanum
Eccli. xl, 1, 2. in Ecclesiastico scriptum est : Occupatio
magna creata est omnibus hominibus, et
jugum grave super omnes filios Adam, a
die exitus de ventre matris eorum, usque
in diem sepulturæ in matrem omnium :
cogitationes eorum et cordis timores.

4 *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ ; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.*

Hoc multipliciter potest exponi. Primo C
sic : Tam dire peccavi, quod corpore quo-
que lædi, vulnerari, imo et occidi pro-
merui. Qui enim peccat mortaliter, offen-
dendo totius vitæ auctorem, et ab eo se
avertendo, meretur protinus vita privari.
Et quum mereatur æternaliter condemna-
ri, multo plus promeretur mox corpora-
liter mori. Idcirco, o Domine, nisi tu mi-
sericorditer mecum agas, *non est sanitas
in carne mea,* id est, sanitas nulla mihi
debetur nec remanebit, sed usque ad os-
sium dissipationem confringar. Hoc quo- D
II *Reg.* xi, 4. que ad litteram timuit David, qui adul-
Lev. xx, 10; terando cum Bethsabee, secundum legem
Deut. xxii, 22-24. meruit lapidari. — Secundo sic : *Non est
sanitas in carne mea :* quia infectus sum
Rom. vi, 13. fomite ; et membra mea exhibendo arma
iniquitatis peccato, læsiones peccati re-
dundaverunt in carnem, tanquam in ani-
matum et proprium animæ instrumen-
tum ; estque anima prona ad mala, atque
infirma ad bonum, sicut asseruit Filius
Matth. xxvi, 41. Dei, Spiritus (inquiens) promptus est, ca-
ro autem infirma. Infirmitas item et con-
cupiscentia, ut sunt vulnera pro originali
inflicta, ad sensitivum pertinent appeti-
tum, pro quo caro accipi solet. Hinc ait
Apostolus : Scio quia non habitat in me, *Rom.* vii,
hoc est in carne mea, bonum. Condelector 18, 22, 23.
enim legi Dei secundum interiorem ho-
minem ; video autem aliam legem in mem-
bris meis, repugnantem legi mentis meæ,
et captivantem me in legem peccati quæ
est in membris meis. Sic itaque, Non est
sanitas in carne mea, *a facie iræ tuæ,* id
est ab animadversione et conspectu seu
præsentia tuæ vindictæ ; *non est pax,* id
est quies, tranquillitas, aut securitas, *os-
sibus meis* corporalibus, *a facie,* id est
demerito, seu respectu, *peccatorum meo-
rum,* quibus iram merui et usque ad ossa
comminui.

Tertio : *Non est sanitas,* id est virtutum
integritas, sed læsio ac deformatio passio-
num, *in carne mea,* id est in sensualitate,
a facie iræ tuæ, quæ debetur secundum
rigorem justitiæ huic corruptioni. Hinc
Romanos hortatur Apostolus : Non ergo *Ibid.* vi, 12.
regnet peccatum in vestro mortali corpo-
re, ut obediatis concupiscentiis ejus. Et
alibi, Caro concupiscit adversus spiritum : *Galat.* v, 17.
ubi caro, secundum unam expositionem,
pro sensualitate accipitur. Unde in Isaia
habetur : A planta pedis usque ad verti- *Is.* i, 6.
cem capitis non est in eo sanitas ; vulnus,
et livor, et plaga tumens. De hoc in ser-
mone pulchre scribit Bernardus, qualiter
additamentum illud Leviathan, occupavit
et infecit totum corpus nostrum : ita ut
in omnibus membris, non in uno dumta-
xat, circumcidi indigeamus. Imo et sic se-
mel circumcisi sumus in Christo in Ba- *Coloss.* ii, 11.
ptismo, circumcisione non manufacta in
exspoliatione corporis carnis. *Non est pax
ossibus meis,* id est superioribus animæ
viribus, atque virtutibus animæ : quæ fra-
gilem carnem et infectam sensualitatem
sustentant, ne continue peccent ; *a facie
peccatorum meorum.* Peccata namque pec-
catoris pacem impediunt.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ 5

sunt caput meum : et sicut onus grave A
gravatæ sunt super me.

In quibus verbis exprimitur ratio eorum quæ in præcedenti prolata sunt versu. Ac si dicat : Vere confessus sum quod non sit sanitas in carne mea, etc., *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum,* id est, supremam vim animæ rationem vicerunt et oppresserunt. Imo infelix ratio se vinci permisit ab eis, et consensit concupiscentiis ceterisque pec-
I *Petr.* II, 11. catis, contra apostolicum illud, Abstinete
a carnalibus desideriis, quæ militant ad- B
versus animam. *Et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Gravissimum quippe est onus peccati, trahens peccantem deorsum usque ad inferos et ad subjectionem sub principe tenebrarum. Hinc ad He-
Hebr. XII, 1. bræos monet Apostolus : Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum,
Galat. VI, 5. per patientiam curramus ; et alibi, Unusquisque, inquit, onus suum portabit. Ideo
Zach. V, 7. in Zacharia iniquitas per talentum plumbi significatur. Iniqui quoque peccando di-
cuntur corda sua gravare, secundum id C
Ps. IV, 3. Psalmi : Filii hominum, usquequo gravi
Exod. IX, 7. corde ? atque in Exodo, Aggravatum est
I *Reg.* VI, 6. cor Pharaonis ; et primo Regum, Cur aggravatis corda vestra, sicut gravavit Pharao? Porro communiter in Prophetis, interdumque alibi, per onus exprimitur pœna
Habac. I, 1. debita culpæ : ut, Onus quod vidit Haba-
Nahum I, 1. cuc ; et in exordio Nahum, Onus Ninive ;
Is. XIII, 1. atque in Isaia, Onus Babylonis quod vidit Isaias ; ac quarto Regum loquitur Jehu ad
IV *Reg.* IX, 25. Badacer, Memini quod Dominus levaverit
onus hoc super eum, id est, hanc pœnam D
prædixit ad Achab. Denique hic modus loquendi tam frequens exstitit in ore librisque Prophetarum, ut perversi Judæi ir-
Jer. XXIII, 33. riserint Prophetas, dicendo : Quod est onus
Ibid. 36. Domini ? Quibus locutus est Jeremias : Ne dixeritis ultra, Onus Domini, quia onus erit unicuique sermo suus, id est, unicuique ita irrisorie loquenti, sermo suus irrisorius erit causa punitionis sui ipsius.

6 *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.*

Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ. Cicatrix dicitur signum præcedentis sanatæque læsionis, post sanationem in corpore remanens : sicut in corpore Christi remansisse dicuntur cicatrices quinque vulnerum. Spiritualiter ergo cicatrices dicuntur reliquiæ præcedentium vitiorum aliquando deletorum : quæ putrescunt et corrumpuntur, dum pristina vitia iteran-
tur et renovantur, juxta illud, Putruerunt *Joel* I, 17.
jumenta in stercore suo, id est carnales homines in fœdis et turpibus suis operibus : quibus per Malachiam prophetam
Dominus loquitur, Projiciam stercus solen- *Malach.* II, 3.
nitatum vestrarum super facies vestras, et assumet vos secum. Hoc autem accidit mihi, *a facie insipientiæ meæ,* id est a præsenti stultitia mea : quoniam maxima fatuitas est peccare, præsertim recidivando, eo quod vulnera repetita plus noceant. Hinc insipientia magna est, hoc non attendere nec vitare. Præterea, insipientia proprie est vitium sapientiæ dono contrarium, quod puerilitas seu vitium puerilitatis vocatur : quo homo carnalia et caduca præfert æternis, divinis ac spiritualibus bonis, instar puerorum qui poma et pira gemmis præponunt et auro. Sicque insipientes ac stulti sunt, quicumque in peccato mortali persistunt. De quibus Salomon
protestatur : Perversi difficile corrigun- *Eccle.* I, 15.
tur ; et stultorum infinitus est numerus.

O quam fatuum est peccare ! quum hoc sit se ipsum lædere et necare, se æterna felicitate privare, infernali damnationi exponere, crudelissimo hosti diabolo acquiescere ac servire, se inimicum Dei efficere, ab omnium communione Sanctorum recedere, ac reprobis incorporari. Hinc dicitur
animæ peccatrici : Quam vilis facta es ni- *Jer.* II, 36.
mis, iterans vias tuas ! Osee quoque : Fa- *Osee* VII, 11.
ctus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor. Recte quoque fertur in
Psalmo, Qui diligit iniquitatem, odit ani- *Ps.* X, 6.
mam suam : nempe id amat quod summe et incomparabiliter sibi nocet. Talis reputat Christum quasi fatuum mercatorem, qui pro tam brevi et vili delectatione aut

prosperitate seu complacentia, vendit et A
perdit quod Christus ei tam pretiose et
laboriose recuperavit ac emit, puta æter-
nam salutem. Unde merito de impiis scri-
Ps. LII, 2. ptum est : Corrupti sunt et abominabiles
facti sunt in iniquitatibus.

7 *Miser factus sum, et curvatus sum us-
que in finem ; tota die contristatus ingre-
diebar.*

Miser factus sum : quia dictum est,
Prov. XIV, 34. Miseros facit populos peccatum. Aversus
namque a fonte salutis, quid nisi miser
efficeretur? Et tanto unusquisque sine du- B
bio magis miser efficitur, quanto in pro-
priis voluntatibus ac voluptatibus magis
abundat ac manet, sicut ait Osee prophe-
Osee X, 6. ta : Confundetur Israel in voluntate sua.
Apoc. III, 17. Propterea unicuique tali dicitur : Nescis
quia tu es miser et miserabilis, et pauper
et cæcus et nudus. Etenim quilibet talis,
tanto est infelicior quanto suam miseri-
am, paupertatem, pericula, minus adver-
tit. Hinc vehementer compatiendum est
talibus, et orandum ac laborandum pro
ipsis. *Et curvatus sum usque in finem,* id C
est, viliter sum dejectus et in peccatis pro-
stratus, atque a rectitudine justitiæ prorsus
deflexus. Hæc est prava curvatio, contra-
ria curvationi humilitatis de qua loqui-
Baruch II, 18. tur Baruch : Anima quæ incedit curva,
III Reg. XXI, 27. dat Deo honorem. Unde Achab depresso
capite legitur incessisse. *Tota die contri-
status ingrediebar,* peccata mea ex contri-
tione deflendo, ac imminentia mala timen-
do, spirituali quoque consolatione propter
demerita mea carendo. Hæc est bona tri-
Eccle. VII, 5. stitia, de qua Ecclesiastes : Cor sapienti- D
um, ubi tristitia. Huic consolatio spiritua-
Matth. V, 5. lis promittitur, Christo dicente : Beati qui
lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Hinc
disseruit Eusebius Emisenus : Sapiens sem-
per in compunctione est, et sicut de præ-
teritis malis dolet, sic de futuris sollicitus
est. At vero qui caritate succensus est, de
proximorum peccatis atque erroribus as-
Rom. IX, 2, 3. sidue mœret, sicut dixit Apostolus : Tri-
stitia mihi magna est, et dolor continu-
us cordi meo, pro fratribus meis Judæis.

Hinc, secundum Basilium, non est in vita
hac tempus ridendi, in qua Deus conti-
nue tam graviter inhonoratur, tot et tanta
committuntur facinora, atque tot millia
pereunt animarum.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illu- 8
sionibus, et non est sanitas in carne mea.

*Quoniam lumbi mei impleti sunt illu-
sionibus,* id est operibus et voluptatibus
carnis, quibus illuditur rationi et animæ,
dum talibus deliberative consentitur, et
dulci veneno decipitur animus. Ideo jubet
Salvator : Sint lumbi vestri præcincti, cin- Luc. XII, 35.
gulo utique castitatis. De quibus et Pau-
lus : State succincti lumbos mentis ve- Ephes. VI, 14.
stræ. Porro, ut sanctus affirmat Gregorius,
luxuria viris in lumbis est, feminis in
umbilico. Quumque per vitium hoc dia-
bolus potissime humano prævaleat generi,
recte in libro Job de Leviathan * perhibe- * Behemoth
tur : Virtus ejus in lumbis ejus, et pote- Job XL, 11.
stas ejus in umbilico ventris illius. Qui
igitur cupit prævalere diabolo, satagat
cum adjutorio gratiæ Dei prævalere suæ
carni et concupiscentiis ejus : quemad-
modum S. Leo Papa, illustris Romanus,
quum in diebus adolescentiæ suæ susti-
neret lubricum carnis, et inde vehemen-
ter doleret, invocavit intente beatissimam
Christiferam Virginem, ut sibi impetraret
a Filio suo gratiam castitatis. Et ecce glo-
riosissima atque dulcissima Domina electo
illi adolescenti apparens : Exaudita est, in-
quit, oratio tua ; insuper ad summi aposto-
latus fastigium te noveris promovendum.

Et non est sanitas in carne mea. Ex hac
connexione videtur, quod de spirituali po-
tissime sanitate loquitur, quæ est in car-
ne, non subjective, sed per redundantiam
quamdam, ac instrumentaliter proprie,
seu cooperative et participative, prout ca-
ro subjecta spiritui, subservit ei in san-
ctitate atque justitia, sicut hortatur Apo-
stolus : Exhibete membra vestra arma Rom. VI, 13, 19.
justitiæ Deo in sanctificationem. Verum-
tamen ex immoderata illa venereorum il-
lusione, solet in corpore quoque infirma-
tio, enervatio, et indispositio multiplex

suboriri. Propter quod dixit Apostolus : A
I Cor. VI, 18. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est ; qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat (quod tur-
Ibid. 15. piter dehonestat) ; tollensque membrum Christi, membrum efficit meretricis. Sed et sanctuarium Dei, quod est corpus suum consecratum in templum Spiritui Sancto, incendit in terra igne libidinis. Hinc vir doctissimus Innocentius Papa disseruit : O extrema libidinis turpitudo, quæ non solum mentem effeminat, sed et corpus enervat ; non solum maculat animam, sed fœdat personam. Semper illam præcedunt impudici contactus, petulantia comitatur, fœtor et immunditia assequuntur. Unde Cyrillus in suis scribit Proverbiis : Quid est quod tu, libidinoso, immoderanter effundis ? Nonne digestissima est medulla, ac vitæ tuæ admirabilis sementiva, humanæ naturæ radicalis, carnis tuæ substantia, divitiarumque gignitivæ virtutis thesauraria vena ? Attende igitur quid prodigus destruis, quid insanus dispergis, quid ingratus in nihilum projicis. Subversor es ordinis mundialis, et naturalis legis transgressor, qui prolificum semen, non in prolem, sed in delectationem ordinas et convertis, atque te ipsum quanto delectabilius, tanto dementius destruis.

9 *Afflictus sum et humiliatus sum nimis ; rugiebam a gemitu cordis mei.*

Sanctus David in persona pœnitentis, accusationibus quibus se ipsum accusat humillime, crebrius commiscet laudabiles pœnitentiæ actus quos pro peccatis suis exercuit, docens quid et nos vilissimi peccatores agere debeamus. Itaque ait : *Afflictus sum* corde per contritionem, quæ est maximus dolor, per tristitiam et horrorem. Corpore quoque afflictus sum, et afflixi me ipsum per jejunia, abstinentias, disciplinas, vigilias, fletus ac similes satisfactionis actus, sicut tu, Domine, dixisti :
Joel II, 12, 13. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu ; et scin-
Jonæ III, 5. dite corda vestra. Ninivitæ vero saccis et ciliciis induerunt se ipsos. *Et humiliatus sum nimis,* id est, me ipsum profundissime humiliavi, ac vilissimum reputavi ex mearum consideratione culparum : sicut
ipse fatetur, Vilior (dicens) fiam plus II Reg. VI, 22.
quam factus sum, et ero humilis in oculis meis ; et alibi, Ego sum vir pauper et te- I Reg. XVIII, 23.
nuis. Hæc humiliatio maxime provocat et procurat misericordiam Dei, ita ut ubi
abundaverunt vitiorum contagia, abun- Rom. V, 20.
dent gratiarum fluenta. Sic jugiter humiliemus nos ipsos, nec aliquid simus in oculis nostris, imo ad spirituale nihilum B redigamur, sicque universos laqueos inimici facile evademus. Nam et quum pater Antonius totum aerem quasi repletum vidisset laqueis hostis antiqui, et exclamasset : Domine, quis hos evadet ? responsum est ei : Sola humilitas. Hinc jussum
est : Humilia valde spiritum tuum, quoni- Eccli. VII, 19.
am vindicta carnis impii, ignis et vermis. *Rugiebam a gemitu cordis mei,* id est, ex prædominanti cordis suspirio ex contritione exorto, velut in leoninum erupi rugitum, nequiens continere me ipsum : quo- C niam prædominantes affectus, in insolitos solent erumpere sonos : quemadmodum Christiani Romani videntes gloriosi Laurentii sacrum corpus assatum, dabant mu-
gitus. Sic et sanctus Job fassus est : An- Job III, 24.
tequam comedam suspiro, et tanquam inundantis aquæ, sic rugitus meus. Denique ipsi Deo in Scripturis rugitus adscribitur, non rugitus doloris, sed terribilitatis atque
terribilis ultionis, juxta illud : Dominus Joel III, 16.
de Sion rugiet. Quod et Amos inducit. Amos I, 2.

Domine, ante te omne desiderium me- 10
D *um ; et gemitus meus a te non est absconditus.*

Domine, ante te omne desiderium meum, id est, tibi jam cognita est omnis affectio cordis mei, et ut confido, tibi accepta est : quia ut vides, nunc ad nihil inordinate afficior ; tibi soli toto corde placere, satisfacere, gratias agere, servire desidero. Hoc certe ad verum pertinet pœnitentem, contritum, conversum, ut quanto plus ac frequentius mentem suam a Creatore avertit, dispersit, et evagari

permisit, tanto intentius ac sæpius ad Deum convertat, recolligat, stabiliatque in ipso, quatenus multitudini ac magnitudini culpæ sit adæquata contritio. *Et gemitus meus a te non est absconditus :* imo oculis sapientiæ tuæ aperta et nuda sunt omnia : oculis quoque clementiæ tuæ acceptus est gemitus contritionis, qui et lacrimas pœnitentis ponis in tuo conspectu. Gemitus iste pœnitentiæ signum est et veræ contritionis effectus, quemadmodum beatus Papa Gregorius protestatur : Dum mentem Deus ingreditur, constat procul dubio quod pœnitentiæ gemitus mox sequatur, ut etiam flere salubriter libeat quod prius in iniquitatibus sibi falsa jucunditate adesse gaudebat. Quo demum uberius culpa defletur, eo altius agnitio veritatis attingitur.

Hebr. IV, 13. — *Ps.* LV, 9.

11 *Cor meum conturbatum est ; dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.*

Cor meum conturbatum est. Turbatio in Scripturis interdum in bono accipitur, juxta illud : Jesus ut vidit Mariam plorantem, infremuit spiritu et turbavit se ipsum. Quæ conturbatio fuit magna compassio. Sed et summa, unica, et incomparabilis illa Maria, ut audivit salutationem Archangeli, turbata est in sermone ejus, id est vehementer attonita : quæ fuit turbatio sapientialis admirationis. Interdum vero et sæpius sumitur in malo, videlicet pro immoderata commotione seu excessiva affectione, juxta illud : Turbati sunt insipientes corde. De utraque vero turbatione potest verbum istud exponi. Pœnitens autem antequam pœnituit, viliter et frequenter intus et extra turbabatur motibus passionum, inquietudine vitiorum. Unum quippe est necessarium, a quo uno mens aversa, in se et in multis multipliciter conturbatur, secundum illud : Ad me ipsum anima mea conturbata est. Hoc est quod Dominus ait : Averti ab ea faciem meam, et abiit vaga in via cordis sui. Ac postquam pœnitere incepit, cor pœnitentis per vehementiam contritionis, per timorem divini judicii, per horrorem æterni supplicii, per curam vitandi recidivationem salubriter est turbatum. *Dereliquit me virtus mea :* id est, vis naturalis tentatori ac peccato succubuit, virtus quoque et gratia in Baptismo collata, seu ante peccatum exsistens in anima, a suo recessit subjecto per recidivum. Propterea Ecclesiastes asserit : Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. *Et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* Naturale etenim lumen interiorum oculorum, qui sunt ratio et intellectus, per peccatum obruitur et cæcatur, lumen vero gratiæ perditur et aufertur : imo et Deus, qui est verissimum lumen mentis, recedit ab anima per peccatum. De qua luce dixit Michæas : Quum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. — Hinc ergo vereamur peccare, ne tot et tanta in spiritualibus damna incurramus. Nempe, ut in homilia scribit Eusebius, hæc est spiritualium bonorum ratio, ut quum constet ea summo labore acquiri, tam facile pereant ut vix possint sentiri. Ideo scriptum est in Deuteronomio : Custodi temetipsum et animam tuam sollicite ; ne obliviscaris verborum Domini, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.

Joann. XI, 33. — *Luc.* I, 29. — *Ps.* LXXV, 6. — *Luc.* X, 42. — *Ps.* XLI, 7. — *Is.* LVII, 17. — *Eccle.* IX, 18. — *Mich.* VII, 8. — *Deut.* IV, 9.

Amici mei et proximi mei, adversum me appropinquaverunt et steterunt. 12

Pœnitentibus suamque vitam emendare optantibus, multa sæpe occurrunt obstacula. Et quanto quis perfectiorem conatur emendationem pœnitentiamque assumere, tanto adversariæ potestates plura sibi subjiciunt et procurant impedimenta. Hinc in Ecclesiastico sapienter consulitur : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem. Sicque contingere solet, ut carnales amici et proximi adversentur servo Dei, ab eorum societate et impia conversatione se abstrahenti, aut temporalia adversa atque incommoda patienti ; quæruntque et consulunt inter se, qualiter eum a via avertant pœnitentiæ ac salutis. Unde et Christus prædixit disci-

Eccli. II, 1.

Luc xxi 16, 17. pulis : Trademini a parentibus, et amicis, A
et fratribus, et eritis odio omnibus homi-
Matth. x, 36 ; Mich. vii, 6. nibus propter me ; itemque, Inimici ho-
minis, inquit, domestici ejus. Et : Vir
Mich vii, 2. fratrem suum venatur ad mortem ; et rur-
Ibid. 5. sus, Ab ea quæ dormit in sinu tuo, cu-
stodi claustra oris tui. Sic et sanctus Job
Job xix, 13. loquitur : Fratres mei elongaverunt a me,
et noti mei quasi alieni recesserunt a me.

Ad idem spectat quod subditur :

Et qui juxta me erant, de longe ste-
13 *terunt ; et vim faciebant qui quærebant*
animam meam.

B *Et qui juxta me erant,* tempore prosperitatis seu pravæ conversationis, *de longe steterunt,* adversando mihi in bonis ; *et vim faciebant,* id est, violentiam intulerunt mihi, *qui quærebant animam meam* ad decipiendum seu affligendum, vel vitam meam ad occidendum : sicut Herodes (Matth. ii, 20.) quærebat animam Pueri ad perdendum. Quod et invisibiles hostes aliquando Deo permittente sanctis viris fecerunt : quos et corporaliter pene usque ad mortem flagellasse leguntur, ut magnum Anto- C nium ac similes ejus.

Et qui inquirebant mala, mihi locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.

Et qui inquirebant mala, id est occasiones nocendi et modos fallendi, ut qui ex proposito et industria peccant : de quibus ait Apostolus (II Tim. iii, 13.), Impii proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes ; et denuo (II Cor. xi, 12.), Ut amputem occasionem his qui quærunt occasionem ; *mihi locuti sunt vanitates,* id est, per vanas et frivolas D persuasiones me decipere nisi sunt, vel, ficta ac mendosa mihi locuti sunt ; *et dolos tota die meditabantur.* Hæc invisibiles inimici faciunt servientibus Deo indesinenter, quibus suggerunt mala sub specie boni.

14 *Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.*

Ego autem tanquam surdus non audiebam, id est, dissimulavi me audire (I Reg. x, 27.) : ut de Saul narratur quod dissimulavit se audire verba aspernantium eum ; *et sicut mutus non aperiens os suum.* Sic et quarto Regum legitur prudens et sanctus rex Ezechias mandasse suis officiatis (IV Reg. xviii, 36; Is. xxxvi, 21.) : Ne respondeatis ei, videlicet improbissimo blasphemoque Rabsaci.

Ad idem pertinet quod subditur :

Et factus sum sicut homo non audiens, 15
et non habens in ore suo redargutiones.

Interdum namque plus expedit improbitati cedere, seu potestati deferre, quam redarguendo aut respondendo resistere, ut dum obstinati, seu contumaces, aut incorrigibiles sunt qui loquuntur atque injuriantur : quibus si juste seu prudenter respondeatur, ad pejora provocantur et gravius labuntur. Unde in alio dicitur psalmo (Ps xxxviii, 2, 3.) : Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me ; obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis. In Ecclesiastico quoque scriptum est (Eccli. xx, 5.) : Est tacens, qui invenitur sapiens ; et est odibilis, qui procax est ad loquendum. Denique omnia ista ad litteram sancto David contigisse creduntur, qui psalmum istum, quemadmodum et sequentem ac alios plures, fecisse censetur ad litteram pro indulgentia sibi præstanda de peccatis commissis in Uriam Hethæum et conjugem (II Reg. xi, 3 et seq. Ibid. xv-xvii.) : propter quæ pulsus fuit e regno, ejusque filius et consobrinus Amasa ac tribus Juda pro maxima parte recesserunt et convenerunt adversus eum. In qua persecutione patientissimus fuit et tacens, prout secundo Regum præscribitur.

Præterea, sunt quædam tentationes diaboli graves et improbæ, atque inexpertis in eis multum molestæ, ut tentationes blasphemiæ, susurria quoque diabolica contra fidem et de præscientia ac prædestinatione : quæ melius nequeunt superari quam ut penitus non curentur, sed irrideantur et contemnantur, dicaturque tentatori, Aperi os tuum, et projiciam ibi stercus : secundum quod Seraphicus signifer ille Franciscus docuit fratres suos. Porro Guillelmus Parisiensis in tractatu

* de Tentationibus et resistentiis.

suo de Vitiis et virtutibus *, dicit, quod proferendo unam syllabam superantur, dicendo videlicet, *fy*. Ideo sicut qui videt turpissimum fœtidissimumque cadaver mox se inde avertit, dicendo *fy*, nec amplius dignatur adspicere; ita qui talia in se sentit tentamenta, protinus cum indignatione et derisu se inde avertat, et dicat *fy*, nec magis dignetur advertere. Imo ad alia salubria se convertat, cogitando de Christi passione et de quatuor suis novissimis. Si vero voluerit contra tentationes hujusmodi disputare et eas in se revolvere, seque per eas affligere ac tristari; non inveniet requiem, sed majorem ac duriorem quotidie refricationem : quoniam argumentis non cedit diabolus, imo scit subtiliter ac multipliciter replicare. Verum, quum superbissimus sit, præfatam aspernationem, irrisionem, et dissimulationem non sustinet. — Hinc in talibus tentationibus dicat tentatus : *Et qui inquirebant mala, mihi locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.* Insuper, si quis contra nos velit contendere, cavillari, calumniari, vel si quis alteri obloquatur, aut discordiam seminare voluerit, taceamus, non contendamus, nec aliorum improbitate vincamur, aut modeste redarguamus : quum scriptum sit, Honor est homini quum separat se a lite; itemque, Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam, et ori tuo facito ostia, et seras auribus tuis. Itaque quos verbis instruere non valemus, per patientiam ædificemus, et ex caritativa compassione oremus pro ipsis.

Prov. xx, 3. *Eccli.* xxviii, 28.

16 *Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus.*

De dignitate et efficacia spei formatæ, id est per caritatem ornatæ ac bonis operibus actuatæ, dicta sunt aliqua in expositione psalmi prioris, super illud : Sperantem autem in Domino misericordia

Ps. xxxi, 10.

A circumdabit. Denique tanta est virtus et efficacia spei, ut pene omnium virtutum effectus, omne bonum animæ, totius gratiæ ac salutis adeptio, ei attribuantur, utpote, adjuvari, liberari, erui, et salvari : juxta illud Psalmi, Adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo. Isaias quoque : Deus judicii Dominus, beati omnes qui exspectant eum; et rursus, Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ,

Ps. xxxvi, 40. *Is.* xxx, 18. *Ibid.* xl, 31.

B current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. Sic ergo nunc attribuitur spei exauditio orationum a Domino. *Quoniam in te, Domine, speravi*, id est, non de viribus aut meritis meis præsumpsi, *tu exaudies* preces meas, ut confido, o *Domine Deus meus.* Hoc enim est verbum bonæ fiduciæ. Vel ex revelatione certo novit se exaudiendum. In his quoque insinuatur pœnitentis profectus. Qui enim primo expavit in furore Dei increpari, paulatim se humiliando, spernendo, conterendo, orando, et flendo, ad tantam de-

C venit confidentiam ac familiaritatem Altissimi, ut Deum universorum nominet Deum suum. Hoc non est omnium dicere, sed eorum qui Deum valde singulariter colunt ac diligunt, atque ab ipso gratiose omnino reguntur. Propter quod divinus Dionysius in libris suis interdum sic ait : Deus, et si fas est dicere, meus. Qui sic sperat in Domino, cum S. Bernardo dicere valet : Si mihi præmia promittuntur, per te obtinere sperabo; si insurgunt adver-

D sus me prælia, si sæviat mundus, si terreat malignus, si caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo.

Sic ergo sperabo in te :

Quia dixi, nequando supergaudeant mi- 17
hi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quia dixi, id est, orando a te petii, *nequando supergaudeant mihi inimici mei*, id est, ut adversarii meæ salutis nunquam superflue ac invide gaudeant de victoria sua contra me, sed magis defi-

ciant ac succumbant, nec impiam exsultationem superaddant ceteris suis excessibus. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Domine pater, ne derelinquas me, ne gaudeat inimicus meus. Et Michaeas : Ne læteris, inimica mea, quia cecidi : consurgam. *Et dum commoventur pedes mei*, id est, dum actus mei interiores aut exteriores, a rectitudine æquitatis et a via salutis declinant aut deviant, *super me magna locuti sunt*, id est, præsumptuose me deriserunt, mihique insultaverunt : juxta illud in alio psalmo, Qui tribulant me, exsultabunt si motus fuero. Itemque : Deus meus, in te confido, non erubescam ; neque irrideant me inimici mei. Ipsos enim irrisores patimur, quos ad malum persuasores habemus. — Præterea, istud debet nos ad præliandum idonee contra aciem vitiorum ac dæmonum vehementer accendere, atque præcipue confortare, quod adversariorum nostrorum implacabilem crudelitatem, insanissimum odium ac malignissimam irrisionem adversus nos certo cognoscimus, ita quod nil finaliter quærunt nisi æternam nostram damnationem, nec aliquid minus sufficit eis de nobis ; et insuper, quod ipse Deus rex et Dominus noster, et totus cœli exercitus inspicit prælium nostrum, et nostrum exspectat ac cupit triumphum, ac de nostra gloriatur victoria. Idcirco, ut ipsis complaceamus ac sociemur, infatigabiliter præliemur. Non enim coronatur, nisi qui legitime certaverit. Hoc demum est bene certare, universas adversariorum machinas debellare.

Eccli. xxiii, 1, 3. — Mich. vii, 8. — Ps. xii, 5. — Ps. xxiv, 2, 3. — II Tim. ii, 5.

18 *Quoniam ego in flagella paratus sum ;*
et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam ego in flagella paratus sum, id est, ex consideratione meorum excessuum, paratus sum pati adversa, et virgam paternæ correctionis suscipere, atque pro viribus satisfacere pro peccatis. Nam, ut sanctus fatetur Ambrosius, Qui pœnitentiam vere agit, debet esse paratus ad opprobria perferenda, ad injurias subeundas, nec moveri si quis ei peccatum suum objiciat. Et ut beatus testatur Bernardus, Qui perfecte sentit onus sui peccati suæque animæ læsionem, parum aut nihil reputat sui corporis pœnam ; nec reputat hoc laborem, quo novit peccata deleri præterita, et caveri futura, supplicia quoque redimi sempiterna. *Et dolor meus*, puta contritio seu pœna quam patior pro peccato, *in conspectu meo semper* : quia utrumque perpendo, et unum ad aliud refero, ac pœnam pro culpa æquanimiter fero omni tempore opportuno ; imo ex pœna me culpabilem penso. Unde per Jeremiam Dominus loquitur : Castigo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius. Hinc subditur :

Jer. xxx, 11.

Quoniam iniquitatem meam annuntia- 19
bo, et cogitabo pro peccato meo.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, id est, publice fatebor, et sacramentaliter confitebor tempore apto : sicut expositum est. Nam et reus graviter peccat, peccatum suum negando, aut etiam non propalando judici suo, dum ille requirit. *Et cogitabo pro peccato meo*, id est, sollicitus ero qualiter satisfaciam pro eodem, nec ipsum tradam oblivioni : imo ejus gravitatem, frequentiam, circumstantiasque diligenter attendam. Ita debemus peccata nostra quotidie recogitare, et ea quasi in unum sacculum colligere, et ante oculos cordis nostri suspendere, atque ex eorum intuitu nos indesinenter humiliare ; ac quotiescumque pulsaverit nos aliquis motus vanitatis, tentatio elationis, complacentiæ propriæ, aut gloriæ vanæ, confestim fasciculum illum adspicere, sicque rejicere vana et frivola. Similiter, dum alium increpamus aut judicamus, cum humilitate et timore Dei facere hoc debemus, propria reminiscendo delicta : præsertim quum indignus sit alium judicare, qui in eodem aut majori est peccato, ut ait Chrysostomus. Sic cogitavit pro peccato suo qui dixit : Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.

Is. xxxviii, 15.

Inimici autem mei vivunt et confirmati 20
sunt super me ; et multiplicati sunt qui
oderunt me inique.

Hoc frequenter ad litteram accidit pœ- A nitenti ac justo, ut ab hominibus ipsis potentioribus odio habeantur propter suam justitiam. Quemadmodum enim similitudo est causa complacentiæ et amoris ; sic dissimilitudo solet esse causa displicentiæ et rancoris, prout impii loquuntur de justo : *Sap.* II, 15. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. Nec inde est contristandum, sed potius gloriandum, quum dicat Salvator : *Matth.* V, 11, 12; *Luc.* VI, 22, 23. Beati estis, quum oderint vos homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me ; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Nihilo minus de peccato ipsorum debemus dolere, et pro ipsis orare. Porro, de invisibilibus hostibus hæc melius exponuntur : qui immortales sunt quoad vitam naturæ, naturalique potestate multo nobis sunt fortiores; qui quasi innumerabiles esse noscuntur. *Job* XLI, 24. De quorum principe scriptum est : Non est potestas super terram quæ comparetur ei. Super illud quoque in Evangelio, *Luc.* XI, 21. Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet, scribit Hieronymus : Non debemus esse securi, quoniam adversarius noster etiam victoris voce fortis vocatur. Hinc supernaturalibus indigemus auxiliis, angelorum præsidio, gratia virtutibusque infusis ac donis. *Ephes.* VI, 10, 11. Idcirco hortatur Apostolus : Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus ; induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

21 *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.*

Retribuere bonum pro malis, ad omnem pertinet Christianum, ipso Christo *Matth.* V, 44, 45. jubente : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos et malos. Longissime ergo distant ab evangelicis documentis, et ingratissimi comprobantur, prorsusque indigni sunt Christiani appellari, qui malum pro bono non verentur reddere. Denique, judex furem suspendens, et magister discipulum dyscolum cædens, non reddunt malum absolute pro malo, quamvis pro malo culpæ retribuunt malum pœnæ : quia hoc malum pœnale, est justum et medicinale, præsertim si ex caritate et zelo justitiæ irrogetur. Præterea quidam adeo sunt perversi, ut bonum virtutis quod ipsi non habent, persequantur in aliis, melioresque B se per detractiones nefarias denigrare ac maculare præsumunt : qui, ut ait Scriptura, Deo odibiles sunt. *Eccli.* X, 7. Nempe, ut Jacobus ait apostolus, Qui detrahit fratri, *Jacob.* IV, 11. detrahit legi ; Salomon quoque, *Eccle.* X, 11. Si mordeat serpens in abscondito, nihil minus eo habet qui occulte detrahit proximo. Nec solum obloquitur, qui falsa dicit de alio intentione denigrandi famam ipsius, sed etiam qui tali intentione loquitur illo absente vera de illo. Quumque istud sit mortale, multo magis illud.

C *Ne derelinquas me, Domine Deus meus; ne discesseris a me.* 22

Ne derelinquas me, Domine Deus meus, esse extra gratiam et statum salutis ; *ne discesseris a me,* gratiam abstrahendo : hoc est, a vitiis me præserva, in gratia atque virtutibus me conserva. Nam sicut a te est omne esse ac vivere naturale, et conservatio in eisdem, ita ut nec ad momentum quis possit sine manutenentia tua in illis subsistere : ita a te ac incessanter dependet omne esse ac vivere spirituale D meritorium, idoneum ad merendum vitam æternam ; a te omnis boni initium, processus, et complementum. Pro hac re omnes boni Deum concorditer oraverunt, ut scilicet non derelinquantur a pietate et gratia Dei, certi quod derelicti mox caderent in peccata. Quamvis enim ad modicum tempus, non tamen diu abstinerent a culpa. Recedit autem Deus a creatura, quemadmodum et accedit, non locum mutando, sed influendo, aut influentiam retrahendo.

23 *Intende in adjutorium meum, Domine, Deus salutis meæ* dator et reparator, objectum, causa et finis. Certe, ut ait Sal- *Matth.* xii, 34. vator, Ex abundantia cordis os loquitur. Hinc peccator conversus ac pœnitens, propriam fragilitatem expertus, et ex divina illuminatione clare intelligens in quantis fuit periculis, quam pessime stetit, imo quam damnabiliter jacuit, quam item vehementer et indesinenter imbecillis atque instabilis homo indigeat gratioso Creatoris sui auxilio; eamdem sententiam eamdemque precem sub aliis verbis frequenter resumit: ex quibus et suæ devotionis affectio in se ipsa validius incalescit.

Itaque, quidquid in psalmo isto in persona dicimus pœnitentis, et verba a David edita proferendo, proferre conemur ea quasi ex proprii cordis affectu, et sensum verborum imitemur ac impleamus effectu. Nequaquam mala pro bonis reddamus, nec alterius ingratitudine, impatientia, improbitate vincamur: imo aliorum pravitatem, ingratitudinem, iram, impatientiam, stabilitate virtutum, beneficentia, patientia, mititate[1] et caritate vin- *Rom.* xii, 14. camus, juxta illud Apostoli: Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere. Nam et princeps Apostolorum *I Petr.* ii, 15. in prima sua affirmat Canonica: Sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Maxime quoque vitandum est omni Christiano venenatissimum illud infernale flagitium detractionis: quod ut A effatur Bernardus, gladius biceps est, ex utraque parte acutus, tam detrahentis quam libenter audientis animam perimens. Hinc ait Hieronymus: Nulli omnino detrahas unquam, nec aliorum vituperatione velis videri laudabilis; magis tuam vitam disce ornare, quam carpere alienam, ac semper memor esto scripturæ dicentis: Noli detrahere, ne eradiceris. Hinc Salomon in Proverbiis: Cum detractoribus ne commiscearis, quia repente *Prov.* xxiv, 21, 22. consurget eorum perditio.

B Circa præhabita quæritur, specialiter circa illud, Afflictus sum et humiliatus *vers.* 9. sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei, utrum parva contritio sufficiat ad delendum peccata majora. Videtur quod non, quoniam contritionem oportet adæquari peccato. Ad hoc Thomas, Bonaventura, aliique communiter super quartum respondent, quod, quantumcumque parvus sit dolor in superiori appetitu, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem delet culpam, quantum ad remis- C sionem offensæ. Vera namque contritio sine caritate esse non valet. Caritas autem quantumlibet parva, nullum secum compatitur peccatum mortale. Attamen in contritione qua sigillatim de singulis vitiis suis conteritur homo, oportet esse majorem contritionem de peccato majori. Alicqui ad rationem contritionis non videretur sufficere. Sicque verificatur illud Hieronymi: Necessaria est pœnitentia quæ aut æquet crimina, aut excedat.

ENARRATIO IN PSALMUM IV PŒNITENTIALEM

Ps. L. 3 MISERERE *mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

Iste est devotissimus et omni compunctione plenissimus psalmus, cum attentio- D ne et contritione præcipua depromendus. Quem si attente cum condigna contritione pronuntiet homo, mirum si cor ejus præ devotione et pœnitentiali dolore ac cari-

[1] Cf. Cangii *Glossar.* V° Mititia.

tativo fervore, protinus non rumpatur. A Quem ut devotius proferamus, aliquid adhuc de enormitate inducam peccati : cujus horrenda gravitas pensatur ex multis.

Primo, ex parte ejus in quem peccatur. Quumque bonitas superoptimi Dei, in quem omne peccatum committitur, admittitur seu contingit, sit in omni perfectione penitus infinita : constat quod ex hac parte tam ingens sit omnis peccati mortalis enormitas, ut plene a nobis in hac vita comprehendi nequeat, nec effari, in tantum ut quodammodo intensive videa- B tur in infinitum enorme. Imo ex hac parte multipliciter perpenditur peccati enormitas : — Primo, ex parte divinæ bonitatis, cui in omni peccato mortali præfertur bonum creatum, caducum, et vile. Quumque bonitas superpræstantissimi Dei sit prorsus immensa, pura, et incircumscripta : patet quod gravissima ei irrogetur injuria et quasi infinitus contemptus, dum ista tam fœda et vilia præferuntur tam supersplendidissimæ bonitati. — Secundo, ex parte majestatis et honorabilitatis C divinæ. Nempe, quo is in quem peccatur majoris est dignitatis, sublimiorisque auctoritatis, et eminentioris majestatis ac honorabilitatis, eo enormius est ipsum offendere et in eum peccare. Quumque Deus excelsus et gloriosus sit universis et singulis in infinitum sublimior, major, dignior, honorabilior, cujus auctoritas omni caret termino ac mensura : certum est quod ex hac parte ineffabiliter grandis sit enormitas suæ offensæ. De quo scri-
Job XXXVI, 22. ptum est : Ecce Deus excelsus in fortitu- D dine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. Quem, teste Porphyrio, polus, tellus pontusque contremunt, et ipsa numina perhorrescunt. — Tertio, ex parte justitiæ ac sanctitatis divinæ mentis. Etenim, quo quis in se ipso vere sanctior justiorque consistit, eo plus detestatur ac odit iniquitatem ; et si judex sit, gravius punit eam. Quemadmodum ergo constat Altissimum essentialiter et incircumscriptibiliter sanctum ac justum consistere ; ita clarissimum est quod summe et inæstimabiliter detestetur, odiat, puniatque peccata. Et certe si volumus clarius intueri quam enormem reputet omnem culpam mortalem, pensemus quod pro ea æternam infligat pœnam, omnibus tormentis hujus mundi acerbiorem. — Quarto, ex parte caritatis Dei nostri ad nos, qui propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, *Ephes.* II, 4; *Galat.* IV, 4.
unigenitum superdilectissimum Filium suum misit ac contulit nobis, atque se ipsum nobis promisit in præmium ac omnes divitias gloriæ suæ nobis communicare paratus est. Quantæ igitur perversitatis et impietatis est, hunc supergratiosissimum amatorem, qui etiam a nobis pauperculis Pater appellari dignatus est, saltem non reamare filiali amore, sed potius ipsum abjicere, mentem ab eo avertere, ipsum quoque assidue inhonorare ! Heu, heu, heu ! quanta est perversitas, ingratitudo, improbitas nostra ! — Quinto, ex parte munificentiæ beneficiorumque Dei : qui quum liberalissimus sit ad nos, et multa ac maxima beneficia præstiterit nobis in naturalibus atque gratuitis, majora quoque in donis gloriæ repromiserit nobis ; palam prorsus, enormissimum esse, pro tot et tantis bonis tali ac tanto benefactori reddere mala, contumelias, injurias, exsecramenta. Nonne ipse Pater spirituum, cui minime potest reddi æquivalens ? Et si carnales parentes inhonorare exsistit tam enorme, ut jussum fuerit in lege, Qui maledixerit patri aut matri, *Exod.* XXI, 17.
morte moriatur : quanto enormius est, Patrem istum altissimum, a quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur ac *Ephes.* III, 15.
derivatur, mentis aversione, oris locutione, bonorum omissione, malorum commissione, cunctisque viribus animæ, et omnibus corporis membris inhonorare ? Hinc rectissime Moyses dixit : Generatio *Deut* XXXII, 5, 6, 18.
prava atque perversa, hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens ? Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te ? Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creato-

ris tui. Sexto, ex parte divinæ præsentiæ omnia intuentis. Hoc quippe ad præcipuum pertinet Dei contemptum, quod quum certissime agnoscamus eum ubique esse præsentem, ac universa conspicientem, nihilo minus ipso præsente, intuente, comminante, ac prohibente, stulte audemus, ac scelerate præsumimus ejus prævaricare præcepta.

Insuper, attenditur peccati enormitas ex parte peccantis : qui quanto majora ac plura bona desuper est sortitus, quanto majoris est prælaturæ aut dignitatis, quo pluribus præsidet, quo majoris exsistit scientiæ altiorisve ordinis, ac pluribus modis ad bene vivendum constrictus, eo peccata ipsius sunt graviora. — Sunt demum et alia multa ex quibus accipitur gravitas culpæ, videlicet ex parte loci et temporis, ac materiæ circa quam, ac processus, et penes radicem ac finem.

Tu ergo, o peccator ac pœnitens, his rite attentis, mente jam recollecta, accede ad thronum gratiæ, et contritissimo ac fervido corde invoca Patrem misericordiarum, fontem gratiæ, datorem virtutum, dicendo : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*, hoc est secundum pietatem tuam penitus infinitam, cujus consideratio excludit a me omnem desperationem, datque orandi fiduciam : quoniam in infinitum major est misericordia tua quam miseria nostra, bonitas tua quam nostra malitia, opulentia gratiæ et abundantia caritatis liberalitatisque tuæ, quam indigentia, aversio atque inopia nostra. Ob hanc tuam misericordiam, beatitudinem opulentiamque immensam, miserere mihi miserrimo, pauperrimo ac infelicissimo peccatori, ad laudem et gloriam tui ipsius : quatenus, quo major est mea miseria, transgressio et malitia, tanto plus misericordia, gratia, liberalitas tua commendentur, resplendeant et glorificentur in me. O quanta est vis verbi istius, Miserere, quo et ipse Omnipotens quodam modo vinci videtur ! Quidquid enim, o Domine, objeceris mihi et dixeris, ad pro-

Hebr. IV, 16.

A bandum quod indignus sim misericordia tua, ego non cessabo repetere verbum hoc, Miserere mei. Si dixeris : Tu vilissimus es, toties et tam dire me offendisti, turpissimus et fœtidissimus factus es, indignissimus es coram me apparere, adspici a me, exprimere nomen meum per pollutissimam linguam tuam ; resumam verbum istud, et dicam, Miserere. Nempe, quo pejor, quo vilior, quo omni gratia tua indignior, quo æterna damnatione condignior, eo miserabilior ; eo illa miseri-
B cordia incomparabilis et immensa plus locum habet in me, et gloriosius, mirabilius atque potentius declarari potest in me. Nonne, o Domine, proprium est tibi misereri et parcere ? Nec latet quod omni enti delectabile sit agere quod sibi est naturale. Ergo tibi supermisericordissimo ac prorsus infinite superpiissimo Deo delectabile est misericorditer agere, indulgere, languidissimo exhibere medelam, miserrimo impendere opem, atque quantumlibet vitioso, tamen ad misericordiæ
C tuæ infinitam abyssum confugienti, sua vulnera oculis tuæ immensæ clementiæ detegenti, tuas miserationes totis præcordiis postulanti paterne misereri.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Misericordia seu pietas Dei in se ipsa una et simplex est, ac idem quod divina essentia. Nihilo minus multipliciter significatur et pluraliter designatur per diversitatem ac varietatem suorum effectuum, quemadmodum et potentia, juxta illud :
D Misericordias Domini in æternum cantabo ; et rursus, Quis loquetur potentias Domini ? et, Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Misericordia quoque significatur in Deo quasi per modum habitus seu virtutis, sicut justitia ; miseratio autem seu misereri, per modum actus : quanquam in simplicissimo Deo prorsus sint idem essentia, virtus, et actio, quemadmodum esse, et posse, ac agere. Est itaque sensus : *Et secundum multitudinem miserationum tuarum*, id

Ps. LXXXVIII, 2.
Ps. CV, 2.
Ps. LXX, 15, 16.

est juxta innumerabilem multiplicationem tuarum piissimarum actionum et misericordissimorum tuorum effectuum, quibus multifarie multisque modis ab exordio mundi hominibus es misertus, et vitiosis ac miseris indulsisti ac subvenisti, sicut et filiis Israel, ut patet in libris Moysis et Judicum ac alibi, *dele iniquitatem meam,* id est, omnium vitiorum meorum congeriem amove et dimitte, quasi non
Is. XLIV, 22. fuerint, sicut in Isaia dixisti : Delebo ut nubem iniquitatem tuam ; et rursus in
Ibid. XLIII, 25. eodem, Ego sum qui deleo iniquitates tuas
Mich. VII, 19. propter me. De quo et Michæas : Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Sic
Eccli. XXXVI, 1. et Ecclesiasticus orat : Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum.

4 *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.*

Ecce ex ingenti contritione, ex ebullienti devotione, ex prædominanti fervore, eumdem sensum, imo eamdem cordis sui affectionem, eamdemque precem sub aliis et aliis verbis multoties repetit ; sicque præcedens bona affectio, sequentem sibi consimilem parit, fovet, accendit, et meritum crescit, quod in affectione præsertim consistit : quanquam inter peccata et iniquitates possit notari distinctio, ut unum referatur ad peccata omissionis, aliud ad peccata commissionis, seu unum ad culpam in proximum, aliud ad culpam in Deum. Denique, per iniquitatem et peccatum intelligenda sunt universa delicta. Etenim larga Dei pietas non dimidiat veniam. Nam unum mortale sine alio non dimittitur, quantum ad culpæ dimissionem, quoniam mortale peccatum sine infusione gratiæ non deletur, cum qua nullum potest stare mortale. Unum vero veniale sine alio potest dimitti, quum non requirat novam gratiæ infusionem. Attamen potest quis ita orare pro alicujus specialis peccati venia impetranda, de quo nova et specialis habetur contritio. Quamvis enim pœnitens habere nequeat contritionem de

A uno mortali absque omnium suorum contritione mortalium, nihilo minus potest de uno specialiter et actualiter pœnitere seu contritionem habere absque actuali (non tamen sine habituali, virtuali, aut æquivalenti) contritione de aliis. Insuper, lavat nos Dominus ab iniquitate, gratiam infundendo, contritionem præstando, ac mentem ad lacrimandum pro peccatis emolliendo et compungendo. Peccator quoque dicitur a peccatis se lavare, in quantum Deo donante conteritur, dolet, et plorat
B pro eis, juxta illud Jeremiæ : Lava a ma- *Jer.* IV, 14.
litia cor tuum, ut salva fias. Hæc lotio est ipsa mundatio. Hinc pœnitentia est alter Baptismus, et repetitio ejus, renovatio gratiæ, et resurrectio salutaris a morte culpæ,
juxta illud Apostoli : Surge, qui dormis, et *Ephes.* V, 14.
exsurge a mortuis. Præterea, remissio culpæ et justificatio impii, realiter idem sunt. Differuntque in hoc, quod remissio culpæ concernit maculam quæ aufertur, justificatio gratiam quæ confertur.

Quoniam iniquitatem meam ego co- 5
C *gnosco ; et peccatum meum contra me est semper.*

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco ; id est, considero corde contrito, vel saltem attrito, si gratia nondum infusa sit; *et peccatum meum contra me est semper,* id est, indesinenter adversatur et repugnat saluti meæ, ut maximum malum pessimumque venenum et summum nocumentum animæ meæ, separatio quoque
a Deo. Idcirco qui diligit iniquitatem, odit *Ps.* X, 6.
animam suam, prout Tobiæ duodecimo
D S. Raphael loquitur : Qui faciunt pecca- *Tob.* XII, 10.
tum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. Unde in libro Proverbiorum, iniquorum stultitia increpatur ac tangitur, quo
habetur : Usquequo stulti ea quæ sibi no- *Prov.* I, 22.
civa sunt cupient? De quibus Sapiens di-
cit : Injustitia mortis acquisitio est; impii *Sap.* I, 16.
autem manibus et verbis arcessierunt illam, et æstimantes illam amicam defluxerunt. Vel : Peccatum meum contra me est semper, id est jugiter omnique tempore opportuno coram oculis cordis mei, et in

memoria mea : ita ut illud mihi opponam A ad intuendum, deflendum, satisfaciendum, vitandum, quatenus ita me ipsum humiliem, nec inaniter gloriari præsumam : *Osee* IX, 1. juxta illud Osee, Noli lætari, et noli gloriari, quia fornicatus es a Deo tuo. Istud ex parte pœnitentis est præcipuum incitamentum ac motivum et medium impetrandi veniam, gratiam, et salutem ; nec potest adultus remissionem consequi peccatorum, nisi ea consideret, detestetur, abhorreat. Et quanto quis peccata sua diligentius pensat, exaggerat, ponderat, exsecratur ; tanto majorem ac celeriorem desuper veniam gratiamque meretur. Unde Dominus peccatricem animam exhortatur : *Jer.* III, 2. Leva, inquiens per Jeremiam, in directum oculos tuos, et vide ubi prostrata sis. Sic debemus peccata nostra coram nobis et ante nos ponere, prout admonet Augustinus : In tribunal mentis tuæ ascende contra te, et reum te constitue ante te. Noli te ponere post te, ne Deus te ponat *Ps.* XLIX 21. ante te, sicut ait in Psalmo : Arguam te et statuam contra faciem tuam. Vis ut ego C non attendam ? tu attende.

6 *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris.*

David in persona pœnitentis consequenter se humiliat vehementer, sciens humiles exaudiri, gratiis decorari, et exaltari, *Luc.* XIV, 11; XVIII, 14. sicut ait Salvator : Qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur. Pro *Prov.* XXIX, 23. quo alibi habetur : Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria. In Ecclesiastico quoque asseritur : D *Eccli.* XXXV, 21. Oratio humiliantis se penetrat nubes. Itaque accusat se, dicendo : *Tibi soli peccavi,* id est, principaliter peccavi in te. Nam et quamvis peccavi in proximum, hoc tamen fuit quoniam contra tuum egi præceptum, qui jussisti ne proximis injuriemur. A te quippe est tam lex naturalis, quam lex divina, sive per Moysen, sive per Christum data. Porro lex naturalis, quantum ad proximum, specialiter continet duo præcepta : unum affirmativum, quod Christus legitur deprompsisse, Omnia, inquiens, quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis ; aliud negativum, quod tamen ex affirmativo illo consequitur : quod per Tobiam exprimitur ita, Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne aliquando alii facias. Hæc quoque in alia subdividuntur præcepta, præsertim in septem illa Decalogi secundæ tabulæ. *Matth.* VII, 12. *Tob.* IV, 16.

Sic David peccavit in proximos : potissime in Uriam, cujus invasit uxorem, et quem procuravit occidi ; et in subditos, B quos scandalizavit, dum factum publicabatur, si tamen ante hoc non fuit vere contritus. Verumtamen ait, Tibi soli peccavi, quia quum esset rex totius Israeliticæ plebis, non habuit judicem superiorem in terra, a quo puniretur. Si autem objiciatur, quod summus pontifex fuit eo superior : dicendum, quod ut scribit S. Thomas in libro de Regimine regum, tam apud Hebræos, quam apud gentiles, rex seu imperator superior pontifice fuit : quoniam illorum sacerdotium exstitit quasi carnale, et circa corporales hostias versabatur. Sacerdotium vero Christi, spirituale, divinum, dignissimumque consistit : ideo summus Pontifex populi christiani Imperatori ac regibus valde exsistit sublimior. Si rursus quis instet, quia ut in Politicis docet Philosophus, ad totam spectat communitatem deponere regem enormiter tyrannizantem : respondetur, id verum esse, si communitas recursum habere ad superiorem non valeat. Denique hoc præcipue gravat regum et præsidentium facinus, quod peccant in subditos quos ab oppressione, violatione, atque injuriis tueri tenentur. Et denuo, quanto altioris sunt dignitatis, et auctoritatis majoris, tanto excessus eorum sunt graviores. Ad quod insinuandum scriptum est : Exiguo conceditur *Sap.* VI, 7, 9. misericordia ; potentes autem potenter patientur tormenta ; et fortioribus fortior instat cruciatus. *II Reg.* XI.

Et malum coram te feci. Quemadmodum dictum est præcedenti capitulo, hoc non mediocriter gravat peccatum et auget

contemptum in Dominum, quod in præsentia Judicis summi audemus etiam scienter peccare. Nonne princeps terrenus indignantissime ferret, si ejus ministri ipso adstante ac intuente, sua transgrederentur præcepta? Nihilo minus, ut in homilia quadam loquitur Origenes, hi qui peccant coram Deo, id est, attendunt se in conspectu Dei peccare, ceteris paribus corriguntur facilius : siquidem majorem habent remorsum synderesis, et sua magis advertunt pericula ac Dei judicia.

Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris. Quod ait, Ut, tenetur hic non causaliter, sed consecutive, sicut et alibi multoties in Scripturis : ut dum loquitur Christus, Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes, et ex illis occidetis, ut veniat super vos omnis sanguis justus. (*Matth.* xxiii, 34, 35.) Non enim ad hoc David peccavit ut Deus in suis justificaretur sermonibus : sed cum Bethsabee peccavit ut suæ satisfaceret concupiscentiæ; Uriam autem fecit occidi, ut suum adulterium celaretur. Verum ad crimina illa consecutum est, quod Deus in se ipso æternaliter sanctus et justus, justificatus est, id est, recognitus est esse justus in suis sermonibus, quibus prædixit se pœnam debitam inflicturum pro culpis, pœnitenti quoque ignosciturum, sicut in Scripturis pollicitus est. Ad litteram demum dixit Deus per Nathan ad David : Pro eo quod tulisti uxorem Uriæ, et occidisti Uriam, ecce ego tollam uxores tuas, et dabo eas proximo tuo, nec recedet gladius de domo tua. (II *Reg.* xii, 9-11.) Quod totum Deus justus implevit, ut patet in libro Regum; et justificatus est puniendo scelera illa per proportionata tormenta, juxta illud : Per quæ quis peccat, per hæc et punitur. (*Sap.* xi, 17.) Præterea allegat locum istum Apostolus ad Romanos : Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris. (*Rom.* iii, 4.) Ubi et disputat contra illos qui hæc verba male intellexerunt, quasi Ut teneatur hic directe causaliter. *Et vincas quum judicaris :* id est, hoc quoque concomitanter ex meis est consecutum peccatis, quod tu prævales quum judicaris, id est, dum perversi præsumptuose discutiunt ac reprobant tua judicia, dicendo quod non deceat te ignoscere criminosis sicut et mihi indulsisti, dicendo per Nathan : Dominus transtulit peccatum tuum. (II *Reg.* xii, 13.) Quorum error innotuit in hoc, quod mihi taliter pepercisti, sicque vicit veritas tua.

Consequenter pœnitens tangit communem humani generis fragilitatem ac culpam, ut Deus ad misericordiam copiosius inclinetur.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus 7
sum, et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Non est hoc ita intelligendum, quasi actus conjugalis exerceri nequeat sine peccato, quum cadat sub præcepto, et ab Apostolo debitum appelletur : Uxori, inquit, vir debitum reddat, similiter uxor viro. (I *Cor.* vii, 3.) Idcirco inepta est expositio exponentium ita, Ecce enim in iniquitatibus, id est in delectatione peccati : quia nec ipsa delectatio vitiosa est sive culpabilis, dum actus inculpabiliter exercetur; estque idem judicium de actu et delectatione ei annexa, quantum ad rationem vitii et virtutis, prout super quartum doctores conscribunt. Exponendum est igitur istud de originali peccato.

Verum tunc dubia quædam occurrunt : Primo, an originale peccatum sit unum ; et si sic, cur de ipso pluraliter dictum est, In iniquitatibus et peccatis concepit me mater mea. Et iterum quæri potest, an originale peccatum contrahatur a parentibus proximis, an potius a parentibus primis. — Ad hæc Alexander, Thomas, Albertus, Bonaventura concorditer dicunt, quod originale peccatum formaliter unum est, utpote carentia originalis justitiæ debitæ inesse, seu cum debito eam habendi. Materialiter vero dicitur plura, propter quatuor vulnera animæ ex ipso consecuta atque inflicta, quæ sunt malitia in voluntate, ignorantia in ratione, concupi-

scentia in vi concupiscibili, infirmitas in A irascibili. Propter quod nunc pluraliter designatur. Alii dicunt, quod quamvis peccatum illud sit unum in specie, de ipso tamen pluraliter dicitur, In iniquitatibus et in peccatis, eo modo quo in Scripturis frequenter ponitur plurale pro singulari, et econtrario. Denique, proles contrahit originale, non a parentibus proximis, quum et ipsi in Baptismo sint ab originali peccato purgati prout culpa, nec ratione delectationis quæ est in commixtione proximorum parentum, quum et B illa esse queat sine omni peccato ; sed ratione originis in primis parentibus vitiatæ, prout super secundum Sententiarum doctores clarius hoc exponunt. In primis namque parentibus per primam eorum transgressionem sublata originali justitia, origo est vitiata, et corrupta materia. Contrahit autem proles originale peccatum in ipsa unione animæ cum corpore, sic quod ante animæ infusionem, peccatum originale fuit in semine, non ut in subjecto, sed in radice : sicut et C lepra ante prolis vivificationem in semine dicitur esse. — Quod autem subjungitur, *et in peccatis concepit me mater mea,* repetitio est sensus ejusdem, ad expressionem evidentiorem.

Præterea si quæratur, an copula carnalis in conjugatis esse valeat sine peccato, et quando est culpabilis venialiter, quando item mortaliter : respondendum, quod copula illa excusatur a culpa, et honestatur per tria matrimoniorum bona : quæ sunt proles, fides, et sacramentum. D Et potest esse actus virtutis, imo multarum virtutum, videlicet : caritatis, ex qua imperative progrediuntur omnium actus virtutum, atque dum fit ut in compare vitetur incontinentiæ ac adulterii crimen ; et justitiæ, dum fit causa reddendi debitum ; ac latriæ, dum fit desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ ; castitatis
Hebr. xiii, 4. etiam conjugalis, ut sit honestum connubium, et torus immaculatus, nec extra matrimonii limites concupiscentia evagetur. Porro, dum fit voluptatis desiderio seu amore, peccatum est ; et si contingat ex concupiscentia prædominante, est peccatum mortale. Sic enim omnis amator ferventior, est adulter, quia non maritali sed adulterino conjugem suam accedit affectu, hoc est tanto ardore libidinis quod ad eam accederet quamvis non esset sua. Si autem procedat ex concupiscentia citra limites matrimonii consistente, ita ut nisi sua esset, non eam accederet, peccatum est veniale.

Ecce enim veritatem dilexisti ; incer- 8
ta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Ecce enim veritatem dilexisti. Tanquam dicat : Ideo ista evidenter pronuntio, testor, ac fateor, quoniam veritatis confessio tibi placet, et ipsam veritatem in se ipsa tu diligis, sicut et omne bonum honestum, præsertim quod ex caritate procedit, aut caritati conjunctum est : quod tanquam meritorium, seu ad promerendum idoneum tu acceptas. Nempe, quum similitudo sit causa amoris, tu, Domine, qui essentialiter verus et veritas es, veritatem utique diligis, falsitatemque odis, et placet tibi veritas orationis, veritas entis, veritas vitæ, veritas doctrinæ, veritasque justitiæ. Non tamen omnes hæ veritates uniformiter aut æqualiter sunt dilectæ ac placitæ Deo ; sed veritas vitæ fundata in fide et caritate, veritas quoque justitiæ supernaturalis infusæ, sed et veritas doctrinæ formatæ legis divinæ, præcipue et per se diliguntur a Deo et ei sunt placitæ, in tantum ut et veri seu veraces veritatibus istis sint Deo accepti, et in statu salutis. Per veritatem autem naturalis scientiæ seu virtutis acquisitæ, non fit homo Deo acceptus, neque æterna beatitudine dignus, quoniam pure naturalia, ad promerendum spiritualia gloriæ bona nequaquam sufficiunt, quum necesse sit media fini proportionari. Itaque verus et verax Deus diligit veritatem, quemadmodum in alio legitur psalmo : Justus Dominus et Ps. x, 8.
justitias dilexit, æquitatem vidit, id est

approbavit, vultus ejus. His veritatibus quas Deus simpliciter diligit et acceptat, contrariantur mendacium, vanitas, fictio, duplicitas atque hypocrisis : quæ vitia odit et exsecratur Altissimus, imo et eos qui illis polluuntur sceleribus, prout le-
Sap. xiv, 9. gitur : Odio sunt Deo impius et impietas
Osee ix, 15. ejus. Qui per Osee testatur : Exosos eos habui propter malitiam adinventionum ipsorum; de domo mea ejiciam eos; non addam ut diligam eos.

Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, id est, profunda mysteria Scripturarum ac legis divinæ me docuisti, et de eorum limpido intellectu me instruxisti per illuminationem internam, per dona sapientiæ et intellectus : ita ut te dante habeam fidem, cum rationibus credendorum et purificatæ mentis intelligen-
Job xxxii, 8. tia. Nam, ut apud Job habetur, Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Hinc in
Ps. xciii, 12. alio psalmo dicitur Deo : Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Ad hanc instructionem desuper obtinendam, oportet a carnalibus cavere deliciis, a lata via perditionis, a desideriis vanis, quæ arctæ viæ salutis et actibus pœnitentiæ adversantur, secun-
Is. xxviii, 9. dum illud : Quem docebit Dominus scientiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere.
Job xxviii, 13. Etenim, ut in Job habetur, Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium. Un-
Prov. xxi, 17; xx, 1. de ait Scriptura : Qui amat vinum et pinguia, non erit sapiens.

Ex hac manifestatione incertorum et occultorum sapientiæ Dei, cognoscimus ea quæ rationem excedunt ac fidei sunt, ut sunt quæ de originali peccato tradit Scriptura. Insuper incerta et occulta increatæ sapientiæ suæ revelavit Deus Apostolis et Prophetis virisque sanctis : qui ad mysticæ theologiæ devenerunt arcana, et in divitias gloriæ Dei rapti, atque in sanctuarium sapientiæ ejus intromissi, in abyssum lucis immensæ fuerunt absorpti, ubi de rationibus mysterii incarnationis Filii Dei ceterorumque mysteriorum Christi

A edocti sunt. In hujuscemodi raptu, superbeatissimæ quoque et supergloriosissimæ Trinitatis discuntur mysteria, communicatio et emanatio mutua supersublimium, supervenerabilium et superessentialium Personarum ad intra, et qualiter divinæ et increatæ Personæ se invicem æternaliter cum gaudio intensive prorsus immenso clarissime intuentur, superardentissime diligunt, et superdeliciosissime perfruuntur. In hac demum contemplatione certissime conspicit anima super se gratiosis-

B sime elevata, quam rationabilia, imo potius quam superrationabilia sint testimonia fidei christianæ, quam sapientissime atque pulcherrime cuncta sibi invicem consonent, dum omnia comportantur : dum rite pensemus qualiter ea quæ credimus, ab exordio sæculi, præsertim in veteri Testamento sunt prophetata, præfigurata, et confirmata; qualiter Christus per documenta et miracula maxima, ostendit ea in se et in sua Ecclesia esse impleta, aut adimplenda; qualiter suis discipulis us-

C que ad suam resurrectionem fugitivis et pavidis, misit Spiritum Sanctum, a quo corda illorum repente sunt illustrata, ve- *Act.* ii, 1 *et seq.*
hementissime immutata, constantissima et ferventissima facta, et universam sacram Scripturam edocta, omniumque linguarum agnitionem ac usum sortita; quam innumerabilia ac præclarissima peregerunt miracula, non ipsi tantum, sed et eorum discipuli, et usque in præsens faciunt viri sancti, qui quanto firmius credunt, et secundum fidem perfectius

D vivunt, tanto in miraculis potentiores consistunt; insuper qualiter universa gratiarum charismata, signa, prodigia, miracula, quæ olim in Synagoga fulserunt, in Apostolis, cum Apostolis, et per Apostolos eorumque condiscipulos, ad Christi Ecclesiam sunt translata, et pene incomparabiliter latius ac abundantius resplenduerunt ac viguerunt in ea, quam unquam in Synagoga; qualiter gens illa Judaica a tempore quo Christum et ejus abjecit discipulos, usque in præsens fina-

liter ac prorsus relicta, nisi quod interim A
multi ex ea ad Christum misericorditer
sunt conversi. Hæc et multa his consimi-
Cant. IV, 4. lia christianæ sunt fidei argumenta, mil-
leque clypei tales pendent ex ea, ad per-
fidorum jacula repellenda.

Hæc incerta et occulta sapientiæ suæ manifestat Deus omnipotens et æternus suis amicis, qui usque ad tertium caritatis et sapientiæ gradum perfectum deducti per donum sapientiæ tam perfectæ, quasi consiliarii ac secretarii Dei effecti sunt : ita ut ea quæ aliis sunt incerta et B occulta, eis certa et clara sint, grataque mente Altissimo dicere queunt, Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi :
I Cor. II, 12. quippe qui non spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est acceperunt, ut sciant quæ a Deo donata sunt eis.

9 *Adsperges me hyssopo, et mundabor ; lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Loquitur David juxta morem legis, in qua emundatio leprosorum, id est qui a lepra fuerant curati, et contaminatorum
Lev. XIV, 4, 6. ex contactu morticini, fiebat per corpo- C ralem adspersionem aquæ cum hyssopo, ut in Levitico fertur. Itaque spiritualiter sensus est : Tu, Domine, ut confido, *adsperges me hyssopo,* id est, mentem meam spiritualiter perfundes rore gratiæ, et imbre inundationis supernæ, lacrimis contritionis, actibus humiliationis ac suavitatis internæ : quæ per hyssopum designantur. Hyssopus namque est humilis herba bene odorans, tumorem pulmonis repellens. Sic actus interni veræ humilitatis optime fragrant in Dei conspectu, atque superbiæ D sedant tumorem. Sicque, *mundabor* ab animæ inquinamento, prout per Ezechie-
Ezech. XXXVI, 25. lem dixisti : Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. *Lavabis me.* Hoc, quemadmodum et præcedens, verbum est bonæ fiduciæ, virtualiterque oratio, ut sit sensus : Firmiter humiliterque confido, quod spiritualiter me lavabis ; et precor
Eccli. XV, 3. ut laves me fluentis gratiæ tuæ, aqua sapientiæ salutaris, abundantia supernorum charismatum. De quibus loquitur Isaias :
Ros tuus, ros dulcis ; et Christus : Qui Is. XXVI, 19.
biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet Joann. IV, 13, 14.
in æternum ; sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Unde et in Apocalypsi scriptum est :
Qui sitit veniat ; et qui vult, bibat aquam Apoc. XXII, 17.
vitæ gratis. *Et super nivem dealbabor.* Incomparabiliter enim major est dealbatio seu mundificatio spiritualis, quam corporalis. Potestque homo ad tempus esse sine
labe peccati etiam venialis, ut patuit su- In Ps. XXXI, 6.
pra. Sic lavamur potissime virtute ac merito dominicæ passionis, juxta illud Apo-
calypsis : Christus dilexit nos, et lavit Apoc. I, 5.
nos a peccatis nostris in sanguine suo. Juxta hunc modum per Isaiam Dominus
ait : Si fuerint peccata vestra ut cocci- Is. I, 18.
num, quasi nix dealbabuntur ; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exsultabunt ossa humiliata. 10

Est auditus exterior, qui secundum Philosophum, est sensus disciplinæ, sicut et visus corporeus. Dupliciter quippe acquirimus scientiam : Primo, per aliorum informationem : ad quod deservit auditus
exterior. De quo etiam ait Apostolus : Fi- Rom. X, 17.
des est ex auditu. Secundo, per propriam inventionem et considerationem : ad quod servit visus corporalis, qui juxta Philosophum, plurium rerum differentias nobis ostendit. Et quantum ad hoc, sensus visus magis diligitur ac magis delectat, juxta
illud : Dulce lumen, et delectabile oculis Eccle. XI, 7.
videre solem. Propter quod dixit Tobias :
Quale mihi gaudium esse potest, qui in Tob. V, 12.
tenebris sedeo, et lumen cœli non video?

Itaque, o Domine, sicut spero, tu *dabis auditui meo* exteriori *gaudium,* id est, verba jucunda mihi loqueris per tuos ministros et prædicatores, et in Scripturis, dum studeo in eisdem. Dum namque oramus, loquimur Deo ; et dum Scripturas aut libros devotionales studemus, Deus loquitur nobis, quum tota Scriptura sit quasi epistola nobis divinitus missa, omnis

quoque salutaris doctrina est quasi Dei loquela. Porro, dum Deus homines consolatur de venia obtinenda, de gratia reparanda, dat gaudium exteriori eorum auditui. Auris vero dijudicat, et in verbis consolatoriis delectatur, et multo plus tunc largitur interiori auditui spiritualem lætitiam. Interior quippe auditus est intellectus : qui in quantum intelligit et intellectualiter intuetur, dicitur visus ; in quantum percipit, vocatur auditus ; in quantum sapit quam dulcis est Dominus, nominatur gustus ; in quantum futuræ felicitatis suavitates a longe haurit, appellatur olfactus ; in quantum verbo Dei conjungitur et veritati applicatur cœlesti, dicitur tactus. Hæc specialis lætitia ingeritur
Rom. v. 20. auditui pœnitentis, quum dicitur : Ubi abundavit iniquitas, superabundavit et gratia. Sic dedit Deus gaudium et lætitiam
Zach. I, 13. auditui Zachariæ, qui ait : Respondit Dominus angelo qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria. Unde in aliis
Ps. CXXI, 1. dicitur psalmis : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, In domum Domini ibi-
Ps. LXXXIV, 9. mus ; et, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et exsultabunt ossa humiliata. Hoc additur, quia præfata spiritualis jucunditas
Judith XVI, 24. redundat in corpus, juxta illud : Erat populus gaudens secundum faciem Sancto-
Ps. XXVII, 7. rum ; atque in Psalmo, In Deo speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea. Hinc exsultatio dicitur quasi extra saltatio, dum interna lætitia per suos effectus et signa erumpit foras, et quasi extra se salit, quemadmodum in Ecclesiasti-
Eccli. XIII, 31. co legitur : Cor hominis immutat faciem ejus, sive in bonum, sive in malum. Insuper, ossa spiritualiter sunt vires superiores atque virtutes : in quas redundat consolatio spiritualis intellectivæ potentiæ, quæ invicem sibi congaudent et cooperantur in bonis. Imo, sicut pœnitentia
In Ps. VI, 3. vocat eas in domum luctus, ut dictum est, sic caritas convocat eas in domum gaudii et exsultationis, ut delectentur, operentur

A ac mutuo cooperentur. Sic etenim humilitas agit fervide, patienter, mansuete, hilariter, etc., sicque de aliis.

Averte faciem tuam a peccatis meis, et 11
omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, et spi- 12
ritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua, et spiritum 13
sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, et 14
spiritu principali confirma me.

Hi ferventissimi ac devotissimi versus B expositione non indigent, sed exhortatione : quorum etiam ex præinductis clarus et planus est intellectus. Hos ergo versus, imo has affectuosissimas et efficacissimas orationes, cum omni attentione, cum gustu interno, cum lacrimoso affectu, cum profunda atque humillima contritione proferamus, dicendo : O tu, misericordissime ac suavissime et vere omnino superoptime et superamabilissime Deus, *averte faciem tuam,* sapientiæ tuæ intuitum, justitiæ tuæ rigorosum vindicemque adspectum, C *a peccatis meis :* non per aliquam tuæ incommutabilis æternitatis variationem, vel ut ea prorsus ignores, sed ut prorsus ignoscas, et quasi nunquam contigerint, parcas ; nec ad reprobandum et condemnandum me illa inspicias, nec ad ulciscendum, nisi in omni pietate et gratia. Imo tam præcordialem et frequentem mihi præstes contritionem, tam verecundam ac humilem confessionem, tam idoneam satisfactionem, tam condignam vitæ emendationem, ut quantum ad culpam et pœnam D ea dimittas ; quatenus te tanto ferventius diligam, tanto gratior tibi exsistam, tanto diligentius ac perfectius de cetero tibi deserviam, quanto misericordius mecum peregeris, et de gravioribus me vitiis periculisque erueris. *Et omnes iniquitates meas dele,* peccata cordis, oris et operis, vitia omissionis et commissionis, offensas in Deum, in proximum, et in me ipsum.

Cor mundum crea in me, Deus : intellectum meum a culpabilibus ignorantiis juris, a pravis erroribus, a cogitationibus

illicitis ac immundis purifica, mentem A illustra in omnibus, edoce et custodi. Siquidem, *Matth.* v, 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi *Prov.* xxii, 11. Deum videbunt; et, Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit Regem altissimum : *Lev.* xi, 44; xix, 2, etc. qui toties jussit, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum; et rursus per *Deut.* xviii, 13. Moysen, Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo. Etenim essentialiter sanctus et supermundissimus Deus, mentem diligit mundam et sanctam. Et qui in se ipso sic separaverit pretiosum a vili, puritatem ab impuritate, familiaris erit B *Jer.* xv, 19. eidem, sicut per Jeremiam spopondit : Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis :* Spiritum Sanctum substantialiter justum, totius rectitudinis fontem, de novo et cum gratia ampliori mihi infunde. Spiritum quoque rectum innova in me, spiritum rationalem creatum, qui est anima mea, spiritualiter innovando ac reformando in me, ut spiritualiter incalescat, et ab omni passionum deformitate, omnique vitiorum vetustate sit immunis C ac liber, proficiamque quotidie.

Ne projicias me a facie tua. O quam *Hebr.* iv, 12. affectuosissimum verbum, imo vivum et efficax, et penetrabilius omni ancipiti gladio, non nisi compunctissimo et ferventissimo corde promendum! Itaque, o superpiissime Conditor, o dilecte Domine Deus, o Judex metuendissime ac supreme, o juste et sancte Domine, ne projicias me a facie tua, ab immensæ pietatis tuæ respectu, a gratiosissima tua præsentia, tanquam fœdum, vile fœtidissimumque cadaver, sicut D toties et tam dire promerui. Melius quippe mihi esset non esse natum nec creatum, quam a facie tua in æternum finaliterque *Ps.* lxii, 4. repelli, quoniam melior est misericordia tua super vitas. Melius mihi quoque esset tunc non esse nec vivere, quando a tuæ pietatis respectu juste projectus, relictus, repulsus, pecco, atque ad tuæ majestatis contumeliam in vitiis vivo : quod est potius mortuum esse quam vivere. *Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Scio, o superbenignissime Deus, quod Spiritum Sanctum a nemine aufers, nisi ipse qui habet tam superdignissimum habitatorem et hospitem in anima sua, auferat eum sibi, tamque excellentissimum, dignantissimum atque gratiosissimum cordis sui mansorem, insipientissime, improbissime et ingratissime repellendo a se, peccando mortaliter et præferendo illi vana ac vilia. Ideo precor, Ne auferas, ne auferri permittas, Spiritum Sanctum a me, sed ab omni mortali præserva me culpa. Nempe, nisi tu custodieris domum et habitaculum cordis mei pauperrimi, insufficientissima invenitur custodia mea. *Ps.* cxxvi, 1.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, id est, spiritualem jucunditatem de Christo tuo et ejus adventu, ac salvatione fienda per ipsum et per ejus passionem jam inchoata et reparata, quam lætitiam peccando amisi, mihi clementer restitue. De quo Salutari, Jacob patriarcha tibi locutus est : Salutare tuum exspectabo, Domine. *Gen.* xlix, 18. Quod Simeon tenens in ulnis in assumpta illius natura : Viderunt, inquit, oculi *Luc.* ii, 30, 31. mei Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Hoc Salutare, David ex suo semine incarnandum dulciter contemplabatur, ac devotissime præstolabatur. De cujus etiam cognitione ac intuitione per fidem toto orbe terrarum diffundenda et jam dudum diffusa, prædixit, loquens de futuro per modum præteriti propter certitudinem prophetiæ : Notum fecit Dominus Salutare suum; et, *Ps.* xcvii, 2. Viderunt omnes termini terræ Salutare *Ibid.* 3. Dei nostri. De quo incomparabilis sacratissima Virgo Deifera cecinit : Exsultavit *Luc.* i, 47. spiritus meus in Deo salutari meo. Ad quod Pater effatur : Dedi te in lucem gentium, *Is.* xlix, 6. ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Neque enim, ut princeps ait Apostolorum, *Act.* iv, 12. nomen aliud datum est hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri. Dicitur quoque Christus salutare Dei, quoniam Pater per ipsum salvat mundum, secundum illud : Pater misit Filium *I Joann.* iv, 14. suum salvatorem mundi. *Et spiritu prin-*

cipali confirma me. Spiritus Sanctus est A spiritus rectus, spiritus sanctus, spiritus principalis, non principalior Patre aut Filio, imo utrique prorsus vere æternaliterque æqualis et consubstantialis, qui cum Patre et Filio unus est spiritus, prout spiritus dicitur absolute in divinis, juxta il-
Joann. IV, 24. lud Joannis : Spiritus est Deus. Qui Spiritus Sanctus, prout spiritus dicitur relative in divinis, et quasi spiritus spiratus, est proprium nomen tertiæ Personæ in divinis, a Patre et Filio tanquam ab uno principio unaque spiratione interna et æterna B spiratæ seu procedentis. Hic Spiritus Sanctus, principalis et summus, effective confirmat nos ; dona vero ipsius gratuita et ejus ministri formaliter et instrumentaliter nos confortant. Effectiva demum confortatio illa communis est toti glorificandissimæ Trinitati, cujus una est natura, una omnipotentia, et operatio una ad extra. Appropriatur tamen Spiritui Sancto, sicut et ceteri gratiosissimi effectus, quoniam bonitas, pietas, liberalitas, et consimilia quædam, appropriantur Spiritui Sancto. C

Postremo in versibus istis supergloriosa Trinitas evidenter exprimitur, et personalis distinctio per actus et nomina designatur : Pater, in nomine Dei ac Domini ; Filius, in nomine salutaris ; Spiritus Sanctus, in nomine spiritus recti, spiritus sancti et spiritus principalis : sicut et Da-
De Fide orthodoxa. mascenus primo libro testatur, et super primum Sententiarum exponitur.

15 *Docebo iniquos vias tuas ; et impii ad te convertentur.*

Docebo iniquos vias tuas : hoc est, o Do- D mine, si præmissas meæ paupertatis preces susceperis, me a peccatis purgando, spiritualiter renovando, Spiritu Sancto stabiliendo ac roborando : non ero mei solius salute contentus ; sed ex caritate divina atque fraterna, ero pro aliorum quoque salute sollicitus, prædicando, exemplariter conversando, bonæ famæ odore fragrando,
II *Cor.* II, 15, 14. juxta illud Apostoli : Christi bonus odor
Matth. V, 16. sumus in omni loco. Unde jussit Salvator : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Sic itaque adimplebo quod in prima Canonica summus adhortatur Apostolus : Unusquis- I *Petr.* IV, 10.
que sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Hinc in Apocalypsi scribitur : Qui audit, dicat, Veni. Istud est *Apoc.* XXII, 17.
hierarchizare, opus plane angelicum ac divinum, proximos purgare, illuminare, perficere, valde meritorium coram Deo, prout in Daniele Gabriel fatetur archangelus : Qui ad justitiam erudiunt pluri- *Dan.* XII, 3.
mos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Propterea scriptum est : Qui *Jacob.* V, 20.
converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum. *Et impii ad te convertentur,* te corda eorum intus movente ac instruente : quia in vanum laborat lingua prædicatoris, si intus non radiet illustratio Creatoris. Impii autem, visa conversione idonea alicujus magni peccatoris, solent facilius ad conversionem induci. Peccator quoque jam pœnitens et conversus, atque in tentamentorum certaminibus diu expertus, solet specialiter esse ad instruendum alios aptus, utpote in se propriis experientiis exercitatus ac eruditus. Hinc in Ecclesiastico habetur : Qui non est tentatus, quid scit ? *Eccli.* XXXIV, 9, 10.
Qui non est expertus, pauca recognoscit. Vir in multis expertus, cogitabit multa.

Ad litteram quoque, dum prælatus seu princeps convertitur, et subditos exemplo ac verbis idonee docet, multi impii convertuntur. Nec dignus et efficax est alios docere, qui quod docet et ad quod tenetur, non satagit adimplere : imo talis graviori se implicat damnationi, dicente Apostolo : Qui alium doces, te ipsum non *Rom.* II, 21, 23.
doces ? qui gloriaris in lege, per prævaricationem legis Deum inhonoras ? Et Psalmista : Peccatori dixit Deus, Quare tu *Ps.* XLIX, 16.
enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Tali quippe dicturus est Judex cœlestis : Ex ore tuo *Luc.* XIX, 22.
judico te, serve nequam. Etenim cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio

contemnatur. — At vero viæ Dei sunt ejus A
præcepta, consilia, documenta, per quæ
tanquam per iter, ad æternam transitur
ac pervenitur salutem. De quibus Salo-
Prov. III, 17. mon : Viæ ejus, viæ pulchræ, et omnes
semitæ ejus pacificæ. Harum viarum in-
cessio est conversatio virtuosa, a lumi-
ne gratiæ pertingens ad lucem gloriæ, et
diem æternitatis ac claritatis perpetuæ.
Ibid. IV, 18. De qua idem Salomon asserit : Justorum
semita, quasi lux splendens, procedit et
crescit usque ad perfectam diem. De his
Osee XIV, 10. viis Osee ait : Rectæ sunt viæ Domini, et B
justi ambulabunt in eis ; prævaricatores
vero corruent in eis.

16 *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, et exsultabit lingua mea justitiam tuam.*

Libera me de sanguinibus, id est carnalibus et cruentis ac vitiosis operibus, *Deus, Deus salutis meæ,* fons, dator, causa et objectum meæ salutis. De his sanguinibus
Is. I, 15. scriptum est : Quum extenderitis manus
vestras, avertam oculos meos, ait Dominus;
manus vestræ sanguine plenæ sunt. Atque C
Osee IV, 2. Osee : Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Ab his sanguinibus oportet aliorum doctorem, prædicatorem, prælatum, principem, ac judicem esse immunem, ne ei dicatur :
Luc. IV, 23. Medice, cura te ipsum. Nempe, ut Veritas
Matth. XV, 14. protestatur : Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. Ad quod insinuan-
Ibid. VII, 3, 5. dum protulit Dominus : Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo
tuo non vides? Hypocrita, ejice primum D
trabem de oculo tuo, et tunc videbis ut ejicias festucam de oculo fratris tui. *Et exsultabit lingua mea,* id est, cum exsultatione pronuntiabit aliosque docebit, *justitiam tuam,* id est justa tua præcepta, justa judicia, justaque opera, increatam quoque tuam justitiam infinitam, quæ
Job XXIV, 12. nullum malum deserit impunitum, nullum bonum irremuneratum. Unde legitur :
Sap. XII, 15, 16. Quum sis justus, omnia juste disponis : virtus enim tua justitiæ initium est. Con-

formiter in alio dicitur psalmo : Exsulta- Ps. LXX, 23.
bunt labia mea, quum cantavero tibi. Qui enim virtuose et exemplariter conversatur, ac bonæ conscientiæ testimonio intra se gloriatur, in Domino non immerito gaudet, vias et laudes Dei docendo et commendando ; qui vero impium se esse cognoscit, propriæ conscientiæ cruciatur remorsu, atque synderesis affligitur verme.

Domine, labia mea aperies ; et os meum annuntiabit laudem tuam. 17

Domine, labia mea aperies, id est, deprecor ut intus me tangas, accendas, dignifices, ad aperiendum labia oris in laudibus, psalmodiis, orationibus, et sermonibus tuis, quatenus ex devotione interna, in laudes tuas ac verba bona prorumpam, Horas attente persolvam, cum aliis alacriter atque concorditer psallam. Quod si feceris, *et os meum annuntiabit laudem tuam* meritorie ac tibi placenter. Sunt item spiritualia labia intus, quibus verba mentalia proferuntur in intellectu, ex quibus procedunt ac proferuntur verba vocalia. Illaque labia aperit Deus, excitando et illustrando intellectum ad loquendum primo intra se verba interna, sacra, salubria. Hinc rogavit Apostolus :
Orate ut detur mihi sermo in apertione Ephes. VI, 19.
oris mei. Idcirco, qui efficaciter sermocinatur, qui devote precatur, qui alacriter psallit, qui loquitur fructuose ac sapienter, nequaquam extollatur in se, sed Deo totum grata et humili mente adscribat,
qui ait : Ego dabo vobis os et sapientiam ; Luc. XXI, 15.
itemque, Non enim vos estis qui loquimi- Matth. X, 20.
ni, sed Spiritus Patris vestri. Qui denuo
loquitur : Aperi seu dilata os tuum, et Ps. LXXX, 11.
implebo illud.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique ; holocaustis non delectaberis. 18

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, id est, si sacrificium legale et corporale fuisset tibi per se ac sua virtute acceptum, illud certe pro remissione peccatorum meorum, pro impetratione gratiæ ac virtutum, pro majestatis

tuæ placatione ac veneratione promptissime obtulissem : sicut et obtuli dum vidi (II *Reg.* XXIV, 17, 25.) angelum plebem percutientem (ut patet secundo Regum). *Holocaustis non delectaberis,* id est, hostiæ illæ legales non habent nec sortiuntur ex se efficaciam delendi peccata, teque placandi.

A

Hoc quippe inter sacramenta novi ac veteris Testamenti interest, quod sacramenta evangelicæ legis gratiam continent atque causant, ac indita sibi supernaturali virtute sanctificant, Deumque placant, potissime sacrificium quod Christus in Cœna instituit. Sacramenta vero et sacrificia Mosaicæ legis, gratiam figurabant, non autem continebant neque causabant, nec placita erant Deo ex opere operato, sed solum ex opere operante, hoc est ex caritate, obedientia, devotioneque offerentis (et ita dicuntur fuisse suavissimi odoris, et Deum placasse) : quod in libris Prophetarum frequenter innuitur, juxta (*Mich.* VI, 6, 7.) illud : Quid dignum offeram Domino? Numquid offeram ei holocautomata? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum (*Ps.* XLIX, 9.) pinguium? Atque in alio psalmo : Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Et rursus alibi in(*Ps.* XXXIX, 7.)quit : Sacrificium et oblationem noluisti. (*Ezech.* XX, 26; *Jer.* VI, 20.) Imo, in Ezechiele et Jeremia videtur Dominus ea penitus detestari : quod tamen ad tempus evangelicæ legis præsertim est referendum. Nam a tempore Evangelii divulgati, sacrificia illa et præcepta cærimonialia cessaverunt, imo et observantibus mortifera sunt effecta; sed a tempore inceptionis prædicationis Evangelii, post missionem Spiritus Sancti usque ad Evangelii divulgationem, poterant pro loco et tempore observari, quousque mater Synagoga cum honore duceretur ad sepulcrum, ut Augustinus disseruit. Denique, quia non erant Deo accepta nisi ex offerentium et observantium devotione, idcirco, quando ab impiis offerebantur, erant displi(*Is.* I, 11, 13, 14.)centia Deo et quasi molesta, sicut Isaiæ primo testatur : Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum nolui; ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi; facta sunt mihi molesta. Hinc denuo Isaias est locutus : Qui immolat bo(*Is.* LXVI, 3.)vem, quasi qui interficiat virum; et qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem. Multa his consimilia in Prophetis leguntur. Unde ad declarandam insufficientiam ac cessationem legalium hostiarum, atque ad extollendum sacramentum

B

et sacrificium evangelicæ legis, Dominus deprompsit, loquens Judæis : Non est mi(*Malach.* I, 10, 11.)hi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quoniam magnum est nomen meum in gentibus.

Postremo multa fuerunt genera sacrificiorum legalium : quorum dignissimum fuit holocaustum, quod ad divinæ majestatis honorem penitus comburebatur, ad

C

designandum quod homo debet se divino cultui totum mancipare, ac igne divini amoris accendere. Idcirco per ipsum vere religiosi ac viri perfecti præfigurabantur. Alia fuerunt sacrificia pro peccatis, alia hostiæ pacificæ, alia erant libamina, de quibus ac ceteris multis in Levitico agitur.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; 19
cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Tanquam dicat : Sacrificia illa legalia tibi

D

ex se et sua virtute non placent; sed spiritus contribulatus, id est pro suis peccatis et aliis piis causis patienter afflictus, compatiens proximis et de illorum dolens excessibus, juxta illud : Tabescere (*Ps.* CXVIII, 139.) me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Qui spiritus etiam simul cum suo corpore tribulatur : ita ut sicut corpus abstinentiis, jejuniis, disciplinis, vigiliis maceratur, sic spiritus compunctione, compassione, et salubri tristitia, ac timore bono affligatur. Talis

spiritus ita se mactans Deoque offerens A per suarum actus virtutum, acceptus est Ps. cxviii, 53. Deo. Qui spiritus dicere potest : Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Quemadmodum Moyses, Josue, Daniel, Esdras, ac similes eis, pro populi culpis afflixerunt se ipsos, et contribulati leguntur prostrati in terram ac jejunantes.

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Minus dicit, et majus insinuat. Cor enim vere contritum se ipsum dejiciens et contemnens, jam reconcilia- B tum est Deo, et ei per caritatem unitum : idcirco non solum a Deo non spernitur, sed etiam acceptum est, nec despicietur nisi, quod absit, recidivet. Hinc tres Pueri Dan. iii, 39. leguntur orasse : In spiritu humilitatis et animo contrito suscipiamur a te. In libro Judic. ii, 18. Judicum quoque asseritur : Flectebatur Dominus misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium. — Istud advertant pusillanimes, qui dum suorum multitudinem magnitudinemque excessuum horrent et de- C flent, de misericordia Dei quasi desperant, aut non satis integre sperant, quamvis etiam jam reliquerint sæculum, et religionem ingressi sint, in qua Deo in observantia regulari perseveranter servire intendunt. Attendant ergo benedictum versiculum istum, et confidant quod Deus qui eos in vitiis toleravit atque ad prætactam contritionem perduxit, non velit eos abjicere. Hinc per Tobiam dicitur : Tob. xiii, 8. Convertimini, peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quod faciet vo- D biscum misericordiam suam. Hoc est quod venerabilis illa Judith desolatissimis Ju- Judith viii, 16, 20. dæis consuluit : Humiliemus, inquiens, Deo animas nostras, et in spiritu contrito et humiliato serviamus illi, et exspectemus humiles consolationem ipsius. Verumtamen est pœnitentia quædam non vera, ex II Mach. ix, 11 et seq.; Hebr. xii, 16, 17. solo servili procedens timore, quæ Deo accepta non est : qua Antiochus et Esau pœnituisse infructuose leguntur.

20 *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, et* ædificentur muri Jerusalem.* * alias *ut*

Ad litteram putatur sanctus David orasse pro constructione templi in monte Sion tunc fienda per suum filium Salomonem, et pro majori munitione urbis Jerusalem, quæ tempore Salomonis vallata est triplici muro.

Spiritualiter vero sensus est : O *Domine, fac benigne* ipsi *Sion,* id est, militanti Ecclesiæ gratiam copiosam concede. Sion quippe speculatio interpretatur. Ecclesia autem nunc per speculum in ænigmate I Cor. xiii, 12. speculatur divina per fidem, nondum clare per speciem. De qua Sion ait Apostolus : Accessistis ad montem Sion et civi- Hebr. xii, 22. tatem Dei viventis. De qua civitate in alio fertur psalmo : Gloriosa dicta sunt Ps. lxxxvi, 3. de te, civitas Dei. De qua B. Augustinus edidit librum qui intitulatur, De Civitate Dei, id est militanti Ecclesia : cui libro correspondet Summa S. Thomæ contra gentiles. De quo etiam monte Sion scriptum est : Erit in novissimis diebus præ- Is. ii, 2. paratus mons Domini in vertice montium. Et rursus in Isaia : Urbs fortitudinis no- Ibid. xxvi, 1. stræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale.

Et ædificentur muri Jerusalem, id est, munimina militantis Ecclesiæ producantur ac roborentur. Ista munimina, quibus fideles spiritualiter circumdantur atque ab hostibus proteguntur, sunt virtutes ac merita eorumdem. — Rursus, muri Jerusalem sunt prælati ac principes ejus, quorum ædificationem ac roborationem in omni bono debemus valde optare ac petere : quia ex ipsis quodammodo pendet virtus ac salus inferiorum, prout Jeremias fatetur : Quia stulte egerunt pastores et Jer. x, 21. Dominum non exquisierunt, ideo omnis grex eorum dissipatus est. Salomon quoque : Regnantibus impiis ruinæ populi. Prov. xxviii, 12. Prælatorum autem et principum est, subditos instar murorum tueri, circuire, firmare, per se et suos efficaces vicarios, quemadmodum primo Regum Samuel, et I Reg. vii, 16; I Mach. xvi, 14. primo Machabæorum Simon, circuisse ter-

ram, et judicasse docuisseque populum A
describuntur. Unde in Paralipomenon re-
II Par. XVII, 7-9. citatur : Misit Josaphat rex Juda de prin-
cipibus suis, et cum eis Levitas et sacer-
dotes ; docebantque populum habentes
librum legis ; et circuibant cunctas urbes
Juda, atque erudiebant populum. Quod
utinam christiani prælati ac principes se-
ctarentur. — Insuper, muri Ecclesiæ sunt
duo populi ex quibus quasi ex duobus
parietibus, est constructa et integrata Ec-
Act. IV, 11; clesia : cujus lapis angularis est Christus,
Ephes. II, 20. in quo tanquam in cornu et angulo con- B
currerunt et collecti sunt hi duo populi.
De quibus Salvator legitur prædixisse :
Joann. X, 16. Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc
ovili ; et illas oportet me adducere, et fiet
unus pastor et unum ovile. Unde et in
Zach. VI, 12. 13. Zacharia prædictum est : Ecce vir, Oriens
nomen ejus, et ædificabit templum Do-
mino ; et consilium pacis erit inter illos
Ephes. II, 14. duos. Hoc est quod ait Apostolus : Chri-
stus est pax nostra, qui fecit utraque
unum. Quod qualiter factum sit, vel po-
tius inchoatum, in Actibus Apostolorum C
narratur. — Denique Jerusalem interpre-
tatur visio pacis. In militanti autem Ec-
clesia est visio, id est contemplatio pacis
pectoris et æternitatis. Verum hæc visio,
imo et possessio, in triumphanti Ecclesia
multo præclarius continentur. Idcirco po-
test et ita exponi : Ædificentur muri Je-
rusalem, id est, triumphans Ecclesia com-
pleatur, ita ut viatores, te rectore, te duce,
perducantur ad eam : quæ ex angelis
gloriosis et electis hominibus tanquam ex
muris et parietibus constat, quoniam se- D
cundum diversitatem graduum merito-
rum, homines prædestinati ad diversos
transferuntur ordines angelorum. Nempe,
ut devotissimus dixit Bernardus, ex ver-
miculis istis in terra repentibus instau-
randi sunt muri cœlestis Jerusalem.

21 *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta ; tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Hoc, juxta prætacta, primo exponitur
ita : Quoniam templo facto in monte Sion,
et civitate illa munita, Deus acceptavit sa-
crificia illa legalia in altaribus templi ex
offerentium devotione, obedientia, carita-
te. — Ædificata vero militanti Ecclesia,
cœpit Deus toto orbe terrarum acceptare
sacrificium justitiæ, id est Sacramentum
altaris, seu Christi oblationem (qui per
viam et modum justitiæ satisfecit pro no-
bis, dans in mortem animam suam, et Is. LIII, 12.
factus obediens usque ad mortem, obtulit Philipp. II, 8.
se ipsum oblationem et hostiam Deo in Ephes. V, 2.
odorem suavitatis), *oblationes* decimarum
et primitiarum ac materialium rerum
quæ in ecclesia offeruntur devote, *et ho-
locausta,* id est opera virtuosa ex cari-
tatis ardore exhibita : imo et ipsos offe-
rentes, qui non pecora sua, sed se ipsos
offerunt Deo integre ac perfecte, atque
veraciter dicunt, Quoniam propter te mor- Ps. XLIII, 22.
tificamur tota die ; et rursus, Dirigatur Ps. CXL, 2.
oratio mea sicut incensum in conspectu
tuo. Quibus ait Apostolus : Exhibeatis cor- Rom. XII, 1.
pora vestra hostiam viventem, sanctam,
Deo placentem. Sicque instar vitulorum
se offerunt Deo super altare, quod est
fides seu caritas, vel Christus, super quem
et in quo fundant ac ponunt suam obla-
tionem, imitando ejus vestigia, sicut prin-
ceps Apostolorum admonuit : Christus I Petr. II, 21.
passus est pro nobis, vobis relinquens ex-
emplum, ut sequamini vestigia ejus. Un-
de ad Hebræos dicitur : Christus ut san- Hebr. XIII, 12.
ctificaret populum, extra portam passus
est : exeamus ergo ad eum extra castra,
improperium ejus portantes. Sed et ipse-
met ait : Qui vult venire post me, ab- Luc. IX, 23.
neget semetipsum, et tollat crucem su-
am quotidie, et sequatur me. Istud sancti
martyres præcipue impleverunt : quorum
plurimi ignis incendio sunt consumpti, et
omnes ex caritatis fervore obtulerunt se
Creatori. Denique spiritualiter, omnis ac-
tio virtuosa ad Dei honorem exhibita, est
sacrificium spirituale. Sicque obedire, est
sacrificium obedientis ac obedientiæ ; De-
um laudare, est sacrificium laudis ac la-
triæ ; similiter oratio, quæ est mysticum
thymiama. Per continentiam quoque cor-

pus dedicatur immolaturque Domino. Hinc A
Eccli. xxxv, 2. scriptum est : Salutare sacrificium est attendere in mandatis et discedere ab omni
Hebr. xiii, 15. iniquitate ; atque ad Hebræos, Per Christum offeramus hostiam laudis Deo semper, id est fructum labiorum nostrorum confitentium nomini ejus. De quibus et
Osee xiv, 3. in Osee tangitur : Reddemus vitulos la-
Ps. xlix, 14. biorum nostrorum ; et in Psalmo, Immola Deo sacrificium laudis. — Postremo, in triumphanti Ecclesia, spiritualia ista incensa seu holocausta, sacrificia laudis atque justitiæ, immolatio caritatis, excellentissime atque plenissime offeruntur Altissimo, in quem omnes Beati ardentissime transformantur, nec aliquid sui reservant sibi.

Ecce hunc præclarissimum ac devotissimum psalmum, cum præclara devotione et devotissima attentione juxta præhabita monita proferamus.

ENARRATIO IN PSALMUM V PŒNITENTIALEM

Ps. ci. 2 *DOMINE, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.* B

Pœnitens sciens se ex se nil posse, præsertim non posse aliquid promereri, nec pericula et peccata posse evadere, sed
Philipp. ii, 13. Deum esse qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate, id est ex sua voluntate piissima, anxie deprecatur : *Domine, exaudi orationem meam,* implendo quod postulo, qui ab æterno omnia prævidisti, cuncta præordinasti, et sicut statuisti in æternitate, sic operaris in tempore; nec tamen frustra te invocamus, quoniam per orationum merita decrevisti facere multa. Nam et Christus
Joann. xvii, 1-5. passione instante, oravit pro sui corporis glorificatione, suique nominis per mundum divulgatione, quas tamen certissime scivit futuras. Quo innotescit eorum insania qui dixerunt inutile esse orare, quoniam sicut Deus prævidit atque præordinavit, evenire necesse est. *Et clamor meus ad te veniat.* Deus ubique est præsens, nec quidquam ab ipso distat localiter; sed ipse infirmitati nostræ intelligentiæ condescendit, loquens et nos loqui volens more ac modo humano, quo clamor orantis ad Deum quem orat pertingit per medium. Verum tunc clamor noster venit ad Deum, dum acceptatur ab ipso : et clamor ille potissime est amor, fervor, et desiderium caritatis, juxta illud, Desiderium pauperum exaudivit Dominus. Ps. x, 17, sec. Hebr.
Clamor quoque vocalis orationis acceptatur a Deo, in quantum ex caritatis affectu erumpit. Iste est bonus clamor ad misericordiam incitans. Clamor autem quatuor clamitantium vitiorum, ad ultionis rigorem est provocans, prout in Genesi de Gen. xviii, 21, 22.
clamore legitur Sodomorum.

Non avertas faciem tuam a me ; in 3
quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

C *Non avertas faciem tuam,* id est pietatis tuæ respectum, *a me :* sicut præcedenti psalmo expositum est super illud,
Ne projicias me a facie tua. Hunc pietatis Ps. l, 13.
respectum, piam subventionem, longanimem tolerantiam seu patientiam, Deus a suis electis nunquam in toto avertit neque finaliter, Augustino dicente : Si prædestinatus est, ad tempus errare potuit, in æternum perire non potuit : et hoc, loquendo de prædestinato formaliter, seu in sensu composito. *In quacumque die*
D *tribulor,* id est, pro peccatis meis affligor, tristor, pœniteo, *inclina ad me aurem tuam,* id est, misericordiam tuam et sapientiam tuam omnia cognoscentem exhibe, et ostende paratam ad exaudiendum atque juvandum me, qui tempore adversitatis et tribulationis specialiter pronus

es misereri, sicut in alio psalmo fateris : A
Ps. xc, 15. Cum ipso sum in tribulatione. Propter
quod sanctissimus ille Martinus dixit se
nunquam fuisse ita securum, sicut dum
latro vibravit securim in caput suum,
quoniam scivit misericordiam Dei in tri-
bulatione maxime adfuturam. Unde et Jo-
Jonæ II, 3. nas : Clamavi, inquit, ad Dominum de
tribulatione. Atque in Psalmo Dominus
Ps. XLIX, 15. loquitur : Invoca me in die tribulationis,
eruam te, et honorificabis me. — In tri-
bulationibus ergo, adversitatibus, infir-
mitatibus, increpationibus, penuriis, non B
frangamur, sed confidentiam ac fidelita-
tem ad Dominum ostendamus. Interdum
enim probat nos Dominus, ut videat, vel
potius videri faciat ac aliis innotescat
Gen. XXII, 1. quales simus, sicut tentavit Abraham. Id-
Sap. III, 5. eo scriptum est : Deus tentavit justos, et
invenit illos dignos se. Unde in Deutero-
nomio Dominus legitur populo Judæorum
Deut. VIII, 2. locutus : Recordaberis cuncti itineris per
quod adduxit te Deus tuus, ut affligeret
te atque tentaret, et nota fierent quæ ver-
sabantur in corde tuo, utrum custodires C
mandata illius an non. Nec est putandum
quod Deus semper exaudiat justos, eru-
endo eos a malis pœnalibus in hac vita
Ps. XXXIII, 20. et ante mortem, quum jugiter multæ sint
tribulationes justorum : a quibus tamen
Dominus liberat eos finaliter, retribuendo
pro temporalibus tribulationibus gloriam
æternalem. Interdum etiam in præsenti
et cito eripit eos de potestate tyrannica
et afflictione injusta.

*In quacumque die invocavero te, velo-
citer exaudi me,* exaudiendo me statim D
in illis quæ sunt de necessitate salutis, ut
sunt virtutes infusæ, quibus carendo te
magis offendo. Porro aliqua sunt de qui-
bus ignoramus an expediat nostræ saluti
quod nobis confestim aut postea conce-
dantur, ut sunt mala pure pœnalia, quæ
debemus sub conditione saltem implicita
postulare nobis auferri, videlicet, si et in
quantum Deus novit nobis esse expediens.
Verum hoc debemus petere absolute, ut
Deus tribuat nobis ea patienter et fructu-
ose perferre, quemadmodum super illud,
A timore inimici erue animam meam, dis- Ps. LXIII, 2.
seruit Augustinus : Non ut me non occidat
inimicus, sed ut non timeam occidentem
inimicum. Erue animam meam a timo-
re inimici, et subde tuo timori, sicut in
Evangelio præcepisti : Nolite timere eos Matth. x, 28.
qui corpus occidunt, animam autem non
possunt occidere ; sed eum timete qui
habet potestatem corpus et animam per-
dere in gehennam. — Itaque, Velociter
exaudi me, non differendo ex ira conce-
dere gratiarum charismata, ex quorum
dilatione incido plura seu graviora pecca-
ta, juxta illud : Ecce tu iratus es, et pec- Is. LXIV, 5.
camus. Verumtamen Deus non semper ex-
audit statim ad votum, etiam dum gratiæ
dona petuntur, sed tempore opportuno.
Propter quod ait Salvator, Oportet semper Luc. XVIII, 1.
orare et non deficere : quatenus diu fide-
literque orando, mereamur copiosius ex-
audiri, et gratiam laboriose acceptam dili-
gentius custodiamus. Etenim divitiæ facile
acquisitæ, facile solent dispergi ; paula-
tim vero obtentæ, solent augeri : juxta
illud, Substantia festinata minuetur ; quæ Prov. XIII, 11.
autem paulatim colligitur manu, multi-
plicabitur. Nihilo minus quosdam sibi fa-
miliariter caros singulariterque devotos,
Deus frequenter audit celerrime. De qui-
bus per Isaiam testatus est : Antequam Is. LXV, 24.
clament exaudiam eos, adhuc illis loquen-
tibus ego audiam ; et in Psalmo : Præ- Ps. x, 17, sec. Hebr.
parationem cordis eorum exaudivit au-
ris tua.

Ecce in his versibus tribus quinquies
repetivit sensum eumdem, ad denotan-
dum præfervidum cordis sui affectum, et
magnitudinem causæ pro qua orat, vide-
licet, ut evadat æterna supplicia atque
vilissimum principatum facinorum, obti-
neatque dona gratiæ in præsenti et ami-
citiam Dei, et dona gloriæ in futuro. —
Consequenter tangit unam causarum quare
tam anxie orat.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, 4
et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei,

id est, tempus vitæ meæ pro magna parte [A] præteriit, inutiliterque consumptum, imo prorsus deperditum est, quantum ad eam temporis partem in qua peccatis dæmonibusque servivi : in quo potius mortuus fui quam vixi. Hinc scriptum est : Quæ est vita vestra ? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. [*Jacob.* IV, 15.] Et sanctus Job protestatur : Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe ; [*Job* VII, 6.] itemque, Memento mei, Domine, quia ventus est vita mea. [*Ibid.* 7.] *Et ossa mea sicut cre-* [B] *mium aruerunt,* id est, fortitudo mea defecit, virtutes mihi olim infusæ, per vitia sunt corruptæ, superioresque vires animæ fervore et impetu passionum sunt tabefactæ; atque in ossa et carnem redundavit interior ista afflictio. Hinc alia habet translatio : Ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt. Cremium autem dicitur a cremando, utpote id quod remanet in patella, facta adustione pinguis carnis, et ea pinguedine jam extracta. Sic spiritualis pinguedo et adeps divinorum charisma- [C] tum per peccata et ignem libidinis extorquetur et aufertur ab anima. Pro quibus oravit Psalmista : Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. [*Ps.* LXII, 6.]

5 *Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

Quemadmodum in fine præcedentis versiculi pœnitens dixit, Ossa mea sicut cremium aruerunt, ita nunc addit : *Percussus sum* vento tentationis, impetu passionum, ardore libidinis, incursu adversitatis ; *ut* [D] *fœnum* percutitur solis calore ; *et aruit cor meum,* id est, mens, intellectus, voluntas, sanctæ devotionis pinguedine sunt privatæ : de qua loquitur Isaias, Delectabitur in crassitudine anima vestra. [*Is.* LV, 2.] Sic ait et Jeremias : Maledictus vir qui confidit in homine, et a Domino recedit cor ejus ; erit enim quasi myricæ in deserto. [*Jer.* XVII, 5, 6.] Et sicut arbor exaruit quia non habebat humorem, [*Luc.* VIII, 6.] sic homo designatus per arborem, spiritualiter aret, dum humore gratiæ caret, nec superiorum imbre charismatum irrigatur. *Quia oblitus sum comedere panem meum.* Hoc de multiplici pane exponitur : Primo, de fletu salubri, qui optime reficit mentem. De quo in alio psalmo : Cibabis nos pane lacrimarum ; [*Ps.* LXXIX 6.] et rursus, Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte. [*Ps.* XLI, 4.] Denique, dum pœnitens ab hujusmodi pane diutius abstinet, cito patitur recidivum ; fitque incautus, incustoditus, intimoratus, qui non recordatur quam dire et frequenter peccavit, quam item faciliter et frequenter adjiciet ad peccandum, nisi desuper præservetur, et ipse quoque agendo quod in se est, custodiat semetipsum, juxta illud Proverbiorum : Omni custodia custodi cor tuum, [*Prov.* IV, 23.] quia ex ipso vita procedit. Secundo, exponitur de pane sacramentali, de quo ait Salvator : Caro mea vere est cibus. [*Joann.* VI, 56.] Quem qui negligit manducare, fit aridus corde, sicut rursus testatur : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis. [*Ibid.* 54.] Tertio, de pane contemplationis, qui est sapientiæ actus, mentem præsertim delectans ac roborans, de quo in Ecclesiastico legitur : Cibabit illum Dominus pane vitæ et intellectus. [*Eccli.* XV, 3.] Quarto, de pane bonæ operationis, de quo asserit Christus : Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cœlis est. [*Joann.* IV, 34.] Qui autem omissis occupationibus virtuosis, otiositati, vanitati, iniquitati intentus est, aret et perit omnino.

Denique, juxta prætactam similitudinem scriptum est : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni ; exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. [*Is* XL, 6, 7.] Et Jacobus : Dives sicut flos fœni transibit ; exortus est sol cum ardore, et arefecit fœnum. [*Jacob.* I, 10, 11.] De percussione quoque præfata qua dictum est, Percussus sum, Dominus dixit : Omnis qui audit verba mea et non facit, similis est viro stulto qui ædificavit domum suam supra arenam ; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et [*Matth.* VII, 26, 27.]

cecidit. Sic accidit homini in tentationibus et variis mundi eventibus, qui non est virtutibus stabilitus. Idcirco, secun-
Hebr. XIII, 9. dum Apostolum, Optimum est gratia stabiliri cor. Insuper, quod dictum est, Oblitus sum comedere panem meum, de materiali quoque cibo potest exponi dupliciter : Primo, de abstinentibus immoderate, et jejunantibus indiscrete, qui corpus et animam videntur destruere. Contra quos do-
Rom. XII, 1. cet Apostolus : Rationabile obsequium vestrum. Secundo, de epulantibus crapulose, quia non comedunt panem suum, id est cibum eorum sustentationi opportunum ac debitum, sed alienum : quia quod superest eorum necessitati aut utilitati, pauperibus debent dare, prout noster præcipit
Luc. XI, 41. Legislator : Quod superest date eleemo-
Ibid. XXI, 34. synam. Qui et alibi jubet : Attendite ne graventur corda vestra crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ. Unde et Paulus :
Rom. XIII, 14. Curam, inquit, carnis ne feceritis in desideriis.

Quoniam ergo ita me habui, penitus ingemui, sicut subjungitur.

6 *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ,* id est, in tantum dolui, flevi, jejunavi pro culpis, quod ita extenuatus sum corpore ut ossa mea pelli adhære-
Job XIX, 20. ant : sicut et sanctus Job fassus est : Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum. Quod in multis sanctis religiosis ac eremitis, præsertim in sancta Pelagia, legitur factum.

7 *Similis factus sum pelecano solitudinis ; factus sum sicut nycticorax in domicilio.*

Similis factus sum pelecano solitudinis, id est pelecano in deserto et locis solitariis libenter degenti. Hoc quippe convenit pœnitenti, ut occasiones vitet peccandi, consortia atque convivia fugiat, et in locis secretis ac quietis effundat se coram Deo, sua rememorando, exaggerando ac deplorando peccata, et ea per disciplinas puniendo, veniamque poscendo, ac emendationem proponendo firmissime : quod totum in solitudine fit tanto perfectius
A quanto liberius. Unde in alio dicitur psalmo : Ecce elongavi fugiens, et mansi in *Ps.* LIV, 8.
solitudine. Jeremias quoque : Quis, ait, *Jer.* IX, 2, 1.
dabit mihi diversorium viatorum in solitudine ? Et plorabo die ac nocte. *Factus sum sicut nycticorax in domicilio,* id est, instar nycticoracis in domicilio seu ruinosis parietibus commorantis me habui. Quemadmodum enim hujusmodi avis præ aliis avibus vilis est, et debiles oculos habens, fugit lucem diurnam ac avium societatem, quæritque cibum in nocte ;
B sic ego præ vitiorum meorum horrore atque rubore, vilem omnino me reputavi et humano indignum consortio, ac modicæ illuminationis in animo. Nocturnis vero temporibus degens in camera, præfatis panibus contritionis, divinæ laudationis, ac consimilibus actibus virtuosis, me reficere studui.

Vigilavi, et factus sum sicut passer soli- 8
tarius in tecto : id est, actibus pœnitentiæ, non torpori acediæ, fui vigilanter intentus, sciensque quod non dormientibus, otio
C et torpori vacantibus, sed idonee certantibus, arctam viam pergentibus, pœnitentialem vitam ducentibus, pervenit regnum cœlorum. Sicque factus sum ut passer in tecto solitarie requiescens. Quemadmodum namque passer ex sua natura est libidinosus et calidus, attamen solus persistens, est continens : sic pœnitens nondum in virtutibus stabilitus, si inter homines conversetur, cito scandalizatur et concupiscit ; si vero sub tecto maneat solitariæ mansionis, reprimit se et frigescit.

D Præterea, per pelecanum, avem solivagam valdeque macilentam, specialiter designantur pœnitentes perfecti, qui sublimiter carnem suam cum vitiis et con- *Galat.* V, 24.
cupiscentiis crucifigentes, mundumque penitus deserentes, etiam exercitia beatissimi Joannis sectantur in eremo, laudibus et contemplationibus Creatoris, meditationibus sacris et orationibus fervidis assidue intendentes. Per nycticoracem signantur mediocriter boni et proficientes, qui interdum ea quæ mundi sunt, interdum

ea quæ Dei sunt operantur : et ob id a A mundanis hominibus contemnuntur, quia eorum solita vitant consortia atque carnalia opera. Per passerem autem adhuc ex sua dispositione inquietum, lascivum et ad carnalia pronum, exprimuntur incipientes, pœnitentiam inchoantes, in quibus adhuc fortes sunt reliquiæ vitiorum, et nisi sub tecto sedeant soli, periclitantur in publico. Qui ergo ad vitia pronus est, præsertim ad venereorum appetitionem et actum, fugiat prorsus, vitet adspicere, quod non licet appetere; colloquia et conta- B ctum, amplexus et oscula, tanquam mortis præludia, tanquam infernalis ruinæ præambula, exsecretur. Et breviter, omnia quæ hic in persona pœnitentis proferimus, strenue et compuncte adimpleamus.

9 *Tota die exprobrabant mihi inimici mei; et qui laudabant me, adversum me jurabant.*

Hoc pœnitens et conversus dicere potest de malitiosis hominibus, qui facta et opera pœnitentium atque consortia vana C vitantium interpretantur in pejus, detrahentes et insultantes eisdem, et eos quasi hypocritas reputantes, ipsorum quoque sobrietatem et abstinentiam tenacitati et avaritiæ adscribentes; et quos laudabant in malis (juxta illud, Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ), vituperant jam in bonis. (*Ps.* x, 3, sec. Hebr.) Hinc scriptum est : Ambulans recto itinere et timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. (*Prov.* xiv, 2.) Et rursus in Proverbiis Salomon testatur : Qui derelinquunt legem, laudant impium; D itemque, Abominantur justi impium, et abominantur iniqui eos qui in recta sunt via. (*Ibid.* xxviii, 4. *Ibid.* xxix, 27.) De talibus in sua prima Canonica loquitur sacratissimus Petrus : Ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus : in quo admirantur, non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes. (I *Petr.* iv, 3, 4.) Verum talia vir bonus non debet curare, sed patienter sufferre, nec ex humana verecundia retrahi aut cessare ab actibus bonis. Nempe, ut etiam Seneca dixit, ab impiis vituperari est commendari. Propterea in Isaia docetur : Nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum. Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis qui quasi fœnum arescet? (*Is.* li, 7, 12.)

Hæc itaque passus sum :

Quia cinerem tanquam panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam.* 10

* alias *potum*

Quia cinerem tanquam panem manducabam : id est, mei ipsius fragilem conditionem et mortalem naturam diligenter pensavi, et tali consideratione mentem meam salubriter refeci, confortavi, atque ad patiendum æquanimiter cuncta adversa et aspera animavi, advertendo quod omnia ista celeriter dilabuntur ac cito pertranseunt. Propter quod mater Ecclesia monet filios suos, dicens : Memento, homo, quod pulvis es, et in pulverem reverteris : sicut et in Genesi dictum legitur homini primo. (*Gen.* iii, 19.) Et in Ecclesiastico legitur : Quid superbit terra et pulvis? (*Eccli.* x, 9.) Ad litteram quoque quidam viri sancti, ut Germanus episcopus, et Franciscus, leguntur cibis suis cinerem prælibasse aut superfudisse. *Et poculum meum cum fletu miscebam :* id est, corporalem potationem cum lacrimis sumpsi, mearum memor culparum, ac dominicæ passionis, quemadmodum Filius Dei propter me in cruce felle cibatus et aceto potatus est : cui refectioni homo condignam nequit rependere vicem, etiam si mille annis in pane et aqua abstineat. (*Ps.* lxviii, 22; *Matth.* xxvii, 34. 48.) Vel, Poculum meum, id est temporalem consolationem, aut etiam cœlestium contemplationem, cum fletu miscebam : ita quod ea quæ ante delectabilia reputavi, nunc penitus deploravi; et cum fletu ad cœlestia suspiravi, ex quorum dilatione affligor. Istud ad verum pertinet pœnitentem, cuncta carnaliter delectantia fastidire, et quæ afflictiva sunt carnis moderate amplecti, ad cœlestem quoque patriam anxie anhelare, sicut de antiquis patribus ad Hebræos fertur : Juxta fidem (*Hebr.* xi, 13, 14.)

defunctі sunt omnes isti, non acceptis pro- A missionibus, sed de longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram : qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. — Itaque in cibo et potu non delectationem, sed necessariam tantum refectionem quæramus : præsertim quia ad sobrietatem seu abstinentiam (ut est virtus infusa, ad Christianos pœnitentesque spectans) pertinet etiam aliquid necessitati naturæ subtrahere, ad satisfaciendum pro culpis et superfluitatibus multis ; et B ut sanguinem minuendo, Christo compatiamur, ac minus ad vitia concitemur. Ad sobrietatem vero seu abstinentiam (ut est virtus naturalis et acquisita) spectat tantum de cibo et potu suscipere, quantum requirit natura pro bona habitudine et expedita rationis operatione, ut Thomas in secunda secundæ declarat. Unde et has virtutes dicit ab invicem distingui specifice. Quid ad hæc dicturi sunt, qui se ipsos immoderate ingurgitant, tamque gulose reficiunt ut ratio offuscetur, et bonæ C dispositioni mentis corporisque repugnet?
I Cor. IX, 27. Taliter igitur me afflixi, corpus castigando, et in servitutem spiritus redigendo,

11 *A facie iræ indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.*

A facie iræ indignationis tuæ, id est ex consideratione ac timore imminentis tui judicii, ac justæ ultionis quam merui et partim incurri; *quia elevans allisisti me,* id est, per beneficia tua naturalia seu fortuita aut etiam gratuita me exaltando ac honorando, dejecisti me in adversa, et D cadere permisisti in vitia, variis quoque miseriis affici, ita ut lugeam in me esse
Ps. XLVIII, 13, 21. impletum illud Psalmi : Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus ; et illud in
Thren. IV, 5. Threnis, Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Nempe, ut scriptum
I Reg. II, 7. est primo Regum, Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. Hinc
Job XVI, 13. sanctus Job : Ego, inquit, quondam ille opulentus, repente sum contritus. Rursus fatetur : Adducet Dominus consiliarios in Job XII, 17, 18.
stultum finem, et judices in stuporem ; balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum. Ecce qualiter justus et omnipotens Deus elevans dejicit et allidit. Quod tunc quoque impletur, dum viros magnæ virtutis superari tentatione permittit. Unde loquitur Augustinus : Vidi cedros Libani cecidisse, de quorum ruina non magis suspicabar quam de ruina Hieronymi et Ambrosii. Denique, quis putasset electum David, post tot gratiarum cha- II Reg. XI.
rismata, post tot de Christo vaticinia, post tot superna oracula, post tot apparitiones cœlestes, etiam in ætate matura, in adulterium, homicidium, et traditionem casurum? Nemo ergo securus sit, et juxta Apo- I Cor. X, 12.
stolum, Qui stat, videat ne cadat.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, 12
et ego sicut fœnum arui.

Dies mei sicut umbra declinaverunt : sicut jam dictum est, Quia defecerunt sicut vers. 4.
fumus dies mei. Hinc David testatur : Dies I Par. XXIX, 15.
nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. Hæc nunc salubriter perpendamus, et omnem terrenam prosperitatem, gloriam mundi et humanum honorem pro nihilo arbitremur, imo Dei amore ac futuræ felicitatis intuitu cordialiter aspernemur, ne vanis et fœdis ac frivolis rebus decepti, postea cum damnatis sera pœnitentia dicamus illud Sapientiæ : Erravimus Sap. V, 6-9.
a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis; lassati sumus in via iniquitatis et perditionis. Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens. *Et ego sicut fœnum arui :* juxta quod dictum est, Percussus sum ut fœnum, et aruit cor vers. 5.
meum. Frequenter illuminatus Psalmographus admonet nos in libro Psalmorum, nostræ fragilitatis atque brevissimæ ac incertissimæ vitæ memores esse, quatenus præsentia contemnamus, tempus vitæ hujus fructuose expendamus, et ad æternam beatitudinem incessanter festinemus. Hinc quippe etiam in aliis disseruit psalmis :

Ps. cii, 14, 15. Pulvis sumus; homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit; itemque, Ps. cxliii, 4. Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt. Etenim quid est hæc vita, nisi incessabilis cursus ad mortem? Quæ vita quanto plus extenditur, tanto plus breviatur. Hinc in sua prima I Petr. i, 22, 24; Is. xl, 6; Jacob. i, 10. epistola vertex ait Apostolorum : Animas vestras castificate in obedientia caritatis, in fraternitatis amore : quia omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus ut flos fœni.

13 *Tu autem, Domine, in æternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem.*

Efficacissima oratio perhibetur, quæ laudibus Dei miscetur. Propter quod in alio Ps. xvii, 4. psalmo expressum est : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. Hinc postquam pœnitens jam in præhabitis versibus humiliavit se ipsum, instabilitatem, fragilitatem, ac brevitatem suæ vitæ ac subsistentiæ frequenter commemorans, jam Deitatis æternam invariabilitatem atque invariabilem æternitatem fatetur ac laudat, quatenus opposita juxta se posita clarius innotescant. *Tu autem, Domine, in æternum permanes,* id est, æternaliter et incommutabiliter in te ipso consistis, et es ipsum simplicissimum ac perfectissimum esse. Qui per Prophetam Malach. iii, 6. dicis : Ego Dominus, et non mutor. Nempe, quum Deus sit primum ens, necesse est esse increatum, incausatum, ac independens, nec aliquid ante ipsum est : idcirco æternus est. De quo primo Cœli ait Philosophus : Ab hoc ente omnibus derivatum est esse, et vivere, his quidem clarius, his autem obscurius. Duodecimo quoque Primæ philosophiæ : Ab hoc ente dependent cœlum et terra, et tota universi natura. *Et memoriale tuum in generationem et generationem.* Memoriale vocatur notabilis et præclarus effectus jugi memoria dignus. Sicque quodcumque opus Dei egregium atque magnificum, potest dici memoriale ipsius. Unde et Judith dixit ad Judith ix, 15. Dominum : Erit memoriale tuum, quum manus feminæ dejecerit eum, videlicet

A Holofernem. Et ita opera creationis et recreationis, et glorificationis, sunt memoriale, imo et memorialia omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, misericordiæ, ac justitiæ Dei. Interdum quoque memoriale Dei appellatur nomen ejus a gratioso effectu impositum. Hinc ut in Exodo recitatur, quum Moyses interrogasset, Quod Exod. iii, 13. est nomen tuum? inter cetera Dominus dixit : Deus patrum vestrorum, Deus Abra- Ibid. 15. ham, Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos : hoc nomen mihi est in æternum,

B et hoc memoriale meum in generationem et generationem. Unde et Isaias dicit Deo : Nomen tuum et memoriale tuum in desi- Is. xxvi, 8. derio animæ.

Tu exsurgens misereberis Sion, quia 14
tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Tu exsurgens misereberis Sion. Deus immobilis perseverans dat cuncta moveri, et omnia operatur in se incommutabiliter prorsus quiescens, nec quidquam agit in tempore, nisi sicut et quod in æternitate disposuit. Quomodo exsur-

C get, nisi in actum procedens, et de novo aliquid faciens, ac preces devotorum exaudiens? Sicque miseretur Sion, id est militanti Ecclesiæ, et cuicumque fideli personæ Deum fideliter speculanti; imo et Synagogæ, cujus templum fuit in monte Sion : unde et nomine Sion frequenter exprimitur, quemadmodum in Zacharia : Exsulta satis, filia Sion. Sophonias quo- Zach. ix, 9. que ait : Lauda, filia Sion. Synagogæ au- Soph. iii, 14. tem misertus est Deus potissime, quando ex ea congregavit et fecit primitivam Ec-

D clesiam ex Judæis collectam, et per eam in toto mundo Evangelium divulgavit, juxta illud Isaiæ : De Sion exibit lex, et ver- Is. ii, 3. bum Domini de Jerusalem. *Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus* faciendi clementer misericordiam in ea. Et est repetitio in signum confirmationis ac ferventis affectionis. In Christi namque adventu impletum fuit tempus misericordissime agendi cum Synagoga, quantum ad electos ex ea. Propter quod Christus tunc Joann. xii, 31. dixit : Nunc judicium est mundi, judicium

scilicet discretionis, in quo per quorum-
dam piam vocationem et aliorum justam
relictionem, discreti sunt illi ab invicem.
Joann xii. 31. Ideo subdidit : Nunc princeps hujus mun-
di ejicietur foras. Tunc item impletum fu-
it tempus hebdomadarum annorum, (non
Dan. ix, 24. septem dierum,) de quibus Daniel : Ut ad-
duceretur justitia sempiterna et deleretur
iniquitas. Sic et in Zacharia narratur an-
Zach. i, 12. gelus sanctus dixisse : Usquequo, Domine
exercituum, non misereberis Jerusalem ?
Iste septuagesimus annus est. Tunc quo-
que tempus est miserendi, quando electi
graviter affliguntur, et homines miseri-
cordia Dei præcipue indigent, iniquorum
quoque pravitas magis abundat, juxta il-
Ps. cxviii, 126. lud in Psalmo : Tempus faciendi, Domine,
id est, o Domine, tempus est faciendi quod
oro, et tempus est ut exaudias. Et subdi-
Ibidem. tur ratio : Dissipaverunt legem tuam, id
est, iniqui legem tuam transgressi sunt.

15 *Quoniam placuerunt servis tuis lapides
ejus, et terræ ejus miserebuntur.*

Quoniam placuerunt servis tuis, id est
sanctis Apostolis et eorum coadjutoribus,
lapides ejus, id est homines ex Judæa seu
gentilitate convertendi, ex quibus Ecclesia
est constructa : quorum conversionem de-
sideraverunt primi illi ferventissimi præ-
dicatores. De quibus lapidibus scribit glo-
riosus et primus et summus Christi vica-
I *Petr.* ii, 4, 5. rius, in prima sua Canonica : Ad quem
accedentes lapidem vivum ; et ipsi tan-
quam lapides vivi superædificamini do-
mos spirituales. Vas quoque electionis ad
Ephes. ii, 19, 20, 22. Ephesios : Estis, inquit, cives Sanctorum
et domestici Dei, superædificati super fun-
damentum Apostolorum et Prophetarum,
ipso summo angulari lapide Christo Jesu,
in quo et vos ædificamini in habitaculum
Dei in Spiritu Sancto. *Et terræ ejus mi-
serebuntur.* Præfati quippe prædicatores,
terræ Judæorum atque gentilium, hoc est
utrique populo, vehementissime condolu-
erunt, et pro ipsis ferventissime orave-
runt, ac pro ipsorum conversione instan-
tissime laboraverunt, in tantum ut unus
Rom. ix, 2, 3. eorum confessus sit : Tristitia mihi ma-
gna est, et dolor continuus animæ meæ :
optabam enim ego ipse anathema esse a
Christo pro fratribus meis Judæis. Hinc
S. Clemens de beatissimo Petro scribit,
quod immensam habuit caritatem ad om-
ne hominum genus. Unde et Christus ipsis
prædicatoribus loquens : Videte, ait, re- *Joann.* iv, 35.
giones, quoniam albæ sunt ad messem.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domi- 16
ne, et omnes reges terræ gloriam tuam.

*Et timebunt gentes nomen tuum, Do-
mine,* omnes videlicet gentes per Christi
discipulos ad fidem conversæ, in quibus
timor Dei filialis et sanctus toto orbe ter-
rarum fuit abundans. De quibus a Daniele
est prædictum : Omnes populi, tribus et *Dan.* vii, 14.
linguæ servient ei ; atque in alio psalmo,
Reminiscentur et convertentur ad Domi- *Ps.* xxi, 28.
num universi fines terræ. De quibus Jere-
mias locutus est Deo : Ad te gentes venient *Jer.* xvi, 19.
de longinquo, dicentes, Vere mendacium
possederunt patres nostri, vanitatem quæ
eis non profuit, puta stultitiam idolorum.
Et omnes reges terræ gloriam tuam : id
est, universi fidelium reges, prælati, ac
principes, seu quidam de omnibus (ut sit
distributio accommoda, videlicet pro ge-
neribus singulorum, non pro singulis ge-
nerum), tuam, o Domine, majestatem glo-
riosamque famam formidabunt : juxta
illud Psalmi, Adorabunt eum omnes reges. *Ps.* lxxi, 11.

Quia ædificabit Dominus Sion, et vide- 17
bitur in gloria sua.

Quia ædificabit Dominus Sion, id est, uni-
versalem Ecclesiam construet et augebit
ex plebe Judæorum ac paganorum ; di-
versis quoque virtutibus, donis et gratiis,
signis, prodigiis atque miraculis ipsam
ornabit, compaginabit, ac sublimabit. *Et
videbitur in gloria sua,* id est, ipsa uni-
versalis Ecclesia Christi fulgebit et appa-
rebit, etiam in hoc mundo, in præcipua
potestate, fama, jurisdictione, jucundita-
te, et honorificentia. Prætactis namque su-
pernaturalibus donis, tam gratiæ gratum
facientis quam gratiæ gratis datæ, omni-
potens Deus mirificavit ac exaltavit Eccle-
siam Christi valde præcellenter præ Sy-

nagoga omnique alia plebe. Propter quod A
princeps Ecclesiæ scripsit plebi christico-
I Petr. II, 9. læ : Vos autem genus electum, regale sa-
cerdotium, gens sancta, populus acquisi-
tionis, ut virtutem annuntietis ejus qui
de tenebris vos vocavit in admirabile lu-
men suum. Hinc Roma per sacram beatis-
simi Petri fidem caput orbis effecta, latius
præsidet religione divina quam domina-
tione terrena, ut loquitur Leo Papa. De
hac excellentia Ecclesiæ Christi, sub ap-
Is. LX. pellatione Jerusalem, multa in Isaia sunt
Zach. IX, 10. prædicta. Zacharias quoque ait : Potestas B
ejus a mari usque ad mare, et a flumini-
bus usque ad fines terræ. — Potest quo-
que et ita exponi : Videbitur in gloria
sua : id est, Deus in ipsa excellentia Ec-
clesiæ cognoscetur tanquam in præclaro
suo effectu, ita quod ex mirabilibus quæ
in Ecclesia sua Christus facturus est, et
nunc fecit, innumerabiles cognoscent quod
Christus verus sit Deus, et convertentur
ad fidem ipsius : sicut et factum est, et
fiet Antichristo occiso. Hinc dixit evange-
Joann. I, 14. lista Joannes : Vidimus gloriam ejus, glo- C
riam quasi Unigeniti a Patre; et ipsemet
Ibid. X, 25. Dominus, Opera quæ ego facio in nomine
Patris mei, testimonium perhibent de me.

18 *Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.*

Videmus quod inopes ac mendici vo-
lentes a divitibus eleemosynam impetra-
re, suam indigentiam fatentur ac pandunt,
vilibus induuntur, et læsiones seu vulne-
ra, si quæ habent, intuentium objiciunt
oculis, quatenus ad misericordiam et be-
neficentiam provocentur. Quanto magis, D
II Cor. I, 3. si a Patre misericordiarum, benignissimo
Luc. XI, 3. Deo, cui assidue dicimus mendicantes, Pa-
nem nostrum quotidianum da nobis hodie,
desideramus salvifica charismata, exaudi-
ri, et refici, debemus nos profunde humi-
liare, universos nostros defectus, ærum-
nas, læsiones, attendere ac fateri, omneque
bonum fonti bonorum toto corde adscribe-
re? Et quanto directius, ac humili nostri
vilificatione supposuerimus mentes no-
stras altissimo illi omnium bonorum da-
tori, tanto copiosius nobis infundet stilli-
cidia gratiarum : quemadmodum cernimus
in vallibus tanto plus imbrium congrega-
ri, quanto fuerint magis profundæ. Itaque
hujuscemodi recognitio veritatis, et vera
cognitio sui ipsius, cum pia affectione
propitiationis divinæ, disponit aptissime
ad largam Dei exauditionem, ad infini-
tæ pietatis provocationem, ad obtinendam
omnem gratiam desideratam. Propter quod
ait Salvator : Beati pauperes spiritu, id Matth. V, 3.
est humiles, quoniam ipsorum est regnum
cœlorum; et denuo, Discite a me quia Ibid. XI, 29.
mitis sum et humilis corde. Judith quo-
que : Mansuetorum et humilium tibi sem- Judith IX, 16.
per placuit oratio. Incomparabilis quoque
Virgo disseruit : Quia respexit humilita- Luc. I, 48.
tem ancillæ suæ. Hic est respectus Dei
per approbationem : cui opponitur respe-
ctus Dei per reprobationem et ultionem,
de quo loquitur Amos propheta : Oculus Amos IX, 8.
Domini super regnum peccans, ut conte-
rat illud; et Judith : Domine Deus, intuere Judith VI, 15.
superbiam illorum, et respice ad nostram
humilitatem.

Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur, laudabit Dominum. 19

Scribantur hæc in generatione altera :
id est, scripta psalmi istius a posteris
agnoscantur et transcribantur ab ipsis, ad
ædificationem et informationem ipsorum,
juxta illud alterius psalmi : Quanta man- Ps. LXXVII, 5, 6.
davit patribus nostris nota facere ea filiis
suis, ut cognoscat generatio altera. Nam,
sicut scribit Apostolus, Quæcumque scri- Rom. XV, 4.
pta sunt, ad nostram doctrinam scripta
sunt. *Et populus qui creabitur, laudabit*
Dominum : id est, ex fidelibus nascentur
fideles qui Deum laudabunt ac colent, se-
quentes legem patrum suorum, secundum
illud Proverbiorum : Audi, fili mi, disci- Prov. I, 8, 9.
plinam patris tui, et ne dimittas legem
matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo.
Hoc est quod fertur in alio psalmo : An- Ps. XXI, 32.
nuntiabitur Domino generatio ventura; et
item in alio, Filii qui nascentur et exsur- Ps. LXXVII, 6.
gent, et narrabunt filiis suis.

20 *Quia prospexit de excelso sancto suo,* A
Dominus de cœlo in terram adspexit.
Quia prospexit de excelso sancto suo :
quod per sequentia exponitur verba, quum
subditur : *Dominus de cœlo in terram ad-*
spexit, id est, oculum suæ pietatis convertit
ad habitantes in terra qui invocant eum.
Loquitur autem Scriptura de Deo more
humano, quasi alicubi resideat in loco su-
blimi, et inde adspiciat in hæc ima : quum
tamen ipse supergloriosissimus Deus sit
penitus infinitus, incircumscriptibilis, il-
localis, intemporalis. Nec est in loco cir- B
cumscriptive nec definitive, sed transcen-
denter : imo ubique est per essentiam,
præsentiam, atque potentiam ; in Christo
homine per hypostaticam unionem, in ju-
stis per gratiam, in Beatis per gloriam.
Nihilo minus dicitur esse in cœlo empy-
reo, tanquam in habitaculo, in quantum
ibidem clarius se ostendit, et evidentius
ac magnificentius operatur : qui per Isa-
Is. LXVI, 1; *Act.* VII, 49. iam testatur, Cœlum mihi sedes est. Hinc
inde dicitur respicere, exaudire, influere :
Jer. XXIII, 24. qui tamen per Jeremiam affirmat, Cœlum C
et terram ego impleo. De quo in Actibus
Act. XVII, 27, 28. loquitur Paulus : Non longe est ab uno-
quoque nostrum ; in ipso enim vivimus,
movemur, et sumus.
21 *Ut audiret gemitus compeditorum, ut*
solveret filios interemptorum, id est, ora-
tiones et suspiria peccatorum pœnitenti-
um clementer exaudiat : qui vincti sunt
vinculis vitiorum, spiritualiterque captivi
a diabolo tenebantur, juxta illud Prover-
Prov. v, 22. biorum : Iniquitates suæ capient impi-
um, et funibus peccatorum suorum con- D
II Tim. II, 26. stringetur. Unde Apostolus : Resipiscant,
inquit, a laqueis diaboli, a quo captivi
tenentur ad ipsius voluntatem. Nempe,
ut in secunda sua protestatur Canonica
II Petr. II, 19. S. Petrus : Iniqui sunt servi corruptionis :
a quo enim quis superatus est, hujus
et servus est. Sic quoque solvat a jugo
diaboli et peccati *filios interemptorum,*
id est posteros spiritualiter interfectorum
peccato, aut corporaliter occisorum pro
Christo.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, 22
et laudem ejus in Jerusalem.
Ut annuntient in Sion nomen Domi-
ni, id est, quatenus ita soluti, et spiritu-
alem libertatem adepti, prædicent Chri-
stum in ecclesiastica unitate, et in ipsa
Ecclesia, annuntiando beneficia gratiæ
ejus ac suæ redemptionis mysteria, sicut
ipse in Evangelio ait : Vade, et annuntia *Marc.* v, 19.
quanta fecerit tibi Deus, et misertus sit
tui. *Et laudem ejus in Jerusalem,* id est
in Ecclesia tam militanti quam trium-
phanti, secundum illud Isaiæ : Qui re- *Is.* LI, 11.
dempti fuerint a Domino, venient in Sion
laudantes, et lætitia sempiterna super ca-
pita eorum, gaudium et lætitiam obtine-
bunt ; et fugiet dolor et gemitus. De hac
Jerusalem scribit Apostolus : Illa quæ sur- *Galat.* IV, 26.
sum est Jerusalem, libera est, quæ est
mater nostra. De qua legitur : Jerusalem, *Tob.* XIII, 11, 13, 14.
luce splendida fulgebis, et omnes fines
terræ adorabunt te ; nationes ex longin-
quo ad te venient, etc. Et hoc est quod
in Evangelio asserit Christus : Multi ab *Matth.* VIII, 11.
oriente et occidente venient, et recum-
bent cum Abraham et Isaac et Jacob in
regno cœlorum. Hæc est civitas Dei, de
qua in Apocalypsi inducitur : Civitas non *Apoc.* XXI, 23.
eget sole, neque luna : nam claritas Dei
illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus.
Ad Hebræos quoque : Accessistis ad civi- *Hebr.* XII, 22.
tatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem,
et multorum millium angelorum frequen-
tiam. Hæc est civitas ad quam sancti Pa-
triarchæ et Prophetæ suspirabant, juxta
illud : Exspectabat Abraham fundamenta *Ibid.* XI, 10.
habentem civitatem, cujus artifex et con-
ditor Deus.
In conveniendo populos in unum, et 23
reges ut serviant Domino, id est in ipsa
corporali aut spirituali collectione fide-
lium, tam vulgarium quam præsidentium,
qua convenerunt ad conferendum quali-
ter Deo efficacius obsequantur, qua etiam
per fidem et caritatem in uno Christi ovi-
li specialiter adunati sunt, et unum my-
sticum corpus effecti, juxta illud Apostoli : *I Cor.* x, 17.
Unum corpus multi sumus.

24 *Respondit ei in via virtutis suæ : Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* A

Respondit ei in via virtutis suæ, id est, ipsa Sion seu Ecclesia ad Dei servitium vocata, respondit Domino in via suæ virtutis, id est in conversatione sua virtuosa, qua Deo placite deservivit : *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi,* id est, da mihi sapienter considerare quam pauci et breves sunt dies vitæ meæ in sæculo isto, præsertim respectu futuræ æternitatis : quatenus ex consideratione hujus labilis vitæ, ferventius me emendem, B celeriusque ad futuram felicitatem progrediar. Unde in alio psalmo habetur : *Ps.* xxxviii, 5. Locutus sum in lingua mea : Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid *Job* vii, 16. desit mihi. Hinc sanctus Job dixit : Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Hanc paucitatem dierum residuæ vitæ nostræ profunde jugiterque pensemus ; et *Matth.* xxv, 13. certi quod diem ignoremus et horam, omnem diem quasi ultimum reputemus : sicque per mores et actus Deo placentes, C ad finem felicem inoffenso pede tendamus. Etenim tam discrete, timorate ac fervide vivere debet homo, quasi uno solo die victurus, nec quasi adhuc plurimis annis in hac vita mansurus. Hanc paucitatem dierum vitæ suæ consideravit patriar- *Gen.* xlvii, 9. cha Jacob loquens ad Pharaonem : Dies peregrinationis vitæ meæ super terram, centum triginta annorum sunt, parvi et mali.

25 *Ne revoces me in dimidio dierum meorum ; in generationem et generationem* D *anni tui.*

Ne revoces me in dimidio dierum meorum, id est, ab hac vita non jubeas me auferri in juventute, quando adhuc imparatior sum ad mortem. De tali revocatione II *Reg.* xii, 23. David locutus est : Numquid potero re- *Eccle.* xii, 7. vocare eum ? Unde alibi legitur : Revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Vel, Ne revoces me in dimidio dierum meorum, id est, in juventute mea non permittas me revocari aut redire ad vitia adolescentiæ meæ. Imo potius, juxta apostolicum documentum, quæ retro sunt obliviscens, in *Philipp.* iii, 13. anteriora extendam me ipsum. *In generationem et generationem anni tui,* id est, anni tuæ durationis per omnium generationum successiones extenduntur, et superexcedunt, quoniam mille anni ante *Ps.* lxxxix, 4. oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit. Constat in die æternitatis nullam successionem cadere temporalem : imo æternitas (quæ ponitur quasi mensura increatæ vitæ et invariabilis consistentiæ Dei) est interminabilis vitæ tota simul perfecta possessio. Verumtamen in Scripturis frequenter per temporalia nomina designatur, ut ad Hebræos ait Apostolus : Jesus Christus heri et hodie, ipse *Hebr.* xiii, 8. et in sæcula. In Apocalypsi quoque : Gra- *Apoc.* i, 4. tia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est Omnipotens. De his annis Dei intemporalis scriptum est in Job : Numerus annorum ejus inæstimabi- *Job* xxxvi, 26. lis ; alibi quoque Petrus, Unus dies apud II *Petr.* iii, 8. Deum tanquam mille anni, et mille anni sicut dies unus.

Initio tu, Domine, terram fundasti ; et opera manuum tuarum sunt cœli. 26

Possent hic plura introduci et quæri, quæ prosequi prohibet brevitas cui hic studeo : quæ super secundum Sententiarum diffuse tractantur. Possetque hic sciscitari, an spirituales substantiæ, ut angeli, fuerunt ante sensibilem mundum productæ; et rursus, an elementa in exordio creationis mundi sensibilis ac corporalis, fuerunt distincte producta in suis substantialibus formis, an etiam in suis accidentalibus formis, sicut nunc stant, an potius in materia et forma corporeitatis confusa. Verum, ad compunctionem pœnitentis ista parum conferre videntur, nec penitus queunt exprimi verbis. — Et quamvis ad primum istorum responderint Græci, etiam sancti viri (quos in hoc imitati sunt Hieronymus atque Hilarius), quod angeli ante sensibilem mundum diu creati sint ; rationabilior tamen censetur

sententia Augustini, Gregorii, Bedæ, qui A cum suis sequacibus dicunt contrarium : attamen sine præjudicio et derogatione alterius partis, præsertim propter auctoritatem Gregorii Nazianzeni ac Athanasii : qui tantæ fuerunt auctoritatis in Scripturis, quod nullus præsumpsit contradicere eis. Denique sententia Augustini et Gregorii etiam ex hoc probatur versiculo, Initio tu, Domine, terram fundasti. Ergo ante terræ creationem nihil creatum est, quum et in exordio Genesis dictum
Gen. I, 1. sit, In principio creavit Deus cœlum et B terram : quamvis ibi per cœlum quidam intelligant naturam angelicam, quidam cœlum empyreum. Communiter demum ponuntur quatuor coæquæva, cœlum empyreum, angelus, materia, tempus. — Circa secundum, posuit Augustinus totum universum, quantum ad partes suas principales ac permanentes, et quantum ad prima individua specierum, esse simul in instanti distinctim producta sicut nunc stant. Alii vero Sancti, Græci et Latini, propter auctoritatem reverentiamque Scri- C pturæ, magis secuti sunt superficiem et tenorem scripturæ Geneseos : quorum aliqui posuerunt omnia corporalia simul producta in materia quadam confusa, et forma corporeitatis indistincta ac generali ; alii, quod elementa fuerunt in propriis substantialibus formis simul ac distincte producta, similiter cœlestia corpora.

Nunc autem pertranseundo, simpliciter potest exponi. *Initio tu, Domine, terram fundasti,* id est, in exordio temporis terram et cetera elementa creasti, ac firmi- D ter collocasti : juxta illud alterius psal-
Ps. CIII. 5. mi : Qui fundasti terram super stabilitatem suam ; non inclinabitur in sæculum sæ-
Ps. LXXIV, 4. culi. Et rursus : Ego confirmavi columnas ejus. De hac mirabili situatione et constabilitione terræ gravissimæ in medio universi et super aquarum fluenta, nullo duro et solido ei substrato, scriptum est
Job XXVI, 7. in Job : Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum.
Ibid. XXXVIII, 4-6. Unde et Dominus loquitur : Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ ? Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus ? aut quis tetendit super eam lineam ? et super quo bases ejus consolidatæ sunt ? *Et opera manuum tuarum,* id est omnipotentiæ ac sapientiæ tuæ, *sunt cœli* universi, tam materiales quam angelici spiritus habitantes in cœlis. De cœlis multa possent hic investigari, puta de natura, motu, numero influentiisque ipsorum : quæ super secundum tractantur Sententiarum. Quamvis autem nonnulli dixerunt decem esse mobiles cœlos, communior tamen est opinio quod tantum sint novem, puta : nona sphæra, quæ dicitur cœlum crystallinum ; et sphæra octava, quæ vocatur firmamentum ac cœlum stellarum ; deinde septem orbes planetarum. Aliqua quoque dicuntur cœlum, propter quasdam participationes proprietatum cœlestium corporum : sicque dicitur cœlum aerium, cœlum æthereum, et cœlum olympium. Porro cœlum empyreum, id est igneum, ita vocatum a splendore, non a calore, quantitate est maximum, qualitate purissimum, substantia inter corpora nobilissimum : quod Damasceno testante, est continentia visibilium et invisibilium.

Ipsi peribunt, tu autem permanes ; et 27
omnes sicut vestimentum veterascent.

Ipsi peribunt : non substantialiter, quum scriptum sit : Statuit ea in sæculum et in Ps. CXLVIII, 6.
sæculum sæculi ; præceptum posuit, et non præteribit. Et rursus Ecclesiastes : Generatio præterit, et generatio advenit, Eccle. I, 4.
terra vero in æternum stat. Nec elementa quoad se unquam substantialiter corrumpentur. Cœlestia autem corpora quum non habeant materiam privationi annexam, ponuntur a philosophis atque theologis incorruptibilia quoad totum et partem. Peribunt ergo quantum ad accidentalia quædam, videlicet quoad situm et motum, qualitatemque aliquam et influentiam : prout hæc super quartum Sententiarum diffuse determinantur. *Tu autem permanes* plenissime immortalis et prorsus in-

variabilis æternaliter, in superoptima et A infinite beatissima dispositione perseverans. De quo Balaam contestatur : Non est (Num. XXIII, 19.) Deus quasi homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur. *Et omnes sicut vestimentum veterascent*, quantum ad accidentalem dispositionem in dictis. Non enim subjacent tempori, quantum ad suam substantiam substantialeque esse, sed quoad situm, motum, influxum, quos usque ad finem sæculi hujus habent, propter generabilium et corruptibilium innovationem, conservationem ac provisionem. B

Et sicut opertorium mutabis eos, et
28 *mutabuntur ; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : sicut expositum est. Hæc toties repetuntur, ad insinuandum excellentiam superfelicissimi Dei, qui ut ait Apostolus, solus habet immortalitatem, id (I Tim. VI, 16.) est omnimodam incommutabilitatem. In omni autem mutatione est quædam corruptio, hoc est alicujus esse desitio, quæ est mors quædam. *Tu autem idem ipse* C *es,* quia in te nulla non identitas, nulla varietas, sed summa et perfectissima unitas. Unum autem in substantia, facit idem in quantitate æquale, in qualitate simile. Unumquodque demum tanto plus est tale, quanto minus habet de suo opposito. Quumque in Deo sit purissima unitas, quæ est quasi esse purissimæ identitatis, non est in eo ex natura rei aliqua non identitas, seu quædam alietas, quantum ad absoluta. Rursus, quum in superexcellentissimo Deo sit mera, plena et infinita D simplicitas, in fine totius simplicitatis : quidquid huic simplicitati derogat, ut omnis non identitas ex natura rei, est longe ab ipso. Amplius, quod in se ipso infinite perfectum est, in consubstantiali sua opulentia supersimplicissime comprehendit omnem perfectionem, nobilitatem et gloriam, absque omni non identitate ex sua natura. Hæc contra quorumdam errorem, qui in Deo ponunt inter attributa distinctionem formalem, sunt breviter tacta. *Et anni tui non deficient,* id est, æternitas tua omnem annorum imaginabilem multitudinem superexcedens, nullatenus finietur, nec minorationem accipiet.

Filii servorum tuorum habitabunt ; et 29
semen eorum in sæculum dirigetur.

Filii servorum tuorum habitabunt, id est, fideles, qui sunt spirituales filii Apostolorum et primorum discipulorum tuorum, manebunt et quiescent in Ecclesia militanti per fidem et gratiam usque ad mundi finem, deinde in Ecclesia triumphanti sine fine per gloriam et beatificam fruitionem : juxta illud Apocalypsis, Servi Dei servient illi, et videbunt faciem (Apoc. XXII, 3-5.) ejus, et regnabunt in sæcula sæculorum. Hinc in Proverbiis quoque legitur : Qui (Prov. II, 21.) recti sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea. *Et semen eorum in sæculum dirigetur,* id est, operatio eorum in ultimum finem recte erit relata et fixa, nec amplius deviabit ; proles quoque parentum bonorum sequens vestigia, cum illis salva manebit. De talibus filiis Apostolus scribit ad Galatas : Filioli mei, quos iterum parturio ; ad Co- (Galat. IV, 19.) rinthios quoque, In Christo Jesu ego vos (I Cor. IV, 15.) genui.

Postremo de prætacta cœlorum immutatione multa in Scripturis leguntur, ut est illud Isaiæ : Complicabuntur sicut li- (Is. XXXIV, 4.) ber cœli ; et idem rursus, Ecce ego creo (Ibid. LXV, 17.) cœlos novos et terram novam. Illud quoque Apocalypsis : Vidi cœlum novum et (Apoc. XXI, 1.) terram novam : primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est. Quod vero in Canonica Petri legitur, Adve- (II Petr. III, 10.) niet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient ; et rursus, Cœli (Ibid. 7.) igni servati sunt in diem judicii : de aeriis exponitur cœlis. De his super quartum Sententiarum tractatur.

ENARRATIO IN PSALMUM VI PŒNITENTIALEM

Ps. cxxix. 1 DE *profundis clamavi ad te, Domine ;* A
2 *Domine, exaudi vocem meam.*
De profundis, id est de valle lacrima-
Ps. xxxix, 3. rum, de lacu miseriæ lutoque fæcis, de
corpore isto mortali dejecto, et de vora-
gine vitiorum, *clamavi ad te, Domine,*
quia de infimo isto ad te in cœlis commo-
rantem, fudi orationem. De tali profundo
Prov. xviii, 3. Salomon asserit : Impius quum in pro-
fundum venerit peccatorum, contemnit ;
Ps. lxviii, 3. atque in alio psalmo, Infixus sum in limo
Ibid. 16. profundi ; itemque, Neque absorbeat me
profundum. In his profundis mersus ac
jacens, clamat de eis tanquam de locis
vitiis et miseriis plenis, in quibus est.
Domine, exaudi vocem meam, potissime
cordis affectum.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem
deprecationis meæ.

Quemadmodum Dominus Deus, qui non
Ps. lxxxix, 1. fit, nobis refugium factus est absque sua
mutatione et absque sua ad nos reali re-
latione, per nostram mutationem ac re-
lationem ad ipsum realem ; sic aures Dei,
puta sapientia et misericordia ejus, qui- C
bus nostra desideria noscit et implet, quæ
non fiunt, nostris orationibus fiunt in-
tentæ absque earum recenti dispositione,
per novam nostrarum precum exauditio-
nem, per quam se habent quasi de novo
nobis intentæ. Sic et Salomon deprecatur :
III Reg. viii, 29; II Par. vi, 40. Sint oculi tui aperti et aures tuæ intentæ
super domum istam die ac nocte. Eam-
dem autem petitionem sub aliis repetit
verbis, ob causas frequenter inductas.

3 *Si iniquitates observaveris, Domine ;*
Domine, quis sustinebit ? hoc est, tot et D
tanti sunt nostri excessus, quod si non
dimiseris, sed retinueris eos ad objicien-
dum, judicandum, ac puniendum, intole-
rabile esset nobis. Nam et intolerabile
esset unicuique, si ei coram sibi notis
atque domesticis objicerentur distincte
universa et singula vitia sua : quanto ma-
gis intolerabile nobis esset in die parti-
cularis ac generalis judicii coram cunctis
præsentibus, a Judice summo, de omni-
bus nostris peccatis palam ac particulatim
redargui, confundi, puniri ? Ipsa quoque
pœna inferni intoleranda est nimis. Id-
circo, horrendum est incidere in manus Hebr. x, 31.
Dei viventis. Vide igitur quantum et qua-
liter mersus et obrutus sis fluctibus vitio-
rum, profluvio desideriorum carnalium,
B inundatione cogitationum inanium aut pra-
varum, et propriis viribus nequiens te
juvare, nec enatare. Clama de his pro-
fundis ad Dominum, proferendo hunc psal-
mum corde intento, quasi ex proprio cor-
de singula verba formando.

Quia apud te propitiatio est ; et propter 4
legem tuam sustinui te, Domine.

Quia apud te propitiatio est, id est, in
te larga miseratio consistit. Sic quippe
frequenter in Scripturis dicitur esse apud
Deum, quod est in Deo, sicut ait Joan-
nes : Verbum erat apud Deum ; et in Psal- Joann. i, 1.
mo, Quoniam apud te est fons vitæ. Hinc Ps. xxxv, 10.
in Ecclesiastico scriptum est : Propitiatio Eccli. xvii, 28.
Dei magna est. Est quoque apud Deum
Patrem unigenitus Filius ejus, qui est ad-
vocatus noster et propitiatio pro nostris
peccatis, qui satisfecit pro nobis : qui, ut
præallegatum est, dilexit nos et lavit a Apoc. i, 8.
peccatis nostris in sanguine suo. De quo
scriptum : Si quis peccaverit, advocatum I Joann. ii, 1, 2.
habemus apud Patrem Jesum Christum
justum ; et ipse est propitiatio pro pecca-
tis nostris. Nempe, ut ait Bernardus, Fi-
lius ostendit Patri latus et vulnera, Mater
ostendit Filio pectus et ubera ; nec ulla
potest esse repulsa, ubi tot concurrunt
caritatis indicia. *Et propter legem tuam*
sustinui te, Domine : id est, ob id quod

lex tua est tota divina, sancta, caritativa, pia et justa, longanimiter spero, exspecto et fero gratiæ tuæ subventionem, optatæ propitiationis dilationem, et tuam circa me dispensationem, ordinationem ac dispositionem, confidens in omnibus de tua benignitate, et certus de legis tuæ sinceritate ac veritate. De qua alibi legitur : Lex Domini immaculata, convertens animas. (Ps. xviii, 8.) Et Baruch : Hic (inquit) liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum : omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam ; qui autem derelinquunt eam, ad mortem. (Baruch iv, 1.) — Denique, quam memoriter recolenda, quam integre adimplenda sit lex divina, in Proverbiis tangitur, ubi habetur : Serva mandata et legem quasi pupillam oculi tui ; liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam. (Prov. vii, 2, 3.) Hoc est quod de viro bono legitur : In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. (Ps. i, 2.) Qui in hac lege versatur, in lumine ambulat ; qui vero eam transgreditur, in tenebris manet, quemadmodum ait Scriptura : Via impiorum tenebrosa ; nesciunt ubi corruunt. (Prov. iv, 19.) Nec mirum, quia ut denuo Salomon protestatur, Mandatum lucerna est ; et lex, lux ; et via vitæ, increpatio disciplinæ. (Ibid. vi, 23.) Quæ omnia quamvis de lege illa per Moysen data sint vera, de evangelica tamen lege, omnium legum perfectissima, et excellentissima, ac divinissima, rite intelliguntur, ac saluberrime observantur. Ipsa siquidem continet gratiam, redolet caritatem, et ad vitam introducit beatam. Cujus legis eminentiam supra Mosaicam legem Paulus in suis epistolis copiose declarat.

Sustinuit anima mea in verbo ejus ;
5 *speravit anima mea in Domino.*

Sustinuit anima mea in verbo ejus, id est, in consideratione sermonis Dei patientiam habui, et toleranter exspectavi veniam gratiamque cupitam, quoniam verba legis divinæ misericordiam et salutem promittunt colentibus ac invocantibus Deum, juxta illud Isaiæ : Deus judicii Dominus ; beati omnes qui exspectant (Is. xxx, 18.) A eum. Unde in alio scriptum est psalmo : In verbum tuum supersperavi. (Ps. cxviii, 81, 114.) *Speravit anima mea in Domino* : cui dicitur in alio quoque psalmo, Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. (Ps. ix, 11.) De quo et loquitur Jeremias : Bonus est Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum. (Thren. iii, 25.) Hæc spes non confundit, sed roborat. (Rom. v, 5.) In qua tam firmi esse debemus, ut ab ea nulla adversitate frangamur, juxta quod sanctus Job ait : Etiam si occiderit me, (Job xiii, 15.) B in ipso sperabo.

A custodia matutina usque ad noctem, 6
speret Israel in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, id est tota die usque ad noctem inclusive, *speret Israel in Domino.* Per Israel intelligi solet Israeliticus populus, seu pater ejus Jacob, qui alio nomine dictus est Israel, id est vir videns Deum, ab angelo, juxta illud : Dixit ad eum angelus : Israel erit nomen tuum. (Gen xxxii, 28 ; xxxv, 10.) Spiritualiter vero, Israel est populus christianus, et omnis Christi- C fidelis Deum sincera fide et per sapientiæ donum contemplans. Et talem decet semper sperare in Domino, qui solus potest salvare, peccata dimittere, per gratiam stabilire, in omni tribulatione et necessitate succurrere. Propter quod scriptum est : Nunc, Domine, Deus Israel, anima in angustiis et spiritus anxius clamat ad te. (Baruch iii, 1.) Impleamus ergo quod in Proverbiis sapientissime edocetur : Habe fiduciam in Domino ex toto corde, et ne innitaris prudentiæ tuæ ; in omnibus viis tuis cogita D illum, et ipse diriget gressus tuos. (Prov. iii, 5, 6.)

Quia apud Dominum misericordia, et 7
copiosa apud eum redemptio.

Quia apud Dominum misericordia : imo infinita pietas est in eo, cui proprium est misereri. Ulcisci autem, irasci et damnare, est quasi alienum ab ipso, et ex parte nostræ adversitatis convenit ei. Propter quod locutus est Isaias : Ut faciat opus suum, peregrinum opus ab eo. (Is. xxviii, 21.) Ad quod insinuandum ait : Heu ! ego consolabor super hostibus meis. (Ibid. i, 24.) *Et copiosa*

apud eum redemptio, id est abundans salvatio. Salvat namque a læsione peccati per gratiam, a damnatione perpetua per gloriam sempiternam, et contra varios morbos ac defectus dedit ecclesiastica sacramenta. Tandem quoque in resurrectione futura redimet electos ab omni malo I *Cor.* xv, 53, 54. pœnali in corpore et anima, quando corruptibile hoc induet incorruptionem, et mors absorbebitur perfecte in gloria : quando electi cantabunt jucundissima et *Ps.* cxxiii, 7. securissima mente, Laqueus contritus est, I *Cor.* xv, 55; *Osee* xiii, 14. et nos liberati sumus ; itemque : Ubi est, mors, victoria tua ? ubi est, mors, stimulus tuus ? Copiosissima demum redemptio est apud Salvatorem nostrum, qui I *Petr.* i, 18, 19. non corruptibilibus auro et argento, sed suo sanguine pretioso redemit nos, non solum satisfaciens pro peccatis nostris, sed supererogans infinite, et præmium suæ salvificæ passionis communicans suæ Ecclesiæ, dans ei opulentissimum spiritualem thesaurum ex quo fiunt indulgentiæ : cujus thesauri erogationem commisit summo Prælato, sponso ac hierarchæ totius universalis Ecclesiæ.

8 *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Omnibus enim vere pœnitentibus et contritis ignoscit, veniam nequaquam dimidians ; et tam electos ex Israelitica plebe, quam conversos ex gentilitate, eripuit de potestate tenebrarum. Christus quoque dignissima passione sua pro omnibus satisfecit quantum ad sufficientiam, et quantum est ex parte ipsius ; pro solis vero prædestinatis, quantum ad efficientiam, qui soli effectum dominicæ passionis finaliter consequuntur. De quibus ait Apo- *Galat.* vi, 16. stolus : Pax super Israel Dei. De reprobis I *Cor.* x, 18. autem Israelitis : Videte Israel (inquit) secundum carnem.

Hunc psalmum compendiosum præcipua devotione dicamus, de profundo nostræ miseriæ ad superaltissimum fontem pietatis immensæ humiliter suspirantes, *Job* xiv, 15. atque dicentes : Operi manuum tuarum porrige dexteram. Consideret unusquisque

A pro posse misericordias Dei in se, et dicat : Misericordias Domini in æternum cantabo. *Ps.* lxxxviii, 2. De quibus sanctus ait Bernardus : Septem in me video misericordias Dei, quas etiam unusquisque vestrum facile invenit in se. Prima est, quod a multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit me : prima quidem, non inter omnes quas mihi impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat, quod sicut in multa cecidi, sic et in alia poteram cecidisse peccata, nisi Omnipotentis B misericordia præservasset ? Fateor et fatebor, nisi quia Dominus adjuvit me, cecidisset in omne peccatum anima mea. *Ps.* xciii, 17. Secunda misericordia est, quæ non poterit explicari sermone, quam benigna, quam libera, quam liberalis sit. Ego peccabam, et tu, clementissime Deus, dissimulabas ; non continebam a sceleribus, et tu abstinebas a verberibus ; prolongavi multo *Ps.* cxxviii, 3. tempore iniquitatem, et tu econtrario misericordissime prolongasti pietatem. Tertia est, quod visitavit cor meum et immuta- C vit, ut fierent mihi bene amara quæ antea fuerunt male suavia. Quarta, quod pœnitentem pie suscepit. Quinta, quod virtutem continendi meliusque vivendi donavit, ne paterer recidivum, fieretque error novissimus pejor priore. *Matth.* xxviii, 64. Postquam in his quinque miserationibus a malo me liberavit, in aliis duabus bona largitus est : quoniam munus bonæ conversationis concessit, spem quoque pertingendi ad futuram beatitudinem tribuit. — Merito ergo cum Jeremia illud Threnorum dicere D possumus : Misericordiæ Domini, quod non sumus consumpti : quia non defecerunt *Thren.* iii, 22. miserationes ejus. Atque cum Isaia : Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam. *Is.* lxiii, 7. Denique, qui has misericordias Dei consequi cupit, et feliciter obtinere, studeat opera misericordiæ corporalia ac spiritualia strenue exercere. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* v, 7.

ENARRATIO IN PSALMUM VII PŒNITENTIALEM

Ps. CXLII. 1 *DOMINE, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia.*

Oratio est desiderii nuntius ac interpres. Qui igitur ex affectu non petit, non orat; nec potest esse affectio sine prævia apprehensione. Idcirco, qui verborum significationem non advertit, inefficaciter postulat. Habet autem oratio tres effectus. Unus est promereri. Secundus est suavis quædam affectatio atque refectio mentis, quam orans sensibiliter sentit et experitur in sua oratione : qui effectus specialiter exigit actualem attentionem, recollectionemque cordis. Unde dixit in alio psalmo Psalmista : Ad ipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea. (Ps. LXV, 17.) Tertius est perceptio rei petitæ, juxta illud : Petite, et accipietis. (Joann. XVI, 24; Luc. XI, 9.)

Auribus percipe obsecrationem meam, id est, per sapientiam et misericordiam tuam attende, vel potius per exauditionis effectum attendere te demonstra petitionem quam per sacra aliqua postulo exaudiri. Porro obsecratio est efficacissima atque dignissima species orationis : per quam Dominum invocamus per sacra, quorum virtute aut merito exaudiri precamur; et quandoque per sacra creata, ut quum dicimus, Per passionem tuam, seu beatissimam Virginem, exaudi nos, Domine; interdum per sacra increata, sicut dum petimus, Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine. (Ps. XXIV, 7.) Nonnunquam in eadem oratione tangimus utrumque : et tunc sacrum increatum magis apte exprimitur præponendo, Propter; et sacrum creatum, præponendo, Per : dicendo, Propter infinitam misericordiam tuam, exaudi me, Deus Pater, per Christi passionem. Et ista oratio ceteris præstantior virtuosiorque consistit. *In veritate tua*, id est juxta veram tuam promissionem, qua sæpissime in Scripturis dixisti et promisisti te exauditurum orantes, dummodo orent perseveranter, salubriter, et pro se, ut est illud : Dico vobis : omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. (Marc. XI, 24.) Imo ad credendum hoc, Christus rationabili persuasione inducit nos, in Evangelio loquens : Si vos quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se? (Luc. XI, 13.) *Exaudi me in tua justitia*, id est in adimpletione fideli prætactæ tuæ promissionis, vel in tua increata justitia, qua quodammodo justum est, seu tuam condecens majestatem, quod exaudias te humiliter invocantes. Nam, ut ait Anselmus, tam bonus et pius est Deus, ut ex parte ipsius sit justum seu condecens quod misericorditer agat cum implorantibus ipsum.

2 *Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Et non intres in judicium cum servo tuo, id est, non secundum justitiæ tuæ rigorem me judices, punias, et condemnes. Noverat sanctus David neminem posse evadere finale judicium in die novissimo, quo unicuique secundum merita sua reddetur, nec etiam in particulari judicio, quum dicat Apostolus : Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. (II Cor. V, 10.) De quo Ecclesiastes : Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium, pro omni errato, sive bonum sit, sive malum. (Eccle. XII, 14.) Denique in Scripturis fit mentio de multiplici judicio, puta : de judicio discretionis, de judicio discussionis, de judicio remunerationis, de judicio

reprobationis, de judicio jurisdictionis. Et A
nunc postulat pœnitens erui de judicio re-
probationis et rigorosæ retributionis, ac ju-
dicialis disceptationis, ita ut interim Deus
sibi clementer ignoscat, et in judicio fi-
nalis remunerationis ipsum piissime sal-
Job IX, 15, 20. vet. Sic beatus Job : Etiam, inquit, si ha-
buero quidpiam justum, non respondebo
ei, sed ut meum judicem deprecabor; si
justificare me voluero, os meum condem-
nabit me. Conformiter a Propheta induci-
Is. LXIV, 6, 9. tur : Quasi pannus menstruatæ universæ
justitiæ nostræ; ne irascaris, Domine, sa- B
tis, et ne ultra memineris iniquitatis no-
stræ. *Quia non justificabitur in conspectu
tuo omnis vivens,* id est, nullus viventi-
um creatorum ex se aut viribus suis po-
test coram te justus inveniri : præsertim
loquendo de gratuita, meritoria et infusa
justitia. Nullus quoque viventium vita na-
turæ, vita gratiæ, vitave gloriæ, justus est
in conspectu Dei, id est comparatione san-
ctitatis et æquitatis divinæ : quæ tam in-
finite perfecta, tamque incomparabiliter
magna, pura et independens est, ut ejus C
respectu, omnis creata justitia quasi nul-
Job XXV, 5, 6. la exsistat. Ideo apud Job asseritur : Ec-
ce luna non splendet, et stellæ non sunt
mundæ in conspectu ejus : quanto magis
homo putredo, et filius hominis vermis?
Ibid. XV, 14, 15. Et rursus : Quid est homo, ut immaculatus
sit, ut justus appareat, natus de muliere?
Ecce inter sanctos ejus nemo immutabi-
lis, et cœli non sunt mundi in conspectu
ejus. Denuo quoque sanctus Job fatetur :
Ibid. IX, 2, 3. Non justificatur homo compositus Deo; et
si voluerit cum eo judicio contendere, non D
poterit respondere unum pro mille.

Itaque judicium disceptationis divinæ
I *Cor.* XI, 31. justitiæ evadere possumus, accusando, di-
judicando, et emendando nos ipsos. Qui
autem suam volunt justitiam statuere, se
ex se justos reputando, aut de sua justitia
se inaniter extollendo, ut Pharisæus qui
Luc. XVIII, 11. dixit, Non sum sicut ceteri homines, aut
proprias culpas negando vel excusando,
incidunt in præfatum judicium Dei, qui
Jer. II, 35. ait : Ecce ego judicio contendam tecum,
eo quod dixeris, Non peccavi. Et iterum
per eumdem ait Prophetam : Quid vultis *Jer.* II, 29.
mecum judicio contendere? Omnes reli-
quistis me. Hinc scriptum est in Ecclesia-
stico : Non te justifices ante Deum. Verum- *Eccli.* VII, 5.
tamen viri perfecti interdum in angustiis
constituti, ex testimonio conscientiæ bo-
næ, ad corroborandam spem suam, quæ
ex gratia ac meritis provenit, commemo-
rati sunt coram Deo suas justitias; sic ta-
men ut eas humiliter ac principaliter Deo
et gratiæ ejus adscripserint : quemadmo-
dum Ezechias, de quo quarto Regum re-
citatur : Oravit Ezechias dicens, Memento, IV *Reg.* XX, 2, 3; *Is.* XXXVIII, 2, 3.
Domine, quomodo ambulaverim coram te
in veritate et corde perfecto, et quod bo-
num est coram te fecerim.

Quia persecutus est inimicus animam 3
meam, humiliavit in terra vitam meam.

*Quia persecutus est inimicus animam
meam,* id est, adversarii mei visibiles aut
invisibiles, per tentationes, persecutiones,
insidias, insectati sunt me; *humiliavit in
terra vitam meam,* id est, viliter me tra-
ctavit, prostravit, et ad peccata me tra-
hendo, vilificavit meam conversationem;
vel etiam fuit occasio quod adversitatibus
pressus humiliavi me coram Deo, adscri-
bendo talia meis excessibus, vexatione in- *Is.* XXVIII, 19.
tellectum mihi præstante. Hæc et similia
justi ab impiis solent pati, et patienter
sufferre, ut primo fertur Machabæorum :
Abraham in tentatione fidelis inventus I *Mach.* II, 52, 53, 60.
est; Joseph in tempore angustiæ suæ cu-
stodivit mandatum; Daniel in simplicitate
sua liberatus est de ore leonum. Judith
quoque : Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, *Judith* VIII, 23.
et omnes qui Deo placuerunt, per multas
tribulationes transierunt fideles.

*Collocavit me in obscuris sicut mortuos
sæculi; et anxiatus est super me spiritus* 4
meus, in me turbatum est cor meum.

*Collocavit me in obscuris sicut mortuos
sæculi.* Præfati adversarii me spreverunt,
et inter vitiosos ac condemnatos reputave-
runt : sicut in alio scriptum est psalmo, *Ps.* LXXXVII, 5.
Æstimatus sum cum descendentibus in la-
cum; et item alibi, Lapsa est in lacum *Thren.* III, 53.

vita mea. *Et anxiatus est super me spiritus meus*, id est, ex consideratione tribulationum mearum consideravi peccata mea, et expavi tua judicia : quomodo rursus in Lamentationibus suis Jeremias propheta
Thren. III, 1. ait, Ego vir videns paupertatem meam in
Jonæ II, 8. virga indignationis tuæ ; et Jonas, Quum angustiaretur in me spiritus meus, Domini recordatus sum. Sic sapientes ad interiora sua convertuntur, et occulta Dei judicia expavescunt, atque in tribulationibus recurrunt ad Dominum. Propter quod ait
Prov. XXVIII, 14. Scriptura : Beatus homo qui semper est
Eccli. XVIII, 27. pavidus ; et rursus, Sapiens in omnibus
Baruch III, 1. metuit ; et Baruch, Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te, Domine. *In me turbatum est cor meum*, id est vehementer alteratum, compunctione, timore,
Job XXIII, 15. et admiratione : prout scriptum est, A facie Dei turbatus sum, et considerans eum,
Ibid. XX, 2. timore sollicitor ; rursus quoque, Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.

5 *Memor fui dierum antiquorum ; meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.*

Ad prudentem spectat recordari præterita, considerare præsentia, providere futura, sicque ex præteritis de præsentibus judicare, et futura conjicere. Pœnitens ergo sua attendens flagitia, reminiscitur ea quæ Deus ab exordio sæculi fecit
Gen. III. circa peccantes, quam districte primorum parentum transgressionem punivit, qua-
Ibid. VII. liter generale diluvium superinduxit pec-
Ibid. XIX. cantibus, quomodo subvertit Pentapolim,
Exod. VII-XIV; *Lev.* X ; *Num.* XIV, XVI, etc. ; *Josue* VI et seq. quam horrende punivit Ægyptios, peccantes quoque Israelitas in eremo, ac postmodum Chananæos ; atque ex horum consideratione attonitus, veretur occultum Dei judicium circa se. Verum ne desperet, meditatur non solum hæc justitiæ opera, sed in omnibus, id est in quibusdam de omnibus actibus misericordiæ Dei ; suam facit discurrere considerationem, qualiter Deus semper propitius pœniten-
Ps. LXXVI, 10. tibus exstitit, nec in ira sua misericordiam dereliquit, imo misericordiam suam

A contemperavit justitiæ, ita quod univer- *Ps.* XXIV, 10.
sæ viæ ejus fuerunt et sunt misericordia veritasque justitiæ : sic tamen quod mi- *Ps.* CXLIV, 9.
serationes ejus super omnia opera ejus, sicut et Jacobus ait : Superexaltat mise- *Jacob.* II, 13.
ricordia judicium. Sic et in alio scriptum est psalmo : Cogitavi dies antiquos, et an- *Ps.* LXXVI, 6.
nos æternos in mente habui. Ecclesiastes quoque : Si annis multis vixerit homo, *Eccle.* XI, 8.
reminisci debet tenebrosi temporis, et dierum multorum : qui quum venerint, vanitatis arguentur præterita.

B *Expandi manus meas ad te ; anima mea sicut terra sine aqua tibi.* 6

Expandi manus meas ad te. Hoc in officio Missæ corporaliter agit sacerdos, et unusquisque devotus facere potest, præcipue in secreto, in signum et commemorationem extensionis manuum et brachiorum Christi in cruce, qui ait in Psalmo : Clamavi ad te, Domine ; tota die expandi *Ps.* LXXXVII, 10.
ad te manus meas. Denique ex factis exterioribus, signis et repræsentationibus, excitatur anima ad pietatis et devotionis
C affectus. Hinc expansio manuum corporalium ad Deum, excitat animam ad sui ipsius elevationem in contemplationem, et oblationem qua se Creatori suo offert in holocaustum, ita quod tota fertur in ipsum, juxta illud in Psalmo : Elevatio ma- *Ps.* CXL, 2.
nuum mearum sacrificium vespertinum. Hæc igitur corporalis expansio, sicut et pectoris tunsio, et oculorum exteriorum in cœlum erectio, ad devotionem, humilitatem, compunctionem non modice confert. Ideo publicanus percussisse pectus *Luc.* XVIII, 13.
D suum legitur. Et apud Isaiam : Levate in *Is.* LI, 6.
excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Unde et Apostolus : Volo, ait, *I Tim.* II, 8.
viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Hinc et in Threnis profertur : Consurge, lauda in *Thren.* II, 19.
nocte, in principio vigiliarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui ; leva ad eum manus tuas, et miserebitur tui. Insuper spirituales manus, id est bonas operationes, debemus ad Deum expandere, id est cum devotio-

nis fervore ad ipsius gloriam ac honorem A peragere, atque in rectum ac debitum finem semper dirigere ac referre, quemadmodum docet Apostolus : *Coloss.* III, 17. Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi agite, gratias agentes Deo Patri per ipsum. *III Reg.* VIII, 22. Sic et legitur Salomon expansis manibus exorasse. Quod quanti vigoris sit, constat per illud Exodi : *Exod.* XVII, 11. Quum elevaret manus suas Moyses, vincebat Israel ; si autem paululum remisisset, vincebat Amalec.

Anima mea sicut terra sine aqua tibi : B id est, sicut terra sicca indiget pluvia, et eam suo modo desiderat, sine qua non valet fructificare ; sic anima mea ex se sterilis, defectuosa, pauperrima, tibi, o supergratiosissime Deus, inhiat atque intendit, quatenus eam cœlestibus pluviis, rore gratiæ, fluentis sapientiæ et scientiæ, caritatis ardore, irrigare, fecundare, inflammare digneris. Sic et in alio psalmo deponitur : *Ps.* LXII, 6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. *Is.* XXVI, 9. Et Isaias loquitur Deo : Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis. Denique hæc comparatio terræ ad pluviam, hominisque ad Deum, tangitur etiam alibi ab Isaia, *Ibid.* LV, 10, 11 ; *Hebr.* VI, 7. et ad Hebræos ab Apostolo. Sic itaque instar terræ jugiter adspiremus ad Dominum. Si quid devotionis et fecunditatis in actibus virtuosis, si lacrimas compunctionis aut sanctæ affectionis, præ desiderio claræ ac beatificæ visionis superessentialis Deitatis, aut ex suavissima complacentia et congratulatione superfelicissimæ Trinitatis senserimus, Deo humillime adscribamus. Nihil nisi peccare, deficere, aberrare, nobis ipsis attribuamus.

7 *Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus.*

Velociter exaudi me, Domine, quoniam incessanter indigeo, periculis undique vallor, adversariis atrocissimis indesinenter circumdor, *Ps.* CXVII, 12 et circumdederunt me sicut apes, exardescentes adversum me sicut ignis in spinis ; *defecit spiritus meus,* ex se non valens prævalere, imo nec diu resistere. Hinc cum sancto Job fateor : *Job* VI, 13. Ecce non est auxilium mihi in me. Tu ergo sine dilatione adjuva me, et conforta, qui per Osee prophetam dixisti : *Osee* XIII, 9. Perditio tua ex te, in me tantummodo auxilium tuum ; et per evangelistam Joannem, *Joann.* XV, 5. Sine me nihil potestis facere. Nam et Paulo testante, *Rom.* VIII, 26. Spiritus Sanctus adjuvat infirmitatem nostram. Merito sanctus doctor Thomas speciali devotione perfundebatur ac lacrimis, audiendo ac proferendo hunc versum : *Ps.* LXX, 9. Ne projicias me in tempore senectutis : B quum deficiet virtus mea, ne derelinquas me. Hinc hortatur Apostolus : *Ephes.* VI, 10. Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus.

Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.

Non avertas faciem tuam a me. Hoc quippe super omnes pœnas inferni, grave, pœnale et intolerabilissimum reor, a tuo superdulcissimo vultu repelli. Et sicut te super omnia toto corde diligere obligamur, *Matth.* XXII, 37. sic super omnia detestari C tenemur et abhorrere a tua rejici facie, contemni et relinqui a te, in quo solo tota nostra consistit felicitas : imo potius ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus. *Ps.* LXXIX, 4, 8, 20. *Et similis ero descendentibus in lacum :* id est, si a me faciem tuam, gratiosum pietatis tuæ adspectum, benignam adsistentiam tuam averteris, assimilabor impiis ac damnatis, qui juste relicti et abjecti a te, in profundum corruunt vitiorum, in lacum infernalium tormentorum. De quo in Ezechiele multa scribuntur. *Ezech.* XXXI, XXXII. D Lacus miseriæ, est consuetudo iniqua, carnalis et infima vita : ex quo extractum se gloriatur qui ait, *Ps.* XXXIX, 3. Eduxit me de lacu miseriæ et de luto fæcis. Interdum tamen lacus pro limbo patrum accipitur : de quo dicitur Christo, *Zach.* IX, 11. Tu quoque, in sanguine testamenti tui, eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Aliquando vero pro depressione pœnarum et afflictionum ac vilium sumitur servitutum, secundum illud in Threnis : *Thren.* III, 53. Lapsa est in lacum vita mea.

8 *Auditam fac mihi mane misericordiam* A
tuam, quia in te speravi.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, id est, cito fac me audire, percipere, experiri pietatis tuæ effectum, indulgentiam gratiosam, exauditionem optatam, ita ut misericordia tua præveniat me, permaneat mecum, et subsequatur me omnibus diebus vitæ meæ, sicque ex sententia, grata ac humili psallam mente : Adjutor meus, tibi psallam, quia tu, Deus, susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea; *quia in te*, Domine, *speravi*, et tu, B Deus, sperantes in te non relinquis : sicut de hoc nunc supra introducta sunt multa.

(*Ps.* LVIII, 11; XXII, 6. — *Ps.* LVIII, 18.)

Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Nonne David noverat viam salutis, de qua toties fuit locutus, Beati, dicens, immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, et multa similia? Cur ergo nunc orat, *Notam fac mihi*, Domine, *viam in qua ambulem*, id est, per quam ad æternam beatitudinem tendam? nisi quoniam acquisita doctrina et habitualis notitia C non sufficiunt nobis ad virtuose vivendum : imo indigemus indesinenter actuali directione Spiritus Sancti, illuminatione interna, discretionisque radio, ut omnia meritorie operemur cum debita discretione, recta intentione, et circumstantiis aliis, devia vitiorum vitantes, et omne obstaculum veræ salutis considerantes ac fugientes seu superantes, juxta quod scriptum est : In te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum. Præterea est via quæ videtur homini bona, sed novissima ejus ducunt ad mortem. Atque, ut denuo Salomon contestatur, Omnis viri via recta in oculis ejus. Ideo, ne sub specie boni fallamur, orare debemus ut notam nobis faciat viam vere virtuosam, non ficte justam apparenterque bonam, sicut in alio psalmo habetur : Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Unde in prima sua Canonica scribit Joannes : Unctio ejus docebit vos de omnibus. *Quia ad te levavi animam* D *meam*, id est, te ipsum mihi statui in ultimum finem ac summum bonum, te in omnibus cogitare, intendere, honorare propono; ad tuæ veritatis æternæ contemplationem, ad tuæ bonitatis immensæ sinceram dilectionem me præcingo, dispono, atque erigere nitor, qui alibi protestaris : Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis.

(*Ps.* CXVIII, 1. — *Ps.* XVII, 30. — *Prov.* XIV, 12. — *Ibid.* XXI, 2. — *Ps.* XXIV, 4. — I *Joann.* II, 27. — *Apoc.* I, 8; XXII, 13.)

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad 9
te confugi; doce me facere voluntatem 10
tuam, quia Deus meus es tu.

Pœnitens sui ipsius fragilitatem, defectuositatem insufficientiamque expertus ac intuens, hostium quoque suæ salutis numerositatem, calliditatem, fortitudinem et feritatem perpendens, sapienter ad Creatoris sui confugit auxilium, quatenus Deus dignetur ipsum ab illis eripere : dando sibi gratiam ac virtutes ad resistendum ac prævalendum, instruendoque eum qualiter sit reluctandum, aut a tentationibus præservando; et adversarios cohibendo, ne ipsum impugnent tam fortiter ac frequenter et callide sicut optant ac sciunt. Denique, quamvis hostes nostræ salutis dicantur et sint propria caro, id est concupiscentia carnis, et passiones immoderatæ, imo et propria voluntas improba et perversa, et mundus, hoc est vanitates mundanæ, prava consortia, et homines universi qui nos a Dei obsequio retrahere moliuntur; attamen hostes isti tam debiles sunt, ut dicat Apostolus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, hoc est contra invisibiles hostes. Quorum nonnullos de ordinibus Principatuum ac Potestatum probabile est fuisse et corruisse : contra quos nequaquam possemus sine speciali et magno Dei ac angelorum sanctorum, ac in primis, post Deum, beatissimæ Virginis, ac aliorum Sanctorum adjutorio, reniti ac prævalere. Ideo oportet nos indesinenter esse sollicitos, custoditos, timoratos, et Dei et Sanctorum auxilia implorantes; nec sic debe-

(I *Joann.* II, 16. — *Ephes.* VI, 12.)

mus velle ab his hostibus eripi, ut nos ipsi non resistamus, non laboremus, et quod in nobis est non faciamus, quum scriptum Jacob. IV, 7. sit : Resistite diabolo, et fugiet a vobis.

Debemus ergo resistere : Primo, per assiduas et ferventes orationes, quum dicat Matth. XXVI. 41. Salvator : Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Secundo, totam spem nostram in Deo et ejus auxiliis statuendo. Tertio, sacris meditationibus passionis dominicæ insistendo, et Christi passionem quotidie recolendo cordialiter et intente : ad condolendum, ad imitandum, ad gratias agendum quod tot et tanta pro nobis sustinuit; ad gloriandum quod nos tam fructuose redemit; ad inflammandum, ut ex consideratione tantæ suæ ad nos dilectionis, accendamur ejus amore; ad admirandum quod Deus noster tot et tanta pro nostra salvatione agere ac pati dignatus est. Quarto, pensando præsentis vitæ brevitatem, sæculi vanitatem, et quam periculosum sit temporaliter prosperari. Quinto, nostra novissima sapienter ac sæpe considerando, mortis discrimen, divini judicii districtionem, futuræ pœnæ acerbitatem, æternæ felicitatis jucunditatem. Sexto, exercendo nos strenue in omni virtute, potissime in illis virtutibus de quarum contrariis vitiis impugnamur. Si ita Rom. XVI. 20. egerimus, Deus conteret Satanam sub pedibus nostris velociter, ut ait apostolus Paulus. Hinc gloriosus princeps Apostolo- I Petr. V, 8, 9. rum hortatur : Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide.

Doce me facere voluntatem tuam, id est, illumina me, ut infallibiliter sciam ac prudenter considerem qualiter tuæ voluntatis præceptis, documentis, consiliis, debeam deservire, et juxta hoc effi- Jacob. IV, 17. caciter agam et vivam. Scienti enim et Ps. CX, 10. non facienti, peccatum est illi; intellectus vero bonus omnibus facientibus eum. Indigemus autem hac actuali illuminatione et motione Spiritus Sancti in omnibus, sicut nunc habitum est. *Quia Deus meus*

A *es tu,* id est, ut ideo tuam faciam voluntatem, ideo tibi obediam atque deserviam, quoniam tu es Deus meus; sicque ex sincero amore, non servili timore, non principaliter remunerationis intuitu, sed ob tuam dignitatem, honorabilitatem, et majestatem immensam, tibi totis viribus reverenter ac perseveranter deserviam : ut sim verus et purus tuæ bonitatis amator, non mercenarius, nec formidator servilis. Vel sensus est : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu,* id B est, ideo a te quæro ita doceri, quoniam tu solus principalis es collator omnium quæ necessaria sunt saluti, et salutaris sapientiæ dator, ac formatæ notitiæ actor. Ideo nullius alterius informatio sine tua illustratione sufficit ad salutem.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; propter nomen tuum, Do- 11
mine, vivificabis me in æquitate tua.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : id est, Spiritus Sanctus principaliter, seu spiritus angelicus mi- C nisterialiter, diriget me, ut spero; et precor ut dirigat ac perducat me in terram viventium, in regionem vivorum, ad triumphantem Ecclesiam, ad paradisum cœlestem; in qua est invincibilis omnium virtutum illi regioni convenientium soliditas, nulla vitiorum obliquitas, quia non Sap. VII, 25; intrabit in illam aliquid inquinatum. *Pro-* Apoc. XXI, 27. *pter nomen tuum,* id est propter tui ipsius bonitatem, et tuæ pietatis ac majestatis manifestationem, *vivificabis me in æquitate tua,* id est vitam gratiæ et profectum D virtutum tribues mihi in tua justitia, qua justum est et decens ut pœnitentibus teque invocantibus taliter facias, sicut et in Scripturis pollicitus es; vel, In æqui- Ezech. XVIII. tate tua, id est, in observationibus præceptorum tuorum, per quorum adimpletionem homo formaliter vivificatur et proficit, ac majora dona sortitur, quia in custodiendis illis retributio multa. Sine Ps. XVIII, 12. hac vita gratiæ, vivens vita naturæ mortuus perhibetur, dicente Christo : Dimitte Matth. VIII, 22. mortuos sepelire mortuos suos; et rursus,

Joann. VI, 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, A non habebitis vitam in vobis. Atque Apostolus : I Tim. V, 6. Vidua quæ in deliciis vivit, vivens mortua est.

Educes de tribulatione animam meam;
12 *et in misericordia tua disperdes inimicos meos.*

Educes de tribulatione animam meam. Raro aut nunquam deest justis tribulatio in hac vita. Nunc enim a visibilibus hostibus infestantur, nunc a dæmonibus impugnantur, nunc a carne, nunc a mundo gravantur. Interdum infirmi sunt corpore, B nunc ex capitis cerebrique defectu patiuntur molestias et apprehensiones phantasticas valde graves. Propter quod admonet Augustinus : Persevera usque in finem, quia tentatio durat in finem. Usque in quem finem? Donec finias vitam. Attamen interdum cessat eorum afflictio, saltem nonnulla, et usque ad tempus. Verum sapientes sic rogant educi et erui de una tribulatione, ut inde erepti, aliam mox exspectent. Post vitam quoque præsentem ultio sequitur gravior, quousque C universa peccata in electis penitus depurentur, etiam quantum ad reatum : quo facto, a tribulatione plenarie educuntur. Petit igitur pœnitens tribulationem suam mitigari, vel ad tempus suspendi, et tandem ab omnibus adversitatibus liberari, ne unquam in æternum damnetur. *Et in misericordia tua disperdes inimicos meos,* id est, variis modis illos perdes quoad esse malignitatis ipsorum, quantum ad hostes visibiles, invisibiles vero hostes penitus repellendo, et universos ab effectu intento D impediendo, sicque misericorditer mecum agendo. Et ita in libro Job legitur : Job V, 12. Deus dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Hinc quarto Regum loquitur Eliseus : IV Reg. VI, 16; II Par. XXXII, 7, 8. Ne timeas eos; plures enim nobiscum sunt quam cum eis : nobiscum enim est Dominus Deus noster.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam, id est, qui injuste me persequuntur et malitiose molestant, præsertim propter justitiam : quos damnabis nisi pœniteant; *quoniam ego servus tuus sum,* qui injuriam vindicas servorum tuorum, sicut in Evangelio legitur. Luc. XVIII, 7. Porro quod ait, Quoniam ego servus tuus sum, referri potest ad verbum illud, Perdes : et ita sensus est nunc inductus. Potest item referri ad verbum hoc, Tribulant, ut sit sensus : Illos perdes qui idcirco me tribulant, quoniam ego tibi deservio. Quod gravissimum est peccatum, et tamen id frequenter contingit, quum dicat Apostolus : Galat. I, 10. Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Unde et Christus suis prædixit discipulis : Matth. X, 22. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Discipulus quoque quem diligebat Jesus, in prima sua epistola : I Joann. III, 13. Nolite, inquit, mirari si odit vos mundus. Et ipsemet Dominus est locutus : Joann. XV, 19. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

In hoc ergo eventu non contristetur neque turbetur servus Christi fidelis, nisi de aliorum peccato; imo attendat quod Christus deprompsit : Matth. V, 11, 12. Beati estis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me : gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Qui autem tribulatur, hoc est, a suis superioribus corripitur atque corrigitur pro suis peccatis, nequaquam hoc ægre, sed gratanter accipere debet. Nam et hoc meritorium et salubre. Et ad Hebræos Apostolus dicit : Hebr. XII, 8. Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii estis. Ecce quam saluberrimum est æquanimiter pati aspera et adversa, et castigationem pro propriis culpis, præsertim propter justitiam. Talis quippe tribulatio valet ad vitiorum purgationem, ad gratiæ impetrationem, ad dominicæ passionis imitationem, ad evadendum futura supplicia,

ad obtinendum copiosius atque celerius A cœlestis patriæ gaudia sempiterna.

Ecce septem psalmorum pœnitentialium læta conclusio, ecce spiritualis lætitiæ exsultatio quam salutaris pœnitentiæ contristatio operatur. Unde qui nunc per pœnitentiam affligitur, tandem dicet :
Ps. XCIII, 19. Consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Itaque in his psalmis assidua devotione meditari debemus, exemplo beatissimi Augustini, de quo legitur quod ultima qua defunctus est infirmitate, hujusmodi psalmos de pœnitentia, quos sibi B jusserat scribi, jacens in lecto, contra parietem posito intuebatur, et ubertim ac jugiter flebat.

ORATIO. Da ergo mihi, Domine, hos quos pœnitentiales psalmos Ecclesia nominat, et a pœnitentibus tibi psallendos esse prædicat, tam digne ac devote, non solum ore sed corde pœnitendo psallere, ut per contristationem pœnitentiæ salutaris, exsultationem consequi valeam lætitiæ spiritualis, ut post salutarem pœnitentiam, tandem per spiritualem lætitiam exsultando di- C
Ps. CXLII, 10. cam : Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Da mihi, Domine, hunc septenarium pœnitentialium psalmorum esse remedium contra septenarium mortalium peccatorum, mihique esse auxilium ad septenarium virtutum principalium, ad septenarium donorum spiritualium, ad septenarium beatitudinum, ad septenarium denique petitionum in Oratione dominica contentarum. Da mihi, Domine, in horum psalmorum meditatione, timorem pœnæ, dolorem culpæ, spem veniæ, amorem cordialis munditiæ, desiderium cœlestis patriæ, diffidentiam virtutis propriæ, exsultationem denique spiritualis lætitiæ. De hoc enim septenario mentalium affectuum principaliter agitur in hoc septenario devotorum psalmorum. His septem affectibus, quasi septem scalæ pœnitentiæ gradibus, ad terram patriæ cœlestis ascenditur : quo me finaliter deduci et feliciter ascendere et tecum habitare perenniterque regnare, tu misericorditer præstare digneris, qui vivis et regnas in sæcula Deus sublimis et benedictus. Amen.

Hoc breve opusculum cum ingenti festinantia ex causa urgente compositum dignanter suscipiat Dominatio vestra præinclyta, reverendissime ac illustrissime Domine ac præceptor, ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS ENARRATIONUM IN SEPTEM PSALMOS PŒNITENTIALES

MONOPANTON

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. NICOLAO DE CUSA, SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI PRÆCLARO, ET NUNC SANCTÆ AC APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO DE LATERE PER ANGLIAM ATQUE ALMANIAM, PATRI AC PRÆCEPTORI SUO IN SINCERISSIMÆ CARITATIS VISCERIBUS CORDIALISSIME PRÆDILECTO, FRATER DIONYSIUS CARTUSIENSIS SUBJECTIONEM HUMILLIMAM, ET QUIDQUID SERVITUS ET ORATIO POTERUNT PECCATORIS [1].

OBTEMPERAVI et satisfeci, ut potui, præcepto ac desiderio Paternitatis vestræ piissimæ, Epistolas beatissimi Pauli apostoli quasi in unam redigendo epistolam; eaque loca ac verba contemperando et commiscendo, quæ amplius consonare, coincidere, et concordare videntur : et talibus specialia deputando capitula, proportionatosque titulos; ea quoque quæ in præfatis Epistolis sæpius continentur nec aliquid superaddunt sententiæ, quæ nec specialem vim aut sensum includunt (quæ tamen admodum pauca sunt), transiliendo; tangendo item in margine, quibus in locis Epistolarum S. Pauli habeantur apostoli. Interdum quoque verba semel habita repetita sunt breviter : vel propter introductionem sequentium, aut connexionem ad præcedentia; seu propter elucidationem ac fecunditatem sententiæ, vel pertinentiam ejus ad diversas materias. Verumtamen fateor opus hoc parvitatis meæ transcendere vires : quanquam invocato Spiritus Sancti auxilio ipsum aggressus sim, sciens a sanctis patribus obedientiam præcipue commendari, præsertim in religiosis, in tantum ut obedientia etiam indiscreta commendetur in ipsis. Denique hoc ipsum quod feci, vestræ præcellenti personæ, tanquam totius sapientiæ ac virtutum viro offero emendandum, atque si opus fuerit, corrigendum. Imo a vobis ipso oportebat tantum fieri opus, nisi sublimioribus et fructuosioribus occuparemini actibus, per quos estis sicut oliva fructifera in Ecclesia Dei, plurima reformando : quanquam multi in se ipsis ostendant quam veraciter scriptum sit : *Eccle.* I, 15.
Perversi difficile corriguntur.

[1] Hujus epistolæ necnon et totius *Monopanton* Codex autographus servatur in xenodochio Cusæ (Cues), prope Augustam Trevirorum, cui Nicolaus Cardinalis bibliothecam suam testamento reliquit. Videsis supra, in capite tomi primi, *fac-simile* quoddam epistolæ. Quæ autem fuerit inter Nicolaum Cardinalem et Dionysium nostrum amicitia, lege in libello cui titulus : *Dionysius der Karthäuser, sein Leben, sein Wirken... mit Autograph und Porträt,* paginarum 110, auctore D. A. Mougel (apud M. Hegner in Mülheim a. Ruhr, 1898).

MONOPANTON

SEU

REDACTIO OMNIUM EPISTOLARUM BEATI PAULI IN UNAM

CAPITULUM PRIMUM.

De verbis contentis in forma salutationum Epistolarum B. Pauli.

(a) PAULUS, servus Jesu Christi, vocatus apostolus : (b) non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem; (c) secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu ; (d) per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ quæ est in Christo Jesu ; (e) secundum fidem electorum Dei, et B agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est in spem vitæ æternæ : quam promisit qui non mentitur Deus, ante tempora sæcularia; manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei. (f) Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo : qui factus est ei ex semine David secundum carnem; qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum C Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri ; per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gen- A tibus, pro nomine ejus. (g) Sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco ipsorum, et nostro, (h) et fidelibus omnibus, (i) gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

(a) *Rom.* i, 1. (b) *Galat.* i, 1. (c) I *Tim.* i, 1. (d) II *Tim.* i, 1. (e) *Tit.* i, 1-3. (f) *Rom.* i, 1-5. (g) I *Cor.* i, 2. (h) *Ephes.* i, 1. (i) *Rom.* i, 7.

CAPITULUM II.

Gratiarum actio Pauli apostoli pro donis gratiæ collatis a Deo fidelibus.

(a) PRIMUM quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. (b) Ideo gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu : quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia : ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi. (c) Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. (d) Propterea et ego audiens fidem vestram quæ est in Christo

(a) *Rom.* i, 8. (b) I *Cor.* i, 4, 5, 7, 8. (c) II *Cor.* ix, 15. (d) *Ephes.* i, 15, 16.

NOTA. — Coloniensem præsertim editionem anni 1531, apud Petrum Quentel, secuti sumus.

Jesu, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis. (e) Hinc gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi, audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in omnes sanctos, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis. (f) Memores operis fidei vestræ, et laboris, et caritatis, et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum. (g) Gratias ergo agere debemus Deo semper pro vobis, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat caritas uniuscujusque in invicem. (h) Idcirco debemus gratias agere Deo pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus, et fide veritatis : in quam et vocavit vos per evangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.

(e) *Coloss.* I, 3-5.
(f) I *Thess.* I, 3.
(g) II *Thess.* I, 3.
(h) *Ibid.* II, 13, 14.

CAPITULUM III.

De orationibus Pauli pro suis discipulis.

(a) TESTIS mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos : id est, simul consolari in vobis, per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in ceteris gentibus. (b) Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis : non ut nos probati pareamus; sed ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus. Hoc et oramus, vestram consummationem. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis. Amen.

(a) *Rom.* I, 9-13.
(b) II *Cor.* XIII, 7, 9, 13.

(c) Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus : illuminatos habere oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in Sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credidimus, secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis. (d) Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur : ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per Spiritum ejus in interiori homine : habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum; scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

(c) *Ephes.* I, 17-20.
(d) *Ephes.* III, 14-19.

(e) In cunctis orationibus meis pro vobis cum gaudio deprecationem facio super communicatione vestra in Evangelio Christi, a prima die usque nunc. Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi : repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei. (f) Ideo non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spirituali ; ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati, cum gaudio gratias agentes Deo Patri. (g) Deus meus impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas in gloria, in Christo Jesu. Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu. (h) Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. Vos autem Dominus

(e) *Philipp.* I, 4, 5, 9-11.
(f) *Coloss.* I, 9-12.
(g) *Philipp.* IV, 19, 7.
(h) I *Thess.* III, 11-13.

multiplicet, et abundare faciat caritatem A vestram in invicem et in omnes, quemadmodum et nos in vobis : ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus
(i) I *Thess.* v, 23. Sanctis ejus. Amen. (i) Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.

(j) II *Thess.* I, 11, 12. (j) Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et im- B pleat omnem voluntatem bonitatis suæ, et opus fidei in virtute : ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundum gratiam Dei no-
(k) *Ibid.* II, 16, 17. stri et Domini Jesu Christi. (k) Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus Pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem æternam et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confir-
(l) *Ibid.* III, 5, 16. met in omni opere et sermone bono. (l) Et dirigat corda vestra in caritate Dei et patientia Christi. Et Dominus pacis det vobis C
(m) II *Tim.* I, 16-18. pacem in omni loco. (m) Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit ; sed quum Romam venisset, sollicite me quæsivit, et invenit. Et quanta Ephesi ministraverit mihi, tu melius nosti. Det illi Dominus invenire misericor-
(n) *Hebr.* XIII, 20, 21. diam a Domino in illa die. (n) Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus D voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se, per Christum Jesum : cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPITULUM IV.

De fide.

(a) *Rom.* I, 16, 17. (a) NON erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus ex fide vivit.
(b) Sicut Abraham credidit Deo, et repu- (b) *Rom.* IV, 3.
tatum est illi ad justitiam : qui contra *Ibid.* 18-24.
spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ est in littore maris. Et non est infirmatus in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, quum jam fere centum esset annorum, nec emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia ; sed confortatus est in fide, dans gloriam Deo. Et plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est et facere. Ideo et reputatum est illi ad justitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam ; sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit a mortuis Dominum nostrum Jesum Chri-
stum. (c) Justificati ergo ex fide, pacem (c) *Ibid.* V, 1, 2.
habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum : per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua stamus.

(d) Quid ergo dicemus ? Quod gentes (d) *Ibid.* IX, 30-33.
quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam : justitiam autem quæ ex fide est. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare ? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali ; et omnis qui crediderit in eum,
non confundetur. (e) Finis enim legis, (e) *Ibid.* X, 4-14, 17.
Christus, ad justitiam omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit : Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum ? id est Christum deducere ; aut, Quis descendit in abyssum ? hoc est Christum a mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura ? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo. Hoc est verbum fidei

quod prædicamus : quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum non confundetur. Non enim est distinctio Judæi et Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Ergo fides ex auditu est. (f) Tu fidem habes? Penes temetipsum habe coram Deo. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. (g) Justus enim meus ex fide vivit; quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

(f) *Rom.* xiv, 22, 23.
(g) *Hebr.* x, 38, 39.

(h) Nam fide statis. (i) Habentes eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum : et nos credimus, propter quod et loquimur; (j) audentes semper et scientes, quia dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. (k) Vos ipsos tentate si estis in fide; ipsi vos probate. (l) Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium : quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædixi, et nunc iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? Notum enim vobis facio, fratres, evangelium quod evangelizatum est a me : quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Jesu Christi. (m) Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, et Silvanum, et Timotheum, non fuit in illo Est et Non; sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei, sunt in illo Est. Ideo dicimus et per ipsum Amen Deo, ad gloriam nostram.

(h) *II Cor.* i, 23.
(i) *Ibid.* iv, 13.
(j) *Ibid.* v, 6, 7.
(k) *Ibid.* xiii, 5.
(l) *Galat.* i, 6-12.
(m) *II Cor.* i, 19-20.

(n) Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei. (o) Sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ : Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. (p) Nos spiritu ex fide, spem justitiæ exspectamus. Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per dilectionem operatur. (q) Gratia enim estis salvati per fidem; et hoc, non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur. (r) Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. (s) Sed non omnium est fides. (t) Si autem non credimus, Deus fidelis permanet : negare se ipsum non potest.

(n) *Galat.* ii, 20.
(o) *Ibid.* iii, 6-9, 25.
(p) *Ibid.* v, 5, 6.
(q) *Ephes.* ii, 8, 9.
(r) *Ibid.* iv, 5.
(s) II *Thess.* iii, 2.
(t) II *Tim.* ii, 13.

CAPITULUM V.

De definitione atque effectibus fidei.

(a) EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo : per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo; et per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Enoch translatus est, ne videret mortem. Et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Ante translationem

(a) *Hebr.* xi, 1-6.

enim testimonium habebat placuisse Deo. A Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.

Hebr. xi, 7-12. Fide Noe, responso accepto de his quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum ; et justitiæ quæ per fidem est, heres est institutus. Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire quem accepturus erat in hereditatem. Et exiit, nesciens quo iret. Fide demoratus B est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac et Jacob coheredibus repromissionis ejusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem cujus artifex et conditor Deus. Fide et ipsa Sara sterilis, virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat. Propter quod ab uno orti sunt (et hoc emortuo) tanquam sidera cœli in multitudine, et sicut arena quæ est ad oram maris, in- C numerabilis.

Ibid. 17-31. Fide obtulit Abraham Isaac, quum tentaretur ; et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est, Quia in Isaac vocabitur tibi semen : arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus, unde et eum in parabolam accepit. Fide et de futuris benedixit Isaac Jacob et Esau. Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit, et adoravit fastigium virgæ ejus. Fide Joseph moriens de profectione filiorum Israel D memoratus est, et de ossibus suis mandavit. Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum. Fide Moyses grandis effectus, occidit Ægyptium, considerans dolorem fratrum suorum. Fide Moyses grandis effectus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis : magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Adspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis. Invisibilem enim tanquam videns sustinuit. Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusionem : ne qui vastabat primogenita, tangeret eos. Fide transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram : quod experti Ægyptii devorati sunt. Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

Et quid adhuc dicam ? Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephthe, David, Samuel, et aliis Prophetis : qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem : Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. *Hebr.* xi, 32-35, 39, 40.

CAPITULUM VI.

De spe.

(a) SPES non confundit. (b) Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat ? Si autem quæ non videmus speramus, per patientiam exspectamus. (c) Spe gaudentes. (d) Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti. (e) Non simus confidentes in nobis, sed

(a) *Rom.* v, 5. (b) *Ibid.* viii, 24, 25. (c) *Ibid.* xii, 12. (d) *Ibid.* xv, 4, 13. (e) II *Cor.* i, 9.

(f) II Cor. in Deo, qui suscitat mortuos. (f) Fiduciam A
III, 4, 5, 12. autem talem habemus per Christum ad
Deum : non quod sufficientes simus co-
gitare aliquid a nobis, quasi ex nobis,
sed sufficientia nostra ex Deo est. Ha-
bentes igitur talem spem, multa fiducia
(g) Ephes. utimur. (g) Nam in Christo habemus fidu-
III, 12. ciam et accessum in confidentia per fidem
ejus.

(h) Philipp. (h) Ideirco in omni fiducia magnificabi-
I, 20, 21. tur Christus in corpore meo, sive per vi-
tam, sive per mortem. Mihi enim vivere
(i) Coloss. Christus est, et mori lucrum. (i) Propter B
I, 5. spem quæ reposita est vobis in cœlis,
quam audistis in verbo veritatis Evange-
(j) Philipp. lii. (j) Unde etiam Salvatorem exspecta-
III, 20, 21. mus Dominum nostrum Jesum Christum,
qui reformabit corpus humilitatis nostræ,
configuratum corpori claritatis suæ, se-
cundum operationem qua possit etiam sibi
(k) I Cor. subjicere omnia. (k) Quoniam debet in spe
IX, 10. qui arat, arare; et qui triturat, in spe fru-
(l) I Tim. ctus percipiendi. (l) Fidelis sermo, et om-
IV, 9. ni acceptione dignus. In hoc enim labora-
mus et maledicimur, quia speramus in C
Deum vivum : qui est Salvator omnium
hominum, maxime fidelium.

(m) Hebr. (m) Spem itaque sicut ancoram habemus
VI, 19. animæ tutam ac firmam, et incedentem
(n) Ibid. x, usque ad interiora velaminis. (n) Habentes
19-23. itaque, fratres, fiduciam in introitu San-
ctorum in sanguine Christi, qui initiavit
nobis viam novam et viventem per vela-
men, id est per carnem suam, et sacerdo-
tem magnum super domum Dei : acceda-
mus cum corde vero, in plenitudine fidei,
adspersi corda a conscientia mala, et abluti D
corpus aqua munda; teneamus spei no-
stræ confessionem indeclinabilem. Fidelis
(o) Ibid. XIII, enim est, qui repromisit. (o) Confidimus
18. autem, quia bonam conscientiam habe-
mus in omnibus bene volentes conversa-
(p) Ibid. x, ri. (p) Nolite itaque amittere confidentiam
35. vestram, quæ magnam habet remunerati-
(q) Ibid. IV, onem. (q) Adeamus ergo cum fiducia ad
16. thronum gratiæ, ut misericordiam conse-
quamur, et gratiam inveniamus in auxilio
opportuno.

CAPITULUM VII.

De caritate.

(a) CARITAS Dei diffusa est in cordibus (a) Rom. v,
nostris per Spiritum Sanctum, qui 5.
datus est nobis. (b) Scimus quoniam dili- (b) Ibid. VIII,
gentibus Deum omnia cooperantur in bo- 28.
num, his qui secundum propositum vocati
sunt sancti. Quis ergo nos separabit a ca- Ibid. 35-39.
ritate Christi? tribulatio? an angustia? an
fames? an nuditas? an persecutio? an pe-
riculum? an gladius? Sicut scriptum est :
Quoniam propter te mortificamur tota die,
æstimati sumus ut oves occisionis. Sed
in his omnibus superamus propter eum
qui dilexit nos. Certus sum enim quia
neque mors, neque vita, neque angeli,
neque principatus, neque virtutes, neque
instantia, neque futura, neque fortitudo,
neque altitudo, neque profundum, neque
creatura alia poterit nos separare a cari-
tate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino
nostro.

(c) Nemini quidquam debeatis, nisi ut (c) Ibid. XIII,
invicem diligatis. Qui enim diligit proxi- 8-10.
mum, legem implevit, nam, non adultera-
bis, non occides, non furaberis, non falsum
testimonium dices, non concupisces; et si
quod aliud est mandatum, in hoc verbo
instauratur : Diliges proximum tuum sic-
ut te ipsum. Dilectio proximi malum non
operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.
(d) Dilectio sine simulatione; caritatem (d) Ibid. XII,
fraternitatis invicem diligentes; spiritu 9-11.
ferventes. (e) Qui autem adhæret Domino, (e) I Cor. VI,
unus spiritus est. (f) Si quis diligit Deum, 17. (f) Ibid. VIII,
hic cognitus est ab eo. Scientia inflat, ca- 3.
ritas vero ædificat. (g) Nemo quod suum Ibid. 1. (g) Ibid. x,
est quærat, sed quod alterius. 24.

(h) Adhuc excellentiorem viam vobis de- (h) Ibid. XII,
monstro. (i) Si linguis hominum loquar 31. (i) Ibid. XIII,
et angelorum, caritatem autem non habe- 1-8, 13.
am, factus sum velut æs sonans, aut cym-
balum tinniens. Et si habuero prophetiam,
et noverim mysteria omnia, et omnem
scientiam, et si habuero omnem fidem ita
ut montes transferam, caritatem autem

non habeam, nihil sum. Et si distribuero A in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Caritas patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur; non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum ; non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, B sive scientia destruetur. Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc ; major autem horum est caritas.

(j) Sectamini caritatem. (k) Et omnia vestra in caritate fiant. Salutate invicem in osculo sancto. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maranatha. Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. (l) Os nostrum patet ad vos; cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis; angustiamini autem in visceribus vestris ; eamdem au- C tem remunerationem habentes, tanquam filiis dico, dilatamini et vos. (m) Ostensionem ergo quæ est caritatis vestræ, et gloriæ nostræ pro vobis, in illos ostendite in faciem Ecclesiarum. (n) Æmulor enim vos Dei æmulatione. (o) Per caritatem autem servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. (p) Estote ergo imitatores Dei sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblatio- D nem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

(q) Super omnia autem caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. (r) De caritate autem fraternitatis non necesse habuimus scribere vobis. Ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem. Etenim facitis illud in omnes fratres. (s) Finis autem præcepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta; a quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium. (t) Itaque consideremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum : non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes : et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. (u) Caritas fraternitatis maneat in vobis. (v) Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.

(j) I Cor. XIV, 1. — (k) Ibid. XVI, 14. 20, 22, 24. — (l) II Cor. VI, 11-13. — (m) Ibid. VIII, 24. — (n) Ibid. XI, 2. — (o) Galat. V, 13, 14. — (p) Ephes. V, 1. — (q) Coloss. III, 14. — (r) I Thess. IV, 9, 10. — (s) I Tim. I, 5, 6. — (t) Hebr. X, 24, 25. — (u) Hebr. XIII, 1. — (v) Philipp. II, 4.

CAPITULUM VIII.

De timore.

(a) NOLI altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. (b) Nam et principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Fac bonum, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malefeceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.

(c) Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate quæ est in Christo. (d) Timeo enim ne forte quum venero, non quales volo inveniam vos; et ego inveniar a vobis, qualem non vultis : ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos; ne iterum quum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia quam gesserunt. (e) Timeo vos, ne sine causa laboraverim in vobis. (f) Itaque, carissimi, cum metu et tremore vestram salutem operamini. (g) Nam et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos.

(h) Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem Dei, existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim et nobis annuntiatum est, quemadmodum et illis. (i) Voluntarie enim peccantibus no-

(a) Rom. XI, 20, 21. — (b) Ibid. XIII, 3, 4. — (c) II Cor. XI, 3. — (d) Ibid. XII, 20, 21. — (e) Galat. IV, 11. — (f) Philipp. II, 12. — (g) I Cor. II, 3. — (h) Hebr. IV, 1, 2. — (i) Ibid. X, 26-28, 29, 31.

bis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Irritam enim quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Horrendum est incidere in manus Dei viventis.
(j) *Hebr.* XII, 28. (k) *Ephes.* V, 21.
(j) Itaque serviamus Deo cum metu et reverentia. (k) Subjecti invicem in timore Dei.

CAPITULUM IX.

De humilitate et contra superbiam.

(a) *Rom.* XII, 3, 10, 16, 19.
(a) DICO enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Honore invicem prævenientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ.
(b) *Galat.* V, 26.
(b) Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.
(c) *Philipp.* II, 3, 5, 7.
(c) Nihil per contentionem neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens.
(d) *Galat.* VI, 3.
(d) Nam si quis existimat se aliquid esse quum nihil sit, ipse se seducit.
(e) I *Cor.* VIII, 1, 2.
(e) Scientia inflat. Si quis autem existimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.
(f) I *Tim.* VI, 3-5.
(f) Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæ-

A stum esse pietatem.
(g) I *Cor.* IV, 18-20.
(g) Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito (si Dominus voluerit), et cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.

CAPITULUM X.

De patientia et tribulationibus justorum ac electorum.

B

(a) *Rom.* V, 3, 4.
(a) GLORIAMUR in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.
(b) *Ibid.* XII, 14, 17, 19, 21.
(b) Benedicite persequentibus vos; benedicite et nolite maledicere. Nulli malum pro malo reddentes. Scriptum est enim : Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

(c) I *Cor.* IV, 12, 13.
(c) Maledicimur, et benedicimus; perse-
C cutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.
(d) II *Cor.* IV, 8-12.
(d) In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus : semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos qui vivimus, in mortem
D tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.
(e) *Ibid.* VI, 4, 5, 8-10.
(e) Itaque in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam : ut seductores, et veraces; sicut qui ignoti, et cogniti; quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati, et non

mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.

(f) Ephes. III, 13. (f) Propter quod obsecro ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria nostra. (g) I Thess. I, 6-8. (g) Et vos imitatores nostri facti estis et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti: ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et Achaia, sed in omni loco. (h) Philipp. I, 28-30. (h) Et hoc a Deo, quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes quale et vidistis in me, et nunc audistis de me. (i) II Cor. XI, 19, 20. (i) Libenter enim suffertis insipientes, quum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.

(j) I Thess. II, 1, 2, 9, 14. 15. (j) Nam et ipsi scitis introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit; sed ante passi et contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. Memores enim estis, fratres, laboris nostri et fatigationis: nocte ac die laborantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. Vos enim imitatores facti estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa, quia eadem passi estis vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis, qui et Dominum occiderunt et Prophetas, et nos persecuti sunt. (k) Ibid. III, 4. (k) Nam et quum apud vos essemus, prædicebamus passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis. (l) Ibid. V, 14. 15. (l) Patientes ergo estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes. (m) II Tim. III, 12. (m) Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur.

(n) Hebr. X, 32-34. (n) Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen

A sustinuistis passionum: et in altero quidem, opprobriis et tribulationibus spectaculum facti; in altero autem, socii taliter conversantium effecti. Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. (o) Ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra et fide in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus quas sustinetis, in exemplum justi judicii Dei: ut digni B habeamini in regno Dei, pro quo et patimini. (p) Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. (o) II Thess. I, 4, 5. (p) Hebr. X, 36.

(q) Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti sunt, insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: qui- C bus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ. (r) Ideoque et nos tantam habentes impositam nobis nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum: qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet. Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus D adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes. Et obliti estis consolationis quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina Domini perseverate: tanquam filiis offert se vobis Deus. Quis enim filius quem non (q) Ibid. XI, 35-38. (r) Ibid. XII, 1-8.

corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes : ergo adulteri et non filii estis. (s) Exeamus ergo ad Jesum extra castra, improperium ejus portantes.

(s) Hebr. XIII, 13.

(t) Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos : quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo ; nos infirmi, vos autem fortes ; vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. (u) Non enim volumus vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia : quoniam super modum gravati sumus et supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed et ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut simus fidentes in Deo. (v) Nam et quum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus : foris pugnæ, intus timores.

(t) I Cor. IV, 9-13.
(u) II Cor. I, 8.
(v) Ibid. VII, 5.

CAPITULUM XI.

De justitia.

(a) REDDITE ergo omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. (b) Probaverunt enim Macedonia et Achaia collectionem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis.

(a) Rom. XIII, 7, 8.
(b) Ibid. XV, 26, 27.

(c) Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? Non sit tibi curæ ; sed etsi potes liber fieri, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. Similiter qui vocatus est liber, servus est Christi. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. Unusquisque in quo vocatus est, in hoc maneat apud Deum. (d) Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus ; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur. (e) Ideo unumquemque sicut Deus vocavit, ita ambulet, et sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. Circumcisio enim nihil est, et præputium nihil est ; sed observatio mandatorum Dei.

(c) I Cor. VII, 20-24.
(d) Rom. XIV, 7-9.
(e) I Cor. VII, 17-19.

(f) Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc est : Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas? Aut solus ego et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte ejus non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysis : Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An non propter nos hæc dicit? Nam propter nos utique scripta sunt. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate ; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt ; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me. Bonum

(f) Ibid. IX, 3-18.

est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria : necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.

(g) II *Cor.* VI, 14-18. (g) Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo; et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis. Et ego recipiam vos; et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Deus omnipotens.

(h) *Ibid.* IX, 6, 7. (h) Hoc autem dico : Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.

(i) *Ibid.* VIII, 12-15. (i) Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat : ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est : Qui multum habuit, non abundavit; et qui modicum, non minoravit.

(j) *Ibid.* XIII, 10. (j) Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem. *Ibid.* 8. Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. *Ibid.* 2, 3. Prædixi enim et prædico, ut præsens, et nunc absens, iis qui ante pecca-

A verunt, et ceteris omnibus : quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus.

(k) *Galat.* VI, 4, 5, 7, 8. (k) Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. Unusquisque enim onus suum portabit. Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.

B (l) *Ephes.* V, 7. (l) Nolite effici participes eorum. (m) I *Thess.* IV, 6. (m) Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum : quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis et testificati sumus. (n) *Coloss.* III, 25. (n) Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit.

(o) I *Tim.* V, 8. (o) Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. (p) II *Tim.* II, 4-6. (p) Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. Nam et C qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. *Ibid.* 11, 12. Fidelis sermo : nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinemus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos. *Ibid.* 15. Sollicite autem cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. (q) *Tit.* III, 8. (q) Fidelis sermo. Et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. *Ibid.* 10. Hæreticum hominem, post D unam et secundam correptionem, devita : sciens quia subversus est, qui hujusmodi est, et delinquit, proprio judicio condemnatus.

(r) *Hebr.* VI, 4-8. (r) Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilo minus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. Terra

enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas et tribulos, reproba est, et maledicto proxima : cujus consummatio in combustionem. (s) *Hebr.* XII, 12. (s) Propter quod, remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. (t) *Rom.* VI, 18, 20. (t) Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ. Quum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.

CAPITULUM XII.

De prudentia, et vitio imprudentiæ.

(a) *Rom.* VIII, 5-7. (a) QUI secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est ; prudentia autem spiritus, vita et pax. Sapientia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. (b) I *Cor.* II, 14, 15. (b) Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi; et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. (c) *Ibid.* X, 12. (c) Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. (d) *Ibid.* XI, 2. (d) Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis. (e) *Ibid.* XIV, 40. (e) Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant in vobis. (f) *Rom.* XII, 1. (f) Et rationabile obsequium vestrum. (g) II *Cor.* X, 7. (g) Quæ secundum faciem sunt, videte. (h) *Ibid.* XIII, 5, 6. (h) An non cognoscitis vosmetipsos, quia Jesus Christus in vobis est? nisi forte reprobi sitis. Spero autem quod cognoscetis quia nos non sumus reprobi. (i) *Galat.* VI, 11. (i) Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu. (j) *Ephes.* V, 15-17. (j) Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes ; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.

A (k) Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. (k) *Coloss.* II, 8, 18-23. Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum quæ non vidit, ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ; et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei. Si mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc B tanquam viventes in mundo decernitis ? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis : quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum; quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. (l) *Ibid.* IV, 5-9. (l) In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos C unicuique respondere. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater, et fidelis minister et conservus in Domino : quem misi ad vos in hoc ipsum ut cognoscat quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra, cum Onesimo carissimo et fideli fratre, qui est ex vobis : qui omnia quæ hic aguntur nota facient vobis. *Ibid.* 16-18. Et quum lecta fuerit apud vos epistola, facite ut in Laodicensium Ecclesia legatur; et eam quæ Laodicensium est, vos legatis. Et dicite Archippo : Vide mi- D nisterium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Memores estote vinculorum meorum.

(m) I *Thess.* III, 2, 5-8. (m) Et misimus Timotheum, fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos et exhortandos pro fide vestra. Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendum fidem vestram : ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem et caritatem

vestram, et quia memoriam nostri habe- A
tis bonam, semper desiderantes nos videre, sicut nos quoque vos. Ideo consolati sumus in vobis, in omni necessitate et tribulatione nostra, per fidem vestram : quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino.

(n) I *Tim.* VI, 20, 21. (n) O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.
(o) II *Tim.* I, 13, 14. (o) Formam habens sanorum verborum, quæ a me audisti, in fide et dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.
(p) *Ibid.* II, 2, 7. (p) Et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere. Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.
(q) *Ibid.* III, 13-15. (q) Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes. Tu vero permane in his quæ didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris; et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te C
possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu.

(r) *Hebr.* III, 1. (r) Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et
Ibid. 12, 13. pontificem confessionis nostræ Jesum. Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo ; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.
(s) *Ephes.* V, 6. (s) Nemo vos seducat inanibus verbis.
(t) *Rom.* XII, 17. (t) Providentes bona non D
tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

CAPITULUM XIII.

De sapientia, et insipientiæ culpa.

(a) *Rom.* I, 20. (a) INVISIBILIA Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.
(b) *Rom.* I, 22. (b) Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.
(c) *Ibid.* XVI, 19. (c) Sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.
(d) I *Cor.* I, 17-25. (d) Misit me Christus evangelizare : non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens ? ubi scriba ? ubi conquisitor hujus sæculi ? Nonne stultam
B fecit Deus sapientiam hujus mundi ? Nam, quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam : quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum
C est Dei, fortius est hominibus. *Ibid* 30, 31. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio : ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur.

(e) *Ibid.* II, 6-8, 10-13, 16. (e) Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam autem non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam
D nostram : quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso ? Ita et quæ sunt Dei, nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : quæ

et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Christi habemus. [(f) I *Cor.* III, 18-20.] (f) Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens : sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum : Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. [(g) *Ibid.* XIV, 38.] (g) Si quis autem ignorat, ignorabitur.

[(h) II *Cor.* III, 18.] (h) Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. [(i) *Ibid.* IV, 6, 7, 16, 18.] (i) Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Jesu Christi. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. Propter quod non deficimus. Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem : non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. [(j) *Ibid.* V, 16.] (j) Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.

[(k) *Ephes.* I, 8-10.] (k) Gratia enim Dei superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in ipso. [(l) *Ibid.* III, 1-11.] (l) Hujus rei gratia, ego Paulus, vinctus Jesu Christi pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi in vobis : quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum; prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in Spiritu : gentes esse coheredes et concorporales, et comparticipes promissionis in Christo Jesu per Evangelium : cujus factus sum ego minister, secundum donum gratiæ Dei quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. Mihi enim omnium sanctorum minimo, data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.

(m) Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi. [(m) *Philip.* III, 8.] (n) Cujus Evangelium prædicatum est in universa creatura quæ sub cœlo est : cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei quæ data est mihi in vobis, ut impleam verbum Dei : mysterium quod absconditum fuit a sæculis, et a generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos vobis annuntiamus : corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu : in quo et laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute. [(n) *Coloss.* I, 23, 25-29.] (o) Ut consolentur instructi in caritate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris, et Domini nostri Jesu Christi. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus quæ in Christo est fidei vestræ. [(o) *Ibid.* II, 2, 4, 5.] [(p) *Ibid.* III, 16.] (p) Ver-

bum Christi habitet in vobis abundanter A
in omni sapientia.

(q) II *Tim.* II, 16-19. (q) Profana autem et vaniloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem. Et sermo illorum ut cancer serpit. Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem jam factam, et subverterunt quorumdam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus ; et discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen
(r) *Ibid.* III, 8-10. Domini. (r) Quemadmodum Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt B
veritati : homines corrupti mente, reprobi circa fidem ; sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit, sicut et illorum fuit. Tu autem assecutus
Ibid. 14, 16, 17. es meam doctrinam. Tu vero permane in his quæ didicisti. Omnis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

CAPITULUM XIV.

De obedientia.

(a) *Rom.* III, 19. (a) SCIMUS autem quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, et
(b) *Ibid.* V, 19. subditus fiat omnis mundus Deo. (b) Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam, justi constituentur
(c) *Ibid.* VI, 16, 17. multi. (c) An nescitis quoniam cui exhibuistis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedistis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam ? Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi estis.
(d) *Ibid.* XIII, 1, 2, 5, 6. (d) Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit ; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.
(e) Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. (e) *Rom.* XVI, 19.

(f) Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ et Fortunati et Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, et in ministerium sanctorum ordinaverunt semetipsos : ut et vos subditi sitis ejusmodi, et omni cooperanti et laboranti. Cognoscite ergo qui ejusmodi sunt. (f) I *Cor.* XVI, 15, 16, 18.
(g) Viscera Titi abundantius in vos sunt, reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore et tremore excepistis eum. (g) II *Cor.* VII, 15.
(h) O insensati Galatæ ! quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, et in vobis crucifixus ? (h) *Galat.* III, 1.
(i) Currebatis bene : quis vos impedivit veritati non obedire ? Nemini consenseritis. Persuasio hæc non est (i) *Ibid.* V, 7-9.
C ex eo qui vocat vos. Modicum fermentum totam massam corrumpit.
(j) Itaque, carissimi mei, sicut semper obedistis, non in præsentia mea tantum, sed multo magis nunc in absentia mea. (j) *Philipp.* II, 12.
(k) Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum Sanctum suum in nobis. (k) I *Thess.* IV, 2, 8.
(l) Ideo, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram. (l) II *Thess.* II, 15.
(m) Confidi- (m) *Ibid.* III, 4, 14, 15.
D mus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcepimus, et facitis et facietis. Quod si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate ; et ne commisceamini cum illo, ut confundatur ; et nolite sicut inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.

(n) Hoc præceptum commendo tibi, fili mi Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam : quam quidam repellentes circa fidem (n) I *Tim.* I, 18-20.

naufragaverunt. Ex quibus est Hymenæus A et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. (o) I *Tim.* iv, 11, 12. (o) Præcipe hæc et doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat. (p) *Ibid.* v, 17, 18. (p) Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti ; et : Dignus est operarius mercede sua. *Ibid.* 21. Testor coram Deo et Jesu Christo et electis angelis ejus, ut hæc custodias, sine præjudicio nihil faciens in aliam partem declinando. (q) *Ibid.* vi, 13, 14. (q) Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi.

(r) *Tit.* i, 10-14. (r) Sunt enim multi inobedientes, et vaniloqui, et seductores, maxime qui de circumcisione sunt : quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex eis proprius eorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate. (s) *Ibid.* ii, 15. (s) Hæc loquere et exhortare et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. (t) *Ibid.* iii, 1, 2. (t) Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, et ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. (u) *Philem.* 8, 9, 21. (u) Multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter caritatem magis obsecro. Confidens de obedientia tua scripsi tibi : sciens quoniam et super id quod dico, facies.

(v) *Hebr.* ii, 1-3. (v) Propterea abundantius nos observare oportet ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem : quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem ? (w) *Hebr.* v, 8. (w) Christus quum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam ; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. (x) *Ibid.* xii, 9, 10. (x) Deinde patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos. Non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus ? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, B secundum voluntatem suam erudiebant nos ; hic ad id quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus. *Ibid.* 25-27. Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur : multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis avertimus. Cujus vox movit terram tunc, nunc autem repromittit, dicens : Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum. Quod autem Adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem, tanquam factorum, C ut maneant ea quæ sunt immobilia. (y) I *Cor.* xi, 2. (y) Laudo autem vos, fratres, quod sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.

CAPITULUM XV.

De pietate et misericordia.

(a) *Rom.* xii, 15, 20. (a) GAUDETE cum gaudentibus, flete cum flentibus. Si esurit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi. D Hæc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. (b) *Ibid.* xiv, 1. (b) Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. (c) *Ibid.* xv, 1, 3, 7. (c) Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, et non nobis placere. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Propter quod suscipite invicem, sicut Christus suscepit vos, in honorem Dei. (d) *Ibid.* 26. (d) Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in

pauperes sanctorum qui sunt in Jerusa- A
(e) *Rom.* lem. (e) Commendo autem vobis Phœben
xvi, 1, 2. sororem nostram, quæ est in ministerio
Ecclesiæ quæ est Cenchris : ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, et adsistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit. Etenim ipsa quoque adstitit multis, et mihi ipsi.

(f) I *Cor.* (f) De collectis autem quæ fiunt in san-
xvi, 1-4. ctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite per unam sabbati. Unusquisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non, quum ve- B nero, tunc collectæ fiant. Quum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Quod si dignum fuerit
Ibid. 10, 11. ut et ego eam, mecum ibunt. Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos : opus enim Domini operatur, sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat ; deducite autem illum in pace, ut
Ibid 17, 18. veniat ad me. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, et Fortunati, et Achaici : quoniam id quod vobis deerat ipsi suppleve- C runt : refecerunt enim et meum spiritum
(g) II *Cor.* et vestrum. (g) Si quis autem contristavit,
ii, 5-11. non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem omnes vos. Sufficit illi qui ejusmodi est objurgatio hæc quæ fit a pluribus : ita ut econtrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum caritatem. Ideo enim scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem D aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi : ut non circumveniamur a Satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus.

(h) *Ibid.* viii, (h) Et ego secundum virtutem testimo-
3-8. nium Ecclesiis Macedoniæ reddo, quia supra virtutem voluntarii fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam et communicationem ministerii quod fit in sanctos. Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei : ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita et perficiat in vobis gratiam istam. Sed sicut in omnibus abundatis, fide, et sermone, et scientia, et omni sollicitudine, insuper et caritate vestra in nos : ut et in hac gratia abundetis. Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem etiam vestræ caritatis ingenium bonum comprobans. Et consilium in
hoc do. Hoc enim vobis utile est, qui non II *Cor.* viii,
solum facere, sed et velle cœpistis ab 10, 11.
anno priore. Nunc autem et facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo
quod habetis. Gratias autem Deo, qui de- *Ibid.* 16-23.
dit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi : quoniam sua voluntate profectus est ad vos. Misimus autem cum eo fratrem cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias : non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hac gratia quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam et destinatam voluntatem nostram : devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ ministratur a nobis. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Misimus cum illis fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse ; nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos, sive pro Tito qui est socius meus et in vobis adjutor, sive fratres nostri Apostoli Ecclesiarum gloriæ Dei.

(i) Nam de ministerio quod fit in san- (i) *Ibid.* ix,
ctos, ex abundanti est mihi scribere vo- 1-5.
bis. Scio enim promptum animum vestrum : pro quo de vobis glorior apud Macedones, quoniam et Achaia parata est ab anno priore, et vestra æmulatio provocavit plurimos. Misimus autem fratres, ne quod gloriamur pro vobis, evacuetur in hac parte, ut quemadmodum dixi, parati sitis : ne quum venerint mecum Macedones, et invenerint vos imparatos, erubescamus nos, ut non dicamus vos, in

hac substantia. Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, et præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse : sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam. (II Cor. IX, 12-14.) Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multos in gratiarum actione in Domino per probationem ministerii hujus, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Evangelio Christi, in simplicitate communicationis in illos et in omnes, et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. (j) Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ ; sed et supportate me.

(j) Ibid. XI, 1.

(k) Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. (l) Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut Deus in Christo donavit vobis.

(k) Galat. VI, 2, 6, 1.
(l) Ephes. IV, 28, 32.

(m) Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem, et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos : quoniam quidem omnes vos desiderabat, et mœstus erat propterea quod audieratis illum infirmatum. Nam et infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est ejus ; non solum autem ejus, verum etiam mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi in honore habetote, quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

(m) Philip. II, 25-30.

(n) Etiam rogo te, Germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente et ceteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. (Ibid. 10, 11.) Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis : occupati enim eratis. Non quasi propter penuriam dico : ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. (Ibid. 14-18.) Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ. Scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli : quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Habeo autem omnia et abundo ; repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, Deo placentem.

(n) Philipp. IV, 3.

(o) Rogamus autem vos, fratres, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos. (p) Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius : quia ministrastis sanctis, et ministratis. Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem. (q) Nam et vinctis compassi estis. (r) Hospitalitatem autem nolite oblivisci : per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti ; et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes. (Ibid. 16.) Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus. (Ibid. 22.) Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. (s) Exerce autem te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est ; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.

(o) I Thess. V, 14.
(p) Hebr. VI, 10, 11.
(q) Ibid. X, 34.
(r) Ibid. XIII, 2, 3.
(s) I Tim. IV, 7, 8.

CAPITULUM XVI.

De temperantia et sobrietate, et corporis castigatione.

(a) Rom. VIII, 12, 13. (a) FRATRES, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis (b) Ibid. XII, 1. mortificaveritis, vivetis. (b) Obsecro vos itaque, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viven- (c) Ibid. XIII, 14. tem, sanctam, Deo placentem. (c) Et carnis curam ne feceritis in desideriis. (d) Ibid. XIV, 2. (d) Qui autem infirmus est, olus manducet. (e) Ibid. 21. (e) Bonum est non manducare carnem, et non (f) I Cor. IX, 27. bibere vinum. (f) Ego igitur castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte quum aliis prædicaverim, ipse re- (g) II Cor. VI, 4. probus efficiar. (g) Idcirco exhibeamus nos sicut Dei ministros in vigiliis, in jejuniis, (h) Ibid. VII, 1. in castitate. (h) Et mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.

(i) Galat. V, 16, 17. (i) Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque Ibid. 24. vultis, illa faciatis. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis (j) Ephes. II, 2, 3. et concupiscentiis. (j) In quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ : in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum ; et eramus (k) Ibid. IV, 17-22. natura filii iræ, sicut et ceteri. (k) Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant, in vanitate sensus sui : tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum ; qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didicistis A Christum : si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu : deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. (l) Multi enim ambulant, (l) Philipp. III, 18, 19. quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

(m) Mortificate ergo membra vestra quæ (m) Coloss. III, 5-7. sunt super terram, fornicationem, immun- B ditiam, libidinem, concupiscentiam malam : propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis ; in quibus et vos ambulastis aliquando, quum viveretis in illis. (n) Hæc est autem voluntas Dei, sanctifi- (n) I Thess. IV, 3-5. catio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione ; ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, et non in passione desiderii sicut et gentes quæ ignorant Deum. (o) Igitur non dor- (o) Ibid. V, 6. miamus sicut et ceteri ; sed vigilemus, et sobrii simus. (p) Te ipsum castum custo- (p) I Tim. 22, 23. C di. Noli adhuc aquam bibere ; sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes infirmitates tuas. (q) Sobrius (q) II Tim. IV, 5. esto. (r) Ne quis fornicator, aut profanus, (r) Hebr. XII, 16, 17. ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim quoniam postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. (s) Nolite ergo inebriari vi- (s) Ephes. V, 18. no, in quo est luxuria.

D

CAPITULUM XVII.

Contra vitia carnis.

(a) SERVIERUNT creaturæ potius quam (a) Rom. I, 25-27. Creatori. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto usu naturali feminæ, exarserunt in desideriis

suis in invicem, masculi in masculos tur- A
pitudinem operantes; et mercedem, quam
oportuit, erroris sui in semetipsis reci-
(b) *Rom.* VI, 12. pientes. (b) Non ergo regnet peccatum in
vestro mortali corpore, ut obediatis con-
Ibid. 19, 21, 23. cupiscentiis ejus. Humanum dico, propter
infirmitatem carnis vestræ. Sicut exhibu-
istis membra vestra servire immunditiæ
et iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc
exhibete membra vestra servire justitiæ,
in sanctificationem. Quem ergo fructum
habuistis tunc, in quibus nunc erubesci-
tis? Nam finis illorum mors est. Stipendia B
(c) *Ibid.* VIII, 8, 9, 12, 13. enim peccati mors. (c) Qui autem in carne
sunt, Deo placere non possunt. Vos au-
tem in carne non estis, sed in spiritu: si
tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Ergo
debitores sumus non carni, ut secundum
carnem vivamus. Si enim secundum car-
nem vixeritis, moriemini; si autem spi-
ritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.
(d) *Ibid.* XIII, 13, 14. (d) Non in comessationibus et ebrietati-
bus, non in cubilibus et impudicitiis; sed
induimini Dominum Jesum.

(e) I *Cor.* V, 1-4, 6, 9-11. (e) Omnino auditur inter vos fornicatio, C
et talis fornicatio, qualis nec inter gentes,
ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.
Et vos inflati estis; et non magis luctum
habuistis, ut tollatur de medio vestrum
qui hoc opus fecit. Ego quidem absens
corpore, præsens autem spiritu, jam ju-
dicavi ut præsens eum qui sic operatus
est, in nomine Domini nostri Jesu Chri-
sti. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis
quia modicum fermentum totam massam
corrumpit? Scripsi vobis in epistola, ne
commisceamini fornicariis: non utique D
fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut
rapacibus, aut idolis servientibus; alioqui
debueratis de hoc mundo jam exisse. Nunc
(f) *Ibid.* VI, 13, 15, 16, 18. autem scripsi vobis non commisceri. (f) Es-
ca ventri, et venter escis: Deus autem
et hunc et has destruet. Corpus non for-
nicationi, sed Domino, et Dominus cor-
pori. Nescitis quoniam corpora vestra
membra sunt Christi? Tollens ergo mem-
bra Christi, faciam membra meretricis?
Absit. An nescitis quoniam qui adhæret
meretrici, unum corpus efficitur? Erunt
enim, inquit, duo in carne una. Fugi-
te fornicationem. Omne enim peccatum
quodcumque fecerit homo, extra corpus
est; qui autem fornicatur, in corpus suum
peccat.

(g) Manifesta sunt opera carnis, quæ (g) *Galat.* V, 19-21.
sunt fornicatio, immunditia, impudicitia,
luxuria, idolorum servitus, veneficia, ini-
micitiæ, contentiones, æmulationes, iræ,
rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, ebrie-
tates, comessationes, et his similia: quæ
prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui
talia agunt, regnum Dei non consequen-
tur. (h) Fornicatio autem, et omnis im- (h) *Ephes.* V, 3-6.
munditia, aut avaritia, nec nominetur in
vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo,
aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad
rem non pertinet; sed magis gratiarum
actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod
omnis fornicator aut immundus, aut ava-
rus, quod est idolorum servitus, non ha-
bet hereditatem in regno Christi et Dei.
Propter hæc enim venit ira Dei in filios
diffidentiæ. (i) Non enim vocavit nos Deus (i) I *Thess.* IV, 7.
in immunditiam, sed in sanctificationem.
(j) Fornicatores enim et adulteros judica- (j) *Hebr.* XIII, 4.
bit Deus.

CAPITULUM XVIII.

De fortitudine, stabilitate, atque constantia cordis.

(a) ITAQUE, fratres mei dilectissimi, sta- (a) I *Cor.* XV, 58.
biles estote et immobiles, abundan-
tes in opere Domini semper, scientes quod
labor vester non est inanis in Domino.
(b) Idcirco jam non simus parvuli flu- (b) *Ephes.* IV, 14.
ctuantes, et circumferamur omni vento
doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia
ad circumventionem erroris. (c) De cete- (c) *Ibid.* VI, 10-18.
ro, fratres, confortamini in Domino, et in
potentia virtutis ejus. Induite vos arma-
turam Dei, ut possitis stare adversus in-
sidias diaboli: quia non est nobis collu-
ctatio adversus carnem et sanguinem; sed

adversus principes et potestates, adversus A
mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis : in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod
est verbum Dei : per omnem orationem B
et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu.

(d) *Coloss.* I, 23. (d) Permanete in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe Evangelii quod audistis et prædicatum est in universa creatura quæ sub cœlo est.
(e) *Ibid.* II, 6, 7. (e) Sicut ergo accepistis Christum Jesum Dominum nostrum, in ipso ambulate, radicati et superædificati in ipso, et confirmati in fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.
(f) I *Thess.* V, 8-10. (f) Induti loricam fidei
et caritatis, et galeam spem salutis : quo- C
niam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus sive dormiamus, simul cum illo vivamus.
(g) II *Thess.* II, 1, 2. (g) Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi et nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam :
quasi instet dies Domini. D
(h) *Ibid.* III, 3, 13. (h) Fidelis autem Dominus, qui confirmabit vos, et custodiet a malo. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.
(i) II *Tim.* II, 1. (i) Tu ergo, fili mi, confortare in gratia quæ est in Christo Jesu.

(j) *Hebr.* III, 6-10, 14. (j) Fiduciam et gloriam spei usque in finem firmam retineamus. Quapropter, sicut dicit Spiritus Sanctus : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea quadraginta annis. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque in finem firmum retineamus, dum dicitur, Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra quemadmodum in illa exacerbatione.
(k) *Hebr.* XIII, 9. (k) Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabiliri cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.
(l) II *Cor.* X, 3-6. (l) In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, quum impleta fuerit vestra obedientia.

CAPITULUM XIX.

Contra avaritiam, et de liberalitate.

(a) *Ephes.* V, 3, 5. (a) AVARITIA nec nominetur in vobis : quia avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei.
(b) *Philipp.* III, 8. (b) Ideo propter Christum omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.
(c) I *Tim.* VI, 5-11. (c) Veritate privati existimant quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia et nociva quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo
Ibid. 17-19. Dei, hæc fuge. Divitibus hujus sæculi præ-

cipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat omnia nobis abundanter ad fruendum; bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

(d) *Hebr.* XIII, 5, 6. (d) Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam. Ita ut confidenter dicamus : Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. (e) *Philipp.* II, 21. (e) Sed omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

CAPITULUM XX.

De exemplaritate servanda, et scandalis evitandis.

(a) *Rom.* II, 17-24. (a) SI autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus per legem, confidis te ipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam et scientiam veritatis in lege. Qui alium doces, te ipsum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes.

(b) *Ibid.* XIV, 13-21. (b) Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non enim est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Itaque, quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem munda sunt; sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, aut non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. (c) Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. (c) *Rom.* XV, 2. (d) Rogo autem, fratres, ut observetis eos qui dissensiones vel offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri; et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. (d) *Ibid.* XVI, 17, 18.

(e) Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant : et conscientia ipsorum quum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si non manducaverimus, deficiemus, neque si manducaverimus, abundabimus. Videte autem ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus quum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. (e) I *Cor.* VIII, 7-13. (f) Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. (f) *Ibid.* X, 22, 23. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. *Ibid.* 25-30, 32, 33. Domini enim est terra, et plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, et vultis ire : omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis : nolite manducare

propter illum qui indicavit, et propter A
conscientiam : conscientiam autem dico,
non tuam, sed alterius. Ut quid enim li-
bertas mea judicatur ab aliena conscien-
tia ? Si ego cum gratia participo, quid
blasphemor pro eo quod gratias ago ? Si-
ne offensione estote Judæis et gentibus :
sicut et ego per omnia omnibus placeo,
non quærens quod mihi utile est, sed
(g) I *Cor.* xiv, 26. quod multis, ut salvi fiant. (g) Omnia ad
ædificationem fiant.

(h) II *Cor.* iv, 2. (h) Ideo abdicamus occulta dedecoris,
non ambulantes in astutia, neque adulte- B
rantes verbum Dei; sed in manifestatio-
ne veritatis commendantes nosmetipsos
ad omnem conscientiam hominum coram
(i) *Ibid.* vi, 3. Deo. (i) Nemini dantes ullam offensionem,
ut non vituperetur ministerium nostrum.
(j) *Ibid* vii, 2. (j) Capite nos : neminem læsimus, ne-
minem corrupimus, neminem circumve-
(k) *Ibid.* viii, 20, 21. nimus. (k) Devitantes hoc, ne quis nos
vituperet in hac plenitudine quæ mini-
stratur a nobis. Providemus enim bona
non solum coram Deo, sed etiam coram
(l) *Ibid.* xii, 19. hominibus. (l) Omnia autem, carissimi, C
propter vestram ædificationem.

(m) *Galat.* v, 15. (m) Quod si invicem mordetis et come-
ditis, videte ne ab invicem consumami-
(n) *Ephes.* iv, 29. ni. (n) Omnis sermo malus ab ore vestro
non procedat, sed qui bonus est ad ædi-
ficationem fidei, ut det gratiam audien-
(o) I *Thess.* iv. 11. tibus. (o) Et honeste ambuletis ad eos qui
(p) *Ibid.* v, 11. foris sunt. (p) Propter quod ædificate al-
terutrum, sicut et facitis. (q) Denuntiamus
(q) II *Thess.* iii, 6-9. vobis, fratres, in nomine Domini nostri
Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab om-
ni fratre ambulante inordinate, et non D
secundum traditionem quam acceperunt
a nobis. Ipsi enim scitis quemadmodum
oporteat imitari nos, quoniam non inquie-
ti sumus inter vos ; neque gratis mandu-
cavimus panem ab aliquo, sed in labore
et fatigatione, nocte et die operantes, ne
quem vestrum gravaremus. Non quasi non
habuerimus potestatem, sed ut nosmet-
ipsos daremus formam vobis, ad imitan-
(r) I *Tim.* iv, 12. dum nos. (r) Exemplum esto fidelium, in
verbo, in conversatione, in caritate, in
fide, in castitate. Hæc meditare, in his I *Tim.* iv, 15.
esto, ut profectus tuus manifestus sit om-
nibus. (s) In omnibus te ipsum præbe ex- (s) *Tit.* ii, 7.
emplum bonorum operum, in doctrina, in
integritate, in gravitate. (t) Communica- (t) *Philem.* 6.
tio fidei tuæ evidens fiat in agnitione
omnis boni in Christo Jesu. (u) Nam om- (u) I *Cor.* ix, 12.
nia sustinemus, ne quod offendiculum de-
mus Evangelio Christi. (v) Modestia autem (v) *Philipp.* iv, 5.
vestra nota sit omnibus hominibus.

CAPITULUM XXI.

Exhortatio ad pacem atque concordiam, et contra dissensionem et contentionem.

(a) QUÆ pacis sunt sectemur. (b) Deus (a) *Rom.* xiv, 19.
autem patientiæ det vobis id ip- (b) *Ibid.* xv, 5, 6.
sum sapere in alterutrum secundum Je-
sum Christum, ut unanimes, uno ore hono-
rificetis Deum et Patrem Domini nostri
Jesu Christi. (c) Obsecro autem vos, fra- (c) I *Cor.* i, 10 15.
tres, per nomen Domini nostri Jesu Chri-
sti, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint
in vobis schismata ; sitis autem perfecti
in eodem sensu, et in eadem scientia. Si-
gnificatum est enim mihi de vobis, fratres
mei, ab his qui sunt Chloes, quia con-
tentiones sunt inter vos. Hoc autem dico,
quod unusquisque vestrum dicit : Ego
quidem sum Pauli ; ego autem Apollo ;
ego vero Cephæ ; ego autem Christi. Di-
visus est Christus ? Numquid Paulus cru-
cifixus est pro nobis ? aut in nomine Pauli
baptizati estis ? Gratias ago Deo meo, quod
neminem vestrum baptizavi nisi Crispum
et Caium : ne quis dicat, quod in nomi-
ne meo baptizati sitis. (d) Et ego, fratres, (d) *Ibid.* iii, 1-8.
non potui vobis loqui quasi spiritualibus,
sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis
in Christo, lac vobis potum dedi, non es-
cam : nondum enim poteratis. Sed nec
nunc quidem potestis : adhuc enim car-
nales estis. Quum enim sit inter vos zelus
et contentio, nonne carnales estis, et se-
cundum hominem ambulatis ? Quum enim
quis dicat, Ego quidem sum Pauli ; alius

autem, Ego Apollo : nonne homines estis? A Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis : et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. Qui plantat autem et qui rigat, unum
I Cor. III, 21-23. sunt. Itaque nemo glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt; vos B autem Christi, Christus autem Dei.

(e) Ibid. IV, 1, 2, 6-8. (e) Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Jam saturati estis, jam divites facti estis. Sine nobis regnatis : et utinam regnetis,
(f) Ibid. VII, 15. ut et nos vobiscum regnemus. (f) In pace C
(g) Ibid. XI, 16-22. enim vocavit nos Deus. (g) Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Hoc autem præcipio; non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse : et ex parte credo. Nam oportet hæreses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est dominicam Cœnam manducare : unusquisque enim suam cœ- D nam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent. Quid dicam vobis? Laudo vos? In
(h) Ibid. XIV, 33. hoc non laudo. (h) Non est enim dissensionis Deus, sed pacis : sicut in omnibus Ec-
(i) Galat. VI, 16. clesiis sanctorum doceo. (i) Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.

(j) Tantum digne Evangelio Christi conversamini, ut sive quum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii. (j) Philipp. I, 27. (k) Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis : implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes. (k) Ibid. II, 1, 2. (l) Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula. (l) Ibid. III, 16. (m) Evodiam rogo, et Syntichen deprecor, id ipsum sapere in Domino. (m) Ibid. IV, 2. (n) Et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore. (n) Coloss. III, 15. (o) Noli verbis contendere : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. (o) II Tim. II, 14. Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quoniam generant lites. Ibid. 23, 24. Servum autem Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. (p) Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita : sunt enim inutiles et vanæ. (p) Tit. III, 9.

CAPITULUM XXII.

Contra temeraria et inordinata judicia.

(a) INEXCUSABILIS es, o homo omnis qui judicas : in quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem agis quæ judicas. (a) Rom. II, 1-5. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, o homo omnis qui judicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. (b) Alius credit se manducare omnia. (b) Ibid. XIV, 2-6. Is qui manducat, non manducantem non spernat. Et qui non man-

ducat, manducantem non judicet : Deus A enim illum assumpsit. Tu quis es qui judicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit. Stabit autem : potens est enim Deus statuere illum. Nam alius judicat diem inter diem ; alius judicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat : gratias enim

Rom. XIV, 10-13. agit Deo. Tu autem, quid judicas fratrem tuum ? Aut tu, quare spernis fratrem tuum ? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Domino. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus ; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri aut

Ibid. 22. scandalum. Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat.

(c) I *Cor.* IV, 3-5. (c) Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die ; sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus C sum. Qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit

(d) *Ibid.* V, 12, 13. unicuique a Deo. (d) Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? Nonne de his qui intus sunt vos judicatis ? Nam eos

(e) *Ibid.* VI, 1-9. qui foris sunt, Deus judicabit. (e) Audet aliquis vestrum habens negotium judicari apud iniquos, et non apud sanctos ? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo D judicabunt ? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis ? Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum ? Sed frater cum fratre in judicio contendit : et hoc, apud infideles ? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis et fraudatis : et hoc, fratribus. An nescitis quoniam impii regnum Dei non possidebunt.

(f) Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum autem judicamur a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. (g) Ab his autem qui videbantur aliquid esse, quales B aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus personam hominis non accipit. (h) Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. (f) I *Cor.* XI, 31, 32. (g) *Galat.* II, 6. (h) *Coloss.* II, 16, 17.

CAPITULUM XXIII.

De spirituali profectu et perfectione.

(a) NESCITIS quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet : et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum ; sic pugno, non quasi aerem verberans. (b) Æmulamini autem charismata meliora. (c) Quum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus ; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. (d) Sic et vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis. (e) Adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. (f) Potens est enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis

(a) I *Cor.* IX, 24-26. (b) *Ibid.* XII, 31. (c) *Ibid.* XIII, 11. (d) *Ibid.* XIV, 12. (e) II *Cor.* VI, 1, 2. (f) *Ibid.* IX, 8-11.

in omne opus bonum, sicut scriptum est : A Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in saeculum saeculi. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ : ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per vos gratiarum actionem Deo.

(g) Galat. IV, 18. (g) Bonum autem æmulamini in bono semper, et non tantum quum præsens sum
(h) Ephes. IV, 15. apud vos. (h) Veritatem autem facientes, B in caritate crescamus in illo per omnia
(i) Ibid. V, 8-10. qui est caput Christus. (i) Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate : fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate; probantes quid sit bene-
(j) Galat. V, 22. 23. placitum Deo. (j) Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.
(k) I Thess. IV, 1. Adversus hujusmodi non est lex. (k) De cetero ergo, fratres, rogamus vos, et obse- C cramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo, sic et ambuletis,
(l) Hebr. VI, 1-3. ut abundetis magis. (l) Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur : non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, et judicii æterni. Et hoc ergo faciemus, si
Ibid. 9. 11, 12. quidem permiserit Deus. Confidimus au- D tem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Cupimus autem ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide et patientia hereditabunt promissiones.

(m) Philip. III, 12-15. (m) Non quod jam acceperim, aut perfectus sim : sequor autem si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. (n) Perfectorum autem est soli- (n) Hebr. V, 14.
dus cibus : eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. (o) Perficientes sanctificatio- (o) II Cor. VII, 1.
nem, in timore Dei. (p) Ideo, fratres, noli- (p) I Cor. XIV, 20.
te pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote; sensibus autem perfecti sitis. (q) Nunc ergo liberati a peccato, servi (q) Rom. VI, 22. 23.
autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu. (r) An nescitis quoniam membra (r) I Cor. VI, 19. 20.
vestra templum est Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri ? Empti enim estis pretio magno. Glorificate ergo et portate Deum in corpore vestro. (s) Primus homo de terra, (s) Ibid. XV, 47-50.
terrenus; secundus de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. Hoc autem dico, fratres, quod caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit.

(t) Christo confixus sum cruci. Vivo au- (t) Galat. II, 19-21.
tem, jam non ego; vivit vero in me Christus, qui dilexit me, et tradidit semetipsum propter me. Non abjicio gratiam Dei. (u) De cetero nemo mihi molestus sit. (u) Ibid. VI, 17.
Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. (v) Salutat vos Epaphras, qui est ex (v) Coloss. IV, 12.
vobis, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei (w) Nostra enim conversatio in cœlis est. (w) Philip. III, 20.
(x) Itaque, fratres mei carissimi et deside- (x) Ibid. IV, 1.
ratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino. (y) Vos enim testes (y) I Thess. II, 10-12.
estis et Deus, quam sancte et juste et sine querela, vobis qui credidistis, fuimus : sicut scitis qualiter unumquemque vestrum, tanquam pater filios suos, deprecan-

tes vos et consolantes, testificati sumus ut ambularetis digne Deo, qui vos vocavit
(z) I *Thess.* v, 5. in suum regnum et gloriam. (z) Omnes
(a') II *Tim.* I, 6-8. enim vos filii lucis estis et filii diei. (a') Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri Jesu Christi, neque me vinctum ejus; sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei.

CAPITULUM XXIV.

De correptione caritativa et justa.

(a) *Ephes.* v, 11-14. (a) NOLITE communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab eis, turpe est dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.
(b) I *Thess.* v, 14. (b) Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos.
(c) II *Thess.* III, 14, 15. (c) Quod si quis non obedierit, nolite illum quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.
(d) I *Tim.* v, 1, 20. (d) Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem. Peccantes autem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.
(e) II *Tim.* IV, 1-4. (e) Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos ac mortuos, et per adventum ipsius et regnum ejus : prædica verbum ; insta opportune, importune ; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. Erit enim tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.
(f) *Ibid.* III, 16. (f) Scriptura utilis est ad arguendum, ad corripiendum.
(g) *Tit.* II, 15. (g) Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio.

(h) II *Tim.* II, 24-26. (h) Servum autem Domini oportet cum modestia esse corripientem eos qui re-
A sistunt veritati, nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.
(i) Etenim quum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei ; et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est. (i) *Hebr.* v, 12.
(j) Quis filius quem non corripit pater ? Omnis au- (j) *Ibid.* XII, 7. 11.
B tem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.

CAPITULUM XXV.

De tentatione.

(a) NON tentemus Christum, sicut quidam tentaverunt, et a serpentibus (a) I *Cor.* x, 9, 13.
C perierunt. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Dominus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.
(b) Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. (b) *Rom.* XVI, 20.
(c) Nam pseudoapostoli operarii subdoli transfigurant se in apostolos Christi. Et non mirum : ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum si ministri ejus transfigurentur, velut ministri justi- (c) II *Cor.* XI, 13-15.
D tiæ : quorum finis erit secundum opera eorum.
(d) Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me. Et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. (d) *Ibid.* XII, 7-9.
(e) Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, etc., ut supra. (e) *Galat.* v, 17.

(f) Nolite locum dare diabolo. (f) *Ephes.* IV, 27.
(g) Quia non est nobis colluctatio adversus carnem (g) *Ibid.* VI, 12.

et sanguinem, sed adversus principes et A
(h) I Thess. potestates, etc., ut supra. (h) Nos autem,
II, 17, 18. fratres, desolati a vobis ad tempus, ore,
adspectu, non corde, abundantius festina-
vimus faciem vestram videre cum multo
desiderio : quoniam voluimus venire ad
vos, ego quidem Paulus et semel et ite-
(i) Ibid. III, rum ; sed impedivit nos Satanas. (i) Pro-
5. pterea et ego amplius non sustinens, misi
ad cognoscendum fidem vestram : ne forte
tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat
(j) Hebr. labor noster. (j) In eo autem in quo pas-
II, 18. sus est Christus et tentatus, potens est et B
(k) Ibid. IV, eis qui tentantur auxiliari. (k) Non enim
15. habemus pontificem qui non possit com-
pati infirmitatibus nostris ; tentatum au-
tem per omnia pro similitudine absque
(l) II Cor. peccato. (l) Ut non circumveniamur a Sa-
II, 11. tana : non enim ignoramus cogitationes
(m) II Tim. ejus. (m) Non coronabitur nisi qui legi-
II, 5. time certaverit.

(h) Obsecro igitur primo omnium fie- (h) I Tim.
ri obsecrationes, orationes, postulationes, II, 1-3.
gratiarum actiones, pro omnibus homini-
bus ; pro regibus et omnibus qui in su-
blimitate sunt constituti, ut quietam et
tranquillam vitam agamus in omni pieta-
te et castitate. Hoc enim bonum est coram
Salvatore nostro Deo. Volo ergo viros ora- Ibid. II, 8,
re in omni loco, levantes puras manus, 9.
sine ira et disceptatione. Similiter et mu-
lieres in habitu ornato esse cum verecun-
dia et sobrietate. (i) Christus in diebus (i) Hebr. V,
carnis suæ preces supplicationesque ad 7.
eum qui posset salvum illum a morte fa-
cere, cum clamore valido et lacrimis offe-
rens, exauditus est pro sua reverentia.
(j) Unde et salvare in perpetuum potest (j) Ibid. VII,
accedentes per ipsum ad Deum, semper vi- 25.
vens ad interpellandum pro nobis. (k) In (k) Ibid. IX,
troiit in ipsum cœlum, ut appareat nunc 24.
vultui Dei pro nobis.

CAPITULUM XXVI.

De oratione.

(a) Rom. (a) SIMILITER autem spiritus adjuvat
VIII, 26, 27. infirmitatem nostram. Nam quid
oremus sicut oportet, nescimus ; sed ipse
spiritus postulat pro nobis gemitibus in-
enarrabilibus. Qui autem scrutatur corda,
scit quid desideret spiritus, quia secun-
Ibid. 34. dum Deum postulat pro sanctis. Etiam
(b) I Cor. Christus interpellat pro nobis. (b) Si orem
XIV, 14. lingua, spiritus meus orat, mens autem
mea sine fructu est. Quid ergo ? Orabo spi- D
ritu, orabo et mente ; psallam spiritu, psal-
(c) Rom. lam et mente. (c) Orationi sitis instantes.
XII, 12. (d) Ephes. (d) Per omnem orationem et obsecratio-
VI, 18. nem orantes omni tempore in spiritu, et
in ipso vigilantes in omni instantia et ob-
(e) Philipp. secratione pro omnibus sanctis. (e) In om-
IV, 6. ni oratione et obsecratione, cum gratia-
rum actione, petitiones vestræ innotescant
(f) Coloss. apud Deum. (f) Orationi instate, vigilan-
IV, 2. (g) I Thess. tes in ea in gratiarum actione. (g) Et sine
V, 17. intermissione orate.

C

CAPITULUM XXVII.

De spirituali gloriatione seu gaudio et consolatione, et contra inanem gloriam.

(a) GLORIA autem, et pax, et honor, (a) Rom. II,
omni operanti bonum, Judæo pri- 10.
mum et Græco. (b) Gloriamur in spe glo- (b) Ibid. V,
riæ filiorum Dei : non solum autem, sed 2, 3, 11.
et gloriamur in tribulationibus. Sed et
gloriamur in Deo per Dominum nostrum
Jesum Christum, per quem nunc reconci-
liationem accepimus. (c) Deus autem re- (c) Ibid. XV,
pleat vos omni gaudio in credendo. (d) Ita- 13. (d) I Cor.
que nemo glorietur in hominibus. Omnia III, 21-23.
enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apol-
lo, sive Cephas, sive mundus, sive vita,
sive mors, sive præsentia, sive futura. Om-
nia vestra sunt ; vos autem Christi, Chri-
stus autem Dei. (e) Non est bona gloriatio (e) Ibid. V,
vestra. Nescitis quoniam modicum fer- 6.
mentum totam massam corrumpit ?

(f) Deus consolatur nos in omni tribula- (f) II Cor.
tione nostra, ut possimus et ipsi consolari I, 4-7.
eos qui in omni pressura sunt, per exhor-

tationem qua exhortamur et ipsi a Deo : A quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum quas et nos patimur : ut spes nostra firma sit pro vobis, scientes quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis

II Cor. I, 12-14. et consolationis. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ quod B in simplicitate et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos. Non enim alia scribimus vobis quam quæ legistis et cognoscitis. Spero autem quod usque in finem cognoscetis, sicut cognoscitis nos ex parte : quia gloria vestra nos sumus, sicut et vos nostra, in adventu Domini nostri Jesu Christi.

(g) Rom. XVI, 17. sti. (g) Gaudeo igitur in vobis.

(h) II Cor. V, 11, 12. (h) Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus ; Deo autem manifesti C sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, et non in

(i) Ibid. VII, 3, 4, 6, 7. corde. (i) Prædiximus enim quod in cordibus nostris estis, ad commoriendum, et ad convivendum. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis ; repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam qui consolatur humiles, consolatus est nos D Deus in adventu Titi : non solum in adventu ejus, sed etiam in consolatione qua consolatus est nos in vobis, referens nobis desiderium vestrum, fletum vestrum, æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.

Ibid. 13, 14. Ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra abundantius magis consolati sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis. Et si quid apud illum gloriatus sum de vobis, non sum confusus ; sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita et gloriatio nostra quæ fuit ad Titum, veritas facta est.

Gaudeo quod in omnibus confido in vobis. II Cor. VII, 16. (j) Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei quæ data est mihi in (j) Ibid. VIII, 1, 2. Ecclesiis Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipsorum fuit, et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum.

(k) Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ (k) Ibid. X, 13-18. quam mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos. Non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos : usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi. Non in immensum gloriantes in alienis laboribus ; spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantia, etiam in illa quæ ultra vos sunt, evangelizare : non in aliena regula, in his quæ præparata sunt, gloriari. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

(l) Iterum dico, ne quis me putet insipientem. (l) Ibid. XI, 16-18. Alioqui velut insipientem accipite me, ut et ego modicum quid glorier. Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ. Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor. In quo Ibid. 21-23. quis audet (in insipientia dico), audeo et ego. Hebræi sunt, et ego. Israelitæ sunt, et ego. Semen Abrahæ sunt, et ego. Ministri Christi sunt, et ego : ut minus sapiens dico, plus ego. Si gloriari oportet, quæ Ibid. 30. infirmitatis meæ sunt gloriabor. (m) Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus (m) Ibid. XII, 9. meis, ut inhabitet in me virtus Christi. (n) Gaudemus enim quando nos infirmi (n) Ibid. XIII, 9. sumus, vos autem potentes estis. (o) Mihi (o) Galat. VI, 14. autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

(p) Quid enim ? Dum omni modo, sive (p) Philipp. I, 18-20. per occasionem, sive per veritatem Chri-

stus annuntietur : et in hoc gaudeo, sed et A
gaudebo. Scio enim quia hoc mihi prove-
niet ad salutem per vestram orationem et
subministrationem Spiritus Jesu Christi,
secundum exspectationem et spem meam,
(q) Philipp. II, 17, 18. quia in nullo confundar. (q) Sed et si im-
molor supra sacrificium et obsequium
fidei vestræ, gaudeo, et congratulor om-
nibus vobis. Id ipsum autem et vos gau-
(r) Ibid. III, 1. dete et congratulamini mihi. (r) De cetero,
(s) Ibid. IV, 4-6. fratres, gaudete in Domino. (s) Gaudete in
Domino semper ; iterum dico, gaudete :
Dominus prope est. Nihil solliciti sitis. B
Ibid. 10. Gavisus sum autem in Domino vehemen-
ter, quoniam tandem aliquando refloruì-
stis pro me sentire, sicut et sentiebatis,
(t) I Thess. III, 9, 10. etc. (t) Quam enim gratiarum actionem
possumus Deo retribuere pro vobis, in
omni gaudio quo gaudemus propter vos
ante Deum nostrum, nocte et die abun-
dantius orantes ut videamus faciem ve-
stram, et compleamus ea quæ desunt fidei
(u) Ibid. V, 11, 14. vestræ? (u) Propter quod consolamini invi-
(v) Ibid. II, 19, 20. cem, et consolamini pusillanimes. (v) Quæ
est enim spes nostra, aut gaudium, aut C
corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum
Jesum estis in adventu ejus? Vos enim
(w) Philem. 7. estis gloria nostra et gaudium. (w) Gau-
dium enim magnum habui et consolatio-
nem in caritate tua, quia viscera sancto-
Ibid. 20. rum requieverunt per te, frater. Ita, frater,
ego te fruar in Domino ; refice viscera
mea in Christo.

CAPITULUM XXVIII.

D *Contra loquacitatem, otium ac curiositatem.*

(a) I Cor. IV, 20. (a) NON in sermone est regnum Dei,
(b) Ibid. XV, 33. sed in virtute. (b) Corrumpunt mo-
res bonos colloquia prava. (c) Numquid
(c) II Cor. I, 17, 18. levitate usus sum? Aut quæ cogito, se-
cundum carnem cogito, ut sit apud me
Est et Non? Fidelis autem Deus, quia ser-
mo noster qui fuit apud vos, non est in
(d) Ephes. IV, 25. illo Est et Non : sed est in illo Est. (d) Pro-
pter quod deponentes mendacium, loqui-
mini veritatem unusquisque cum proximo
suo, quoniam sumus invicem membra.
(e) Sed implemini Spiritu Sancto, loquen- (e) Ephes. V, 18, 19.
tes vobismetipsis in hymnis, et psalmis,
et canticis spiritualibus. (f) Rogavi te ut (f) I Tim. I, 3, 4, 6, 7.
remaneres Ephesi, quum irem in Macedo-
niam, ut denuntiares quibusdam ne ali-
ter docerent, neque intenderent fabulis et
genealogiis interminatis, quæ quæstiones
præstant magis quam ædificationem quæ
est in fide. Nam quidam aberrantes con-
versi sunt in vaniloquium, volentes esse
legis doctores : non intelligentes neque
quæ loquuntur, neque de quibus affir-
mant. (g) Simul autem et otiosæ discunt (g) Ibid. V, 13.
circuire domos : non solum otiosæ, sed
et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non
oportet. (h) Nam et quum essemus apud (h) II Thess. III, 10-12.
vos, hæc denuntiabamus vobis quoniam
si quis non vult operari, nec manducet.
Audivimus enim inter vos quosdam am-
bulare inquiete, nihil operantes, sed cu-
riose agentes. His autem qui ejusmodi
sunt, denuntiamus et obsecramus in Do-
mino Jesu, ut cum silentio operantes, pa-
nem suum manducent. (i) Ineptas autem (i) I Tim. IV, 7.
et aniles fabulas devita. (j) Verbum sa- (j) Tit. II, 8.
num, irreprehensibile, ut is qui ex ad-
verso est vereatur, nihil habens mali di-
cere de nobis.

CAPITULUM XXIX.

De reformatione interna et gratiarum actione, et quibusdam spiritualibus exercitiis, atque de ordinatione omnium ad ultimum finem.

(a) NOLITE conformari huic sæculo, sed (a) Rom. XII, 2.
reformamini in novitate spiritus
vestri : ut probetis quæ sit voluntas Dei
bona, et beneplacens, et perfecta. (b) Ex- (b) I Cor. V, 7, 8.
purgate ergo vetus fermentum, ut sitis
nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim
pascha nostrum immolatus est Christus.
Itaque epulemur, non in fermento veteri,
neque in fermento malitiæ et nequitiæ,

sed in azymis sinceritatis et veritatis. A
(c) I Cor. x, 31 (c) Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei
(d) II Cor. v, 13. facite. (d) Sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis. Caritas enim
(e) Ephes. iv, 23. Christi urget nos. (e) Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est
(f) Ibid. v, 19, 20. in justitia et sanctitate veritatis. (f) Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Chri-
(g) Philipp. iv. 8. sti, Deo et Patri. (g) De cetero, fratres, quæ- B cumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ : hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis in me, et vidistis : hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum.
(h) Coloss. iii, 9-11, 15-17. (h) Exspoliate vos veterem hominem cum actibus suis, induentes novum eum qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum : ubi non est masculus neque femina, gentilis C et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scyta, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus. Et grati estote, docentes et commonentes vosmetipsos in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et
(i) I Thess. v, 18. Patri per ipsum. (i) In omnibus gratias agite : hæc est enim voluntas Dei in Chri-
(j) Hebr. xiii, 15. sto Jesu, in omnibus vobis. (j) Per Jesum D ergo offeramus hostiam laudis Deo semper, id est fructum labiorum nostrorum
(k) II Cor. i, 10, 11. confitentium nomini ejus. (k) Qui de tantis periculis eripuit nos. In quem speramus quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus et vobis in orationibus pro nobis : ut ex multarum personis facierum ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ
(l) Ibid. iv, 15. agantur pro nobis. (l) Omnia enim propter vos, ut gratia abundans per multos, in gratiarum actione abundet in gloriam Dei.

CAPITULUM XXX.

De originali peccato et ejus transfusione, et de comparatione gratiæ Christi ad culpam Adæ.

(a) PER Jesum Christum nunc reconciliationem accepimus. Propterea sic- (a) Rom. v, 11, 12, 14-21.
ut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Nam regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in multis abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim in unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia : ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum.

(b) Scimus autem quod lex spiritualis (b) Ibid. vii, 14-23, 25.
est; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quo-

niam non habitat in me, hoc est in carne A mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod odi malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in legem peccati B quæ est in membris meis. Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem, legi peccati.

(c) Ephes. II, 3. (c) Eramus enim natura filii iræ, sicut (d) I Cor. XV, 21, 22. et ceteri. (d) Quoniam quidem per hominem mors; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo vivificabuntur. (e) Rom. VIII, 3, 4. (e) Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in C nobis, qui non secundum carnem ambu- Ibid. 10. lamus, sed secundum spiritum. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.

CAPITULUM XXXI.

De triplici tristitia, laudabili, vituperabili, et indifferenti.

D

(a) Rom. IX, 1-4. (a) VERITATEM dico in Christo, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu Sancto: quia tristitia est mihi magna et continuus dolor cordi meo, pro fratribus meis qui (b) II Cor. II, 1-5. sunt Israelitæ. (b) Statui autem hoc apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos Si enim ego contristo vos, quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non quum venero, tristitiam super tristitiam habeam de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrum est. Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrimas: non ut contristemini, sed ut sciatis quam caritatem habeam abundantius in vobis. Si quis autem me contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem vos. (c) Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet. (c) II Cor. VII, 8-11. Etsi pœniteret, videns quod epistola illa, etsi ad horam, vos contristavit, nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio. (d) Infirmatus est autem Epaphroditus usque ad mortem; sed Deus (d) Philipp. II, 27. misertus est ejus: non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. (e) Nolumus autem (e) I Thess. IV, 13. vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent.

CAPITULUM XXXII.

Exhortatio ad laborem pro felicitate et beatitudine ipsa.

(a) EXISTIMO quod non sunt condi- (a) Rom. VIII, 18-21. gnæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute

corruptionis in libertatem gloriæ filiorum A
(b) Rom. xiii, 11-14. Dei. (b) Et hoc scientes, quia hora est jam
nos de somno surgere. Nunc enim propior
est nostra salus, quam quum credidimus.
Nox præcessit, dies autem appropinqua-
vit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum,
et induamur arma lucis, sicut in die ho-
neste ambulemus. Et induimini Dominum
(c) I Cor. ii, 9, 10. Jesum. (c) Quoniam scriptum est : Quod
oculus non vidit, nec auris audivit, nec
in cor hominis ascendit, quæ præparavit
Deus his qui diligunt illum ; nobis autem
(d) Ibid. xiii, 12. revelavit Deus per Spiritum suum. (d) Vi- B
demus nunc per speculum in ænigmate ;
tunc autem facie ad faciem. Nunc cogno-
sco ex parte; tunc autem cognoscam sicut
(e) II Cor. iv, 16, 17. et cognitus sum. (e) Propter quod non de-
ficimus. Id enim quod in præsenti est
momentaneum et leve tribulationis no-
stræ, supra modum in sublimitate æter-
num gloriæ pondus operatur in nobis.
(f) Ibid. v, 1. (f) Scimus enim quoniam si terrestris do-
mus nostra habitationis dissolvatur, quod
ædificationem ex Deo habemus, domum
non manufactam æternam in cœlis. C
(g) Galat. vi, 9, 10. (g) Bonum igitur facientes non deficia-
mus : tempore enim suo metemus non
deficientes. Ergo dum tempus habemus,
operemur bonum ad omnes, maxime au-
(h) Philipp. iii, 7-11. tem ad domesticos fidei. (h) Nam quæ mi-
hi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum pro-
pter Christum detrimenta. Propter quem
omnia detrimentum feci et arbitror ut
stercora, ut Christum lucrifaciam, et in-
veniar in illo non habens meam justi-
tiam quæ ex lege est, sed illam quæ est
ex fide Jesu Christi, quæ ex Deo est justi- D
tia in fide : ad cognoscendum illum, et
virtutem resurrectionis ejus, et societa-
tem passionis illius, configuratus morti
ejus ; si quo modo occurram ad resurre-
(i) Coloss. i, 12-14. ctionem quæ est ex mortuis. (i) Quo-
niam Deus Pater dignos nos fecit in sor-
tem Sanctorum in lumine : qui eripuit
nos de potestate tenebrarum, et transtulit
in regnum Filii dilectionis suæ, in quo
habemus redemptionem, et remissionem
(j) Ibid. iii, 1-4. peccatorum. (j) Igitur, si consurrexistis
cum Christo, quæ sursum sunt quærite,
ubi Christus est in dextera Dei sedens ;
quæ sursum sunt sapite, non quæ super
terram. Mortui enim estis, et vita vestra
abscondita est cum Christo in Deo. Quum
autem Christus apparuerit, vita vestra,
tunc et vos apparebitis cum illo in gloria.

(k) Certa bonum certamen fidei ; appre- (k) I Tim. vi, 12.
hende vitam æternam in qua vocatus es,
et confessus bonam confessionem coram
multis testibus. (l) Scio enim cui credidi, (l) II Tim. i, 12.
et certus sum quia potens est depositum
meum servare in illum diem. (m) Labora (m) Ibid. ii, 3.
sicut bonus miles Christi Jesu. Laboran- Ibid. 6.
tem agricolam oportet primum de fructi-
bus percipere. (n) Ego enim jam delibor, (n) Ibid. iv, 6-8.
et tempus resolutionis meæ instat. Bonum
certamen certavi, cursum consummavi, fi-
dem servavi. In reliquo reposita est mihi
corona justitiæ, quam reddet mihi Domi-
nus in illa die justus judex : non solum
autem mihi, sed et his qui diligunt no-
men ejus. (o) Apparuit enim gratia Dei (o) Tit. ii, 11-13.
Salvatoris nostri omnibus hominibus, eru-
diens nos ut abnegantes impietatem et
sæcularia desideria, sobrie et juste et pie
vivamus in hoc sæculo, exspectantes bea-
tam spem et adventum gloriæ magni Dei
Jesu Christi.

(p) Ingrediemur enim in requiem ejus, (p) Hebr. iv, 3-11.
qui credimus, quemadmodum dixit : Sic-
ut juravi in ira mea, Si introibunt in re-
quiem meam : et quidem operibus ab
institutione mundi perfectis. Dixit enim
in quodam loco de die septimo sic : Et re-
quievit Deus die septimo ab omnibus ope-
ribus suis. Et in isto rursum : Si intro-
ibunt in requiem meam. Quoniam ergo
superest quosdam introire in illam, et hi
quibus prioribus annuntiatum est, non
introierunt propter incredulitatem, ite-
rum terminat diem quemdam Hodie, in
David dicendo, post tantum temporis, sic-
ut supra dictum est : Hodie si vocem ejus
audieritis, nolite obdurare corda vestra.
Nam si eis Jesus requiem præstitisset,
nunquam de alia loqueretur posthac die.
Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.

Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam requievit ab operibus suis : sicut et a suis Deus. Festinemus ergo ingredi in requiem illam, ut ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

(q) *Hebr.* VI, 13-18. — (q) Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum, dicens : Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. (r) *Ibid.* XIII, 14. — (r) Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

CAPITULUM XXXIII.

De desiderio dissolutionis, ut sit cum Christo.

(a) *Rom.* VIII, 22, 23. — (a) SCIMUS quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri. (b) *Ibid.* VII, 24, 25. — (b) Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. (c) I *Cor.* XIII, 9, 10. — (c) Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus ; quum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. (d) II *Cor.* V, 2-9. — (d) Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes : si tamen vestiti et non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. Audentes igitur semper, et scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino : per fidem enim ambulamus, et non per speciem ; audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. Et contendimus, sive absentes sive præsentes, placere illi. (e) *Philipp.* I, 21-26. — (e) Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro. Coarctor enim e duobus : desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo enim magis melius ; permanere autem in carne necessarium est propter vos. Et hoc confidens, scio quia manebo et permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum et gaudium fidei : ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos.

(f) *Hebr.* XI, 13. — (f) Juxta fidem autem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem illius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi ; nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum : paravit enim illis civitatem.

CAPITULUM XXXIV.

Contra idololatriam.

(a) *Rom.* I, 22, 23, 25. — (a) DICENTES se esse sapientes, stulti facti sunt ; et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in

(b) I *Cor.* viii, 1, 4-7. sæcula. (b) De his quæ idolis immolantur, scimus quoniam omnes scientiam habemus. De escis quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra : siquidem sunt dii multi et domini multi ; nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo ; et unus Dominus Jesus Christus, et nos per ipsum. (c) *Ibid.* x, 7, 14, 18-22. Sed non in omnibus est scientia. (c) Non ergo idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis ; quemadmodum scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Propter quod, carissimi, fugite ab idolorum cultura. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris ? Quid ergo ? Dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid ? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum ? Numquid fortiores illo (d) *Ibid.* xii, 2, 3. sumus ? (d) Scitis autem quoniam quum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, (e) *Galat.* iv, 8, 9. dicit anathema Jesu. (e) Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dii, serviebatis. Nunc autem quum agnoveritis Deum, imo agniti estis ab eo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis ?

CAPITULUM XXXV.

Contra diversa vitia hominum.

(a) *Rom.* i, 20, 21, 24, 28-32. (a) INEXCUSABILES sunt, quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cor- A dis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt : repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia ; plenos invidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate ; susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus inobedientes, insipientes, incompositos, sine affe- B ctione, absque fœdere, sine misericordia. Qui quum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte : non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. (b) Causati enim sumus Judæos et Græcos (b) *Rom.* iii, 9-18. omnes sub peccato esse, sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam ; non est intelligens, non est requirens Deum : omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt ; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulcrum patens est C guttur eorum ; linguis suis dolose agebant ; venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum ; et viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei ante oculos eorum.

(c) Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis (c) I *Cor.* v, 11, 13. serviens, aut maledicus, aut ebriosus : cum hujusmodi nec cibum sumere. Auferte ma- D lum ex vobis ipsis. (d) Nolite errare : ne- (d) *Ibid.* vi, 9, 10. que fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. (e) Non simus concupiscentes malorum, (e) *Ibid.* x, 6, 8-11. sicut et illi concupierunt. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpenti-

bus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.

(f) Ephes. IV, 26, 27, 30, 31. (f) Irascimini, et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia.

(g) Philipp. I, 15-17. (g) Quidam propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem prædicant Christum ; quidam autem ex caritate, scientes hoc quod in defensione Evangelii positus sum ; quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

(h) Coloss. III, 8, 9. (h) Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem.

(i) I Tim. I, 9-11. (i) Scientes hoc quia justo non est lex posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, patricidis et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris : et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei.

(j) Ibid. IV, 1-5. (j) Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere et abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem : quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per Verbum Dei et orationem.

(k) II Tim. III, 1-7. (k) Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei : habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.

(l) Tit. I, 15, 16. (l) Omnia munda mundis ; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, quum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

CAPITULUM XXXVI.

Exhortatio ad diversas virtutes et actus earum.

(a) Rom. VI, 13-15. (a) NON exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato ; sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur : non enim estis sub lege, sed sub gratia. Quid ergo ? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia ? Absit.

(b) I Cor. IV, 16, 17, 15, 14. (b) Rogo ergo vos, fratres, imitatores mei estote. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus et fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo. Nam et si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo.

(c) Ibid. VII, 29-32. (c) Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve est ; reliquum est ut et qui habent uxores, sint

tanquam non habentes ; et qui flent, A
tanquam non flentes ; et qui gaudent, tanquam non gaudentes ; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos
(d) I *Cor.* xvi, 13, 14. sine sollicitudine esse. (d) Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini, et
(e) II *Cor.* vi, 4-7. omnia vestra in caritate fiant. (e) In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in jejuniis, in vigiliis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in B
verbo veritatis, in virtute Dei, per arma
(f) *Ibid.* xiii, 11. justitiæ a dextris et a sinistris. (f) De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.
(g) *Ephes.* iv, 1-4. (g) Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia : supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in C
(h) *Philipp.* ii, 14-16. unam spem vocationis vestræ. (h) Omnia autem facite sine murmurationibus et hæsitationibus : ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perniciosæ, inter quos lucetis sicut luminaria in hoc mundo; verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi : quia non in vacuum
(i) *Coloss.* iii, 12, 13. cucurri, neque in vacuum laboravi. (i) Induite ergo vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; D
supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.
(j) I *Thess.* iv, 10, 11. (j) Rogamus autem vos, fratres : ut abundetis magis, et operam detis ut quieti sitis ; et ut vestrum negotium agatis et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis; et ut honeste ambuletis ad eos
(k) *Ibid.* v, 16, 17, 19-21. qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis. (k) Semper gaudete. Sine intermissione orate. Spiritum nolite exstinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate; quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. Fidelis est qui I *Thess.* v, 24-27.
vocavit vos : qui etiam faciet. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. (l) Juvenilia desideria fuge; se- (l) II *Tim.* ii, 22, 24, 25.
ctare vero justitiam, fidem, spem, caritatem et pacem cum his qui invocant Dominum de corde puro. Servum enim Domini oportet esse mansuetum, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati. (m) Discant autem (m) *Tit.* iii, 14.
et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. (n) Se- (n) I *Tim.* vi, 11.
ctare justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem.

CAPITULUM XXXVII.

De Synagoga et variis gratiæ donis olim illi collatis, et circumcisione duplici.

(a) CIRCUMCISIO quidem prodest, si le- (a) *Rom.* ii, 25-29.
gem observes. Si autem prævaricator legis sis, circumcisio præputium facta est. Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? Et judicabit quod ex natura est præputium, legem consummans, te qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es. Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto circumcisio in carne est; sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.
(b) Quid ergo amplius est Judæo? Aut quæ (b) *Ibid.* iii, 1-3.
utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidam eorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. (c) Qui sunt Israelitæ, quorum ado- (c) *Ibid.* ix, 4, 5.
ptio est filiorum, et gloria, et testamen-

tum, et legislatio, et obsequium, et promissio : quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia (d) Rom. xi, 1-6. Deus benedictus in sæcula. Amen. (d) Dico ergo : Numquid repulit Deus populum suum? Absit. Nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversus Israel? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt : et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal. Sic ergo et hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus : alioqui gratia jam non est gratia.

(e) I Cor. x, 1-6. (e) Nolo autem vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo : nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem (f) Galat. ii, 15. in figura facta sunt nostri. (f) Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores. (g) Rom. xv, 8. (g) Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones.

(h) I Cor. x, 18. (h) Videte Israel secundum carnem. (i) Philipp. iii, 3-6. (i) Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes : quanquam et ego habeam confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis; secundum legem, Pharisæus; secundum æmulationem, persequens Ecclesiam Dei; secundum justitiam quæ in lege est, conversatus sine querela.

(j) Hebr. i, 1, 2. (j) Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimis diebus locutus est nobis in Filio. (k) Ibid. ix, 1-5. (k) Habuit quidem et prius testamentum, justificationes culturæ, et sanctum sæculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum : quod dicitur Sancta. Post velamen autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron quæ fronduerat, et tabulæ testamenti; superque eam Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium : de quibus non est modo dicendum per singula.

CAPITULUM XXXVIII.

De Ecclesia.

(a) Galat. iv, 26, 27. (a) ILLA quæ sursum est Jerusalem, libera est : quæ est mater nostra. Scriptum est enim : Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis : quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum. (b) Ephes. v, 23-27. (b) Christus enim caput est Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus. Et Ecclesia subjecta est Christo, qui dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Ibid. 29-32. Nemo unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam : quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia. (c) I Tim. iii, 14, 15. (c) Hæc tibi scri-

bo, sperans me venire ad te cito; si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.

(d) *Hebr.* III, 5, 6.

(d) Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant; Christus vero tanquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos. (e) Vos enim estis templum Dei vivi, etc., ut supra. (f) Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accessibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonitum, et vocem verborum : quam qui audierunt, excusaverunt se ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur : Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit : Exterritus sum et tremebundus. Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritum perfectorum justorum, et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis adspersionem melius loquentem quam Abel. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam per quam serviamus placentes Deo.

(e) II *Cor.* VI, 16.
(f) *Hebr.* XII, 18-24, 28.

CAPITULUM XXXIX.

De efficacia et argumentis prædicationis evangelicæ legis, et de miraculis beati Pauli apostoli.

(a) *Rom.* I, 13-15.

(a) NOLO vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc. Græcis et Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum. Ita quod in me promptum est et vobis qui Romæ estis, evangelizare. (b) Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mi-

(b) *Ibid.* XV, 15-25, 28.

A hi a Deo, ut sim minister Christi Jesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti : ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi hoc Evangelium, B non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem ; sed sicut scriptum est : Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis, quum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex C parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. Hoc igitur quum consummavero et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam.

(c) I *Cor.* II, 1, 2, 4, 5.

(c) Et ego quum venissem ad vos, fratres, veni non per sublimitatem sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, D et hunc crucifixum. Et sermo meus et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. (d) Dei enim sumus adjutores ; Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Secundum gratiam quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui ; alius autem superædificat. (e) Non sum liber ? Non sum apostolus ? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi ? Nonne

(d) *Ibid.* III, 9, 10.
(e) *Ibid.* IX, 1, 2.

opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non sum apostolus, vobis tamen sum: nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino. (f) Notum autem vobis, fratres, facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini : qua ratione prædicaverim vobis, si retinetis, nisi frustra credidistis.

(f) I Cor. xv, 1, 2.

(g) Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco : quia Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt : aliis quidem odor mortis in mortem, aliis vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei ; sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. (h) Qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. (i) Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt opertum est : in quibus deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum : nos autem servos vestros per Jesum. (j) Nam si is qui venit, alium Christum prædicat quem nos non prædicavimus, aut alium spiritum accipitis quem non accepistis, aut aliud evangelium quod non recepistis : recte pateremini. Existimo enim me nihil minus fecisse a magnis Apostolis. Nam et si imperitus sum sermone, non tamen scientia. In omnibus autem manifestatus sum vobis. (k) Nihil enim minus feci ab his qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum. Signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus.

(g) II Cor. ii, 14-17. (h) Ibid. iii, 6. (i) Ibid. iv, 3-5. (j) Ibid. xi, 4-6. (k) Ibid. xii, 11, 12.

(l) Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum Evangelii venerunt : ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, et in ceteris omnibus; ita ut plures e fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. (m) Scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram, quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. (n) Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo; sed sicut probati sumus a Deo ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis : quum possemus vobis oneri esse ut Christi apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum.

(l) Philipp. i, 12-14. (m) I Thess. i, 4, 5. (n) Ibid. ii, 3-7.

(o) Quomodo autem effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ quum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est : contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem. (p) Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu est, auditus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. (q) Evangelium enim pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est; et fructificat et crescit, sicut in vobis, ex ea die qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate : sicut didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu, qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.

(o) Hebr. ii, 3, 4. (p) Rom. x, 15-18. (q) Coloss. i, 6-8.

CAPITULUM XL.

De gentium vocatione, et Judæorum excæcatione; de finali quoque conversione eorum ad Christum.

(a) *Rom.* IX. 23-31. (a) VASA misericordiæ præparavit Deus in gloriam. Quos et vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit : In loco ubi dictum est eis, Non plebs mea vos; ibi vocabuntur filii Dei vivi. Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. Verbum enim consummans et abbrevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus. Quid ergo dicemus? Gentes quæ non sequebantur justitiam, apprehenderunt justitiam : justitiam autem eam quæ est ex fide. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. (b) *Ibid.* X. 2, 3. (b) Testimonium enim illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. *Ibid.* 19-21. Sed dico : Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.

(c) *Ibid.* XI, 7-20. (c) Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est, ceteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non vide-A ant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et David dicit : Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem ipsis; obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Dico ergo : Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit; sed illorum delictum salus est gentibus, ut illos æmulentur. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum? Vo-B bis enim dico gentibus : Quamdiu quidem ego sum apostolus gentium, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? Quod si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem quum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari ad-C versus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo : Fracti sunt rami ut ego inserar. Bene : propter incredulitatem fracti sunt; tu autem fide stas.

Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : *Rom.* XI. 22-33. in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si tamen in bonitate permanseris : alioqui et tu excideris. Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere eos. Nam si tu ex D naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus in bonam olivam : quanto magis hi secundum naturam, inserentur suæ olivæ? Nolo autem vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes : quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : Veniet ex Sion qui eripiat, et avertat impietatem ab Jacob. Et hoc illis a me testamentum, quum abstulero peccata eorum. Secundum Evange-

lium quidem, inimici propter vos; secundum electionem autem, carissimi propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Sicut enim aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem; ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. O quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!

(d) *Rom.* xv, 8-12.
(d) Dico autem, gentes super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, et nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini, gentes, cum plebe ejus. Et iterum: Laudate Dominum, omnes gentes; et magnificate eum, omnes populi. Et rursum Isaias ait: Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, et in eum gentes sperabunt. (e) Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur; sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur. Sed usque in hodiernum diem, quum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Quum autem conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamen.
(e) II *Cor.* iii, 13-16.

(f) *Ephes.* ii, 11-13, 17, 18.
(f) Memores estote quod aliquando vos gentes eratis in carne qui dicebamini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta: qui eratis in tempore illo sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos qui eratis aliquando longe, facti estis prope in sanguine Christi. Qui veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem his qui prope: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Deum Patrem. (g) Sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis, esse gentes coheredes, et concorporales, et comparticipes promissionis in Christo Jesu, etc., ut supra. (h) Judæi autem et Dominum Jesum occiderunt et Prophetas, et nos persecuti sunt; et Deo non placent, et hominibus adversantur: prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper. Pervenit ira Dei super illos usque in finem.
(g) *Ibid.* iii, 5, 6.
(h) I *Thess.* ii, 15, 16.

CAPITULUM XLI.

De diversis gratiæ donis Ecclesiæ collatis tempore gratiæ sub evangelica lege.

(a) HABENTES autem donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate; odientes malum, adhærentes bono, sollicitudine non pigri, Domino servientes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes; id ipsum in invicem sentientes: si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes, carissimi; sed date locum iræ. (b) Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. (c) Quia in omnibus divites facti estis in Deo, in omni verbo, et in omni scientia: ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, etc., ut supra. (d) Nescitis quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. (e) Et iniqui quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus Sancti, qui est in vobis, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pre-

(a) *Rom.* xii, 6-9, 11, 13, 16, 18, 19.
(b) *Ibid.* xv, 14.
(c) I *Cor.* i, 5, 7.
(d) *Ibid.* iii, 16, 17.
(e) *Ibid.* vi, 11, 19, 20.

tio magno : glorificate ergo et portate Deum in corpore vestro.

(f) I Cor. XII, 1, 3-13. (f) De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres, quia nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii distinctio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis quum sint multa, unum corpus sunt : ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi; et omnes in uno Spiritu potati sumus.

Ibid. 14-26. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore : non ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, Non sum oculus, non sum de corpore : non ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarii. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt; et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent; sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat ampliorem tribuendo honorem : ut non sit schisma in corpore, sed in id ipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra ; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia : primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes; exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? I Cor. XII, 27-30.

CAPITULUM XLII.

Adhuc de eadem materia, et comparatione gratiarum ad invicem, atque de modo utendi, et de profectu in ipsis.

(a) ÆMULAMINI spiritualia, magis autem ut prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo : nemo enim audit. Spiritus autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, et exhortationem, et consolationem. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat; qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Volo autem vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare : nam major est qui prophetat, quam qui loquitur lingua, nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Tamen quæ sine anima sunt (a) I Cor. XIV, 1-11.

vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi A distinctionem sonitus dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba, quis præparabit se ad prælium? Ita et vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Tam multa utputa genera linguarum sunt in hoc mundo, et nihil sine voce est. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus; et qui loquitur mihi, barbarus. Et ideo qui loquitur lingua, oret B ut interpretetur.

I Cor. xiv. 16-19. Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor. Sed in ecclesia volo quinque verba meo sensu loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.

Ibid. 21-32. In lege enim scriptum est: Quoniam in aliis linguis et aliis labiis loquar populo C huic; et nec sic exaudient me, dicit Dominus. Itaque linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus; prophetiæ autem, non infidelibus, sed fidelibus. Si ergo universa ecclesia conveniat in unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent quod insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem aliquis infidelis aut idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta enim cordis ejus manifesta fiunt. Et ita cadens in faciem adorabit D Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. Quid ergo est, fratres? Quum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, et per partes, et unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia; sibi autem loquatur, et Deo. Prophetæ duo aut tres dicant, ceteri dijudicent. Quod si aliquid revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, et omnes exhortentur. Et spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt. Itaque, fratres, æmulamini prophetare, et loqui linguis nolite prohibere. I Cor. xiv. 39.

(b) Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. (b) Ibid. xv. 57. (c) Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus; qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. (c) II Cor. i. 21, 22. (d) Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem heredes. (d) Galat. iii. 29. (e) Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba (Pater). Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et heres per Deum. (e) Ibid. iv. 6, 7. (f) Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et heredes. Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et simul glorificemur. (f) Rom. viii. 14-17. (g) Nos itaque, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum; ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus: non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit. (g) Galat. iv. 28-31.

CAPITULUM XLIII.

De excellentia supernorum charismatum Christifidelibus concessorum, præsertim in primitiva Ecclesia.

(a) BENEDICTUS Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœ- (a) Ephes. i. 3, 6, 7, 13, 14.

lestibus in Christo Jesu, in laudem gloriæ A gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus. In quo et vos, quum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ, in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.

(b) *Ephes.* II, 4-7. (b) Deus enim qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, et resuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu : ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Jesu. *Ibid.* 19-22. Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino ; in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.

(c) *Ibid.* IV, 7, 8, 11-13. (c) Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit : Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores : ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

(d) I *Thess.* I, 7-10. (d) Et vos facti estis forma omnibus credentibus. Nam in omni loco fides vestra quæ est ad Deum, perfecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de vobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos, et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et exspectare Filium ejus de cœlis, quem suscitavit ex mortuis Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

(e) I *Thess.* II, 13. (e) Ideo et nos agimus gratias Deo sine intermissione, quoniam quum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut vere est, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.

(f) I *Tim.* I, 14. (f) Superabundavit autem gratia Domini nostri Jesu Christi, cum fide et dilectione quæ est in Christo Jesu.

(g) II *Tim.* I, 9-12. (g) Deus nos B liberavit, et vocavit vocatione sua sancta : non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia. Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium, in quo positus sum ego prædicator, et apostolus, et magister gentium. Ob quam causam etiam hæc patior ; sed non confundor.

(h) *Tit.* II, 14. (h) Quoniam C Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

(i) *Ibid.* III, 3-7. (i) Eramus enim et nos aliquando insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Quum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam, salvos nos fecit per lavacrum re- D generationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum : ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ.

(j) *Hebr.* XIII, 10-12. (j) Habemus enim altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

CAPITULUM XLIV.

De prædestinatione et præscientia Dei.

(a) *Rom.* VIII, 28-34.

(a) SCIMUS autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et justificavit ; quos autem justificavit, illos et magnificavit. Quid ergo dicemus ad hæc ? Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit ? Quis accusabit adversus electos Dei ? Deus qui justificat, quis est qui condemnet ? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

(b) *Ibid.* IX, 6-23.

(b) Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ ; neque qui semen Abrahæ, omnes filii sunt. Sed in Isaac vocabitur tibi semen : id est, non qui filii sunt carnis, ii filii Dei ; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius. Non solum autem illa, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Quum enim nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali : ut secundum electionem propositum Dei maneret, et non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei, Quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus ? Numquid iniquitas est apud Deum ? Absit. Moysi enim dixit : Miserebor cujus misereor, et misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem A meam, et annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Dicis itaque mihi : Quid adhuc quæritur ? Voluntati ejus quis resistit ? O homo, tu quis es ut respondeas Deo ? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic ? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ? Quod si Deus volens ostendere iram suam, et notam facere potentiam suam, sustinuit B in multa patientia vasa iræ apta in interitum ; ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. (c) O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(c) *Rom.* XI, 33-36.

(d) I *Cor.* I, 26-29.

C (d) Videte enim vocationem vestram, fratres : quia non multi sapientes secundum carnem, non multi prudentes, non multi nobiles sunt inter vos. Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus. (e) Deus D enim nos elegit in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, in caritate : qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. In quo et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus, nos qui ante speravimus in Christo. (f) Ipsius enim

Ibid. 9.

(e) *Ephes.* I, 4-6, 11, 12.

(f) *Ibid.* I, 10.

sumus factura, creati in Christo Jesu, in A
operibus bonis, quæ præparavit Deus ut
(g) *Philipp.* II, 13. in illis ambulemus. (g) Deus est enim qui
operatur in vobis et velle et perficere pro
(h) II *Tim.* II, 20, 21. bona voluntate. (h) In magna autem domo, non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam vero in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

CAPITULUM XLV.

De justitia Dei, et rigore divini judicii contra iniquos.

(a) *Rom.* I, 18, 19. (a) REVELATUR ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent : quia quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim
(b) *Ibid.* II, 6-9, 11-16. illis revelavit. (b) Qui reddet unicuique
secundum opera ejus : iis quidem qui se- C
cundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem, quærentibus vitam æternam ; iis autem qui sunt ex contentione, et non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt ; et quicumque in lege peccaverunt, per
legem judicabuntur. Non enim auditores D
legis justi sunt apud Deum ; sed factores legis justificabuntur. Quum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, sibi ipsi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die quum judicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum, per

Jesum Christum. (c) Est autem Deus ve- (c) *Rom.* III, 4-9.
rax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus ? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram ? (Secundum hominem dico.) Absit. Alioqui, quomodo judicabit Deus hunc mundum ? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc ego tanquam peccator judicor ? Et non sicut blaspheB
mamur, et sicut aiunt quidam nos dicere, Faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio justa est. Quid ergo ? Præcellimus eos ? Nequaquam. Causati enim sumus, etc., ut supra.

(d) Unusquisque propriam mercedem (d) I *Cor.* III, 8, 10-15.
accipiet, secundum suum laborem. Ut sapiens architectus fundamentum posui. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus. Si quis au-
tem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam : uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur ; et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per
ignem. (e) Omnes enim nos manifestari (e) II *Cor.* V, 10.
oportet ante tribunal Christi, ut referat
unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. (f) Nam Deus (f) *Galat.* II, 6.
personam hominis non accipit.

(g) Justum est apud Deum, retribuere (g) II *Thess.* I, 6-10.
tribulationem his qui vos tribulant, et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Qui pœnas dabunt in interitu æternas, a facie Domini et

a gloria virtutis, quum venerit glorificari in Sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt : quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. (h) Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium ; quorumdam autem et subsequuntur. Similiter et facta bona manifesta sunt ; et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

(h) *I Tim.* v, 24, 25.

(i) Propter quod offensus fui (dicit Spiritus Sanctus) generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde ; ipsi vero non cognoverunt vias meas. Quibus juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam. Quidam enim audientes exacerbaverunt ; sed non universi qui profecti sunt ab Ægypto per Moysen. Quibus autem offensus est quadraginta annis ? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto ? Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt ? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem. (j) Terribilis quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios. Scimus enim qui dixit : Mihi vindictam, et ego retribuam ; et iterum : Quia judicabit Dominus populum suum. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, et non tardabit. (k) Qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, etc., ut supra.

(i) *Hebr.* III, 10, 11, 16-19.

(j) *Ibid.* x, 27, 30, 37.

(k) *I Cor.* IV, 5.

CAPITULUM XLVI.

De ineffabili misericordia Dei super genus humanum, et de pia hominum redemptione per Christum.

(a) JUSTIFICATI gratis per gratiam Dei, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore : ut sit ipse justus, et justificans eum qui ex fide est Domini

(a) *Rom.* III, 24-26.

A nostri Jesu Christi. (b) Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. (c) Ut quid enim Christus, quum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est ? Vix enim pro justo quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem caritatem suam in nobis Deus, quoniam quum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis, justificati nunc in sanguine ipsius,
B salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.

(b) *Rom.* IV, 25.

(c) *Ibid.* v, 6-10.

(d) Æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt : ecce facta sunt omnia nova. Omnia autem ex
C Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum ; et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. (e) Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo
D nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. (f) Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno : ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

(d) *II Cor.* v, 14, 15, 17-21.

(e) *Galat.* I, 4, 5.

(f) *Ibid.* III, 13, 14.

(g) Christus enim est pax nostra, qui fecit utraque unum ; et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua ;

(g) *Ephes.* II, 14-18.

legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso, in uno novo homine, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem his qui prope : quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. (h) Quia in Christo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris. Et vos quum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis ; nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso. (i) Et vos quum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta : delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci ; et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. (j) Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. (k) Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus ; cujus testimonium suis temporibus confirmatum est, in quo sum ego prædicator et apostolus. Veritatem dico in Christo, et non mentior, doctor gentium in fide et veritate.

(h) *Coloss.* I, 19-22.

(i) *Ibid.* II, 13-15.

(j) I *Tim.* I, 15.

(k) *Ibid.* II, 5-7.

CAPITULUM XLVII.

De variis Christi mysteriis, utpote incarnatione, nativitate, humiliatione, paupertate, passione, resurrectione, apparitione, ascensione, et glorificatione ipsius ; atque de suæ salutiferæ passionis effectibus.

(a) EUM autem qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore A coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te ; et iterum, Ego ero fidens in eum ; et iterum, Ecce ego et pueri mei, quos B dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem : ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

(a) *Hebr.* II, 9-17.

C (b) Christus autem adsistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et vitulorum, et cinis vitulæ adspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum D Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ? Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hereditatis. Ubi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est : alioqui nondum valet dum vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine san-

(b) *Hebr.* IX, 11-28.

guine dedicatum est. Lecto enim omni A legis mandato a Moyse universo populo, accipiens sanguinem hircorum et vitulorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et universum populum adspersit, dicens : Hic est sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter adspersit : et omnia pene mundantur in sanguine, secundum legem, et sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria cœlestium his mundari, ipsa B autem cœlestia melioribus hostiis quam istis. Non enim in manufacta Sancta Jesus introiit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat vultui Dei pro nobis ; neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno : alioqui oportebat eum frequenter pati, ab origine mundi ; nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destructionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus C semel mori, post hoc autem judicium ; sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem.

(c) *Rom.* VIII, 1, 3. (c) Nihil ergo damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Nam Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, etc., ut supra. (d) *I Cor.* XV, 3-8. (d) Tradidi enim in primis vobis quod et accepi : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secun- D dum Scripturas ; et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die, secundum Scripturas ; et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim ; deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul : ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Novissime autem omnium tanquam abortivo, visus est et mihi. (e) *II Tim.* II, 8, 9. (e) Itaque memor esto Dominum nostrum Jesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David, secundum evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans ; sed verbum Dei non est alligatum. (f) Nam ubi venit (f) *Galat.* IV, 4, 5. plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, et ut adoptionem filiorum reciperemus. (g) Sci- (g) *II Cor.* VIII, 9. tis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, quum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. (h) Ubi præcursor pro no- (h) *Hebr.* VI, 20. bis introiit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.

(i) Quod autem ascendit, quid est, nisi (i) *Ephes.* IV, 9, 10. quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est qui et ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. (j) Qui quum in forma Dei (j) *Philipp.* II, 6-11. esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. (k) Et manifeste ma- (k) *I Tim.* III, 16. gnum pietatis est sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

CAPITULUM XLVIII.

Quod Christus est caput Ecclesiæ, non solum militantis, sed etiam triumphantis; et de mystica Ecclesiæ unitate ; atque de excellentia et præconiis Christi.

(a) DICO omnibus, non plus sapere (a) *Rom.* XII, 3, 4. quam oportet ; et unicuique, sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim

in uno corpore multa membra habemus, A omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. [(b) I *Cor.* XII, 12.] (b) Sicut enim corpus unum est, et multa membra habet, etc., ut supra. [(c) *Galat.* III, 28.] (c) Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. [(d) *Ephes.* I, 20-23.] (d) Quem Deus constituit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem, et B omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed et in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus. Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. [(e) *Ibid.* IV, 15, 16.] (e) Qui est caput Christus : ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate. [(f) *Ibid.* V, 23.] (f) Nam Christus est ca- C put Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus. [(g) *Coloss.* I, 15-18.] (g) Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ : quia in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. [(h) *Ibid.* II, 9, 10.] (h) Quia in D ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis.

[(i) *Hebr.* II, 5-8.] (i) Non enim angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens : Quid est homo quod memor es ejus, et filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quod ei omnia subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem nondum videmus omnia subjecta ei. [(j) *Hebr.* III, 2-6.] (j) Qui fidelis est ei qui fecit illum : sicut et Moyses in omni domo ejus. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant; Christus vero tanquam Filius in domo sua : quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque in finem firmam retineamus.

CAPITULUM XLIX.

De divinitate et eminentia unigeniti Filii Dei.

[(a) *Hebr.* I, 2-14.] (a) LOCUTUS est nobis Deus in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et sæcula. Qui quum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis : tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te; et rursus, Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium? Et quum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem : Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo

exsultationis præ participibus tuis. Et : Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis ; et omnes sicut vestimentum veterascent ; ac velut amictum mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Ad quem autem angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ? Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis ?

(b) Hebr. IV, 12. 13. — (b) Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus; compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis ; et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. (c) Ibid. XIII, 8. — (c) Etenim Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula. (d) Rom. IX, 5. — (d) Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. (e) Philipp. II, 6. — (e) Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, etc., ut supra.

CAPITULUM L.

De insufficientia et impotentia legis Mosaicæ ad salvandum sine fide et gratia Christi.

(a) Rom. III, 20-23. — (a) EX operibus legis non justificatur omnis caro coram Deo : per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a lege et Prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio : omnes enim peccaverunt, et Ibid. 27-31. — egent gloria Dei. Ubi est ergo gloriatio tua ? Exclusa est. Per quam legem ? Factorum ? Non ; sed per legem fidei. Arbitramur enim hominem justificari per fidem, sine operibus legis. An Judæorum Deus tantum ? Nonne et gentium ? Imo et gentium. Quoniam quidem unus Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem ? Absit ; sed legem statuimus.

(b) Rom. IV, 1-17. — (b) Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem ? Si enim Abraham ex operibus legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. Sicut et David dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto fert justitiam sine operibus : Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata ; beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio ? Dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est ? In circumcisione, an in præputio ? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio : ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam ; et sit pater circumcisionis, non his tantum qui ex circumcisione sunt, sed et his qui sectantur vestigia fidei quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut heres esset mundi ; sed per justitiam fidei. Si enim qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, ablata est promissio. Lex enim iram operatur : ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini : non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est : Quia patrem multarum gentium posui te ante

Deum cui credidisti, qui vivificat mortu- A
os, et vocat ea quæ non sunt tanquam
ea quæ sunt.

(c) Rom. v, 13. 20. (c) Usque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset. Nam lex subintravit ut abundaret delictum. (d) Ibid. vii, 1 13. (d) An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor), quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit B cum alio viro. Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo. Quum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur : ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. C Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando; sed quum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum; et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. Ita- D que lex quidem sancta, et mandatum sanctum, justum et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

(e) Ibid. viii, 2. (e) Lex autem spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me a lege peccati et mortis.

(f) I Cor. vi, 12. (f) Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.

CAPITULUM LI.

De perfectione et eminentia evangelicæ legis supra legem scriptam.

(a) II Cor. iii, 7-11. (a) Si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent filii Israel intendere in faciem Moysis propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur : quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur, in gloria est, multo magis quod manet, in gloria est. (b) Hebr. vii, 18-20. (b) Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem : nihil enim ad perfectum duxit lex; introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est, non sine jurejurando. (c) Ibid. viii, 6-13. (c) Nunc autem Christus melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit : Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum : non secundum testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Ægypti : quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in mente eorum, et in corde eorum superscribam eas; et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum : quia omnes scient me, a minore usque ad majorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccato-

rum eorum jam non memorabor. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.

CAPITULUM LII.

De insufficientia et reprobatione sacrificiorum legalium, et efficacia sacrificii novæ legis.

(a) Hebr. x, 1-18. (a) UMBRAM enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere : alioqui cessassent offerri, ideo quod nullam ultra conscientiam peccati haberent cultores semel mundati; sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata et pro peccato tibi non placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens : Quia hostias et oblationes et holocautomata et pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur; tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe hostias offerens, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Contestatur autem nos Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit : Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus : Dabo leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas, et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato.

(b) Tabernaculum enim factum primum, etc., ut supra. His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes; in secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine quem offerret pro sua ac populi ignorantia : hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est temporis instantis, juxta quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis, et potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis. (b) Hebr. ix, 2, 6-10.

CAPITULUM LIII.

Adhuc de insufficientia imperfectioneque legis, et cessatione legalium tempore novæ legis.

(a) ASCENDI Jerosolymam, secundum revelationem, et contuli cum illis evangelium quod prædico in gentibus; seorsum autem cum his qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem. Sed neque Titus, qui mecum erat, quum esset gentilis, compulsus est circumcidi; sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent : quibus neque ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos. Mihi autem qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Sed econtra, quum vidissent mihi creditum esse evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, (a) Galat. ii, 2-14.

operatus est et mihi inter gentes) ; et quum cognovissent gratiam Dei quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem ; tantum ut pauperum memores essemus : quod et sollicitus fui hoc ipsum facere. Quum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat ; quum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur in eamdem simulationem. Sed quum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus : Si tu, quum Judæus sis, gentiliter et non Judaice vivis, quomodo
Galat. II, 16-19. cogis gentes judaizare ? Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi : et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non justificatur omnis caro. Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores : numquid Christus peccati minister est ? Absit. Si enim quæ destruxi, hæc iterum reædifico, prævaricatorem me constituo. Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam.

(b) *Ibid.* III, 1-5. (b) O insensati Galatæ ! quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus proscriptus est, et in vobis crucifixus ? Hoc solum volo a vobis discere : Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei ? Sic stulti estis, ut quum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Tanta passi estis sine causa : si tamen sine causa. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, operatur et virtutes in vobis : ex operibus legis, an ex auditu fidei ?
Ibid. 10-12. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim : Maledictus omnis qui non permanserit in

A omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus, ut faciat ea. Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est : quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea vivet in illis.

Fratres (secundum hominem dico), tamen hominis confirmatum testamentum *Galat.* III, 15-25. nemo spernit, aut superordinat. Abrahæ enim dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non enim dicit, Et seminibus, quasi in multis ; sed quasi in uno, Et semini B tuo, qui est Christus. Hoc autem dico : Testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. Nam si ex lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. Quid igitur lex ? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui repromiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est ; Deus autem unus est. Lex ergo adversus promissa C Dei ? Absit. Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificaremur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. (c) Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur : scientes hoc, quia (c) I *Tim.* I, 8, 9. D justo non est lex posita, sed injustis, etc., ut supra.

CAPITULUM LIV.

De cessatione circumcisionis, aliarumque observantiarum legalium, tempore Evangelii promulgati.

(a) STATE, et nolite iterum servitutis jugo contineri. Ecce ego Paulus (a) *Galat.* V, 1-4, 7, 8, 10-13. dico vobis, quoniam si circumcidamini,

Christus nihil vobis proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini; a gratia excidistis. Currebatis bene : quis vos impedivit veritati non obedire? Nemini consenseritis. Persuasio enim hæc non est ex eo qui vocat vos. Ego autem confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit judicium suum, quicumque est ille. Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. Utinam et abscindantur qui vos conturbant. Vos enim in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis. (b) Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt; sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. In Christo autem Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. (c) Si spiritu ducimini, non estis sub lege.

(b) Galat. VI, 12, 13, 15. (c) Ibid. V, 18.

(d) Dico autem : Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo, quum sit dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre. Ita et nos quum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. Dies observatis, et menses, et tempora, et annos. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. Estote sicut ego, quia et ego sicut vos. Fratres, obsecro vos : nihil me læsistis. Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem, et tentationem vestram in carne mea non sprevistis, neque respuistis; sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? Æmulantur vos non bene; sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur in vobis Christus. Vellem autem esse apud vos, et mutare vocem meam : quoniam confundor in vobis. Dicite mihi, qui sub lege vultis esse : legem non legistis? Scriptum est enim quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem. Quæ sunt secundum allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta. Unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem et servit cum filiis suis. (e) Peccatum enim vobis non dominabitur : non enim estis sub lege, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.

(d) Ibid. IV, 1-3. Ibid. 10-17. Galat. IV, 19-25. (e) Rom. VI, 14, 15.

CAPITULUM LV.

De sacerdotio et pontificio Christi; et de eminentia Melchisedech, qui fuit ejus figura: et qualiter per Abraham decimatus est Levi.

(a) HABENTES ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. (b) Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis : qui condolere possit his qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

(a) Hebr. IV, 14. (b) Ibid. V, 1-6, 10, 11.

Appellatus a Deo Patre pontifex juxta ordinem Melchisedech. De quo nobis grandis sermo et interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

(c) Hebr. VII, 1-17. (c) Hic enim Melchisedech, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum : cui decimas omnium divisit Abraham. Primum quidem qui interpretatur rex justitiæ; deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis; sine patre, sine matre, sine genealogia; neque initium dierum neque finem vitæ habens. Assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus sit hic, cui de præcipuis dedit Abraham patriarcha. Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est a fratribus suis : quanquam et ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc qui habebat repromissiones, benedixit. Sine ulla autem contradictione, quod minus est a meliore benedicitur. Et hic quidem homines morientes decimas accipiunt; ibi autem contestatur quia vivit. Et ut ita dictum sit, per Abraham, et Levi qui decimas accepit, decimatus est. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech. Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) : quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium sacerdotem surgere, et non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altario præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster : in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim : A Quoniam tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt; hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum : Juravit Dominus et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum. In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, quoniam permanet in æternum, perpetuum habet sacerdotium. Talis enim decebat ut B nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior cœlis factus : qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdos, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit semel, se offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes, infirmitatem habentes; sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

Hebr. VII, 20-24. Ibid. 26-28.

(d) Ibid. VIII, 1-5. (d) Capitulum autem super ea quæ dicuntur. Talem habemus pontificem, qui C consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, Sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus, et non homo. Omnis enim pontifex ad offerenda munera et hostias constituitur. Unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, quum essent qui secundum legem offerrent munera, qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium, sicut responsum est Moysi, quum consummaret tabernaculum : Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar D quod tibi in monte monstratum est.

CAPITULUM LVI.

Quibus virtutibus debeant esse ornati in sacris Ordinibus constituti, episcopi, sacerdotes, diaconi.

(a) I Tim. III, 1-10, 12, 13. (a) FIDELIS sermo : si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem,

doctorem ; non vinolentum, non percussorem, sed modestum ; non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem suæ domui præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit ? Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint et suis domibus. Qui enim bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirent, et multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu.

(b) *Tit.* I, 5-9. (b) Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros sicut et ego tibi disposui : si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum ; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. (c) I *Tim.* V, 19. (c) Adversus presbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.

CAPITULUM LVII.

De institutione et communione sacramenti Eucharistiæ ; et quam damnabile sit illud indigne accipere.

(a) I *Cor.* X, 15-17. (a) UT prudentibus loquor : vos ipsi judicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus. (b) Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis : (b) I *Cor.* XI, 23-30. quoniam Dominus noster Jesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate ; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo sunt inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Itaque, fratres, *Ibid.* 33, 34. quum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Cetera autem, quum venero, disponam.

CAPITULUM LVIII.

Qualiter conjugati debeant se habere, et de consilio continentiæ virginalis et vidualis.

(a) I *Cor.* VII, 1-17. (a) DE quibus autem scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis non habet potestatem, sed vir. Similiter et vir sui corporis non habet potestatem, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi ; et iterum re-

vertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum ; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis : Bonum est illis, si sic permaneant, ut et ego. Quod si se non continent, nubant. Melius enim est nubere quam uri. His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere ; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam ceteris ego dico, non Dominus : Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem ; et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioqui et filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat : non est enim servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi. Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies ? Aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies? nisi unicuique sicut divisit Deus.

I *Cor.* VII, 25-28, 32-40. De virginibus autem præceptum Domini non habeo ; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo autem hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori ? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore ? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti ; et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori ; et divisus est. Et mulier innupta, et virgo, cogitat

A quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri : quod vult faciat; non peccat si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens aliquam necessi- B tatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ; et qui non jungit, melius facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est. Cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.

(b) Mulieres viris suis subditæ sint, sic- C ut domino : quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus Ecclesiæ. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam. Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Verumtamen et vos singuli unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat. Uxor autem timeat virum. (c) Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri, diligite D uxores vestras, et nolite amari esse ad eas. (d) Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus.

(b) *Ephes.* V, 22-25, 28, 33.

(c) *Coloss.* III, 18, 19.

(d) *Hebr.* XIII, 4.

CAPITULUM LIX.

De quibusdam documentis pertinentibus generaliter ad viros, atque mulieres, et viduas.

(a) VOLO autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est ; caput autem mulieris, vir ; caput vero Christi, Deus.

(a) I *Cor.* XI, 3-15.

Omnis vir orans aut prophetans velato A capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. Unum est enim ac si decalvetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria est Dei. Mulier autem gloria est viri. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo B debet mulier velamen habere super caput suum, et propter angelos. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem. Vos ipsi judicate : decet mulierem non velatam orare Deum ? Nec ipsa natura docet vos. Quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi. Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi : quoniam capilli pro velamine dati sunt illi.

(b) I *Cor.* xiv. 34 37. (b) Mulieres in ecclesiis taceant : non C enim permittitur eis loqui, sed subjectas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulierem loqui in ecclesia. An a vobis verbum Dei processit ? An in vos solos pervenit ? Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis : quoniam Domini sunt mandata.

(c) I *Tim.* ii. 9-15. (c) Mulieres ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa ; sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per D opera bona. Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eva. Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.

(d) *Ibid.* v. 3-7. (d) Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam bene regere, et mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus, nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens : si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas devita. Quum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia, ut his quæ vere viduæ sunt sufficiat. I *Tim.* v, 9-12, 14-16.

CAPITULUM LX.

Qualiter parentes habere se debeant ad sobolem suam, et econverso ; qualiter etiam domini ad servos, et vice versa.

(a) FILII, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est. Honora patrem tuum et matrem (quod est mandatum primum in promissione), ut sis longævus super terram. Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini. (a) *Ephes.* vi, 1-4.

(b) Filii, obedite parentibus vestris per omnia : hoc enim placitum est in Domino. Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. (b) *Coloss.* iii, 20, 21.

(c) Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. (c) II *Cor.* xii, 14.

(d) Servi, obedite dominis carnalibus (d) *Ephes.* vi, 5-9.

cum timore et tremore, in simplicitate A
cordis vestri, sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes ; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo ; cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non sicut hominibus : scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc percipiet a Domino, sive servus, sive liber. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas : scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et persona-
(e) *Coloss.* III, 22-24. rum acceptio non est apud Deum. (e) Ser- B
vi, obedite per omnia dominis carnalibus, in simplicitate cordis, timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini : scientes quod a Domino accipietis retribu-
(f) *Ibid.* IV, 1. tionem hereditatis. (f) Domini, quod æquum et justum est, servis præstate : scientes quoniam et vos Dominum habetis in cœ-
(g) I *Tim.* VI, 1, 2. lo. (g) Quicumque sub jugo sunt servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres C
sunt ; sed magis serviant, quia fideles
(h) *Tit.* II, 9. sunt, quia beneficii participes sunt. (h) Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes ; sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri ornent in omnibus.

CAPITULUM LXI.

Qualiter superiores habere se debeant ad subditos, et econtra ; et de quibusdam documentis ad prælatos spectantibus ; et qualiter diversos diversimode instruere debeant. D

(a) I *Thess.* V, 12, 13. (a) ROGAMUS autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos : ut habeatis illos abundantius in ca-
(b) *Ibid.* IV, 8. ritate, propter opus illorum. Pacem habe-
(c) I *Tim.* V, 17. te cum eis. (b) Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum. (c) Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, etc., ut supra. (d) Memen-
(d) *Hebr.* XIII, 7, 17. tote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri ; ut cum gaudio hoc faciant, et non gemen-
(e) *Philipp.* II, 29. tes : hoc enim expedit vobis. (e) Ejusmodi cum honore habetote, et cum omni gaudio excipite.

(f) I *Tim.* IV, 13, 14, 16. (f) Dum venio, attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. Attende tibi, et doctrinæ. Insta in illis : hoc enim faciens, et te ipsum
(g) *Ibid.* V, 22. salvum facies, et eos qui te audiunt. (g) Manus cito nemini imposueris ; neque com-
(h) II *Tim.* IV, 5. municaveris peccatis alienis. (h) Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius
(i) *Ibid.* II, 14. esto. (i) Hæc commone testificans coram
(j) *Ibid.* III, 10, 11. Domino. (j) Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones : qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, Lystris ; quales persecutiones sustinui : et ex om-
(k) *Ibid.* IV, 2. nibus eripuit me Dominus. (k) Prædica verbum, insta opportune, importune ; argue, obsecra, increpa, etc., ut supra.

(l) I *Tim.* IV, 12. (l) Exemplum esto fidelium, in verbo,
(m) *Ibid.* V, 1, 2. in conversatione, in caritate. (m) Seniorem obsecra ut patrem ; juvenes, ut fratres ; anus, ut matres ; juvenculas, ut sorores
(n) *Tit.* II, 1-6. in omni castitate. (n) Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam : senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia ; anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudentiam doceant ; adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis : ut non blasphemetur verbum Dei. Juvenes

(o) I *Tim.* IV, 6. similiter hortare ut sobrii sint. (o) Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei et bonæ doctrinæ quam assecutus es. A

CAPITULUM LXII.

De spirituali regeneratione Baptismi; et cur debeamus de cetero recedere a peccatis.

(a) *Rom.* V, 20. (a) UBI abundavit delictum, superabundavit et gratia, etc., ut supra. (b) *Ibid.* VI, 1-11. (b) Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus : hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum illo : scientes quia Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos, existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. (c) *Galat.* III, 27. (c) Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. (d) *Coloss.* II, 11, 12. (d) In quo et circumcisi estis circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Jesu Christi : consepulti ei in Baptismo, in quo et resurrexistis, per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.

CAPITULUM LXIII.

De adventu impiissimi et falsissimi Antichristi, ac die judicii.

(a) NON terreamini, quasi instet dies Domini. (a) II *Thess.* II, 2-11. Ne quis vos seducat ullo modo : quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat,
B ostendens se tanquam sit Deus. Non retinetis quod quum adhuc essem vobiscum, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis : tantum ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum : cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendaci-
C bus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio : ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. (b) De (b) I *Thess.* V, 1-4. temporibus autem et momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Quum enim dixerint, Pax et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor
D in utero habentis, et non effugient. Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat.

CAPITULUM LXIV.

De generali resurrectione futura.

(a) SI quis Spiritum Christi non habet, (a) *Rom.* VIII, 9, 11. hic non est ejus. Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, habitat in vobis : qui suscitavit Je-

sum Christum a mortuis, vivificabit et A mortalia corpora vestra, propter inhabi- (b) I *Cor.* vi, 14. tantem Spiritum ejus in vobis. (b) Deus est qui Dominum suscitavit, et nos sus- (c) II *Cor.* iv, 14. citabit per virtutem suam. (c) Scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum. (d) *Ibid.* xiii, 3, 4. (d) Christus enim in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Nam et nos infirmi sumus in illo; sed vivimus ex virtute Dei in vo- (e) I *Thess.* iv, 14-17. bis. (e) Si enim credimus quod Jesus mor- B tuus est, et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo; et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera : et sic semper C cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

CAPITULUM LXV.

De fideli probatione ac diversitate resurrectionis futuræ, ac dotibus corporum glorificandorum.

(a) I *Cor.* xv, 12-19. (a) SI autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo qui- D dam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum : quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Nunc autem Christus resurrexit a mor- I *Cor.* xv, 20-34. tuis, primitiæ dormientium : quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur; unusquisque autem in suo ordine : primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt. Deinde finis, quum tradiderit regnum Deo Patri, quum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissime autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Quum autem dicat, Omnia subjecta sunt ei : sine dubio, præter eum qui subjecit ei omnia. Quum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit illi qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Alioqui, quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro eis? Ut quid et nos periclitamur omni hora? Quotidie enim morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. Si secundum hominem, ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus : cras enim moriemur. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia prava. Evigilate, justi, et nolite peccare. Ad reverentiam vobis loquor.

Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt *Ibid.* 35-46. mortui? quali autem corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, utputa tritici aut alicujus ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuique seminum propri-

um corpus. Non omnis caro, eadem caro; sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Et corpora cœlestia, et corpora terrestria ; sed alia quidem cœlestium gloria, alia terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est et spirituale, sicut scriptum est : Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spirituale est; sed quod animale, deinde quod spirituale.

I *Cor.* XV, 51-57. Ecce mysterium vobis dico : Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Quum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est; virtus vero peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.

CAPITULUM LXVI.

De fervida caritate B. Pauli apostoli.

(a) *Rom.* IX, 3. (a) OPTABAM ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. (b) *Ibid.* X, 1. (b) Voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. (c) I *Cor.* IX, 19-23. (c) Nam quum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et

A factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer; his qui sub lege erant, tanquam sub lege essem, ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem; his qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (quum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium, ut ejus particeps efficiar. (d) II *Cor.* I, 15, 16. (d) Et hac confidentia volui B prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis; et per vos transire in Macedoniam, et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Judæam. (e) *Ibid.* II, 12, 13. (e) Quum autem venissem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum, fratrem meum; sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. *Ibid.* 4. Ex multa vero tribulatione et angustia cordis scripsi vobis, per multas lacrimas : ut sciatis quam C caritatem habeam abundantius in vobis. (f) *Ibid.* III, 2, 3. (f) Epistola enim nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur et legitur ab omnibus hominibus : manifestati quoniam epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. (g) *Ibid.* V, 14. (g) Caritas enim Christi urget nos, etc., ut supra. (h) *Ibid.* XII, 14, 15. (h) Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos, et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Ego au- D tem libentissime impendam et superimpendar pro animabus vestris; licet plus vos diligens, minus diligar.

(i) *Philipp.* I, 6-8. (i) Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi : sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Chri-

(j) *Philipp.* II, 19-24. sti. (j) Spero autem in Domino Jesu, Timo- A
theum me cito mittere ad vos, ut et ego
bono animo sim, cognitis quæ circa vos
sunt. Neminem habeo tam unanimem, qui
sincera affectione pro vobis sollicitus sit.
Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non
quæ Jesu Christi. Experimentum autem
ejus cognoscite, quoniam sicut patri filius
mecum servivit in Evangelio. Hunc igitur
spero me mittere ad vos, mox ut videro
quæ circa me sunt. Confido autem in Do-
mino quoniam et ipse veniam ad vos ci-
(k) *Ibid.* III, 1. to. (k) Eadem vobis scribere mihi quidem B
non pigrum, vobis autem necessarium.
(l) *Coloss.* II, 1, 2. (l) Volo enim vos scire qualem solli-
citudinem habeam pro vobis, et pro his
qui sunt Laodiciæ, et quicumque non
viderunt faciem meam, ut consolentur.
(m) II *Cor.* VII, 12, 13. (m) Igitur, etsi scripsi vobis, non propter
eum qui fecit injuriam, nec propter eum
qui passus est; sed ad manifestandam sol-
licitudinem nostram, quam pro vobis ha-
(n) I *Thess.* II, 7, 8. bemus coram Deo. (n) Tanquam si nutrix
foveat filios suos, ita desiderantes vos cu-
pide, volebamus tradere vobis, non solum C
Evangelium Dei, sed etiam animas no-
stras : quoniam carissimi nobis facti estis.
(o) II *Tim.* I, 3-5. (o) Gratias ago Deo meo, cui servio a pro-
genitoribus meis in conscientia pura, quod
sine intermissione habeam tui memoriam
in orationibus meis nocte ac die : deside-
rans te videre, memor lacrimarum tua-
rum, ut gaudio implear; recordationem
accipiens ejus fidei quæ est in te non fi-
cta, quæ et habitavit primum in avia tua
Loide et matre tua Eunice, certus sum au-
(p) *Tit.* III, 13. tem quod et in te. (p) Zenam legisperitum D
et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis
desit.
(q) *Philem.* 9-22. (q) Propter caritatem obsecro, quum sis
talis ut Paulus, senex, nunc autem et vin-
ctus Jesu Christi. Obsecro te pro meo filio,
quem genui in vinculis, Onesimo : qui tibi
aliquando inutilis fuit, nunc autem et tibi
et mihi utilis, quem remisi tibi. Tu autem
illum, ut mea viscera, suscipe. Quem ego
volueram mecum detinere, ut pro te mihi
ministraret in vinculis Evangelii; sine tuo
autem consilio nihil volui facere, uti ne
velut ex necessitate bonum tuum esset,
sed voluntarium. Forsitan ideo discessit
ad horam a te, ut æternum illum recipe-
res, jam non ut servum, sed pro servo ca-
rissimum fratrem, maxime mihi : quanto
autem magis tibi, et in carne, et in Domi-
no! Si ergo habes me socium, suscipe il-
lum sicut me. Si autem aliquid nocuit
tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Pau-
lus scripsi mea manu. Ego reddam : ut
non dicam tibi quod et te ipsum mihi de-
bes. Ita, frater, ego te fruar in Domino;
refice viscera mea in Christo. Simul au-
tem et para mihi hospitium : nam spero
per orationes vestras donari me vobis.

CAPITULUM LXVII.

De humilitate, patientia, ac persecutionibus B. Pauli apostoli.

(a) NOVISSIME, tanquam abortivo, vi- (a) I *Cor.* XV, 8-11.
sus est Christus et mihi. Ego enim
sum minimus Apostolorum : qui non sum
dignus vocari apostolus, quoniam perse-
cutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem
Dei sum id quod sum, et gratia ejus in
me vacua non fuit; sed abundantius illis
omnibus laboravi : non autem ego, sed
gratia Dei mecum. Sive enim ego, sive
illi, sic prædicavimus, et sic credidistis.
(b) Ipse autem ego Paulus, obsecro vos (b) II *Cor.* X, 1, 2.
per mansuetudinem et modestiam Chri-
sti : qui in facie quidem humilis sum in-
ter vos, absens autem confido in vobis.
Rogo autem vos ne præsens audeam, per
eam confidentiam qua existimor audere,
in quosdam qui arbitrantur nos tanquam
secundum carnem ambulemus. Non aude- *Ibid.* 12.
mus inserere aut comparare nos quibus-
dam qui semetipsos commendant ; sed
ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et
comparantes nosmetipsos nobis. (c) An (c) *Galat.* I, 10.
quæro hominibus placere? Si adhuc homi-
nibus placerem, Christi servus non essem.
(d) Neque fuimus aliquando ab hominibus (d) I *Thess.* II, 5.

e I Tim. i, 15. quærentes gloriam, etc., ut supra. (e) Fidelis sermo, quia Christus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, (f) II Cor. xii, 10. etc., ut supra. (f) Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Quum enim infirmor, tunc potens sum.

g Ibid. xi, 23-29. (g) Ministri Christi sunt, et ego : ut minus sapiens dico, plus ego : in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte ac die in profundo maris fui, in itineribus sæpe : periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate. Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non Ibid. 31-33. uror ? Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior. Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet ; et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.

(h) Coloss. i, 24. (h) Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, (i) II Tim. ii, 10. quod est Ecclesia. (i) Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur quæ est in Christo Jesu, cum glo- (j) I Thess. iii, 3. ria cœlesti. (j) Ideo nemo moveatur in tribulationibus istis : ipsi enim scitis quod k II Tim. i, 15. in hoc positi sumus. (k) Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt : ex quibus est Philetus, et Hermogenes. (l) Ibid. iv, 14-18. (l) Alexander ærarius multa mala mihi ostendit. Reddet illi Deus secundum opera ejus. Quem et tu devita : valde enim restitit verbis nostris. In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt : non illis imputetur. Dominus autem mihi adstitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes : quia liberatus sum de ore leonis. Liberavit autem me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regnum suum cœleste : cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPITULUM LXVIII.

De excellentia rectitudinis et sinceritate Pauli apostoli.

(a) QUID vultis ? In virga veniam ad (a) I Cor. iv, 21. vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis ? (b) Ex sinceritate, coram Deo, (b) II Cor. ii, 17. in Christo loquimur. (c) Incipimus iterum (c) Ibid. iii, 1. nosmetipsos commendare ? Aut numquid indigemus, sicut quidam, commendaticiis epistolis ad vos, aut ex vobis ? (d) Si quis (d) Ibid. x, 7-11. confidit sibi Christi se esse, hoc iterum cogitet apud se, quia sicut ipse Christi est, ita et nos. Nam, et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra (quam dedit Dominus nobis in ædificationem, et non in destructionem), non erubescam. Ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas, quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graves sunt, præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis : hoc cogitet, qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales præsentes in facto. (e) Aut num- (e) Ibid. xi, 7-12. quid peccatum feci, me ipsum humilians ut vos exaltarem ? Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi in vobis. Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Et quum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui : nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia ; et in omnibus me vobis sine onere servavi, et servabo. Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloria non infringetur in me in regi-

onibus Achaiæ. Quare? Quia non diligo vos? Deus scit. Quod autem facio, et faciam : ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos.

(f) II *Cor.* XII, 13, 16-19. (f) Quid est enim quod minus habuistis præ ceteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam. Sed esto, ego vos non gravavi; sed quum essem astutus, dolo vos cepi. Numquid per aliquem eorum quos misi ad vos, circumveni vos? Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem. Numquid Titus circumvenit vos? Nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne eisdem vestigiis? Olim putatis quod excusemus nos apud vos. (g) *Ibid.* XIII, 1. Coram Deo in Christo loquimur. (g) Ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum aut (h) I *Thess.* II, 3, 5. trium testium stabit omne verbum. (h) Exhortatio enim nostra, non de errore, neque in dolo; neque aliquando fuimus in sermone adulationum, etc., ut supra.

CAPITULUM LXIX.

De raptu et visionibus B. Pauli apostoli, et perfectione ejus in omni virtute.

(a) II *Cor.* XII, 1-6. (a) VENIAM autem ad visiones et revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit), raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit), quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor; pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam, et si voluero gloriari, non ero insipiens : veritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me existimet super id quod videt in me, *Ibid.* 11. aut audit aliquid ex me. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vo- (b) *Philipp.* IV, 12, 13. bis debui commendari. (b) Scio humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum), et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.

CAPITULUM LXX.

De multitudine misericordiarum Dei super Apostolum, et actibus exordii suæ conversionis.

(a) GRATIAS Deo Patri, qui me confortavit in Christo Jesu Domino (a) I *Tim.* I, 12, 13, 16. nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio : qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primum ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. (b) Audistis enim conversationem meam aliquan- (b) *Galat.* I, 13-24. do in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo super multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exsistens paternarum mearum traditionum. Quum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus : continuo non acquievi carni et sanguini, neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos; sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. Deinde post annos tres, veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo. Tantum auditum habebant : Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat. Et in me clarificabant Deum. (c) Deinde post annos quatuordecim, ite- (c) *Ibid.* II, 1.

rum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito.

CAPITULUM LXXI.

Quam humiliter pro se orari poposcerit Apostolus, suisque discipulis; et de aliis quibusdam actibus ejus.

(a) Rom. xv, 30-33. (a) OBSECRO vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Spiritus Sancti, ut sollicitudinem mihi impertiamini in orationibus pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis : ut veniam ad vos cum gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. (b) Ephes. vi, 18-20. (b) Orantes pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor in catena : ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui. (c) Coloss. iv, 3, 4. (c) Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum), ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. (d) II Thess. iii, 1, 2. (d) De cetero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos ; et ut liberemur ab importunis et malis hominibus. (e) Hebr. xiii, 19, 23. (e) Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos.

(f) I Cor. xvi, 5-9. (f) Veniam autem ad vos quum Macedoniam pertransiero : nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan permanebo, aut etiam hiemabo, ut vos me ducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in transitu videre : spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum et Ibid. 12. evidens, et adversarii multi. De Apollo autem fratre, notum vobis facio quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus : et utique non fuit voluntas ejus ut nunc veniret. Veniet autem quum vacuum ei fuerit. (g) II Cor. i, 23. (g) Ego autem testem invoco Deum in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum : non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri.

(h) II Tim. iv, 8-13. (h) Festina ad me venire cito. Demas enim me dereliquit, diligens hoc sæculum, et abiit Thessalonicam ; Crescens in Galatiam ; Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. Marcum assume, et adduc tecum : est enim mihi utilis in ministerium. Tychicum autem misi Ephesum. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas. Erastus remansit Corinthi. Ibid. 20, 21. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hiemem venire. (i) Tit. iii, 12. (i) Quum misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim : ibi enim statui hiemare.

CAPITULUM LXXII.

De personis salutantibus et salutatis in Epistolis ejus.

(a) Rom. xvi, 3-7. (a) SALUTATE Priscam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu (qui pro anima mea cervices suas supposuerunt, quibus non solum ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ gentium), et domesticam eorum ecclesiam. Salutate Ephænetum, dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo Jesu. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Salutate Andronicum et Juliam, cognatos et captivos meos : qui sunt nobiles in Apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo, etc. Ibid. 21, 23. Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius, et Jason, et Sosipater, cognati mei. Salutat vos Caius hospes meus, et universæ Ecclesiæ gentium*. Salutat vos Erastus, etc. (b) I Cor. xvi, 19-21. (b) Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum Priscilla et Aquila, cum domestica sua ecclesia, apud quos et hospitor. Salutant vos fra-

* alias et universa Ecclesia

tres omnes. Salutatio mea manu Pauli, etc. A
(c) II *Cor.* XIII, 12. (c) Salutant vos omnes sancti. (d) Salutat
(d) *Coloss.* IV, 12-15. vos Epaphras. Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, et pro his qui sunt Laodiciæ, et qui Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus carissimus, et Demas. Salutate fratres qui sunt Laodiciæ, et Nympham, et quæ in
(e) *Tit.* III, 15. domo ejus est ecclesiam. (e) Saluta eos qui
(f) *Philem.* 23, 24. nos amant in fide. (f) Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adju-
(g) *Coloss.* IV, 10, 11. tores mei. (g) Salutat vos Aristarchus con- B captivus meus ; et Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata (si venerit ad vos, suscipite illum) ; et Jesus, qui dicitur justus : qui sunt ex circumcisione. Hi soli sunt adjutores mei in re-
(h) *Hebr.* XIII, 24. gno Dei : qui mihi fuerunt solatio. (h) Salutate omnes præpositos vestros, et omnes sanctos. Salutant vos fratres de Italia.
(i) *Philipp.* IV, 21. (i) Salutant vos omnes sancti, maxime
(j) II *Thess.* III, 17, 18. autem qui de Cæsaris domo sunt. (j) Salutatio mea manu Pauli : quod signum in omnibus epistolis ita scribo : Gratia Domi- C ni nostri Jesu Christi cum omnibus vobis.

CAPITULUM LXXIII.

Laudatio et glorificatio Domini Dei omnipotentis.

(a) *Rom.* XVI, 25. (a) EI autem qui potens est vos confirmare juxta evangelium meum et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei in cunctis gentibus : soli sapienti Deo, per Jesum Christum, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. (b) Fidelis Deus, per (b) I *Cor.* I, 9.
quem vocati estis. (c) Benedictus Deus et (c) II *Cor.* I, 3.
Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.

(d) Dominus autem Spiritus est : ubi (d) *Ibid.* III, 17.
autem Spiritus Domini, ibi libertas. (e) Ei (e) *Ephes.* III, 20, 21.
autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis : ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen. (f) Deo et Patri (f) *Philipp.* IV, 20.
nostro gloria in sæcula sæculorum. (g) Re- (g) I *Tim.* I, 17.
gi autem sæculorum, immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. (h) Qui omnes homi- (h) *Ibid.* II, 4.
nes vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire in Christo. (i) Quem suis (i) *Ibid.* VI, 15, 16.
temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest : cui honor et imperium sempiternum. Amen. (j) Unus Deus et Pater omnium, (j) *Ephes.* IV, 6.
qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.

FINIS

EPITOME

PROLOGUS

TOTA sacræ Bibliæ scriptura distinguitur in duo Testamenta, vetus videlicet et novum. Testamentum vetus dividitur in libros legales, historiales, sapientiales et prophetales. — Legales vocantur, in quibus leges judiciaque ore Dei edita promulgantur. Et sunt numero quinque, videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri et Deuteronomium. Quibus respondet in novo Testamento Evangelium secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem : in quibus lex nova a Christo tradita continetur. — Historiales dicuntur, in quibus historiæ rerum gestarum narrantur. Et sunt numero septemdecim : Josue, Judicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Esdræ libri duo (nam Esdræ tertius et quartus apocryphi sunt, secundum Hieronymum), Tobiæ, Judith, Esther, Job, et Machabæorum libri duo. Quibus in novo Testamento respondet liber Actuum Apostolorum : in quo res per Christi Apostolos gestæ et decursus nascentis Ecclesiæ describuntur. — Sapientiales vocantur, in quibus vera prudentia et sapientia docetur. Et sunt quinque numero : Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia et Ecclesiasticus. Quibus in novo Testamento respondent Pauli apostoli epistolæ quatuordecim : ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebræos una; Jacobi apostoli epistola una, Petri apostoli duæ, Joannis tres, et Judæ una : quæ septem posteriores canonicæ appellantur. — Prophetales nuncupantur, in quibus ventura prædicuntur, et sunt numero octodecim, puta : Psalterium, Isaias, Jeremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Quibus in novo Testamento Apocalypsis Joannis apostoli respondet : in quo libro prædicuntur multa de Christo et Ecclesia, de reproborum et electorum statu futuro.

EPITOME

SIVE

NOBILIORES SENTENTIÆ TOTIUS BIBLIÆ

LIBER GENESIS

HABET CAPITULA QUINQUAGINTA. ET AGITUR IN EO DE MUNDI ET OMNIUM CREATURARUM EXORDIO; DE DILUVIO ET ARCA NOE, ATQUE LINGUARUM CONFUSIONE; DE ELECTIONE POPULI DEI, ET DE DESCENSU EJUSDEM IN ÆGYPTUM.

CAPITULUM I. — In principio creavit Deus A
cœlum et terram, etc.

Prima die, facta est lux (id est substantia de qua quarta die factus est sol).

Secunda die, factum est firmamentum, quod dividit inter aquas quæ supra cœlos sunt, et inferiores. (Firmamentum est cœlum stellatum.)

Tertia die, congregatæ sunt aquæ inferiores in locum unum, protulitque terra herbam virentem et lignum pomiferum (nam tota terra aquis erat operta).

Quarta die, facta sunt sol et luna ac B
stellæ, ut essent in signa et tempora et dies et annos, et præessent diei ac nocti.

Quinta die, produxerunt aquæ reptile animæ viventis et volatile super terram, id est pisces et aves. Creavitque Deus cete grandia, et benedixit eis dicens : Crescite, etc. (Benedictio Dei, est collatio munerum Dei, et multiplicatio eorumdem, secundum Gregorium.)

Sexta die, factæ sunt de terra bestiæ; ipse quoque homo de limo terræ ad imaginem Dei est formatus. C

CAPITULUM II. — Septima die, complevit Deus opus suum quod fecerat, et requievit in eo; et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere quod creavit (id est a novis rerum speciebus creandis).

Fluvius egrediebatur de paradiso, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison (et nunc dicitur Ganges), et currit per terram Hevilath (id est Indiam), ubi nascitur optimum aurum, ibique invenitur bdellium, et lapis onychinus. Nomen secundi fluvii Gehon (et nunc dicitur Nilus), et currit per omnem Æthiopiam. Nomen tertii Tigris, vadentis per Assyrios. Fluvius quartus Euphrates (qui ex Armenia juxta Mesopotamiam decurrens, eam a Syria disterminat).

Tulit Deus hominem (id est Adam), et posuit eum in paradiso voluptatis. (Adam factus est extra paradisum, videlicet in agro Damasceno. Eva autem in paradiso facta est.)

Adduxit Deus ad Adam universa animantia terræ, ut videret quid vocaret ea.

NOTA. — Secuti sumus Coloniensem editionem s. t. n. anni 1532.

Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cœli, et bestias terræ. A

Capitulum III. — Dixit Dominus ad serpentem : Inimicitias ponam inter te et mulierem ; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. (Hoc in Maria virgine impletum est, quæ sua humilitate dæmonem supplantavit, dum Christum effudit.)

Dixit Dominus ad mulierem : Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos ; in dolore paries ; et sub viri potestate eris, et B ipse dominabitur tui.

Adæ dixit Deus : Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo, etc. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram tuam, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Fecit Dominus Deus Adæ et Evæ uxori ejus tunicas pelliceas.

Emisit Dominus Deus Adam de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est. Ejecitque eum, et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim et C flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

Capitulum IV. — Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus. (Primogenitus Adæ, Cain ; deinde Abel ; postea Seth, cujus filii dicti sunt filii Dei, quia in eis permansit divinus cultus.)

Nonne si bene egeris, recipies ; si autem male, statim peccatum tuum in foribus aderit ? Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. (Ratio enim dominari debet appetitui concupiscibili et ira- D scibili, atque universis inferioribus viribus animæ.)

Lamech (de genere Cain) accepit uxores duas : quarum Ada genuit Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum ; fratrem quoque ejus Jubal, qui fuit pater canentium in cithara et organo. Seth genuit Enos. Iste cœpit invocare nomen Domini.

Capitulum V. — Vixit Adam nongentis triginta annis, et mortuus est.

Facti sunt autem omnes dies Seth nongentorum et duodecim annorum, et mortuus est.

Porro Enoch genuit Mathusalem. Et ambulavit Enoch cum Deo, et non apparuit, quia transtulit illum Dominus (scilicet in paradisum terrestrem).

Facti sunt autem omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est. (Iste Mathusalem omnibus senior exstitit.)

Mathusalem genuit Lamech. Et Lamech genuit Noe, dicens : Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus.

Capitulum VI. — Noe quum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, et Japhet.

Quumque cœpissent homines multiplicari super terram, et vidissent filii Dei filias hominum, etc.

Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Eruntque dies vitæ illius centum viginti annorum. Gigantes quoque erant super terram illis diebus. Postquam enim ingressi sunt filii Dei, etc.

Noe vir justus atque perfectus in generationibus suis genuit tres filios, Sem, Cham, et Japhet, etc.

Capitulum VII. — Erat autem Noe sexcentorum annorum, quando inundavit diluvium. Apertique sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt, et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Et multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime.

Quindecim cubitis altior fuit aqua montibus excelsis ; obtinueruntque aquæ diluvii terram quadraginta diebus. Et requievit arca super montes Armeniæ.

Capitulum VIII. — Dixit Dominus : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. Sensus enim et cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua.

Capitulum IX. — Quicumque effuderit

sanguinem humanum, effundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.

Impleti sunt omnes dies Noe nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.

Capitulum XI. — Sem quum centum esset annorum genuit Arphaxad biennio post diluvium. Vixitque post hæc quingentis annis, et genuit filios et filias. (Dicunt Judæi hunc Sem fuisse Melchisedech, qui usque tempora Isaac vixit.)

Capitulum XII. — Dixit Dominus ad Abram : Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, etc., atque in te benedicentur omnes cognationes terræ (id est in Christo ex te orituro).

Capitulum XIII. — Ne, quæso, sit jurgium inter me et te : fratres enim sumus. (Verba sunt Abrahæ ad Lot.)

Capitulum XIV. — Melchisedech, rex Salem, proferens, etc.

Capitulum XV. — Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.

Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam.

Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, etc.

Capitulum XVII. — Ego Dominus Deus omnipotens ; ambula coram me et esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me et te, et inter semen tuum post te.

Capitulum XVIII. — Numquid Deo quidquam est difficile ?

Numquid perdes justum cum impio ? Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram.

Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, quum sim pulvis et cinis.

Capitulum XIX. — Noli respicere post tergum ; sed in monte salvum te fac.

Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulfur et ignem a Domino. (Hic innuitur pluralitas personarum in Deo. Quis enim est Dominus pluens sul- A fur, etc., a Domino, nisi Filius aut Spiritus Sanctus ?)

Capitulum XXI. — Ejice ancillam hanc et filium ejus ; non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ.

Capitulum XXII. — Nunc cognovi (id est, cognoscere feci) quod timeas Dominum et non peperceris filio tuo unigenito propter me.

Capitulum XXIV. — Domine Deus Abraham, occurre, obsecro, hodie mihi, et fac misericordiam.

B Ingredere, benedicte Domini, cur foris stas ?

Egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro, inclinata jam die.

Capitulum XXV. — Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni, et mortuus est in senectute bona, plenus dierum. Et sepelierunt eum Isaac et Ismael filii ejus.

Factus est Esau vir gnarus venandi et homo agricola ; Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.

C Capitulum XXVIII. — Vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram, et cacumen ejus tangens cœlum ; angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam ; et Dominum innixum scalæ, et dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus, etc., dilataberis ad orientem et occidentem, septentrionem et meridiem ; et ero custos tuus quocumque perrexeris.

Quumque evigilasset Jacob de somno ait : Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque, Quam terribilis est, D inquit, locus iste ! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli.

Capitulum XXIX. — Servivit Jacob pro Rachel septem annis ; et videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.

Capitulum XXXII. — Jacob abiit itinere quo cœperat ; fueruntque ei obviam angeli Dei. Quos quum vidisset, ait : Castra Dei sunt hæc.

Capitulum XXXV. — Erant autem filii Jacob duodecim. Filii Liæ : primogenitus Ruben, et Simeon, et Levi, et Judas, et

Issachar, et Zabulon. Filii Rachel : Joseph, A et Benjamin. Filii Balæ ancillæ Rachelis : Dan et Nephthali. Filii Zelphæ ancillæ Liæ : Gad et Aser.

Completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. Et consumptus ætate mortuus est, et appositus ad populum suum senex et plenus dierum ; et sepelierunt eum Esau et Jacob filii ejus.

Capitulum XXXVII. — Vendiderunt Joseph fratres ejus Ismaelitis triginta* argenteis. (Joseph figura est Christi, et venditio ejus, Christi venditionem significat.) B

* viginti

Capitulum XL. — Numquid non Dei est interpretatio ?

Capitulum XLI. — Vocavit Pharao nomen Joseph, Salvatorem mundi.

Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei. Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.

Capitulum XLII. — Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.

Capitulum XLIII. — Dixit Joseph fratribus suis : Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis ad C me. (Nota. Joseph est figura Christi. Christus ergo ait prælatis, quod nisi minimum eis subjectum adducant, non sint faciem ejus visuri.)

Capitulum XLV. — Dimisit Joseph fratres suos, dicens eis : Ne irascamini in via.

Capitulum XLVI. — Dixit Dominus ad Jacob : Ego sum fortissimus Deus patris tui ; noli timere.

Capitulum XLVII. — Respondit Jacob Pharaoni : Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum sunt, parvi et mali, D et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt super terram. Et benedicto rege, egressus est.

Dixerunt Ægyptii ad Joseph : Salus nostra in manu tua est ; respiciat nos tantum dominus noster, et læti serviemus regi.

Vixit Jacob in terra Ægypti decem et septem annis. Factique sunt omnes dies vitæ ejus centum quadraginta septem annorum.

Capitulum XLIX. — In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu eorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum. Maledictus furor eorum, quia pertinax ; et indignatio eorum, quia dura.

Juda, te laudabunt fratres tui. Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda ; ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna. Quis suscitabit eum ? Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes lacte candidiores. (Nota benedictionem Judæ, quæ in Christo maxime adimpleta agnoscitur.)

Vidit requiem quod esset bona ; et terram, quod optima ; et supposuit humerum suum ad portandum.

Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi. (Hæc prophetia de Antichristo dicitur, quia ipse de tribu Dan creditur nasciturus.)

Salutare tuum exspectabo, Domine.

Deus patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi.

Finitis Jacob sermonibus quibus instruebat filios suos, collegit pedes suos super lectulum, et mortuus est.

Capitulum L. — Quod cernens Joseph, irruit super faciem patris sui, flens et deosculans eum.

Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te.

Num Dei possumus resistere voluntati ? Vos cogitastis de me malum, et Deus vertit illud in bonum.

Quum adjurasset Joseph fratres suos atque dixisset, Post mortem meam Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum, mortuus est, expletis centum et decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto.

LIBER EXODI

HABET CAPITULA QUADRAGINTA. ET AGITUR IN EO DE MULTIPLICATIONE, ET AFFLICTIONE, ET EGRESSU FILIORUM ISRAEL EX ÆGYPTO ; DE DECEM PLAGIS PHARAONIS ; DE DECEM PRÆCEPTIS AC JUDICIIS ET INSTRUCTIONE POPULI DEI ; DE ARCA FOEDERIS DOMINI, TABERNACULO ET ALTARI AC VESTIBUS AARON.

Capitulum I. — Quanto Ægyptii plus opprimebant filios Israel, tanto magis multiplicabantur et crescebant.

Capitulum III. — Quumque minasset Moyses gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis.

Vidit Moyses quod rubus arderet et non combureretur, et dixit : Vadam et videbo visionem hanc magnam.

Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat adspicere contra Deum.

Dixit Moyses ad Dominum : Quod est nomen tuum ? Dixit Dominus : Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Dixitque iterum ad Moysen : Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, et hoc est memoriale meum in generationem et generationem.

Capitulum IV. — Quis fecit os hominis ? aut quis fabricatus est surdum et mutum, cæcum et videntem ? Nonne ego ?

Hæc dicit Dominus : Filius (per adoptionem) meus primogenitus Israel.

Capitulum VI. — Dixit Dominus ad Moysen : Ego Dominus qui apparui Abraham, et Isaac, et Jacob, in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis. (Adonai, id est tetragrammaton.)

Filii Levi : Gerson, Caath, et Merari. Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta septem.

Caath genuit Amram, cujus uxor Jochabed nomine, peperit ei Aaron, Moysen, et Mariam.

Porro Isaar frater Amram, genuit Core.

Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Naasson.

Capitulum VII. — Dixit Dominus ad Moysen : Ecce constitui te deum Pharaonis ; et Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia quæ mando ; ille loquetur ad Pharaonem.

Erat autem Moyses annorum octoginta, et Aaron octoginta trium annorum, quando locuti sunt ad Pharaonem.

Nota. Primum signum Moysis coram Pharaone erat, quod Aaron projecit virgam et versa est in colubrum. Sed et malefici Pharaonis projecerunt virgas suas, et vertebantur in dracones ; sed devoravit virga Aaron virgas eorum.

Nota plagas Ægypti.

Prima plaga Ægypti est, quod extendente Moyse virgam super fluvios Ægypti, versæ sunt omnes aquæ Ægypti in sanguinem. Fecerunt autem et magi Pharaonis incantationibus similiter.

Capitulum VIII. — Secunda plaga est, quod ranæ ascenderunt et operuerunt terram Ægypti, implentes domus et cibos. Et fecerunt magi Pharaonis similiter.

Tertia plaga est, quod omnis pulvis terræ Ægypti versus est in scinifes. Et non potuerunt malefici Pharaonis similiter facere ; sed dixerunt : Digitus Dei est hic.

Quarta plaga, quod venit musca gravissima, id est multitudo earum, in domum Pharaonis, et in omnem terram ejus.

Capitulum IX. — Quinta plaga : mortua sunt omnia animantia Ægypti peste.

Sexta plaga : facta sunt vulnera vesicarum turgentium in hominibus et jumen-

tis: nec poterant malefici stare coram Moyse propter vulnera quæ in illis erant.

Dixit Dominus ad Pharaonem : Idcirco posui te, ut ostenderem in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra.

Septima plaga est, quod maxima grando cecidit in terra Ægypti, et ignis simul cadebat, et tonitrua, et coruscantia fulgura, et destructa sunt quæ erant in agris.

Capitulum X. — Octava plaga est, quod venerunt innumerabiles locustæ in terram Ægypti, omnia devorantes quæ remanserunt grandini.

Induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel.

Nona plaga Ægypti est, quod factæ sunt horribiles atque palpabiles tenebræ in terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit proximum suum, nec movit se de loco in quo erat. In terra autem Gessen non erant tenebræ (ubi habitaverunt filii Israel).

Capitulum XI. — Fuit Moyses vir magnus valde coram servis Pharaonis et omni populo.

Capitulum XII. — Dixit Dominus : Sic comedetis agnum : renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter. Est enim Phase, id est transitus Domini.

Decima plaga est, quod Dominus media nocte percussit omne primogenitum in Ægypto, in hominibus et jumentis.

Profecti sunt filii Israel de Ægypto sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis et mulieribus. Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.

Habitatio autem filiorum Israel in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressi sunt.

Nec os illius (scilicet agni paschalis) confringetis. (Nota. Hoc est figura de Christo, cujus ossa in cruce confracta non sunt.)

Capitulum XIII. — Lex Domini semper sit in ore tuo.

Dominus autem præcedebat filios Israel ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis.

Capitulum XIV. — Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.

Fugiamus Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

Filii Israel ambulaverunt per medium sicci maris, et aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris.

Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.

Capitulum XV. — Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est ; equum et ascensorem dejecit in mare, etc.

Capitulum XVI. — Dixit Moyses ad populum : Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.

Mane ros jacuit per circuitum castrorum. Et apparuit in solitudine manna minutum, et quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram ; et appellaverunt filii Israel illud, Man : quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle.

Capitulum XVII. — Tentaverunt Dominum dicentes : Estne Dominus in nobis, an non ?

Quumque elevaret Moyses manus, vincebat Israel ; si autem paululum remisisset, vincebat Amalec. Manus autem Moysis erant graves. Sumentes ergo lapidem, posuerunt subter eum. Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est, ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis.

Capitulum XVIII. — Egressus Moyses in occursum Jethro cognati sui, adoravit, et osculatus est eum.

Nunc cognovi quoniam magnus Dominus super omnes deos.

Capitulum XIX. — Contestare populum, ne forte velit transcendere propositos terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos. Non poterit vulgus ascendere in montem.

Capitulum XX. — Ego sum Dominus A Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me; misericordiam faciens in millia his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum : non enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

Dixit populus ad Moysen : Loquere tu nobis, et audiemus ; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Et ait Moyses : B Nolite timere : ut enim probaret vos, venit Deus, et ut terror illius in vobis esset.

Stetit populus de longe. Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus.

Capitulum XXIII. — Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum.

Non apparebis in conspectu meo vacuus, ait Dominus.

Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat ad locum quem paravi. Observa C eum, et custodi viam ejus, quia non dimittet quum peccaveris. Quod si audieris eum, inimicus ero inimicis tuis, et affligentes te affligam.

Capitulum XXIV. — Ascenderunt Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel ; et viderunt Deum Israel. Et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum quum serenum est. Videruntque Deum, et comederunt, ac biberunt.

Capitulum XXV. — Inspice, et fac se- D cundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.

Capitulum XXXII. — Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.

Dixit Dominus ad Moysen : Cerno quod populus iste duræ cervicis sit ; dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos ac deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat, etc.

Ululatus pugnæ auditur in castris, dixit Josue.

Si quis est Domini, jungatur mihi.

Dixit Moyses ad Dominum : Aut dimitte populo hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti.

Dixit Dominus Moysi : Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.

Capitulum XXXIII. — Dixit Dominus ad filios Israel : Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.

Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.

Dixit Moyses ad Dominum : Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos.

Dixit Moyses ad Dominum : Si non tu ipse præcedas nos, ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum ?

Dixit Dominus ad Moysen : Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine. Qui ait : Ostende mihi gloriam tuam. Respondit : Ego ostendam tibi omne bonum, et vocabo in nomine Domini coram te. Et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Rursumque ait : Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo et vivet.

Capitulum XXXIV. — Dominator Domine, misericors et clemens, patiens et multæ misericordiæ ac verax ; qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est ; qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam et quartam progeniem.

Fuit Moyses cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes. Panem non comedit et aquam non bibit.

Ignorabat Moyses quod cornuta esset facies ejus ex consortio Dei.

LIBER LEVITICUS

HABET CAPITULA VIGINTI SEPTEM, ET AGITUR IN EO DE RITU HOLOCAUSTORUM, DE SACRIFICIIS ET HOSTIIS OFFERENDIS, DE UNCTIONE ET VESTIBUS AARON, DE ORDINE ET MINISTERIO LEVITARUM.

Capitulum II. — Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies ; nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal.

Capitulum VI. — Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. (Per hunc ignem significatur caritas, quæ semper in ara cordis ardere debet.)

Capitulum VII. — Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. (Quanto magis qui corpus Christi comederit immundus ?)

Capitulum X. — Dixit Dominus ad Moysen : Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor.

Dixit Dominus ad Aaron : Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, doceatisque filios Israel legitima mea.

Capitulum XI. — Nolite contaminare animas vestras. Ego enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.

Capitulum XVII. — Anima omnis carnis in sanguine est. Unde dixi filiis Israel : Sanguinem universæ carnis non comedetis.

Capitulum XIX. — Quum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges, neque in vinea tua racemos et grana tua decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes.

A Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Nec morabitur opus mercenarii apud te usque mane.

Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum.

Juste judicabis, nec consideres personam pauperis, neque honores vultum potentis.

Non eris criminator, nec susurro in populo.

Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super
B illo peccatum.

Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.

Vestem quæ ex duobus contexta est, non indueris.

Non augurabimini, nec observabitis somnia ; neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.

Coram cano capite consurge, et honora personam senis.

Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura.

C Capitulum XXI. — Sacerdotes sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus. Incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.

Dixit Dominus ad Aaron : Homo de semine tuo qui habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo suo. (Nota. Per hoc significatur, quod sacerdos carere debet omni peccato.)

Capitulum XXII. — Omnis alienigena non comedet de sanctificatis.

Capitulum XXIV. — Qui irrogaverit ma-
D culam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic fiat ei. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente re-

stituet. Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.

Capitulum XXV. — Sanctificabis annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipse est enim jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam et unusquisque revertetur ad familiam pristinam, quia jubilæus est.

Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos advenæ et coloni mei. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessionem suam, propinquus ejus potest redimere.

Capitulum XXVI. — Si non obedieritis mihi, conteram duritiam superbiæ vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam.

LIBER NUMERI

CONTINET CAPITULA TRIGINTA SEX. ET AGITUR IN EO DE NUMERATIONE ET MURMURATIONE POPULI SIVE TRIBUUM ISRAEL ; DE PROPHETIA BALAAM ; DE MANSIONIBUS POPULI IN DESERTO, ET VICTORIA CONTRA REGES CITRA JORDANEM.

Capitulum I. — Fuerunt simul omnes filii Israel a vicesimo anno et supra, quos numeraverunt Moyses et Aaron in deserto, sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta. Levitæ autem non sunt numerati cum eis.

Capitulum IV. — Alii nulla curiositate videant quæ in sanctuario sunt, priusquam involvantur. Alioqui morientur.

Capitulum VI. — Locutus est Dominus Moysi et Aaron dicens : Sic benedicetis filiis Israel : Benedicat tibi Dominus et custodiat te ; ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui ; convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.

Capitulum VIII. — Dixit Dominus : Hæc est lex Levitarum : A viginti quinque annis et supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis. Quumque quinquagesimum ætatis annum impleverint, servire cessabunt. Eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ fuerint sibi commendata ; opera autem ipsa non facient.

Capitulum XI. — Ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore. Quod quum audisset Dominus, iratus est, et accensus est in eos ignis Domini.

Flagrabant desiderio carnium et dicebant : Quis dabit nobis ad vescendum carnes ? In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, porri et allia. Anima nostra arida est. Nihil respiciunt oculi nostri nisi man.

Numquid manus Domini invalida est ?

Capitulum XII. — Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.

Dixit Dominus ad Aaron et Mariam : Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei ; et palam, non per ænigmata et figuras, Deum videt. (Ergo vidit Deum per essentiam, sicut et Paulus.)

Capitulum XIV. — Omnes qui murmurastis contra me, non intrabitis terram super quam levavi manum meam ut darem eam vobis, præter Caleb et Josue.

Capitulum XV. — Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Verbum enim Domini contempsit.

Hominem colligentem ligna die sabbati in deserto, jussit Dominus lapidibus obrui.

Præcepit Dominus ut facerent sibi fimbrias quatuor, per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas : quas quum viderent, recordarentur omnium mandatorum Domini, nec sequerentur cogitationes et oculos per res varias fornicantes.

Capitulum XVI. — Dixit Moyses : Mane notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi, et quos elegerit appropinquabunt ei.

Num parum vobis est, quod separavit vos Dominus a populo et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi ?

Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet ?

Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.

Capitulum XVII. — Germinavit virga Aaron in domo Levi, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.

Capitulum XIX. — Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet ; et anima quæ tetigerit quidpiam eorum, immunda erit usque ad vesperam.

Capitulum XX. — Venerunt filii Israel in montem Hor. Et dixit Dominus ad Moysen : Pergat, inquit, Aaron ad populos suos.

Capitulum XXI. — Dixit Dominus ad Moysen : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo, etc.

Capitulum XXII. — Novi quod benedictus sit cui benedixeris, et maledictus in quem maledicta congesseris.

Dixit Balaam : Si dederit mihi Balac domum suam plenam argenti et auri, non potero mutare verbum Domini Dei mei, ut plus vel minus loquar.

Aperuit Dominus os asinæ et locuta est ad Balaam : Quid feci tibi ? cur percutis me ecce tertio ? etc.

Vidit Balaam angelum stantem in via A evaginato gladio, et pronus in terram adoravit.

Capitulum XXIII. — Quomodo maledicam ei cui non maledixit Deus ? Qua ratione detester quem non detestatur Dominus ? Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.

Dixit Balaam : Non est Deus quasi homo, ut mentiatur ; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet ? locutus est, et non implebit ? Ad benedicendum adductus sum, benedictionem pro- B hibere non possum. Non est idolum in Jacob, nec simulacrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo est. Dominus Deus eduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel.

Capitulum XXIV. — Assumpta Balaam parabola sua, irruente in se spiritu Dei, ait : Dixit homo, cujus obturatus est oculus ; dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui ca- C dit, et sic aperiuntur oculi ejus. Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, tentoria tua, Israel ! Ut valles nemorosæ, et horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus. Tolletur propter Agag vox ejus, et auferetur regnum illius. (Hoc in Saule impletum est.)

Dixit Balaam : Videbo eum, sed non modo ; intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, etc. Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque He- D bræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt.

Capitulum XXV. — Quum peccassent filii Israel cum filiabus et diis Madian, percussa sunt viginti quatuor millia, et jussit Dominus principes populi suspendi in patibulis.

Capitulum XXVII. — Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc, et possit exire et intrare ante eos, ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.

Capitulum XXX. — Puella quæ aliquid Domino voverit, et adhuc in domo patris est, si cognoverit pater ejus et statim non contradixerit, voti rea erit. Similiter de uxore, si quid voverit, et maritus ejus statim non contradixerit.

Capitulum XXXV. — Ad unius testimonium nullus condemnabitur.

Non accipietis pretium ab eo qui reus A est sanguinis. Exsules et profugi, ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt.

Capitulum XXXVI. — Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua, et cunctæ feminæ maritos de eadem tribu accipiant, ut hereditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus, sed separatæ permaneant.

LIBER DEUTERONOMII

HABET CAPITULA TRIGINTA QUATUOR. ET REPLICANTUR IN EO QUÆ IN QUATUOR LIBRIS PRIORIBUS DICTA SUNT ; ATQUE DE VARIIS LEGALIBUS INSTITUTIONIBUS, MORTE MOYSIS, ET JOSUE SUBSTITUTIONE AGITUR IN EODEM.

Capitulum I. — Date ex vobis sapientes et gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes.

Dixique (scilicet ego Moyses) principibus et judicibus : Audite illos, et quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia : ita parvum audietis, ut magnum ; nec accipietis cujusquam personam, quia judicium Dei est. Quod si difficile vobis aliquid visum fuerit, referte ad me, et ego audiam.

Vide terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Noli timere : Dominus Deus tuus qui ductor est tui, ipse pugnabit pro te.

Portavit te Dominus Deus tuus, sicut portare solet homo parvulum filium suum.

Capitulum II. — Noluit Sehon rex Hesebon filiis Israel dare transitum, quia induraverat Dominus Deus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus Israelis.

Capitulum III. — Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam manumque fortissimam. Neque enim est alius Deus in cœlo vel in terra qui B possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuæ.

Capitulum IV. — Et nunc, Israel, audi præcepta atque judicia quæ ego doceo te ; ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram quam Dominus daturus est tibi. Non adjicietis ad verbum quod ego loquor neque auferetis ex eo.

Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem.

Hæc est vestra sapientia et intellectus coram hominibus, ut audientes universa C præcepta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens.

Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest Dominus Deus noster cunctis obsecrationibus nostris.

Custodi temetipsum et animam tuam sollicite.

Ne obliviscaris verborum Domini, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.

Non vidistis aliquam similitudinem, in D die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis : ne forte decepti faciatis vobis aliquam similitudinem aut sculptam imaginem ; et ne oculis elevatis ad cœlum, videas solem et lunam et

omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea et colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.

Ecce morior in hac humo. Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui quod pepigit tecum : quoniam Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.

Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ.

Capitulum V. — Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam : vocem namque ejus audivimus de medio ignis ; et probavimus hodie quod loquente Deo cum homine, vixerit homo.

Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis et possit vivere ?

Dixit Dominus ad Moysen : Quis det talem eos (scilicet filios Israel) habere mentem ut timeant me et custodiant universa mandata mea, ut bene sit eis, et filiis eorum post eos in sempiternum.

Capitulum VI. — Audi, Israel : Dominus Deus vester, Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.

Erunt verba Domini in corde tuo ; et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens ; et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et in ostiis domus tuæ.

Dominum Deum tuum timebis, et ipsi soli servies, ac per nomen ejus jurabis.

Non tentabis Dominum Deum tuum.

Capitulum VII. — Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram : non quia cunctas gentes numero vincebatis, quum sitis omnibus populis pauciores ; sed quia dilexit vos Dominus.

Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericor-
A diam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes ; et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.

Capitulum VIII. — Recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ versabantur in corde tuo, utrum custodires mandata illius, an non. (Nota. Hic dicitur Deus tentare, ut cognoscat; non quod in eo sit ignorantia,
B sed ut aliis innotesceret, et sic Deus cognosceret, id est cognoscere ceteros faceret.)

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.

Sicut erudit homo filium suum, sic Dominus Deus erudivit te, ut ambules in viis ejus et timeas eum.

Ne dicas in corde tuo : Fortitudo mea et robur manus meæ hæc omnia mihi præstiterunt ; sed recordare Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit.

C Capitulum IX. — Ne dicas in corde tuo : Propter justitiam meam introduxit me Dominus in terram hanc ; quum populus durissimæ cervicis sis.

Dixit Moyses : Jacui coram Domino quadraginta diebus et totidem noctibus, quibus ipsum suppliciter deprecabar ne deleret vos. Et dixi ad Dominum : Ne adspicias duritiam populi hujus ; sed recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, et Jacob.

Capitulum X. — Et nunc, Israel, quid Dominus petit a te, nisi ut timeas Domi-
D num Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum ac servias ei in toto corde tuo, et in tota anima tua ?

En Domini Dei tui cœlum est, et cœli cœlorum, terra et omnia quæ in eis sunt : et tamen patribus tuis conglutinatus est et elegit eos, amavitque semen eorum post eos.

Circumcidite ergo præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius : quia Dominus Deus vester ipse est Deus deorum et Dominus dominantium,

Deus magnus et potens atque terribilis, A qui personam non accipit nec munera, facit judicium pupillo et viduæ, amatque peregrinum.

Capitulum XI. — Terra ad quam ingrederis, non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine aquæ ducuntur irriguæ; sed montuosa est et campestris, de cœlo exspectans pluviam : quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi ejus in ea sunt a principio anni usque ad finem. (Nota. Hæc terra montuosa est locus claustralis, in quo a solo Deo consolatio exspectatur.) B

Capitulum XII. — Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum.

Capitulum XV. — Omnino indigens et mendicus non erit inter vos. (Propter hoc verbum Judæi valde abominantur paupertatem.)

Capitulum XVI. — Non apparebit vacuus ante Dominum; sed offeret unusquisque secundum quod habuerit.

Capitulum XVII. — Quum constitueris C tibi regem, eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum.

Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram.

Capitulum XVIII. — Perfectus eris et absque macula cum Domino Deo tuo.

Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum tanquam te, etc. (Istud de Christo accipitur.)

Capitulum XIX. — Non transferes ter- D minos quos fixerunt priores in possessione tua.

Capitulum XX. — Quis est homo formidolosus et corde pavido ? Revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum sicut et ipse perterritus est.

Si quando accesseris ad expugnandum civitatem, primo offeres pacem. Si receperit et aperuerit, omnes salvabuntur.

Capitulum XXI. — Maledictus a Deo est qui pendet in ligno.

Capitulum XXII. — Non induetur mulier veste virili, nec vir veste feminea. Abominabilis enim apud Deum est qui facit hoc.

Capitulum XXIII. — Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te. Sint ergo castra tua sancta et nihil fœditatis appareat in eis.

Quod semel egressum est de labiis tuis observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo.

Capitulum XXIV. — Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur.

Capitulum XXVI. — Respice, Domine, de sanctuario tuo, de excelso cœlorum habitaculo, et benedic populo tuo.

Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et obedias ejus imperio, custodiasque cærimonias ejus; et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris.

Capitulum XXVII. — Maledictus qui errare fecerit cæcum in itinere.

Capitulum XXVIII. — Nisi timueris nomen Domini gloriosum atque terribile, augebit plagas tuas; et sicut ante lætabatur super vos bene vobis faciens, sic nunc lætabitur vos disperdens atque subvertens.

Capitulum XXIX. — Dixit Moyses ad filios Israel : Vos vidistis universa magnalia quæ coram vobis Dominus fecit, et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possent audire, usque in præsentem diem.

Non sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.

Capitulum XXX. — Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus, et inducet in terram quam possederunt patres tui, etc., et circumcidet cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum.

Mandatum hoc quod ego præcipio tibi, non supra te est, nec procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere, Quis nostrum ad cœlum valet ascendere, ut de-

ferat illud ad nos ? Nec trans mare posi- A tum, ut dicas, Quis ex nobis transfretare possit mare ? Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum.

Ipse Dominus est vita tua, et longitudo dierum tuorum, ut habites in terra.

Capitulum XXXI. — Dixit Moyses ad Josue : Confortare, et esto robustus. Tu enim introduces populum istum, etc., et Dominus qui ductor est tui, erit tecum. Non dimittet nec derelinquet te.

Ego scio contentionem tuam et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, B et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum.

Capitulum XXXII. — Audite, cœli, quæ loquor, etc. Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, etc. Numquid non ipse est pater tuus, etc. ? Memento dierum antiquorum, etc. Pars autem Domini populus ejus, etc. Gens absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent.

Videte quod ego sim solus, et non sit C alius Deus præter me. Ego occidam et ego vivere faciam, etc.

Capitulum XXXIII. — Dixit Moyses : Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis : apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos, omnes sancti in manu ejus sunt ; et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.

Amantissimus Domini habitabit confidenter ; in eo quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.

Non est Deus alius, ut Deus rectissimi ; ascensor cœli, auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes ; habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna.

Capitulum XXXIV. — Mortuus est Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino ; et sepelivit eum in valle terræ Moab ; et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.

Moyses centum viginti annorum erat quando mortuus est. Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.

Et non surrexit Propheta in Israel ultra sicut Moyses, qui nosceret Dominum facie ad faciem, in omnibus signis, etc.

LIBER JOSUE

CONTINET CAPITULA VIGINTI QUATUOR. ET AGITUR IN EO DE TRANSITU JORDANIS, ET DE SUBVERSIONE REGNORUM HOSTILIUM ; DE INTRODUCTIONE POPULI DEI IN TERRAM PROMISSIONIS, ET DE DIVISIONE IPSIUS TERRÆ.

Capitulum I. — Dixit Dominus ad Jo- D sue : Confortare, et esto robustus valde, ut custodias omnem legem quam tibi Moyses præcepit. Ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Et meditaberis in lege hac diebus ac noctibus. Ecce præcipio tibi : confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere : quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.

Dixerunt filii Israel ad Josue : Qui non obedierit cunctis sermonibus tuis, moriatur.

Capitulum III. — Ingressis filiis Israel Jordanem, steterunt aquæ descendentes in uno loco, et ad instar montis intumescentes apparebant procul. Quæ autem inferiores erant, in mare Solitudinis descenderunt, quousque omnino deficerent. Omnisque populus per arentem alveum transibat.

Capitulum V. — Defecit manna postquam filii Israel comederunt de frugibus terræ. A

Capitulum VI. — Dixit Josue : Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. (Hoc postea impletum est.)

Capitulum VII. — Josue cecidit pronus in terram coram Domino usque ad vesperam, et dixit : Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga B vertentem ? Et quid facies nomini tuo magno ?

Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere atque indica mihi quid feceris.

Capitulum X. — Dixit Josue Domino : Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna, contra vallem Aialon. Steterunt itaque sol et luna ; et non festinavit sol descendere spatio unius diei. Non fuit ante et post tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.

Capitulum XI. — Non præterivit Josue C de universis mandatis Domini, ne unum quidem verbum, quæ præcepit Moysi.

Capitulum XIV. — Dixit Caleb ad Josue : Fratres mei qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi ; et nihilo minus ego secutus sum Dominum Deum meum. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est mihi Dominus. Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens ad bellandum et gradiendum, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum.

Capitulum XV. — Jebusæum habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere, habitavitque cum eis.

Capitulum XVII. — Machir primogenitus Manassæ, fuit vir pugnator.

Capitulum XVIII. — Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendum terram quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis ?

Capitulum XXII. — Dixit Josue : Dividite prædam hostium cum fratribus vestris.

Capitulum XXIII. — Dixit Josue : En ego ingredior viam universæ terræ.

Capitulum XXIV. — Timete Dominum, et servite ei corde perfecto atque verissimo.

Dixit Josue : Non poteritis servire Domino. Deus enim sanctus et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris.

Mortuus est Josue, servus Domini, centum decem annorum. Servieruntque filii Israel Domino cunctis diebus Josue et seniorum qui longo vixerunt tempore post Josue, qui noverant opera Domini, etc.

Ossa Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem in parte agri quem emerat Jacob a filiis Hemor.

LIBER JUDICUM

HABET CAPITULA VIGINTI UNUM. ET AGITUR IN EO DE PRINCIPIBUS JUDICIBUS, ET DEFENSIONE POPULI ISRAEL ; ET DE VICTORIIS AC TRIUMPHIS HABITIS CONTRA HOSTES.

Capitulum I. — Sicut feci, ita reddidit D mihi Dominus.

Capitulum II. — Flectebatur Dominus misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium.

Capitulum III. — Dimisit Dominus Chananæos, ut in eis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini, an non ; et ut discerent posteri eorum certare cum hostibus, haberentque consuetudinem præliandi.

Capitulum IV. — Aod judex Israel utraque manu pro dextera utebatur.

Verbum secretum habeo ad te, o rex : verbum Domini habeo ad te.

Humiliatus est Moab sub manu Israel, et quievit terra.

Capitulum V. — Cor meum diligit principes Israel. Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. De cœlo dimicatum est contra eos ; stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram dimicaverunt. Sic pereant, Domine, omnes inimici tui ; qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

Capitulum VI. — Dixit angelus ad Gedeon : Dominus tecum, virorum fortissime. Dixitque Gedeon : Obsecro, Domine, si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hæc mala ? Ubi sunt mirabilia ejus quæ narraverunt patres nostri ?

Dixit Gedeon : Heu ! mi Domine Deus, quia vidi angelum Domini facie ad faciem. Dixitque ei Dominus : Pax tecum ; ne timeas, non morieris.

Capitulum VII. — Ne glorietur contra me Israel, et dicat : Meis viribus liberatus sum.

Capitulum VIII. — Non dominabor vestri, sed dominabitur Dominus vobis, dixit Gedeon.

Mortuus est Gedeon in senectute bona.

Capitulum IX. — Simul considerate, quia os vestrum et caro vestra sum.

Capitulum X. — Peccavimus. Redde tu nobis quidquid tibi placuerit ; tantum nunc libera nos.

Doluit Dominus super miseriis eorum (scilicet populi Israel).

Capitulum XI. — Dominus qui hæc audit, ipse mediator ac testis est quod nostra promissa faciemus.

Vovit Jephthe votum Domino, etc.

Dixit Jephthe : Heu ! filia mi, decepisti me, et ipsa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere A non potero. Cui filia respondit : Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es.

Capitulum XIII. — Si Dominus nos vellet occidere, holocaustum de manibus nostris non suscepisset.

Capitulum XIV. — Irruit spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem quasi hœdum in frusta ; et hoc parentibus non indicavit.

Dixit Samson : Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem B meam.

Capitulum XV. — Cepit Samson trecentas vulpes, et caudas earum conjunxit et faces ligavit in medio earum. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum.

Arripuit Samson mandibulam asini, et percussit in ea mille viros de Philistiim. Quumque sitiret et oraret Dominum, aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt aquæ.

Capitulum XVI. — Apprehendit Samson ambas portæ fores cum postibus suis et C sera, impositasque humeris portavit ad verticem montis.

Quomodo dicis quod amas me, quum animus tuus non sit mecum ?

Domine Deus meus memento mei, et redde mihi nunc pristinam fortitudinem meam.

Capitulum XVIII. — Ite in pace ; Dominus respicit viam vestram, et iter quo pergitis.

Capitulum XIX. — Ferte sententiam, et in commune decernite quid facto opus sit.

D Capitulum XX. — Non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus. Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur.

Capitulum XXI. — Quare, Domine Deus Israel, factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex Israel ?

LIBER RUTH

HABET CAPITULA QUATUOR. ET AGITUR IN EO DE MATRIMONIO CONTRACTO INTER BOOZ ET RUTH, EX QUIBUS CHRISTUS DESCENDIT.

Capitulum I. — Faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis et mecum, detque vobis invenire requiem.

Vestra angustia me magis premit, et egressa est manus Domini contra me.

Ne adverseris mihi ut te relinquam et abeam. Quocumque perrexeris, pergam. Populus tuus, populus meus ; et Deus tuus, Deus meus. Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non sola mors me et te separaverit.

Ne vocetis me Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, hoc est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus.

Cur ergo vocatis me Noemi, quam humiliavit Dominus, et afflixit Omnipotens ?

Capitulum II. — Dixit Booz messoribus : A Dominus vobiscum. Qui dixerunt : Benedicat tibi Dominus.

Unde hoc mihi, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris ?

Reddat tibi Dominus pro opere tuo plenam mercedem, ad quem venisti, et sub cujus alas confugisti.

Sit benedictus qui misertus est tui.

Benedictus sit a Domino, quoniam eamdem gratiam quam præbuit vivis, servavit et mortuis.

Capitulum III. — Priorem misericordiam B posteriore superasti. Scitque omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te (scilicet Ruth) esse virtutis.

Capitulum IV. — Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor.

Benedictus Dominus, qui dedit tibi qui consoletur animam tuam et enutriat senectutem.

LIBER REGUM PRIMUS

CONTINET CAPITULA TRIGINTA UNUM. IN QUO AGITUR DE GUBERNATIONE POPULI ISRAEL PER JUDICES ; DE ELECTIONE REGIS SAUL ; DE REGIMINE, GESTIS ET MORTE IPSIUS.

Capitulum I. — Quum esset Anna amaro animo, oravit Dominum flens largiter. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur.

Vultus illius (scilicet Annæ) non sunt amplius in diversa mutati.

Capitulum II. — Exsultavit cor meum in Domino, etc. (Hoc canticum Annæ per totum valde notabile est.) Non est sanctus ut est Dominus, etc. Nolite multiplicare C loqui sublimia, gloriantes. Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. Domini sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem. Dominus judicabit fines terræ.

Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo ?

Puer Samuel proficiebat atque crescebat, et placebat tam Deo quam hominibus.

Quicumque glorificaverit me, glorificabo

eum, ait Dominus; qui autem contemnunt A me, erunt ignobiles.

Capitulum III. — Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Dominus est : quod bonum est in oculis suis, faciat.

Capitulum IV. — Venit Deus in castra.

Capitulum VI. — Quis poterit stare ante conspectum Domini Dei sancti hujus?

Capitulum VII. — Præparate corda vestra Domino, et servite illi soli, et liberabit vos de manu Philistiim.

Ne cesses pro nobis clamare ad Domi- B num Deum nostrum, ut salvet nos.

Capitulum IX. — Erat Saul vir electus et bonus, et non erat de filiis Israel melior illo (scilicet ante promotionem regni).

Capitulum X. — Mutaberis in virum alterum. Et immutavit ei (scilicet Sauli) Deus cor aliud.

Stetit Saul in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et sursum.

Capitulum XI. — Cras erit vobis salus, quum incaluerit sol.

Capitulum XII. — Nolite recedere a ter- C go Domini, sed servite Domino in omni corde vestro; et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, quia vana sunt. Non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum. Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis. (Hoc dixit Samuel ad Israel, de principatu ejectus.)

Capitulum XIII. — Stulte fecisti, quia non custodisti præcepta Domini Dei quæ præcepit tibi.

Capitulum XIV. — Non est Domino dif- D ficile salvare in multis vel in paucis.

Capitulum XV. — Factum est verbum Domini ad Samuelem dicens : Pœnitet me quod constituerim Saulem regem, quia dereliquit me.

Nonne quum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?

Numquid vult Dominus holocausta aut victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum : quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.

Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus.

Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.

Siccine separat amara mors?

Verumtamen lugebat Samuel Saulem.

Capitulum XVI. — Dixit Dominus : Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quia non juxta intuitum hominis ego judico. Homo enim videt quæ parent, Dominus autem intuetur cor.

Erat autem David rufus et pulcher adspectu, decoraque facie.

Respondens unus de pueris, Sauli ait : Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, ac prudentem in verbis; et Dominus est cum eo.

Capitulum XVII. — Dixit David : Leonem et ursum suffocavi et interfeci.

Dixit David ad Philistæum : Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum; et dabit te Dominus in manu mea.

Capitulum XVIII. — Anima Jonathæ colligata est animæ David; et dilexit eum Jonathas quasi animam suam. Et inierunt fœdus Jonathas et David. Et exuit Jonathas vestimenta sua, et dedit ea David.

Dixit David : Ego sum vir pauper et tenuis.

Capitulum XX. — Uno tantummodo gradu, ego et mors dividimur.

De verbo quod locuti sumus ego et tu, Dominus sit inter me et te usque in sempiternum.

Capitulum XXIV. — Propitius sit mihi Dominus, ne mittam manum meam in christum Domini.

Justior tu es quam ego. Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.

Capitulum XXVI. — Numquid non vir tu es? et quis alius similis tui in Israel?

Si Dominus incitat te adversum me, A odoretur incensum ; si autem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini. (Verba sunt David ad Saul.)

Dominus retribuet unicuique secundum justitiam suam et fidem. Sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, et liberet me de omni angustia.

Capitulum XXIX. — Vivit Dominus, quia rectus es tu et bonus in conspectu meo, et exitus tuus et introitus tuus mecum ; et non inveni in te quidquam mali ex die qua venisti ad me, usque nunc ; sed satrapis non places.

Capitulum XXX. — Æqua pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas ; et similiter divident.

Capitulum XXXI. — Arripuit Saul gladium suum, et irruit super eum. Quod quum vidisset armiger ejus, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo.

LIBER REGUM SECUNDUS

CONTINET CAPITULA VIGINTI QUATUOR. ET AGITUR IN EO DE REGIMINE POPULI ISRAEL PER REGEM DAVID, ET DE FACTIS PER IPSUM.

Capitulum I. — Sagitta Jonathæ nun- B quam rediit retrorsum ; et gladius Saul non est reversus inanis. Saul et Jonathas amabiles et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi ; aquilis velociores, leonibus fortiores. Quomodo ceciderunt fortes in prælio, et perierunt arma bellica ? Doleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam.

Capitulum II. — Porro Asael frater Joab, cursor velocissimus fuit, quasi unus ex C capreis.

Num usque internecionem tuus mucro desæviet ? An ignoras quod periculosa sit desperatio ?

Capitulum III. — David erat proficiens, et semper se ipso robustior.

Adduxit Joab Abner filium Ner seorsum, ut loqueretur ei in dolo, et percussit eum in inguine et mortuus est.

Plangens David Abner, ait : Nequaquam ut mori solent ignavi mortuus es, Abner. Manus tuæ non sunt ligatæ, et pedes tui D non sunt compedibus aggravati ; sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, corruisti.

Capitulum V. — Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ.

Capitulum VI. — David percutiebat in organis, et ludebat totis viribus coram Domino.

Dixit David : Ludam et vilior fiam plus quam factus sum ; et ero humilis in oculis meis.

Capitulum VII. — Quis ego sum, Domine Deus, quia adduxisti me hucusque ? Tu enim scis servum tuum, Domine Deus meus. Incipe ergo, et benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te.

Capitulum VIII. — Filii David sacerdotes erant.

Capitulum IX. — Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei ?

Miphiboseth, filius Jonathæ, claudus erat utroque pede ; et habebat filium parvulum nomine Micha.

Capitulum X. — Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro. Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. (Dixit Joab ad Abisai.)

Capitulum XI. — Non te frangat ista res : varius est enim exitus belli ; et nunc hunc, nunc illum gladius consumit.

Capitulum XII. — Quare contempsisti verbum Domini, ut faceres malum coram eo?

Dixit David : Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi et flevi. Nunc autem, quia mortuus est, quare jejuno? Numquid potero revocare eum? Ego vadam magis ad eum ; ille vero non revertetur ad me.

Genuit Bethsabee filium, et vocavit nomen ejus Salomon. Et Dominus dilexit eum. Misitque in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen ejus, Amabilis Domino.

Capitulum XIII. — Filiæ David regis veste talari utebantur.

Capitulum XIV. — Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. Nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abjectus est.

Porro sicut Absalon vir pulcher non erat in omni Israel. A planta pedis usque ad verticem capitis, non erat in eo ulla macula. Et quando tondebatur, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis argenti. Semel autem tondebatur in anno, quia gravabat eum cæsaries.

Capitulum XV. — Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem.

Dixit David : Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Si autem dixerit, Non places, præsto sum ; faciat quod bonum est coram se.

Capitulum XVI. — Dixit David : Dimittite Semei ut maledicat mihi ; si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac.

Consilium Achitophel erat quasi si quis consuleret Deum.

Capitulum XVII. — Amasam constituit Absalon super exercitum pro Joab. Erat autem Amasa filius Abigail, filiæ Naas. (Nota, quod pater David habuit tria nomina, scilicet Jesse, Isai et Naas. Hic dicitur Naas.)

Capitulum XVIII. — Quum ingressus fuisset mulus Absalon subter condensam quercum, adhæsit caput ejus quercui, et illo suspenso mulus pertransiit. Tulit ergo Joab tres lanceas et infixit in corde Absalon.

A Flevit David filium suum Absalon, et ait : Fili mi Absalon, Absalon fili mi. Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, o Absalon fili mi, fili mi Absalon ?

Capitulum XIX. — Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna : Absalon, etc.

Dixit Joab ad David : Diligis odientes te, et odio habes diligentes te.

Tu, Domine, posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ.

Erat autem Berzellai Galaadites senex
B valde, id est octogenarius.

Capitulum XX. — Dixit Joab ad Amasam : Salve, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum ; percussitque eum in latere, et effudit intestina ejus.

Capitulum XXIII. — Dixit David filius Isai ; dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.

Banaias filius Joiadæ percussit duos le-
C ones Moab ; percussit quoque leonem in medio cisternæ. Et interfecit virum Ægyptium dignum spectaculo. Quumque descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu ejus, et interfecit eum hasta sua. Fecitque eum David sibi auricularium a secreto.

Capitulum XXIV. — Dedit Joab numerum descriptionis populi regi. Et inventa sunt de Israel octingenta millia virorum fortium ; de Juda autem quinquaginta millia pugnatorum.

D Dixit David : Peccavi valde in hoc facto ; sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis.

Dixit David : Coarctor nimis ; sed melius est mihi incidere in manus Domini, multæ enim miserationes ejus sunt, quam in manus hominum.

Dixit David ad Dominum, quum vidisset angelum cædentem populum : Ego sum qui peccavi ; isti qui oves sunt, quid fecerunt ? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei.

LIBER REGUM TERTIUS

HABET CAPITULA VIGINTI DUO. ET AGITUR IN EO DE MORTE REGIS DAVID ; ET DE SUCCESSIONE, REGIMINE ET GESTIS SALOMONIS, ALIORUMQUE REGUM JUDA ET ISRAEL.

Capitulum II. — Dixit David ad Salo- A monem : Tu nosti quæ fecerit mihi Joab, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner et Amasæ, quos occidit, et effudit sanguinem belli in pace, et posuit cruorem belli in balteo qui erat circa lumbos suos, et in calceamento suo. Non ergo deduces canitiem ejus pacifice ad inferos.

Venit Bethsabee ad regem Salomonem ; et surrexit rex in occursum ejus, adoravitque eam, et sedit super thronum suum. Positus est thronus matri regis, quæ sedit B ad dexteram ejus.

Petitionem unam precor a te ; ne confundas faciem meam.

Dixit rex Salomon matri suæ : Pete, mater mi. Neque enim fas est ut avertam faciem tuam.

Capitulum III. — Affinitate conjunctus est Salomon Pharaoni regi Ægypti, accepitque filiam ejus uxorem.

Ego sum puer parvulus et ignorans egressum et introitum meum. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut possit discernere C inter bonum et malum.

Placuit autem Domino, quod Salomon sapientiam postulasset, et ait : Quia postulasti hoc, ecce feci tibi secundum sermones tuos ; sed et hæc quæ non postulasti dedi tibi, scilicet divitias et gloriam.

Capitulum VIII. — Dominus dixit ut habitaret in nebula.

Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo desuper et super terram deorsum, qui custodis pactum et misericordiam servis tuis qui ambulant coram D te in toto corde suo.

Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram ? Si enim cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc ? Sed respice ad orationem servi tui. Audi hymnum, et orationem quam servus tuus orat coram te.

Tu, Domine, solus nosti corda omnium filiorum hominum.

Non est homo qui non peccet.

Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit requiem populo suo.

Sit Dominus Deus noster nobiscum sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos ; sed inclinet corda nostra post se, ut ambulemus in omnibus viis ejus.

Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus.

Capitulum X. — Major est sapientia tua et opera tua, quam rumor quem audivi. Beati viri tui, et beati servi tui qui adstant coram te semper et audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti.

Capitulum XV. — Non declinavit David ab omnibus quæ præceperat ei Dominus, excepto sermone Uriæ Hethæi.

Capitulum XVI. — In diebus Achab ædificavit Hiel Jericho : in Abiram primogenito suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Josue filii Nun.

Capitulum XVII. — Dixit Elias Thesbites ad Achab : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba.

Corvi deferebant Eliæ panem et carnes mane, similiter et vespere.

Expandit se atque mensus est Elias super puerum tribus vicibus, clamavitque

ad Dominum. Et exaudivit eum, et reversa est anima pueri in viscera ejus.

Capitulum XVIII. — Usquequo claudicatis in duas partes?

Cecidit ignis de cœlo et devoravit holocausta Eliæ, et ligna et lapides, pulverem quoque et aquam.

Capitulum XIX. — Timuit Elias Jezabel, et abiit quocumque eum ferebat voluntas.

Sufficit mihi, Domine ; tolle animam meam. Neque enim melior sum quam patres mei.

Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui (scilicet Elias) quum surrexisset, ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

Zelo zelatus sum pro Domino exercituum.

Dixit Dominus ad Eliam : Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal. (Nota. Istum passum allegat Apostolus ad Romanos.) *Rom.* XI, 4.

Capitulum XX. — Ne glorietur accinctus æque ut discinctus.

Capitulum XXI. — Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel.

Capitulum XXII. — Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli adsistentem ei a dextris et a sinistris.

Sustentate eum pane tribulationis et aqua angustiæ.

LIBER REGUM QUARTUS

CONTINET CAPITULA VIGINTI QUINQUE. ET AGITUR IN EO DE CASU REGNI JUDA ET ISRAEL PROPTER REGUM SUORUM PRÆVARICATIONEM ; DE CAPTIVITATE POPULI ; ET DE SUBVERSIONE URBIS ET TEMPLI.

Capitulum I. — Homo Dei, noli despicere animam meam et animas servorum tuorum qui mecum sunt ; sed miserearis animæ meæ.

Capitulum II. — Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te.

Tulit Elias pallium suum, et percussit aquas, et divisæ sunt in utramque partem.

Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me.

Capitulum III. — Dixit Eliseus : Adducite mihi psaltem. Quumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini.

Capitulum IV. — Incubuit Eliseus super puerum mortuum ; et posuit os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus, et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri ; et oscitavit septies.

Capitulum V. — Numquid Deus ego sum, ut occidere possim et vivificare?

Capitulum VI. — Noli timere : plures enim nobiscum sunt, quam cum eis.

Capitulum VIII. — Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam ?

Capitulum X. — Numquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo ?

Capitulum XIII. — Projecerunt latrunculi cadaver in sepulcrum Elisei : quod dum tetigit ossa ejus, revixit homo.

Capitulum XVIII. — Ezechias confregit serpentem æneum quem fecerat Moyses. Siquidem usque illud tempus filii Israel adolebant ei incensum.

Capitulum XIX. — Insanisti in me, et superbia tua ascendit in aures meas. Ponam itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis.

Venit angelus Domini nocte, et percus-

sit in castris Assyriorum, centum octoginta quinque millia virorum. A

Capitulum XX. — Oravit Ezechias, dicens : Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim.

Dixit Ezechias : Bonus sermo quem locutus est Dominus; sit pax et veritas in diebus meis.

LIBER PARALIPOMENON PRIMUS

HABET CAPITULA VIGINTI NOVEM. ET DESCRIBITUR IN EO GENEALOGIA REGIS DAVID ; ET FIT RECAPITULATIO ELECTIONIS, GUBERNATIONIS ATQUE GESTORUM IPSIUS.

Capitulum V. — Ruben fuit primogenitus Israelis ; sed quum violasset torum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph. B

Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt.

Filii Israel Dominum invocaverunt quum præliarentur ; et exaudivit eos, eo quod credidissent in eum. Fuit enim bellum Domini.

Capitulum XI. — Abiit David in Jerusalem : hæc est Jebus. Et dixit : Qui percusserit Jebusæum in primis, erit princeps et dux. Ascendit ergo Joab, et factus est princeps. C

Capitulum XII. — Pax tibi, pax tibi, et pax adjutoribus tuis : te enim adjuvat Deus tuus.

Capitulum XIII. — Mansit arca Dei in domo Obededom Gethæi tribus mensibus ; et benedixit Dominus domui ejus et omnibus quæ habebat.

Capitulum XVII. — Omnia quæ sunt in corde tuo fac : Dominus enim tecum est. D

Fui semper in tentoriis manens cum omni Israel.

Quis ego sum, Domine Deus meus, et quæ domus mea, ut præstares mihi talia ?

Tu, Deus meus, revelasti auriculam servi tui, et idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te.

Capitulum XIX. — Joab intelligens bellum ex adverso et post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos.

Confortare, et agamus viriliter pro populo nostro. Dominus autem, quod in conspectu suo est bonum, faciat.

Capitulum XXI. — Dedit Joab numerum populi David, et inventus est omnis numerus Israel mille millia, et centum millia virorum. (Nota numerum filiorum Israel tempore David.) De Juda autem quadringenta septuaginta millia. Nam Levi et Benjamin non numeravit.

Capitulum XXII. — Cernitis quod Dominus Deus vester vobiscum sit, et dedit vobis requiem. Præbete ergo corda vestra,ut quæratis Dominum Deum vestrum.

Capitulum XXVIII. — Tu autem, fili mi, scito Deum patris tui, et servi ei corde perfecto et animo voluntario. Omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies ; si autem dereliqueris eum, projiciet te.

Capitulum XXIX. — Lætatus est populus quum vota sponte promitteret, quia toto corde offerebant ea Domino.

Tua est, Domine, magnificentia, et potestas, et gloria, atque victoria, et tibi laus ; tuæ divitiæ, tua est gloria ; tu dominaris omnium. Nunc ergo, Deus noster, confitemur tibi, et laudamus nomen tuum inclytum.

Quis ego, et quis populus tuus, ut possimus tibi ista promittere ? Tua enim sunt

omnia; et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini sumus coram te et advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora.

Scio, Domine Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas: unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli omnia hæc.

Domine Deus, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in veneratione tui mens ista permaneat.

LIBER PARALIPOMENON SECUNDUS

HABET CAPITULA TRIGINTA SEX, ET RECAPITULATUR IN EO REGIMEN POPULI PER SALOMONEM, ET ALIOS REGES JUDA ET ISRAEL.

Capitulum II. — Quia dilexit Dominus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum.

Capitulum XII. — Quia humiliati sunt, non disperdam eos, dicit Dominus.

Capitulum XIII. — In exercitu nostro Deus dux est. Nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit.

Vehementissime confortati sunt filii Juda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum.

Capitulum XIV. — Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris aut in pluribus. Adjuva nos, Domine Deus noster: in te enim et in nomine tuo habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem.

Capitulum XV. — Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.

Vos autem confortamini, et non dissolvantur manus vestræ. Erit enim merces operi vestro.

In omni corde suo juraverunt Domino, et in tota voluntate sua quæsierunt eum, et invenerunt.

Capitulum XVII. — Misit Josaphat rex Juda de principibus suis, et cum eis Levitas et sacerdotes. Docebantque populum, habentes librum legis; et circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum.

Capitulum XIX. — Præcepit Josaphat judicibus: Videte quid faciatis: non enim hominum exercetis judicium, sed Domini; et quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

Capitulum XX. — Josaphat rex timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum.

In nobis non est tanta fortitudo ut possimus resistere; sed quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. (Verba sunt Josaphat regis Juda.)

Nolite timere: non est enim vestra pugna, sed Dei. Non enim eritis vos qui dimicabitis; sed tantummodo state confidenter, et videbitis auxilium super vos. O Juda et Jerusalem, nolite timere. Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum.

Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis.

Capitulum XXIV. — Senuit autem Joiada pontifex plenus dierum, et mortuus est quum esset annorum centum et triginta.

Non est recordatus Joas rex misericordiæ quam fecerat Joiada secum, sed interfecit filium ejus. Qui quum moreretur ait: Videat Dominus, et requirat. (De isto

Zacharia intelligitur quod in Evangelio legitur, A sanguine Abel justi, etc.)

Capitulum XXV. — Venit ad Amasiam regem Juda homo Dei, et ait : O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel ; non enim est Dominus cum eis. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Dominus ab hostibus. Dei quippe est adjuvare et in fugam vertere.

Erigitur cor tuum in superbiam. Sede in domo tua. Cur malum adversum te provocas, ut cadas?

Capitulum XXVI. — Quum requireret Ozias rex Juda Dominum, direxit eum in omnibus.

Capitulum XXIX. — Dixit Ezechias Levitis : Filii mei, nolite negligere. Vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis ei, colatis eum, et cremetis ei incensum.

Lætatus est Ezechias et omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum.

Capitulum XXX. — Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri. Servite

A Domino, et avertetur ira ejus a vobis. Pius et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum.

Surrexerunt sacerdotes, benedicentes Dominum; pervenitque oratio eorum ad habitaculum sanctum cœli.

Capitulum XXXII. — In legatione principum Babylonis qui missi fuerant ad Ezechiam ut interrogarent eum de portento quod acciderat super terram, dereliquit eum Dominus, ut tentaretur, et nota

B fierent omnia quæ erant in corde ejus.

Capitulum XXXIII. — Postquam coangustatus est Manasses, oravit Dominum, et egit pœnitentiam valde coram Deo, et obsecravit eum intente; et exaudivit eum. Et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus.

Capitulum XXXIV. — Non declinavit Josias ad dexteram neque ad sinistram.

Capitulum XXXV. — Universus Juda luxerunt Josiam; Jeremias maxime et Jerusalem.

LIBER ESDRÆ PRIMUS

HABET CAPITULA DECEM. ET TRACTATUR IN EO DE REDUCTIONE POPULI ISRAEL ET JUDA EX CAPTIVITATE BABYLONICA ; ET DE INSTRUCTIONE POPULI REDUCTI PER ESDRAM LEGIS DOCTOREM.

Capitulum V. — Nos sumus servi Dei C cœli.

Capitulum VIII. — Erubui ego (scilicet Esdras) petere a rege auxilium et equites qui defenderent nos, quia dixeramus regi : Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitate ; et imperium ejus et fortitudo ejus et furor ejus super omnes qui derelinquunt eum.

Manus Dei nostri fuit super nos, et liberavit nos de manu insidiatoris in via.

Capitulum IX. — Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.

Deus meus, confundor, et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum.

Capitulum X. — Date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, et facite placitum ejus.

LIBER ESDRÆ SECUNDUS

CONTINET CAPITULA TREDECIM. CONSCRIPTUS EST A NEHEMIA DOCTORE ET DUCE POPULI ISRAEL ; ET AGITUR IN EO DE REÆDIFICATIONE MURI CIVITATIS JERUSALEM, ET DE CORRECTIONE MALORUM SUBORTORUM IN ABSENTIA NEHEMIÆ.

CAPITULUM I. — Quæso, Domine Deus A cœli, fortis, magne atque terribilis; fiat auris tua auscultans, ut audias orationem servi tui.

CAPITULUM II. — Quare vultus tuus tristis est, quum te ægrotum non videam? Non est hoc frustra; sed malum nescio quod in corde tuo est.

Deus cœli ipse nos juvat, et nos servi ejus sumus.

CAPITULUM IV. — Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui.

CAPITULUM V. — Quare non in timo- B re Domini Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis a gentibus inimicis nostris?

Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.

CAPITULUM VIII. — Legit Esdras aperte in libro legis coram multitudine. Et legerunt in libro distincte et aperte ad intelligendum.

Dies sanctificatus est Domino Deo nostro; nolite lugere. Gaudium enim Domini est fortitudo vestra.

CAPITULUM IX. — Quater in die et quater in nocte confitebantur Judæi, et adorabant Dominum Deum.

Surgite, et benedicite Domino Deo nostro, ab æterno et usque in æternum.

Et dixit Esdras : Tu ipse, Domine, solus; tu fecisti cœlum et cœlum cœlorum et omnem exercitum eorum, et exercitus cœli te adorat.

CAPITULUM XIII. — Memento mei, Deus meus, pro hoc; et ne deleas miserationes meas quas feci in domo Dei mei, et in cærimoniis ejus. Et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum. Memento mei, Deus meus, in bonum.

LIBER TOBIÆ

HABET CAPITULA QUATUORDECIM. ET NARRATUR IN EO TOBIÆ PROBATIO ET VIRTUS EJUS MULTIPLEX, MINISTERIUM ARCHANGELI RAPHAELIS, INSTRUCTIO PROLIS, ET DE HONESTATE MATRIMONII.

CAPITULUM I. — Tobias quum esset ju- C nior omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere.

Monita salutis dabat eis.

CAPITULUM II. — Non est Tobias contristatus contra Dominum, quod plaga cæcitatis evenerit ei ; sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.

Filii Sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

CAPITULUM III. — Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia, et veritas, et judicium. Ne reminiscaris delicta mea vel parentum meorum, etc. Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum,

et præcipe in pace recipi spiritum meum : expedit enim mihi mori magis quam vivere.

Dixit Sara : Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, quoniam quum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te. Ad te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos erigo. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui. Hoc pro certo habet omnis qui colit te, Domine, quia vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur ; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur ; et si in correptione fuerit, ad misericordiam pervenire licebit. Non delectaris in perditionibus nostris : quia post tempestatem tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis.

Capitulum IV. — Memor esse debes quæ et quanta pericula sit passa propter te mater tua in utero suo.

Omnibus diebus vitæ tuæ Deum in mente habeto, et cave ne aliquando peccato consentias.

Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors, etc.

Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne aliquando alii facias.

Consilium semper a sapiente perquire.

Omni tempore benedic Deo, et pete ab eo ut viam tuam dirigat.

Noli timere, fili mi. Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, etc.

Capitulum V. — Gaudium tibi semper sit, fortique animo esto : in proximo est ut a Deo cureris.

A Tobias ait : Bene ambuletis, et sit Dominus in itinere vestro, et angelus ejus comitetur vobiscum.

Baculum senectutis nostræ tulisti.

Capitulum IX. — Si me ipsum tibi tradam servum, non ero condignus providentiæ tuæ.

Capitulum X. — Hei mihi, fili mi, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ, etc.

Capitulum XI. — Benedico te, Domine B Deus Israel, quoniam tu castigasti me, et tu salvasti me.

Capitulum XII. — Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam.

Sacramentum regis abscondere bonum est ; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est.

Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, etc.

Qui autem faciunt iniquitatem et peccatum, C hostes sunt animæ suæ.

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.

Dixit Raphael angelus : Ego sum Raphael angelus, unus ex septem qui adstamus ante Deum. Et quidem videbar vobiscum manducare et bibere ; sed ego cibo et potu invisibili utor.

Capitulum XIII. — Magnus es, Domine, in æternum, et in omnia sæcula regnum tuum : quoniam tu flagellas et salvas, et non est qui effugiat manum tuam.

D Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras ; et ipse salvabit nos propter misericordiam suam.

Convertimini itaque, peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam.

Ego autem et anima mea in Deo lætabimur.

LIBER JUDITH

COMPLECTITUR CAPITULA SEDECIM. IN QUO AGITUR DE MISSIONE HOLOFERNIS AD REGNA OCCIDENTIS ET TERRÆ JUDÆÆ; DE HONESTATE ET PROBITATE JUDITH; DE INTERFECTIONE HOLOFERNIS, ET LIBERATIONE POPULI ISRAEL.

CAPITULUM VI. — Domine Deus cœli et terræ, intuere superbiam eorum, et respice ad nostram humilitatem, et faciem sanctorum tuorum attende; et ostende quia non derelinquis præsumentes de te, et de se et sua potentia gloriantes humilias.

CAPITULUM VIII. — In superioribus domus suæ fecit sibi Judith cubiculum secretum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. Et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat quotidie, præter sabbata et neomenias et festa domus Israel.

Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed qui iram excitet. Posuistis vos tempus miserationis Domini.

Non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur.

Humiliemus illi animas nostras, et in spiritu contrito et humiliato serviamus illi. Exspectemus humiles consolationem ejus.

Memores esse debent quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt in
A timore Domini et in patientia sua, exterminati sunt.

Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus.

CAPITULUM IX. — Deus cœlorum, creator aquarum, et Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem et de tua misericordia præsumentem.

B CAPITULUM XII. — Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ.

CAPITULUM XIII. — Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, et in me adimplevit misericordiam suam.

CAPITULUM XV. — Benedixerunt Judith, dicentes : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, eo quod castitatem amaveris.

C CAPITULUM XVI. — Adonai Domine, magnus es tu, et præclarus in virtute; tibi serviat omnis creatura. Qui autem timent te, magni erunt apud te.

Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos. Dabit enim ignem, et vermes in carnem eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.

LIBER ESTHER

HABET CAPITULA SEDECIM. ET AGITUR IN EO DE CRUDELITATE AMAN ET EJUS SUSPENSIONE PROCURATA PER PROVIDENTIAM ET HUMILITATEM ESTHER ; ET DE EXALTATIONE MARDOCHÆI ET LIBERATIONE JUDÆORUM.

CAPITULUM II. — Erat Esther formosa A valde et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres.

CAPITULUM XIII. — Domine Deus, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere tuæ voluntati. Si decreveris salvare nos, continuo liberabimur. Tu enim fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur. Ne despicias partem tuam, et ne claudas ora canentium te.

CAPITULUM XIV. — Oravit Esther : Domine mi rex, adjuva me solitariam, cujus præter te nullus alius auxiliator est. Tu scis quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ quod est super caput meum, quasi pannum menstruatæ, et non portem illud in diebus silentii mei.

CAPITULUM XV. — Valde mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum.

LIBER JOB

CONTINET CAPITULA QUADRAGINTA DUO. ET AGITUR IN EO DE BEATI JOB PATIENTIA ET PERFECTIONE, AC DISPUTATIONE QUAM HABUIT CUM AMICIS ; DE PROVIDENTIA DIVINA, CORPORISQUE RESURRECTIONE.

CAPITULUM I. — Erat Job vir simplex B et rectus ac timens Deum, et recedens a malo.

Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.

Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.

CAPITULUM II. — Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua.

Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustineamus ?

In omnibus his non peccavit Job la- C biis suis.

CAPITULUM III. — Maledixit Job diei suo, et locutus est : Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo.

Antequam comedam suspiro ; et quasi inundantis aquæ, sic rugitus meus.

CAPITULUM IV. — Conceptum sermonem tenere quis poterit ?

Venit super te plaga, et defecisti ; tetigit te, et conturbatus es. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum ?

Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit ? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem Domino flante perisse.

Numquid homo, Dei comparatione, justificabitur ?

Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem : quanto magis hi qui habitant domos luteas, consumentur velut a tinea ?

Capitulum V. — Ad aliquem Sanctorum A convertere.

Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.

Nihil in terra sine causa fit.

Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum.

Ad Deum meum ponam eloquium meum, qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero.

Qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium B pravorum dissipat.

Beatus homo qui corripitur a Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes : quia ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt.

In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non videbis malum.

Capitulum VI. — Animæ esurienti etiam amara dulcia esse videntur.

Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. C

Quis mihi det ut veniat petitio mea, et quod exspecto tribuat mihi Deus?

Ecce non est auxilium mihi in me.

Qui tollit ab amico misericordiam, timorem Domini derelinquit.

Respondete, obsecro, absque contentione, etc. Nec personabit in faucibus meis stultitia.

Capitulum VII. — Militia est vita hominis super terram; et sicut dies mercenarii dies ejus.

Dies mei velocius transierunt quam a D texente tela, etc. Memento mei, Domine, quia ventus est vita mea, etc.

Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet.

Loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.

Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? etc.

Capitulum VIII. — Numquid Deus supplantat judicium, et Omnipotens subvertit quod justum est?

Tu si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus, si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te.

Hesterni quippe sumus, et ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.

Spes hypocritæ peribit.

Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis.

Capitulum IX. — Non justificabitur homo compositus Deo; et si voluerit cum eo contendere, non poterit respondere unum pro mille. Sapiens corde est, et fortis robore.

Quis restitit ei et habuit pacem? Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit. Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutientur. Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris. Si venerit ad me, non videbo eum; et si recesserit a me, non intelligam.

Deus, cujus iræ resistere nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem.

Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo ei, sed ut meum judicem deprecabor. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.

Terra data est in manus impii.

Dies mei velociores fuerunt cursore; pertransierunt quasi naves poma portantes.

Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.

Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat. Neque enim possum metuens respondere.

Capitulum X. — Tædet animam meam vitæ meæ; dimittam adversum me, etc.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum, etc.

Scio, Domine, quia universorum memineris.

Si justus fuero, non levabo caput.

Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem, etc.

Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, etc.

Capitulum XI. — Numquid qui multa loquitur non audiet? aut vir verbosus justificabitur?

Utinam Deus ostenderet tibi secreta sapientiæ suæ, et quod multiplex esset lex ejus, ut intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies.

Excelsior cœlo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari.

Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei?

Ipse (scilicet Deus) novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat?

Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat.

Oculi impiorum deficient, et effugium peribit ab eis, et spes illorum abominatio erit.

Capitulum XII. — Qui deridetur ab amico suo, invocabit Deum, et exaudiet eum.

Deridetur justi simplicitas.

Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? In cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis.

Nonne auris verba dijudicat? et fauces comedentis, saporem? In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.

Si continuerit aquas, omnia siccabuntur; si emiserit eas, subvertent terram.

Ipse novit decipientem, et eum qui decipitur.

Qui (scilicet Deus) revelat profunda de tenebris, et producit in lucem. Qui immutat cor principum terræ.

A Capitulum XIII. — Ad Omnipotentem loquar, et cum Deo disputare cupio. Utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes.

Audite correptiones meas, et judicium labiorum meorum attendite.

Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?

Numquid Deus decipietur vestris fraudulentiis? Ipse arguet vos, et statim turbabit vos.

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.

B Vias meas in conspectu ejus arguam; et ipse erit salvator meus.

Non veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.

Quantas habeo iniquitates et peccata; scelera, etc.

Capitulum XIV. — Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, etc. Numerus mensium ejus apud te est. Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.

Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, etc.?

C Cunctis diebus quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea.

Tu quidem gressus meos dinumerasti, etc.

Signasti quasi in sacculo delicta mea.

Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur.

Capitulum XV. — Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum?

Loqueris quod tibi non expedit.

Quantum in te est, evacuasti timorem.

D Os tuum condemnabit te, et non ego, et labia tua respondebunt tibi.

Numquid grande est ut consoletur te Deus? Sed verba tua prava hoc prohibent.

Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus? Quid est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere?

Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Quanto magis abominabilis et

inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?

Cunctis diebus suis impius superbit.

Sonitus terroris semper in auribus impii; et quum pax sit, ille semper insidias suspicatur.

Angustia vallabit impium, sicut regem qui paratur ad prælium.

Tetendit contra Deum manum suam.

Non credet frustra quod aliquo pretio redimendus sit. Antequam dies ejus impleantur, peribit.

Capitulum XVI. — Consolatores onerosi omnes vos estis.

Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est, etc. (Ista de Christi passione optime accipi possunt, quia et Job figura exstitit Christi.)

Ego ille quondam opulentus repente contritus sum.

Ecce in cœlo est testis meus, et conscius meus in excelsis.

Semitam per quam non revertar ambulo.

Capitulum XVII. — Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, etc. Cor eorum longe fecisti a disciplina: propterea non exaltabuntur.

Tenebit justus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem.

In profundissimum inferni descendent omnia mea.

Capitulum XVIII. — Intellige prius, et sic loquamur.

Quid perdis animam tuam in furore tuo?

Lux impii exstinguetur, et præcipitabit eum consilium suum.

Capitulum XIX. — Iratus est contra me furor Domini, et sic me habuit quasi hostem. Quem maxime diligebam, aversatus est me.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum.

Scio enim quod Redemptor meus vivit.

Capitulum XX. — Cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.

Doctrinam qua me arguis audiam.

Laus impiorum brevis est, et gaudium hypocritæ ad instar puncti.

Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.

Velut somnium avolans non invenietur, transiet quasi visio nocturna.

Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur; juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit. (Nota. Hæc sunt verba Sophar Naamathitæ, in quibus vitam fatetur post hanc vitam.)

Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra adversus eum consurget, etc.

Hæc est pars hominis impii a Deo.

Capitulum XXI. — Audite, quæso, sermones meos, et agite pœnitentiam. Numquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari?

Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, et non est super illos virga Dei. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quorum consilium longe sit a me.

In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur, et de furore Omnipotentis bibet.

Capitulum XXII. — Numquid Deo comparari potest homo, etiam quum perfectæ fuerit scientiæ?

Quid prodest Deo, si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?

Propter malitiam tuam circumdatus es laqueis, conturbat te formido subita.

An cogitas quod Deus excelsior cœlo sit? Nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat.

Semitam sæculorum calcaverunt viri iniqui, qui ante tempus suum sublati sunt.

Videbunt justi et lætabuntur, et innocens subsannabit eos.

Acquiesce Deo, et habeto pacem, et per hoc habebis fructus optimos.

Erit Omnipotens contra hostes tuos. A
Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam.

Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Et salvabitur innocens : salvabitur autem munditia manuum suarum.

Capitulum XXIII. — Quis mihi tribuat ut agnoscam et videam illum, et veniam usque ad solium ejus ?

Nolo multa fortitudine contendat mecum, et magnitudinis suæ mole me premat.

Si ad orientem iero, non apparet ; et B
si ad occidentem, non intelligam eum.

Deus scit viam meam, et probavit me quasi aurum quod per ignem transit.

Vestigia ejus secutus est pes meus.

Deus solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest, et anima ejus quodcumque voluit fecit.

Idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.

Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me.

Capitulum XXIV. — Ab Omnipotente non C
sunt abscondita tempora.

Deus inultum abire non patitur.

Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus (scilicet Dei).

Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.

Obliviscatur ejus misericordia, et dulcedo illius vermis. Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.

Capitulum XXV. — Potestas et terror
apud ipsum est, qui facit concordiam in D
sublimibus suis.

Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non surgit lumen ipsius ?

Ecce etiam luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis ?

Capitulum XXVI. — Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihili. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.

Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ. Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ipsius. In fortitudine illius repente maria congregata sunt, et prudentia ejus percussit superbum. Spiritus ejus ornavit cœlos, et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.

Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus. Et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri ?

Capitulum XXVII. — Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram : neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

Numquid Deus audiet vocem hypocritæ, quum venerit super eum angustia ? aut poterit in Omnipotente delectari ?

Quid sine causa, vana loquimini ?

Dives quum dormierit, nihil secum auferet; apprehendet eum quasi aqua inopia.

Capitulum XXVIII. — Sapientia vero ubi invenitur ? et quis est locus intelligentiæ ?

Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Non dabitur aurum obryzum pro ea. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo vel sapphiro.

Trahitur autem sapientia de occultis.

Lapis solutus calore in æs vertitur.

Perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus.

Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia.

Tempus posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat, et omnia quæ sub cœlo sunt respicit.

Capitulum XXIX. — Quis mihi det ut sim juxta dies pristinos, quibus Deus custodiebat me ? quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam.

Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum, et causam quam ignorabam, diligentissime investigabam. Si ridebam ad eos, non credebant.

Quum sederem quasi rex, circumstante A exercitu, eram tamen mœrentium consolator.

Capitulum XXX. — Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, etc.

Clamo ad te, et non exaudis me ; sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.

Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.

Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. B

Exspectabam bona, et venerunt mihi mala ; præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ.

Capitulum XXXI. — Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine.

Nonne Deus considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat ?

Si contempsi subire judicium cum servo meo et ancilla mea, etc.

Quid faciam, quum surrexerit ad judicandum Deus ? et quum quæsierit, quid C respondebo illi ? Numquid non in utero fecit me, qui et illum (scilicet pauperem vel servum) operatus est ?

Ab infantia mea crevit mecum miseratio.

Semper enim quasi tumentes fluctus super me, timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.

Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi : Fiducia mea. Si lætatus sum super divitiis meis multis. Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsul- D tavi quod invenisset eum malum. Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.

Quis mihi tribuat ut desiderium meum audiat Omnipotens ?

Capitulum XXXII. — Junior sum tempore, idcirco demisso capite veritus sum indicare vobis scientiam meam.

Sed, ut video, spiritus est in homine, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei.

Non accipiam personam viri, et Deum homini non æquabo.

Nescio quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus.

Capitulum XXXIII. — Simplici corde meo sermones mei, et sententiam puram labia mea loquentur.

Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me. Ecce me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto formatus sum.

Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit.

Per somnium, in visione nocturna, aperit aures virorum.

Peccavi et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi.

Capitulum XXXIV. — Audite, sapientes, verba mea ; et viri eruditi, auscultate me.

Judicium eligamus, et inter nos videamus quid sit melius. Ideo, viri cordati, audite me.

Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis.

Quem enim constituit alium super terram ? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ?

Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet.

Numquid qui non amat judicium, sanari potest ?

Deo concedente pacem, quis est qui condemnet ?

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

Pater mi, ne desinas ab homine iniquitatis, qui addit super peccata sua blasphemiam.

Capitulum XXXV. — Si peccaveris, quid ei nocebis ? Porro, si juste egeris, quid donabis ei ?

Homini qui similis est tui, nocebit impietas tua, et filium hominis adjuvabit justitia tua.

Non dixit : Ubi est Deus qui fecit me,

qui dedit carmina in nocte, qui docet nos A super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos ?

Omnipotens causas singulorum intuebitur.

Capitulum XXXVI. — Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens.

Simulatores et callidi provocant iram Dei.

Non te ergo superet ira ut aliquem opprimas ; nec multitudo donorum inebriet te.

Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, B et nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias ejus ? aut quis ei dicere potest, Operatus es inique ?

Omnes homines vident Deum ; unusquisque intuetur procul. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram.

Capitulum XXXVII. — Numquid scis quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus ?

Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.

Nos quippe involvimur tenebris. C

Ab aquilone aurum venit, et a Deo formidolosa laudatio. Digne eum invenire non possumus.

Magnus fortitudine et judicio et justitia, et enarrari non potest. Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

Capitulum XXXVIII. — Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis ? Accinge sicut vir lumbos tuos.

Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ ? Indica mihi, si habes intelligen- D tiam. Quis posuit mensuras ejus ? vel quis tetendit super eam lineam ? Super quo bases ejus solidatæ sunt, quum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei ?

Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, quum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ involverem ? Circumdedi illud terminis, et posui vectes et ostia, et dixi : Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.

Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare ?

Numquid nosti ordinem cœli, aut pones rationem ejus in terra ?

Quis posuit in visceribus hominis sapientiam ? aut quis dedit gallo intelligentiam ?

Quis enarrabit cœlorum rationem, et concentum cœli dormire quis faciet ?

Quis præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagientes eo quod non habeant cibos ?

Capitulum XXXIX. — Dixit Dominus ad Job : Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit ? Utique, qui arguit Deum, debet et respondere ei.

Capitulum XL. — Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus.

Ipse est principium viarum Dei ; qui fecit eum applicabit gladium ejus.

Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus.

Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.

Capitulum XLI. — Quis resistere potest vultui meo ? Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.

Non parcam ei verbis potentibus, et ad deprecandum compositis.

Cor ejus quasi lapis indurabitur.

Quum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur.

Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt.

Ipse est rex super universos filios superbiæ.

Capitulum XLII. — Scio, Domine, quia omnia potes, et nulla te cogitatio latet. Ideo insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam.

Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me repre-

hendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.

Addidit Dominus omnia quæ fuerunt Job, duplicia.

Vocavit Job nomen unius filiæ, Diem, et nomen secundæ, Cassiam, et nomen tertiæ, Cornustibii. Non sunt inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra.

Vixit autem Job post hæc centum quadraginta annis, et vidit filios, et filios filiorum suorum, usque ad quartam generationem, et mortuus est senex et plenus dierum.

LIBER PROVERBIORUM

CONTINET CAPITULA TRIGINTA UNUM, ET AGITUR IN EO DE INSTRUCTIONE ET DISCIPLINA INCIPIENTIUM SERVIRE DEO; ET DE CORRECTIONE MORUM, INFORMATIONEQUE VIRTUTUM.

Capitulum I. — Audiens sapiens, sapientior erit; et intelligens gubernacula possidebit.

Timor Domini principium sapientiæ.

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.

Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.

Sapientia foris prædicat ; in plateis dat vocem suam

Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi nociva sunt cupient? et imprudentes odibunt scientiam ?

Convertimini ad correptionem meam. En proferam vobis spiritum meum.

Quia vocavi, et renuistis ; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis : ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo quum vobis quod timebatis advenerit.

Quum irruerit repentina calamitas, tunc invocabunt me, et non exaudiam, mane consurgent, et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, et detraxerint correptioni meæ.

Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet eos. Qui autem me audierit, absque terrore quiescet.

Capitulum II. — Si sapientiam invocaveris, et quæsieris eam quasi pecuniam : tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies.

Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia.

Sapientia proteget gradientes simpliciter.

Si intraverit sapientia cor tuum, consilium custodiet te. Qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas ; lætantur quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis.

Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea.

Capitulum III. — Misericordia et veritas non te deserant, et invenies gratiam coram Deo et hominibus.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ.

In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.

Ne sis sapiens apud temetipsum.

Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.

Beatus homo qui invenit sapientiam, et

qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus, negotiatione auri et argenti. A

Primi et purissimi fructus ejus (scilicet sapientiæ).

Pretiosior est cunctis opibus sapientia, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.

Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria.

Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ.

Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam; et qui tenuerit eam, beatus. B

Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi.

Ne paveas repentino terrore.

Noli prohibere benefacere eum qui potest; si vales, et ipse benefac.

Non dicas amico tuo, Vade et revertere, cras dabo tibi, quum statim dare possis.

Ne moliaris amico tuo malum, quum ille in te habeat fiduciam.

Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus. Abominatio est Domino C omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus.

Illusores ipse deludet, et mansuetis dabit gratiam.

Gloriam sapientes possidebunt.

Capitulum IV. — Posside sapientiam, posside prudentiam, et custodiet te. Arripe sapientiam, et exaltabit te; glorificaberis quum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te.

Viam sapientiæ monstrabo tibi, et currens non habebis offendiculum. D

Tene disciplinam, quia illa est vita tua.

Non delecteris in semitis impiorum.

Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.

Via impiorum tenebrosa; nesciunt ubi corruunt.

Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit.

Detrahentia labia procul sint a te.

Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos; et ne declines ad dexteram, neque ad sinistram.

Capitulum V. — Favus distillans labia meretricis; novissima autem illius amara quasi absinthium.

Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli.

Respicit Dominus viam hominis, et omnes gressus illius considerat.

Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.

Capitulum VI. — Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, etc., illaqueatus es verbis oris tui. Fac ergo quod dico, fili mi, et te ipsum libera.

Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam : quæ quum non habeat ducem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat.

Usquequo, piger, dormies? quando consurges ex somno tuo?

Detestatur anima mea eum qui seminat inter fratres discordias.

Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ.

Capitulum VII. — Fili, honora Deum et valebis; præter eum vero ne timueris alienum.

Serva mandata et legem quasi pupillam oculi tui. Liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam. Dic sapientiæ, Soror mea es; et prudentiam voca amicam.

Capitulum VIII. — Audite me, quoniam de rebus magnis locuturus sum, et aperientur labia mea ut recta prædicent.

Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium. Justi sunt omnes sermones mei.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus.

Timor Domini odit malum.

Arrogantiam et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor.

Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.

Ego diligentes me diligo ; et qui mane vigilaverint ad me, invenient me.

Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, etc. Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Qui autem oderunt me, diligunt mortem. (Nota. Hæc dicit Salomon de æterna generatione æternæ et increatæ Sapientiæ, quæ est Filius Dei : in quo innuitur pluralitas Personarum in simplici Divinitatis natura.)

Capitulum IX. — Sapientia ædificavit sibi domum, etc.

Si quis est parvulus, veniat ad me.

Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.

Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit.

Noli arguere derisorem, ne oderit te.

Argue sapientem, et diliget te.

Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia.

Doce justum, et festinabit accipere.

Principium sapientiæ, timor Domini, et scientia Sanctorum, prudentia.

Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior.

Capitulum X. — Filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ.

Non affliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet.

Nihil proderunt thesauri impietatis ; justitia vero liberabit a morte.

Manus fortium divitias parat.

Qui congregat in messe, filius sapiens est.

Benedictio Domini super caput justi.

Memoria justi cum laudibus.

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter ; qui autem annuit oculo, dabit dolorem.

Vena vitæ, os justi.

Odium suscitat rixas, et universa delicta operit caritas.

Sapientes abscondunt sapientiam ; qui autem increpationem relinquit, errat.

In multiloquio non deerit peccatum ;
A qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.

Labia justi erudiunt plurimos ; qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.

Desiderium suum justis dabitur.

Quasi tempestas transiens non erit impius ; justus autem quasi fundamentum æternum.

Capitulum XI. — Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia ; ubi autem humilitas, ibi et sapientia.

B Simplicitas justorum diriget eos, et supplantatio perversorum vastabit illos.

Justitia simplicis diriget viam ejus.

In insidiis suis capientur iniqui.

Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, et exspectatio sollicitorum peribit.

Justus de angustia liberatus est.

Justi liberabuntur scientia.

Qui despicit amicum suum, indigens corde est ; vir autem prudens tacebit.

Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana ; qui autem fidelis est, celat amici
C commissum.

Ubi non est gubernator, populus corruet ; salus autem, ubi multa consilia.

Benefacit animæ suæ vir misericors ; qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit.

Impius facit opus instabile.

Abominabile Domino cor pravum, et voluntas ejus in his qui simpliciter ambulant.

Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis ; benedictio autem super caput
D vendentium.

Qui investigator malorum est, opprimetur ab eis.

Justi quasi virens folium germinabunt.

Fructus justi, lignum vitæ.

Qui suscipit animas, sapiens est.

Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator ?

Capitulum XII. — Qui diligit disciplinam, diligit scientiam ; qui autem odit increpationes, insipiens est.

Non roborabitur homo ex impietate.

Verte impios, et non erunt. A

Doctrina sua noscitur vir ; qui autem vanus et excors est, patebit contemptui.

Novit justus animas jumentorum suorum ; viscera autem impiorum crudelia.

Qui sectatur otium, stultissimus est.

De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis.

Via stulti recta in oculis ejus ; qui autem sapiens est, audit consilia.

Fatuus statim indicat iram suam ; qui autem dissimulat injuriam, callidus est.

Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos B gaudium.

Non contristabit justum quidquid ei acciderit.

Abominatio Domino labia mendacia; qui autem fideliter agunt, placent ei.

Homo versutus celat scientiam.

Mœror in corde viri humiliabit illum, et de sermone bono lætificabitur.

Qui negligit damnum propter amicum, justus est ; iter autem impiorum decipiet eos.

Capitulum XIII. — Qui illusor est, non C audit quum corripitur.

De fructu oris sui homo saturabitur bonis.

Qui custodit os suum, custodit animam suam ; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

Vult et non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.

Est quasi dives, quum nil habeat; et est quasi pauper, quum in multis divitiis sit.

Inter superbos semper sunt jurgia ; qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur D sapientia.

Substantia festinata minuetur ; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.

Spes quæ differtur affligit animam.

Lignum vitæ, desiderium veniens.

Doctrina bona dabit gratiam.

Astutus omnia agit cum consilio.

Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.

Qui parcit virgæ, odit filium suum ; qui autem diligit illum, instanter erudit.

Capitulum XIV. — Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via.

Stultis illudit peccatum, et inter justos morabitur gratia.

Est via quæ videtur homini justa, et novissima ejus deducunt ad mortem.

Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.

Innocens credit omni verbo ; astutus considerat gressus suos.

Sapiens timet, et declinat a malo ; stultus transilit, et confidit.

Impatiens operabitur stultitiam.

Vir versutus odiosus est.

Amici divitum multi.

Qui miseretur pauperis, beatus erit.

In timore Domini fiducia fortitudinis.

Timor Domini fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.

Qui patiens est, multa gubernatur prudentia ; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.

Vita carnium, sanitas cordis ; putredo ossium, invidia.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori suo.

Justitia elevat gentem ; miseros facit populos peccatum.

Capitulum XV. — Responsio mollis frangit iram ; sermo durus suscitat furorem.

Os fatuorum ebullit stultitiam.

In omni loco, oculi Domini contemplantur bonos et malos.

Lingua placabilis, lignum vitæ ; quæ autem immoderata est, conteret spiritum.

Victimæ impiorum abominabiles Domino ; vota justorum placabilia.

Abominatio est Domino vita impii ; qui sequitur justitiam, diligetur ab eo.

Qui odit increpationes morietur.

Infernus et perditio coram Domino : quanto magis corda filiorum hominum?

Non amat pestilens eum qui se corripit.

Cor gaudens exhilarat faciem; in mœrore animi dejicitur spiritus. A

Secura mens, quasi juge convivium.

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles.

Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas.

Iter pigrorum, quasi sepes spinarum; via justorum absque offendiculo.

Filius sapiens lætificat patrem.

Stultitia, gaudium stulto.

Lætatur homo in sententia oris sui, et sermo opportunus est optimus. B

Per misericordiam et fidem purgantur peccata; per timorem autem Domini declinat omnis a malo.

Mens justi meditatur obedientiam.

Longe est Dominus ab impiis, et orationes justorum exaudiet.

Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.

Gloriam præcedit humilitas.

Capitulum XVI. — Hominis est animum præparare, et Domini gubernare linguam. C

Spirituum ponderator est Dominus.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.

Abominatio est Domino omnis arrogans.

Quum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.

Cor hominis disponet viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.

Qui sperat in Domino beatus est.

Dulcis eloquio majora reperiet.

Favus mellis, composita verba; dulcedo animæ, sanitas ossium. D

Est via quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem.

Homo perversus suscitat lites, et verbosus separat principes.

Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.

Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.

Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.

Capitulum XVII. — Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio.

Servus sapiens dominabitur stultis filiis.

Sicut igne probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus.

Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus; et qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.

Gemma gratissima, exspectatio præstolantis.

Qui celat delictum, quærit amicitias; qui altero sermone repetit, separat fœderatos.

Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum.

Expedit magis ursæ occurrere raptis fetibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua.

Quid prodest stulto habere divitias, quum sapientiam emere non possit?

Qui evitat discere, incidet mala.

Frater in angustiis comprobatur.

Animus gaudens ætatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa.

In facie prudentis lucet sapientia; oculi autem stultorum in finibus terræ.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est, et pretiosi spiritus vir eruditus.

Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur.

Capitulum XVIII. — Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico; omni tempore erit exsecrabilis.

Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.

Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit.

Torrens inundans, fons sapientiæ.

Verba bilinguis, quasi simplicia, et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris.

Pigrum dejicit timor.

Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

Turris fortissima, nomen Domini: ad ipsum currit justus, et exaltabitur.

Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum.

Spiritum ad irascendum facilem quis A
poterit sustinere ?

Justus prior accusator est sui.

Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.

Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater.

Capitulum XIX. — Ubi non est scientia animæ, non est bonum ; et qui festinus est, pedibus offendet.

Doctrina viri per patientiam noscitur, et gloria ejus est iniqua prætergredi.

Sicut fremitus leonis, ita et ira regis ; B
et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus.

Dolor patris, filius stultus.

Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet.

Qui custodit mandatum, custodit animam suam ; qui autem negligit viam suam, mortificabitur.

Homo indigens misericors est.

Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.

Capitulum XX. — Honor est homini qui C
separat se a contentionibus.

Multi homines misericordes vocantur ; virum autem fidelem quis inveniet ?

Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum a peccato ?

Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat.

Ei qui revelat mysteria ne miscearis.

Ne dicas, Reddam malum pro malo ; exspecta Dominum et liberabit te.

Quis hominum potest intelligere viam
suam ? D

Roboratur clementia thronus regis.

Capitulum XXI. — Cor regis in manu Domini : quocumque voluerit inclinabit illud.

Omnis via viri recta sibi videtur.

Facere misericordiam et judicium, magis placet Domino quam victimæ.

Munus absconditum exstinguit iras ; et donum in sinu, indignationem maximam.

Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.

Desideria occidunt pigrum.

Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.

Equus paratur ad diem belli ; Dominus autem salutem tribuet.

Capitulum XXII. — Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ.

Proverbium est : Adolescens juxta viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea.

Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.

Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ.

Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem.

Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam.

Ecce descripsi eam tripliciter.

Noli amicus esse homini iracundo, ne discas semitas ejus.

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.

Vidisti hominem velocem in opere suo ? Coram regibus stabit.

Capitulum XXIII. — Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ posita sunt ante faciem tuam.

Prudentiæ tuæ pone modum.

In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui.

Noli subtrahere a puero disciplinam.

Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.

In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo.

Noli vendere sapientiam et doctrinam et intelligentiam.

Capitulum XXIV. — Vir sapiens fortis est ; et vir doctus, robustus et validus.

Erit salus ubi multa consilia.

Erue eos qui ducuntur ad mortem.

Qui inspector est cordis, ipse intelligit ; et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua.

Septies in die cadit justus et resurget.

Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus non exsultet cor tuum.

Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum. A

Ne dicas : Quomodo fecit mihi, sic faciam ei.

Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam hominis stulti : et ecce totum repleverant urticæ, etc.

Parum, inquam, dormies, etc.

Capitulum XXV. — Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem.

In loco magnorum ne steteris.

Melius est ut dicatur tibi, Ascende huc, B quam ut humilieris.

Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum tuum ne reveles extraneo.

Acetum in nitro, qui cantat carmina corde pessimo.

Sicut tinea vestimento, sic tristitia nocet cordi.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitierit, da ei aquam bibere, et Dominus reddet tibi.

Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. C

Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum ; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria.

Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita et vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

Capitulum XXVI. — Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.

Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.

Qui imponit stulto silentium, iras mi- D tigat.

Vidisti hominem sapientem sibi videri ? Magis illo spem habebit stultus.

Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo.

Susurrone subtracto, jurgia conquiescunt.

Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt usque ad intima ventris.

Qui fodit foveam, incidet in eam ; et qui volvit lapidem, ad eum revertetur.

Capitulum XXVII. — Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.

Laudet te alienus et non os tuum ; extraneus, et non labia tua.

Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor ; et impetum concitati spiritus ferre quis poterit ?

Melior est manifesta correctio, quam amor absconditus.

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula.

Sicut avis migrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum.

Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur.

Amicum tuum et amicum patris tui ne dimiseris.

Melior est vicinus juxta, quam frater procul.

Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.

Infernus et perditio non replentur, similiter et oculi hominum insatiabiles.

Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.

Cor rectum inquirit scientiam.

Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.

Capitulum XXVIII. — Fugit impius nemine persequente ; justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.

Propter peccata terræ, multi principes ejus.

Qui derelinquunt legem, laudant impium.

Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.

Regnantibus impiis, ruinæ hominum.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.

Beatus homo qui semper est pavidus ; qui vero mentis est duræ, corruet in malum.

Qui ambulat simpliciter, salvus erit. A

Vir fidelis multum laudabitur.

Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit.

Qui se jactat, jurgia concitat.

Qui confidit in corde suo, stultus est.

Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.

Quum perierint impii, multiplicabuntur justi.

Capitulum XXIX. — Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus B superveniet interitus.

Quum impii sumpserint principatum, gemet populus.

Peccantem virum iniquum involvet laqueus, et justus laudabit atque gaudebit.

Impius ignorat scientiam.

Sapientes avertunt furorem.

Vir sapiens si cum stulto contenderit, sive irascatur sive rideat, non inveniet requiem.

Viri sanguinum oderunt simplicem.

Totum spiritum suum profert stultus ; C sapiens differt, et reservat in posterum.

Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.

Virga atque correctio tribuet sapientiam.

Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est quam illius correctio.

Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.

Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccata proclivior. D

Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria.

Qui timet hominem, cito corruet ; qui sperat in Domino, sublevabitur.

Abominantur justi virum impium.

Capitulum XXX. — Visio quam locutus est vir cum quo est Deus.

Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum.

Quis ascendit in cœlum, atque descendit?

Quis colligavit aquas quasi in vestimento ?

Quis suscitavit omnes terminos terræ?

Quod nomen ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti ? (Nota. Hic Salomon tangit divinitatem Dei Patris, et unigeniti Filii ejus, utrumque ineffabilem et incomprehensibilem.)

Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est omnibus sperantibus in se. Ne addas quidquam verbis illius.

Duo rogavi, ne deneges mihi : Vanitatem et verba mendacii longe fac a me. Mendicitatem et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.

Ne accuses servum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi et corruas.

Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro : viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris, et viam viri in adolescentia sua.

Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.

Capitulum XXXI. — Quid, dilecte mi ? quid, dilecte uteri mei ? quid, dilecte votorum meorum ?

Nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.

Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant et obliviscantur doloris sui.

Mulierem fortem quis inveniet ? etc. Accinxit fortitudine lumbos suos ; manum suam misit ad fortia. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. Panem otiosa non comedit.

Fallax gratia et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Laudent eam in portis opera ejus.

LIBER ECCLESIASTÆ

HABET CAPITULA DUODECIM. ET AGITUR IN EO DE MUNDI VANITATE, DE DIVITIARUM CONTEMPTU, DE PROFECTU AMBULANTIUM IN VIA DEI.

CAPITULUM I. — Vanitas vanitatum, dixit A Ecclesiastes; vanitas vanitatum, et omnia vanitas.

Quid habet homo amplius de universo labore suo, quo laborat sub sole?

Generatio præterit, et generatio advenit; terra vero in æternum stat.

Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, etc. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.

Cunctæ res difficiles; non potest eas homo explicare sermone.

Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum B est, etc. Nihil sub sole novum; nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est.

Ego Ecclesiastes fui rex in Jerusalem.

Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum.

Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus.

Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.

In multa sapientia, multa indignatio; et qui addit scientiam, addit et dolorem.

CAPITULUM II. — Risum reputavi erro- C rem; et gaudio dixi : Quid frustra deciperis?

Quid est, inquam, homo, ut sequi possit Regem factorem suum?

Sapientis oculi in capite ejus.

Moritur doctus, similiter et indoctus.

Cuncti dies hominis doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit.

Homini bono dedit Deus sapientiam et scientiam et lætitiam; peccatori autem, afflictionem et curam superfluam. D

CAPITULUM III. — Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo.

Tempus nascendi, tempus moriendi; tempus flendi, tempus ridendi, etc.

Cuncta fecit Deus bona in tempore suo; et mundum tradidit disputationi hominum, ut non inveniat homo quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.

Fecit Deus opera sua ut timeatur.

Justum et impium judicabit Dominus.

Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum?

CAPITULUM IV. — Melius est duos simul esse quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur.

Væ soli, quia quum ceciderit, non habet sublevantem se.

Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo. Unus quomodo calefiet?

Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei.

Funiculus triplex difficile rumpitur.

Multo melior est obedientia quam stultorum victimæ.

CAPITULUM V. — Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.

Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia.

Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio.

Ubi multa sunt somnia, plurimæ vanitates et sermones innumeri. Tu vero Deum time.

Avarus non implebitur pecunia.

Dulcis est somnus operanti, sive multum sive parum comedat.

Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum

de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas.

Capitulum VII. — Quid necesse est majora se quærere, quum ignoret quid conducat sibi in vita sua?

Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa, et dies mortis die nativitatis.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit.

Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.

Cor sapientium, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi lætitia.

Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.

Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.

Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.

Noli esse justus multum ; neque plus sapias quam oportet, ne obstupescas.

Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis.

Non est homo super terram qui faciat bonum et non peccet.

Cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum.

Fecit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuit quæstionibus.

Capitulum VIII. — Sapientia hominis lucet in vultu ejus.

Tempus et responsionem cor sapientis intelligit.

Non est in hominis ditione prohibere spiritum.

Etenim quia non cito profertur contra malos judicium, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.

Peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus.

Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus; sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini.

Sunt justi quibus mala proveniunt quasi A opera egerint impiorum; et sunt impii qui ita securi sunt quasi justorum facta habeant.

Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem.

Capitulum IX. — Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei sunt : et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit. Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, mundo et immundo.

B Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. Unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducentur.

Omni tempore sint vestimenta tua candida.

Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

Nescit homo finem suum; sed sicut C pisces capiuntur hamo, et aves laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, quum eis extemplo supervenerit.

Melior est sapientia fortitudine.

Quomodo ergo verba sapientis non sunt audita, et sapientia pauperis contempta?

Verba sapientium audiuntur in silentio.

Melior est sapientia quam arma bellica.

Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

Capitulum X. — Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.

D Stultus omnes stultos æstimat.

Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.

Stultus verba multiplicat.

Væ tibi, terra cujus rex puer est, et principes mane comedunt.

Beata terra cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam.

Pecuniæ obediunt omnia.

CAPITULUM XI. — Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora invenies illum.

Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

Qui observat ventum, non seminat ; et qui considerat nubes, nunquam metet.

Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.

Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum : B qui quum venerint, vanitatis arguentur præterita.

Adolescentia et voluptas vana sunt.

CAPITULUM XII. — Memento Creatoris tui A in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, et appropinquent anni de quibus dicas, Non mihi placent.

Ibit homo in domum æternitatis suæ.

Revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.

Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi : quæ per magistrorum consilium data sunt a magistro uno.

His amplius, fili mi, ne requiras.

Faciendi plures libros nullus est finis.

Frequens meditatio, carnis est afflictio.

Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sit, sive malum.

CANTICUM CANTICORUM

HABET CAPITULA OCTO. ET AGITUR IN EO DE VIRI JUSTI PERFECTIONE, DE ANIMÆ SANCTÆ CONTEMPLATIONE, ET CONJUNCTIONE CHRISTI ET ECCLESIÆ.

CAPITULUM I. — Osculetur me osculo C oris sui.

Trahe me post te, etc.

Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, etc.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi ; inter ubera mea commorabitur.

Ecce tu pulchra es, amica mea, etc.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.

CAPITULUM II. — Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Sicut malus inter ligna silvarum, sic D dilectus meus inter filios.

Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Introduxit me rex in cellam vinariam ; ordinavit in me caritatem.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Læva ejus sub capite meo, etc.

Ecce iste venit saliens in montibus.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

Dilectus meus mihi et ego illi, etc.

Revertere, dilecte mi.

CAPITULUM III. — In lectulo meo, per noctes, quæsivi quem diligit anima mea.

Inveni quem diligit anima mea.

Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.

CAPITULUM IV. — Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es ! etc.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa ; vulnerasti cor, etc.

Hortus conclusus, soror mea, sponsa, etc.

CAPITULUM V. — Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.

Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi.

Ego dormio, et cor meum vigilat.

Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea.

Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Anima mea liquefacta est, ut locutus est.

Quæsivi illum, et non inveni; vocavi, et non respondit mihi.

Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.

Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

Capitulum VI. — Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata.

Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.

Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.

Una est columba mea, perfecta mea.

A Capitulum VII. — Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!

Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, etc.

Capitulum VIII. — Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris et deosculer, et jam nemo me despiciat?

Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ, etc.

B Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.

Aquæ multæ non poterunt exstinguere caritatem.

Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

LIBER SAPIENTIÆ

HABET CAPITULA NOVEMDECIM. ET AGITUR IN EO DE REGIMINE PRÆLATORUM, CONVERSATIONE JUSTORUM, ATQUE IDOLORUM CONTEMPTU; DE ADVENTU ET PASSIONE CHRISTI, QUI EST VERA SAPIENTIA.

Capitulum I. — Diligite justitiam, qui judicatis terram.

Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum.

Perversæ enim cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes.

Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

Spiritus enim sanctus disciplinæ effu-
C giet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu.

Benignus est spiritus sapientiæ.

Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc, qui loquitur iniqua non potest latere.

Auris zeli audit omnia.

Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ.

Os quod mentitur occidit animam.

D Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.

Creavit enim ut essent omnia : et sanabiles A fecit nationes orbis terrarum.

Justitia perpetua est et immortalis : injustitia autem, mortis acquisitio. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam.

Capitulum II. — Dixerunt impii, apud se cogitantes non recte : Non est qui agnitus sit reversus ab inferis. Quia ex nihilo nati sumus, et post hæc erimus tanquam non fuerimus.

Umbræ transitus est tempus nostrum. Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute B celeriter. Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra.

(Nota de Christi passione.) Promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat. Gravis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius. Morte turpissima condemnemus eum.

Hæc cogitaverunt impii, et erraverunt : excæcavit enim eos malitia eorum ; nec mercedem speraverunt justitiæ.

Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit C illum.

Invidia autem diaboli, mors introivit in orbem terrarum ; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

Capitulum III. — Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori ; illi autem sunt in pace.

Spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur. Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace D probavit illos.

Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes.

Qui confidunt in Domino, intelligent veritatem.

Donum et pax est electis Dei.

Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt. Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit, infelix est.

Felix incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum, etc. Et spado qui non est operatus iniquitatem, dabitur ei fidei donum electum, et sors in templo Domini acceptissima.

Bonorum enim laborum gloriosus est fructus.

Nationes iniquæ, diræ sunt consummationis.

Capitulum IV. — O quam pulchra est casta generatio cum claritate ! quoniam apud Deum nota est et apud homines.

Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata.

Placens Deo, factus dilectus, et vivens inter peccatores, translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ejus.

Inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum.

Consummatus in brevi explevit tempora multa : placita enim erat Deo anima illius.

Capitulum V. — Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.

Videntes turbabuntur timore horribili, gementes præ angustia spiritus, dicentes : Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei ? Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, etc. Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? Transierunt omnia illa tanquam umbra, etc. Nos nati, continuo desivimus esse.

Spes impii tanquam lanugo est quæ a vento tollitur, et tanquam spuma, et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.

Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Quoniam dextera sua (Dominus) teget eos (scilicet justos), et brachio suo defendet illos.

Armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Melior est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis.

Capitulum VI. — Præbete aures, vos qui tenetis multitudines.

Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.

Judicium durissimum in his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia ; potentes autem potenter tormenta patientur. Fortioribus autem fortior instat cruciatus.

Clara est, et quæ nunquam marcescit, sapientia ; et facile videtur ab his qui diligunt illam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat eos qui se concupiscunt.

Cogitare de illa, sensus est consummatus ; et qui vigilaverit propter illam, cito erit securus.

Incorruptio facit esse proximum Deo.

Concupiscentia itaque sapientiæ deducet ad regnum perpetuum.

Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis.

Multitudo autem sapientium, sanitas est orbis terrarum ; et rex sapiens, populi stabilimentum.

Capitulum VII. — Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus ; et primam vocem similem omnibus emisi plorans.

Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus.

Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus. Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ ; et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Super salutem et speciem

A dilexi illam. Venerunt autem mihi omnia bona simul cum illa.

Deus sapientiæ dux est, et sapientium emendator. In manu enim illius et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia. Omnium enim artifex docuit me sapientia.

Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, etc.

Omnibus mobilibus mobilior est sapientia ; attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam claritatis omnipotentis

B Dei sincera. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

Et quum sit una, omnia potest ; et in se permanens, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat.

Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum ; luci comparata, invenitur prior.

C Sapientiam non vincit malitia.

Capitulum VIII. — Attingit autem a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.

Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius. Quid sapientia locupletius ? Scio quoniam mecum communicabit de bonis suis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. Intrans in domum meam conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem

D conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.

Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det : et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum ; adii Dominum, et dixi totis præcordiis meis :

Capitulum IX. — Deus patrum meorum, qui fecisti omnia verbo tuo et sapientia tua, et constituisti hominem ut dominaretur creaturæ tuæ, et disponat orbem

terrarum in æquitate et justitia, da mihi A sedium tuarum adsistricem sapientiam, etc. Servus tuus sum et filius ancillæ tuæ, homo infirmus et exigui temporis.

Tabernaculum sanctum tuum præparasti ab initio; et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ et adfuit tunc quum orbem terrarum faceres, et sciebat quid placitum esset oculis tuis. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, et deducet me sobrie. B

Quis hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore : quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? Sensum tuum, Domine, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum C tuum de altissimis?

Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, ab initio.

Capitulum X. — Sapientia hos qui se observant a doloribus liberat.

Hæc justum deduxit per vias rectas, etc. Omnium potentior est sapientia. Certamen forte dedit illi ut vinceret, etc.

Reddidit justis sapientia mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili; et fuit illis, etc.

Capitulum XI. — Hos quidem, Domine, D tanquam pater monens probasti; illos autem tanquam durus rex interrogans condemnasti.

Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.

Multum enim valere, tibi soli supererat semper.

Tanquam momentum stateræ, sic ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.

Misereris omnium, quoniam omnia potes; et dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.

Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.

Capitulum XII. — O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus nobis in omnibus!

Dabas, Domine, locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam iniqua est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum (scilicet Chananæorum), etc.

Quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti? Nec enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.

Quum sis ergo justus, juste omnia disponis. Virtus enim tua, justitiæ initium est; et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.

Tu autem, dominator Domine, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos : subest enim tibi, quum volueris, posse.

Docuisti populum tuum quoniam oportet justum et humanum esse; et bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam judicans das locum pœnitentiæ in peccatis.

Disciplinam nobis das, ut bonitatem tuam cogitemus, et speremus misericordiam tuam.

Capitulum XIII. — Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est.

A magnitudine enim speciei et creaturæ, creator horum poterit cognoscibiliter videri.

Capitulum XIV. — Benedictum lignum per quod fit justitia.

Odio sunt Deo impius et impietas ejus.

Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.

Initium fornicationis est exquisitio idolorum.

Infandorum enim idolorum cultura, omnis malitiæ causa est, et initium, et finis. A

Capitulum XV. — Tu autem, Deus noster, suavis et verus es, patiens et in misericordia disponens omnia. Etenim si peccaverimus, tui sumus; et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. Nosse te, consummata justitia est; et scire justitiam et veritatem tuam, radix est immortalitatis.

Malorum amatores digni sunt morte.

Cor iniqui cinis est, et terra supervacua spes illius, et luto vilior vita illius : B
quoniam ignoravit qui se finxit et inspiravit sibi animam et spiritum vitalem.

Æstimaverunt impii lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ ad lucrum compositam, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.

Capitulum XVI. — Propter hæc et his similia passi sunt digne tormenta.

Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem. Effugere manum tuam, Domine, impossibile est. Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii C
tui flagellati sunt.

Vindex est orbis justorum.

Angelorum esca nutrivisti populum tuum; et panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Deserviens enim uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.

Creatura tua tibi factori deserviens, excandescit in tormentum adversus injustos, et lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.

Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus eos qui in te credunt, conservat.

Ingrati spes, tanquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tanquam aqua supervacua.

Capitulum XVII. — Magna sunt judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua.

Quum sit timida nequitia, dat testimonium condemnata : semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. Nihil enim est timor nisi præsumptionis auxilium.

Capitulum XVIII. — Dum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de cœlo exsiliens, a regalibus sedibus venit, durus debellator.

In veste poderis quam habebat Aaron, totus erat orbis terrarum; et magnificentia tua in diademate capitis illius erat scripta.

Capitulum XIX. — Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit.

In omnibus enim magnificasti populum tuum, et honorasti, et non despexisti, in omni tempore et in omni loco adsistens eis.

LIBER ECCLESIASTICI

HABET CAPITULA QUINQUAGINTA UNUM. ET AGITUR IN EO DE OBEDIENTIA SUBDITORUM, DE INSTITUTIONE BONORUM MORUM, DE NOBILITATE SAPIENTIÆ ET DE LAUDE SANCTORUM.

Capitulum I. — Omnis sapientia a Domino Deo est; et cum illo fuit semper, et est ante ævum. D

Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit ?

Prior omnium creata est sapientia.

Fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis.

Radix sapientiæ cui revelata est ?

Unus est Altissimus, creator omnium omnipotens, rex potens et metuendus ni-

mis, sedens super thronum. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto; et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem, et præbet illam diligentibus se.

Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium in longitudinem dierum.

Timenti bene erit in extremis, et in die defunctionis benedicetur.

Initium sapientiæ timor Domini, et cum fidelibus in vulva concreatus est.

Religiositas custodiet et vivificabit cor.

Plenitudo sapientiæ timere Deum.

Timor Domini expellit peccatum.

Qui sine timore est, non poterit justificari.

Iracundia animositatis hominis, subversio ejus est.

Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi.

Ne accesseris ad Deum duplici corde; et ne fueris hypocrita in conspectu hominum.

Capitulum II. — Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et in timore, et præpara animam tuam ad tentationem.

Deprime cor tuum et sustine; et in humilitate tua patientiam habe : quoniam in igne probatur argentum et aurum; homines vero receptibiles, in camino humiliationis.

Crede Deo, et recuperabit te.

Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus; et non deflectatis ab eo, ne cadatis.

Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra.

Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia.

Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra.

Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est, permansit in mandatis ejus et derelictus est. Et quis invocavit illum et despexit eum? Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in tempore

A tribulationis peccata, et protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

Væ duplici corde et labiis scelestis.

Væ dissolutis corde.

Væ his qui perdiderunt sustinentiam.

Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini et non in manus hominum.

Capitulum III. — Judicium patris audite,

B filii; et sic facite, ut salvi sitis.

Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et exaudietur.

Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet eis in opere et sermone, et omni patientia.

Gloria hominis ex honore patris sui; et dedecus filii, pater sine honore.

Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius; et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum.

C Quam malæ famæ est, qui relinquit patrem! Et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.

Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris.

Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam ab humilibus honoratur.

Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est

D enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis.

In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter.

Multos supplantavit suspicio eorum.

Cor durum male habebit in novissimo.

Cor ingrediens duas vias non habebit successus.

Cor nequam gravabitur doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum.

Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.

Ignem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.

Deus prospector est ejus qui reddit gratiam : meminit in posterum, et in tempore casus sui inveniet firmamentum.

Capitulum IV. — Oculos tuos ne transvertas a paupere.

Animam esurientem ne despexeris, et ne exasperes pauperem in inopia sua.

Congregationi pauperum affabilem te facito ; et presbytero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tuum.

Responde pacifice in mansuetudine.

Libera eum qui injuriam patitur, de manu superbi.

Eos qui diligunt sapientiam diligit Deus; qui audit illam judicabit gentes.

Fili, conserva tempus, et devita a malo.

Pro anima tua ne confundaris dicere verum : est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.

Non confundaris confiteri peccata tua.

Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.

Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia ; et Deus expugnabit pro te.

Noli citatus esse in lingua tua, et remissus in operibus tuis.

Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.

Capitulum V. — Non sequaris concupiscentiam cordis tui.

Altissimus est patiens redditor.

Non adjicias peccatum super peccatum; et ne dicas, Miseratio Domini magna est : misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius.

Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius.

Non ventiles te in omnem ventum.

Esto firmus in via Domini, et in verita-
A te sensus tui ; et prosequatur te verbum pacis.

Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei.

Si est tibi intellectus, responde proximo ; sin autem, manus tua sit super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris.

Denotatio pessima super bilinguem.

Capitulum VI. — Noli fieri pro amico inimicus proximo.

Improperium et contumeliam malus he-
B reditabit.

Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus.

Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos, et lingua eucharis in bono homine abundabit.

Multi pacifici sint tibi ; et consiliarius tibi sit unus de mille.

Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei te ipsum.

Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanet in die tribulationis.

C Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis.

Amicus fidelis, protectio fortis ; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.

Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis ; et qui metuunt Dominum, invenient illum.

Fili, a juventute tua accipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam.

D Quam aspera est nimis indoctis hominibus sapientia !

In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere.

Si videris sensatum, evigila ad illum.

Capitulum VII. — Non te justifices ante Deum.

Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.

Noli esse pusillanimis in anima tua.

Non irrideas hominem in amaritudine

animæ. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, et ne iteres verbum in tua oratione.

Non oderis laboriosa opera, et rusticationem ab Altissimo creatam.

Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis et vermis.

Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua.

Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum, et ne ostendas faciem tuam hilarem ad illas.

Gemitus matris tuæ ne obliviscaris.

In tota anima time Deum, et sacerdotes illius sanctifica.

Non desis plorantibus in consolatione.

Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

Capitulum VIII. — Non litiges cum homine potente ; nec litiges cum homine linguato; nec communices homini indocto.

Memento quoniam omnes in corruptione sumus.

Noli de mortuo inimico tuo gaudere.

Non te prætereat narratio seniorum.

Non stes contra faciem contumeliosi.

Cum audace non eas in via.

Cum iracundo non facias rixam.

Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte convitietur tibi.

Capitulum IX. — Non des mulieri potestatem animæ tuæ.

Virginem ne conspicias, ne scandalizeris decore ejus.

Noli circumspicere in vicis civitatis.

Averte faciem tuam a muliere compta.

Propter speciem mulieris multi perierunt.

Ne derelinquas amicum antiquum : novus enim non erit similis illi.

Vinum novum amicus novus ; veterascat, et cum suavitate bibes illud.

Non zeles gloriam et opes peccatoris.

Temerarius in verbo suo, odibilis erit.

Capitulum X. — Principatus sensati stabilis erit.

A Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.

Omnis injuriæ proximi ne memineris.

Odibilis coram Deo et hominibus est superbia.

Avaro nihil est scelestius.

Quid superbit terra et cinis ?

Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim animam suam venalem habet.

Omnis potentatus brevis vita : sic et rex B hodie est, et cras morietur.

Quum morietur homo, hereditabit serpentes, et bestias, et vermes.

Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo : quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia.

Qui tenuerit illam implebitur maledictis, et subvertet eum in finem.

Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.

Vir prudens et disciplinatus non mur- C murabit correptus.

Noli te extollere in faciendo opere tuo.

Fili, in mansuetudine serva animam tuam.

Capitulum XI. — Sapientia humiliati exaltabit caput illius.

Non laudes hominem in specie sua, neque spernas hominem in visu suo.

In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris.

Priusquam audias, ne respondeas verbum ; et in medio seniorum ne adjicias D loqui.

De ea re quæ te non molestat, ne certeris.

Fili, ne in multis sint actus tui.

Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt.

In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum.

Ante mortem ne laudes hominem quemquam.

Attende tibi a pestifero.

Capitulum XII. — Benefac justo, et invenies retributionem magnam. A

Quoniam Altissimus odio habet peccatores.

Non credas inimico tuo in æternum.

Capitulum XIII. — Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induet superbiam.

Humiliare Deo, et exspecta manus ejus.

Omni vita dilige Deum.

Omne animal diligit simile sibi, sic omnis homo proximum sibi.

Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sibi sociabitur. B

Si communicabit lupus cum agno aliquando, sic peccator justo.

Quæ communicatio sancto homini ad canem?

Abominatio superbo humilitas, sic et exsecratio divitis pauper.

Pauper locutus est sensate, et non est datus ei locus.

Cor hominis immutat faciem illius, sive in bono, sive in malo.

Capitulum XIV. — Beatus vir qui non est lapsus in verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. C

Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?

Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum.

Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.

Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. D

Capitulum XV. — Qui timet Deum faciet bona, et qui continens est justitiæ apprehendet illam, etc. Cibabit illum pane vitæ et intellectus.

Non est speciosa laus in ore peccatoris.

Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit præcepta sua.

Apposuit ignem et aquam : ad quod volueris porrige manum tuam.

Nemini dedit Deus spatium peccandi.

Capitulum XVI. — Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur.

Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii; et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios.

Misericordia et ira cum Deo : secundum misericordiam ejus, sic et correptio ejus.

Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus, et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur; montes simul et colles et fundamenta terræ, et quum conspexerit illa Deus, tremore concutientur : et in omnibus his insensatum est cor hominis.

Qui minoratur corde, cogitat inania.

Post hæc Deus in terram respexit, et implevit illam bonis suis.

Capitulum XVII. — Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum; et iterum convertit illum in ipsam. Numerum dierum et tempus dedit illi. Posuit timorem illius super omnem carnem.

Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit corda illorum.

Ante mortem confitere : a mortuo, quasi nihil, perit confessio.

Confiteberis vivens et sanus, et laudabis Deum.

Quam magna misericordia Dei convertentibus ad se!

Quid lucidius sole? et hic deficiet, etc.

Omnes homines terra et cinis.

Capitulum XVIII. — Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Deus solus justificabitur. Quis sufficiet enarrare opera ejus?

Non est minuere neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei. Quum consummaverit homo, tunc incipiet, etc.

Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum?

Antequam loquaris, disce. Ante languorem, adhibe medicinam; et ante judicium, interroga te ipsum.

Non impediaris semper orare; et ante

orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, et necessitatum pauperis in die divitiarum.

Homo sapiens in omnibus metuit.

Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua avertere.

Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

Capitulum XIX. — Qui spernit modica, paulatim decidit.

Vinum et mulieres apostatare faciunt etiam sapientes; et qui se jungit fornicariis, erit nequam.

Qui credit cito, levis est corde, et minorabitur.

Qui odit loquacitatem, exstinguit malitiam.

Ne iteres verbum nequam et durum.

Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat, Non feci; aut si fecit, ne iterum addat facere.

Est qui labitur lingua sua, sed non ex animo : quis est enim qui non deliquerit in lingua sua ?

Melior est homo qui minuitur sapientia in timore Dei, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi.

Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo.

Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus.

Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, annuntiant de illo.

Capitulum XX. — Quam bonum est arguere, quam irasci !

Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugies peccatum.

Est tacens, qui invenitur sapiens ; et est odibilis, qui procax est ad loquendum.

Est autem tacens, non habens sensum loquelæ ; et est tacens, sciens tempus aptum.

Homo sapiens tacebit usque ad tempus ; lascivus autem et imprudens non servabit tempus.

A Qui multis utitur verbis lædit animam suam ; et qui potestatem sibi assumit injuste, odietur.

Sapiens in verbis, se ipsum amabilem facit.

Homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assidua erit.

Potior fur, quam assiduitas viri mendacis.

Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque ?

Capitulum XXI. — Fili, peccasti ? non

B adjicias iterum ; sed de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur.

Quasi a facie colubri fuge peccata.

Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris ; et qui timet Deum, convertetur ad cor suum.

Consummatio timoris Dei, sapientia.

Non est sensus ubi abundat amaritudo.

Cor fatui quasi vas confractum, omnem sapientiam non tenebit.

In labiis sensati invenietur gratia.

Fatuus in risu exaltat vocem suam ; vir

C autem sapiens vix tacite ridebit.

Stultitia hominis auscultare per ostium.

Verba autem sapientium statera ponderabuntur.

In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.

Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.

Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur.

Tacitus et sensatus honorabitur.

Capitulum XXII. — In lapide luteo lapi-

D datus est piger.

Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno.

Cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam.

Modicum plora super mortuum, quoniam requievit.

Luctus mortui septem dies ; fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum.

Arenam, et salem, et massam ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem, et fatuum, et impium.

A Cogitatus sensati in omni tempore metu non depravabitur.

Qui convitiatur amico, dissolvit amicitiam.

In tempore tribulationis suæ permane amico fidelis.

Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea me perdat ?

Capitulum XXIII. — Domine pater, et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu et in consilio illorum, et incidam in conspectu adversariorum meo- B rum, et gaudeat inimicus meus.

Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium pravum averte a me. Aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, et animæ irreverenti ne tradas me.

Jurationi non assuescat os tuum : multi enim casus in illa.

Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.

C Memento patris tui et matris, dum in medio magnatorum consistis.

Homo assuetus in verbis improperii, omnibus diebus vitæ suæ non erudietur.

Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita.

Nihil melius quam timor Domini, et nihil dulcius quam respicere in mandatis ejus.

Gloria magna est sequi Dominum.

D Capitulum XXIV. — Sapientia laudabit animam suam, et in Domino honorabitur, et inter benedictos benedicetur, dicens :

Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, etc.

Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola, etc.

Omnium excellentium et sublimium corda virtute calcavi.

Ab initio et ante sæcula creata sum, etc.

Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. Ego quasi vitis fructificavi, etc.

Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei, etc.

Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, etc.

Spiritus meus super mel dulcis. Qui edunt me adhuc esurient, etc.

Ego sapientia effudi flumina ; ego quasi fluvius Dorix, et sicut aquæductus exivi de paradiso.

Videte quoniam non solum mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.

Capitulum XXV. — In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.

Tres species odivit anima mea : pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum.

Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo invenies in senectute tua ?

Beatus qui habitat cum muliere sensata, et qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se.

Beatus qui invenit amicum verum, et qui enarrat justitiam auri audienti.

Timor Dei, initium dilectionis ejus.

Omnis plaga, tristitia cordis ; et omnis nequitia, nequitia mulieris.

Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris.

Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.

In specie mulieris, ira et irreverentia et confusio magna.

A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.

Capitulum XXVI. — Mulieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum illorum duplex.

Mulier fortis oblectat virum suum.

Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata et tacita.

Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.

Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.

In duobus contristatum est cor meum : vir bellator deficiens per inopiam, et vir sensatus contemptus.

Capitulum XXVII. — Propter inopiam multi deliquerunt.

Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.

Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.

Ante sermonem non collaudes virum.

Veritas ad illos qui operantur eam revertetur.

Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur.

Qui denudat arcana, amici fidem perdit.

Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.

Annuens oculo fabricat iniqua.

Qui fodit foveam incidet in eam.

Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non cognoscet unde illi adveniet illusio.

Capitulum XXVIII. — Qui vindicari vult a Deo, inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit.

Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.

Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam ?

In hominem sibi similem non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur ?

Ipse quum caro sit servat iram, quis exorabit pro delictis illius ?

Memento novissimorum tuorum, et desine inimicari ; et non irascaris proximo ; et abstine te a lite.

Homo iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos.

Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes.

Multi ceciderunt in ore gladii ; sed non sicut qui interierunt per linguam suam.

Sepi aures tuas spinis, et noli audire
A linguam nequam, et ori tuo facito ostia, et seras auribus tuis.

Capitulum XXIX. — Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis. Confirma verbum, et fideliter age cum illo.

Donec accipiunt, osculantur manum dantis, et in promissionibus humiliant vocem suam.

Perde pecuniam propter fratrem et amicum.

Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi.

B Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit in omni malo.

Gratiam fidejussoris ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam.

Qui conatur multa agere, incidet in judicium.

Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam.

Capitulum XXX. — Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo.

Qui docet filium suum, laudabitur in illo,
C et in obitu suo non contristabitur de illo.

Non des filio potestatem in juventute ; sed curva cervicem illius, et tunde latera ejus, dum infans est.

Melior est pauper sanus et fortis viribus, quam dives imbecillis et flagellatus malitia.

Salus animæ in sanctitate justitiæ ; et melius corpus validum quam census immensus.

Non est census super salutem corporis, et non est oblectatio super cordis gau-
D dium.

Melior est mors quam vita amara.

Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro.

Spado complectens virginem, et suspirans.

Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas te ipsum in consilio tuo.

Jucunditas cordis, hæc est vita hominis.

Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine ; et congrega cor tuum in sanctitate

ejus; et tristitiam longe expelle a te. Mul- A
tos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea.

Zelus et contentio minuent dies, et ante tempus senectam adducet cogitatus.

CAPITULUM XXXI. — Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum.

Beatus dives qui inventus est sine macula, qui post aurum non abiit, etc. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.

Nequius oculo quid creatum est?

Ne extendas manum tuam prior. Cessa B
prior, causa disciplinæ; nec prior poscas bibere.

Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum! et in dormiendo non laborabis ab illo, nec senties dolorem.

Si coactus fueris in edendo multum, surge de medio, et vome, et refrigerabit te.

In omnibus operibus tuis esto velox.

Vinum in jucunditatem creatum est, non in ebrietatem.

In convivio vini non arguas proximum, C
et non despicias eum in jucunditate illius.

CAPITULUM XXXII. — Rectorem te posuerunt? noli extolli. Esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe et sic considera.

Loquere, major natu : decet enim te.

Ubi non est auditus, non effundas sermonem.

Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.

Adolescens, loquere in causa tua vix,
quum necesse fuerit. Si bis interrogatus D
fueris, habeat caput responsum suum.

In multis esto quasi inscius, et audi, tacens simul et quærens.

Et loqui in medio magnatorum non præsumas; et ubi sunt senes, non multum loquaris. Ante verecundiam præibit gratia.

Peccator homo vitabit omnem correptionem.

Fili, sine consilio nihil facias, et post facta non pœnitebis.

A filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende.

CAPITULUM XXXIII. — Timenti Deum non occurrent mala; sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis.

Præcordia fatui quasi rota carri, et quasi axis versatilis cogitatus illius.

Filio et mulieri, fratri et amico, non des potestatem super te in vita tua, et ne dederis aliis possessionem tuam. Melius est enim ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum.

Cibaria, et virga, et onus asino; panis, et disciplina, et opus servo.

Servum inclinent operationes assiduæ.

Multam malitiam docuit otiositas.

Verum sine judicio nihil facias grave.

Servus fidelis sit tibi quasi anima tua.

CAPITULUM XXXIV. — Somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : secundum hoc visio somniorum. Sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit visitatio emissa. Multos errare fecerunt somnia.

Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa. Qui non est expertus, pauca recognoscit.

Oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum, nihil trepidabit.

Immolantis ex iniquo oblatio est maculata. Nec respicit Dominus in oblationibus injustorum.

Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Unus ædificans, et unus destruens, quid illis prodest, nisi labor?

Homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se?

CAPITULUM XXXV. — Salutare sacrificium est, attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate.

Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. Sacrificium justi acceptum est.

In omni dato hilarem fac vultum tuum.

Qui adorat Deum in oblectatione, susci-

pietur, et deprecatio illius usque ad nubes A
appropinquabit.

Capitulum XXXVI. — Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum, etc.

Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum, etc.

Capitulum XXXVII. — O præsumptio nequissima, unde creata es?

Non obliviscaris amici tui in animo tuo, nec immemor sis illius in operibus tuis.

Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem B
Dei, cujus anima est secundum animam tuam.

Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.

Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile.

Vir peritus multos erudivit, et animæ suæ suavis est.

Qui sophistice loquitur odibilis est, et in omni re defraudabitur. Non est illi data C
a Domino gratia : omni enim sapientia defraudatus est (scilicet sophistice loquens).

Vir sapiens plebem suam erudit, et fructus sensus illius fidelis est.

Sapiens in populo hereditabit honorem.

Non omnia omnibus expediunt.

Noli avidus esse in omni epulatione, nec te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas.

Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.

Capitulum XXXVIII. — Honora medi- D
cum : propter necessitatem enim creavit eum Altissimus. A Deo est omnis medela.

Altissimus de terra creavit medicinam, et vir prudens non abhorrebit illam.

Fili, in tua infirmitate non despicias te ipsum; sed ora Dominum, et ipse curabit te.

Tristitia cordis flectit cervicem.

Memor esto judicii mei : sic enim erit et tuum. Mihi heri, et tibi hodie.

Consolare morientem in exitu spiritus sui.

Sapientiam scribe in tempore vacuitatis : et qui minoratur actu, sapientiam percipiet.

Capitulum XXXIX. — Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque, etc.

Audite me, divini fructus, et quasi rosa plantata, etc. Benedicite Dominum in operibus suis. Date magnificentiam nomini ejus, etc.

Opera Domini universa bona valde.

Omnia in tempore suo quærentur.

Omnia sanctis in bona, impiis autem et peccatoribus in mala convertentur.

Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt. Ignis, grando, fames et mors : hæc omnia in vindictam creata sunt.

Non est dicere : Hoc illo nequius est. Omnia enim in tempore suo comprobabuntur.

Et nunc in omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini.

Capitulum XL. — Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum, et timores cordis, etc.

Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur, et aquæ omnes in mare revertentur.

Vinum et musica lætificant cor; et super utraque, dilectio sapientiæ.

Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam; et super utraque, lingua suavis.

Timor Domini sicut paradisus benedictionis.

Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas : melius est enim mori quam indigere.

Capitulum XLI. — O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto cujus viæ directæ sunt in omnibus!

O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus, et cui cura est de omnibus. A

Noli metuere judicium mortis.

Curam habe de bono nomine.

Disciplinam in pace conservate, filii : sapientia enim abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?

Capitulum XLII. — Non duplices sermonem de revelatione sermonis absconditi, et eris vere sine confusione.

Omni homini noli intendere in specie, et in medio mulierum noli commorari : B de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.

Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.

Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus.

Nonne Deus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabilis in gloria sua? Quam desiderabilia sunt omnia opera ejus! Et quis satiabitur videns gloriam ejus?

Capitulum XLIII. — Species cœli in vi- C sione gloriæ. Sol in adspectu vas admirabile, opus Excelsi, radios igneos exsufflans. Magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter.

Luna ostensio temporis et signum ævi; mensis secundum nomen ejus est : crescens mirabiliter in consummatione, vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose.

Species cœli, gloria stellarum : mundum illuminans in excelsis Dominus.

Vide arcum, et benedic eum qui fecit D illum : valde speciosus est splendore suo. Gyravit cœlum in circuitu gloriæ suæ.

Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.

Multa dicimus et deficimus in verbis : consummatio autem sermonum ipse est.

Terribilis Dominus et magnus vehementer, et omnipotens super omnia opera sua.

Glorificantes Dominum quantumcumque poteritis, supervalebit adhuc. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major est enim omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute; ne laboretis : non pervenietis. Quis vidit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicuti est ab initio? Multa sunt abscondita majora his : pauca enim vidimus operum ejus. Et pie agentibus dedit Dominus sapientiam.

Capitulum XLIV. — Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.

Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, etc.

Enoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.

Capitulum XLV. — Dilectus Deo et hominibus Moyses, etc. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus.

Capitulum XLVI. — Fortis in bello Jesus Nave. An non in iracundia ejus impeditus est sol, et factus est dies unus quasi duo? Invocavit Altissimum, et exaudivit eum magnus et sanctus Deus.

Post hæc dormivit Samuel; et notum fecit regi, et ostendit illi finem suum (id est Sauli).

Capitulum XLVII. — Nathan propheta quasi adeps separatus est a carne.

David cum leonibus lusit quasi cum agnis, et in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium. Christus purgavit peccata illius, et exaltavit in æternum cornu ejus.

Salomon, inclinasti femora tua mulieribus, et dedisti maculam in gloria tua.

Capitulum XLVIII. — Et surrexit Elias propheta quasi ignis; et verba illius quasi facula ardebant. Beati sunt qui te audierunt et in amicitia tua decorati sunt.

Eliseus non timuit principem; et mortuum prophetavit corpus ejus. In vita sua fecit monstra, et in morte sua mirabilia operatus est.

Fecit Ezechias quod placuit Deo, et fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias, propheta magnus et fidelis in conspectu Dei.

Capitulum XLIX. — Memoria Josiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur memoria ejus, et ut musica in convivio vini.

Præter David, Ezechiam, et Josiam, omnes reges peccatum commiserunt. Nam reliquerunt legem Altissimi.

Zorobabel quasi signum in dextera manu Israel.

Nemo natus est in terra qualis Enoch.

Capitulum L. — Simon Oniæ filius, sacerdos magnus, quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena, et quasi sol refulgens; sic ille effulsit in templo Dei, etc. Circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in monte Libano, et quasi rami palmæ, circa illum steterunt.

Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto, Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit sapientiam.

Beatus qui in istis versatur bonis.

Capitulum LI. — Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, etc. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum.

Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret. Respexi ad adjutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et cooperationis tuæ, quæ a sæculo sunt : quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manu gentium, etc. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ et in tempore superborum.

Laudabo nomen tuum, Domine, assidue; et confitebor tibi quum adhuc junior sum, antequam oberrem.

A juventute mea investigabam sapientiam. Inclinavi modice aurem meam, et multum profeci in ea. Danti mihi sapientiam dabo gloriam. Venter meus conturbatus est quærendo sapientiam : propterea bonam possidebo possessionem. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, etc.

Congregate vos in domum disciplinæ, indocti. Animæ vestræ sitiunt vehementer. Comparate vobis sine argento sapientiam, et collum vestrum subjicite jugo ejus. Videte oculis vestris quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.

Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

PROPHETIA ISAIÆ

CONTINET CAPITULA SEXAGINTA SEX. ET AGITUR IN EA DE REPREHENSIONE JUDÆORUM, ET ADVENTU CHRISTI IN CARNEM, ET EJUS PASSIONE ; DE VOCATIONE GENTIUM ; DE REGNO JUDA ET ISRAEL.

Capitulum I. — Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui ; Israel autem me non cognovit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate.

A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas; vulnus, et livor, et plaga tumens.

Holocausta arietum et adipem pinguium, etc., nolui.

Quum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, etc., manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

Lavamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; discite benefacere, quærite judicium, etc. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.

Omnes diligunt munera.

Propter hoc ait Dominus : Heu! ego con-

solabor super hostibus meis, et vindicabor A de inimicis meis. Sion judicio redimetur. Qui dereliquerunt Dominum consumentur. Erit fortitudo impiorum ut favilla stuppæ, et opus quasi scintilla ; et succendetur utrumque simul.

Capitulum II. — Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, etc. (Nota. Istud intelligitur de initio militantis Ecclesiæ.)

Judicabit gentes, et arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres, etc. (Istud nobis objiciunt Judæi, sed B male intelligunt.)

Ingredere in petram, abscondere in fossa humo, a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus.

Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum.

Dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur. Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum.

Elevabitur Dominus solus in die illa, et C idola penitus conterentur.

Ingredientur cavernas saxorum, a facie formidinis Domini, quum surrexerit percutere terram.

Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus.

Capitulum III. — Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis.

Non sum medicus, et non est in domo mea panis ; nolite me constituere principem populi.

Agnitio vultus eorum respondebit eis : D peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.

Dicite justo quoniam bene. Væ impio in malum. Retributio enim manuum ejus fiet ei.

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.

Stat ad judicandos populos Dominus. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui et principibus ejus.

Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt collo extento, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion. Erit pro suavi odore fœtor, et pro crispanti crine calvitium.

Capitulum IV. — Apprehendent septem mulieres, etc.

In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, etc. Sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.

Capitulum V. — Exspectavi ut faceret vinea mea uvas, et fecit labruscas.

Vinea Domini exercituum domus Israel est, et vir Juda germen ejus delectabile.

Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ ?

Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam.

Captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino. Incurvabitur homo et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.

Sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit, sic radix impiorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini.

Elevabit Dominus signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ.

Capitulum VI. — Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis domus a majestate ejus.

Clamabant alter ad alterum : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum ; plena est omnis terra gloria ejus.

Væ mihi quia tacui : vir pollutus labiis ego sum.

Audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam ? Et dixi : Ecce ego, mitte me.

Audite audientes, et nolite intelligere, etc. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, etc.

Semen sanctum erit quod steterit.

Capitulum VII. — Hæc dicit Dominus : Non stabit, et non erit istud. Caput Syriæ Damascus. Si non credideritis, non permanebitis.

Adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo, etc.

Ecce virgo concipiet, etc.

Capitulum VIII. — Dominum exercituum ipsum sanctificate : ipse pavor vester et ipse terror vester.

Exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum.

Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi
Hebr. ii, 13. Dominus in signum, etc. (Istud allegat Apostolus.)

Matth. iv, 15. Capitulum IX. — (Istud inducit Matthæus de illuminatione gentium, scilicet ea quæ sequuntur.) Primo tempore alleviata est terra Zabulon, etc. Populus qui ambulabat in tenebris, etc. Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus, etc.

Populus non est reversus ad percutientem se, et Dominum exercituum non exquisierunt.

Erunt qui beatificant populum istum, seducentes; et qui beatificantur, præcipitati.

Succensa est quasi ignis impietas, et erit populus quasi esca ignis.

Capitulum X. — Væ qui condunt leges iniquas, et injustitiam scripserunt. Quid facietis in die visitationis et calamitatis? Ad cujus confugietis auxilium?

Væ Assur. Virga furoris mei et baculus ipse est. Ipse autem non sic arbitrabitur.

Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea ? etc.

Reliquiæ convertentur : reliquiæ, in-

A quam, Jacob ad Dominum. Si enim fuerit populus tuus, Israel, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo. Consummatio abbreviata inundabit justitiam. Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

Capitulum XI. — Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, etc.

Non secundum visionem oculorum ju-
B dicabit.

Spiritu labiorum suorum interficiet impium (id est Antichristum).

Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit. Vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, etc. (Ista domesticatio ferarum spiritualiter sumenda est.)

Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.

In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur; et erit sepulcrum ejus gloriosum.
C (Hoc in Christo Jesu impletum est. Nota in isto capitulo multa de Christo, et vocatione primitivæ Ecclesiæ ex Judæis et gentibus.)

Levabit Dominus signum in nationes, et congregabit dispersos Israel, etc.

Capitulum XII. — Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi; conversus est furor tuus, etc. Ecce Deus salvator meus; fiducialiter agam et non timebo : quia fortitudo mea, etc.

Capitulum XIII. — Omne cor hominis
D tabescet. Torsiones et dolores tenebunt quasi parturientis. Facies combustæ vultus eorum.

Ecce dies Domini veniet, crudelis et indignatione plenus, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea : quoniam stellæ cœli et splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum; et requiescere faciam su-

perbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.

Capitulum XIV. — Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.

Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum. Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum ; sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen in infernum detraheris, in profundum laci.

Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare?

Pauperes fiducialiter requiescent.

Capitulum XVI. — Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.

Audivimus superbiam Moab : superbus est valde. Superbia ejus et indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus. Idcirco ululabit Moab ad Moab; universus ululabit.

Capitulum XVII. — Eris deserta, quia oblita es Dei salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata.

Capitulum XIX. — (Nota in isto capitulo de vocatione Ægypti ad Christum.)

Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti, etc. (Istud jam positum intelligitur de Christi incarnatione, et ingressu in Ægyptum a facie Herodis.)

Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis.

In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto. Colent Dominum in hostiis et muneribus.

In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio.

Capitulum XX. — Locutus est Dominus Isaiæ : Vade, et solve saccum de lumbis

A tuis. Et fecit sic, vadens nudus et discalceatus.

Hæccine erat spes nostra? Et quomodo effugere poterimus nos?

Capitulum XXI. — Qui incredulus est infideliter agit.

Propterea repleti sunt lumbi mei dolore : corrui quum audirem; conturbatus sum quum viderem; emarcuit cor meum.

Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.

B Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte?

Capitulum XXII. — Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.

Capitulum XXIII. — Dominus Deus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.

Capitulum XXIV. — Erit sicut populus, sic sacerdos.

In doctrinis glorificate Dominum ; in insulis maris nomen Domini Dei Israel.
C A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi. (Hoc de amplificatione fidei Jesu Christi dixit Propheta.)

Secretum meum mihi, secretum meum mihi.

Cataractæ de excelsis apertæ sunt, et concutientur fundamenta terræ.

In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso (id est super dæmones qui sunt in aere), et super reges terræ ; et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in
D carcere, et post dies multos visitabuntur. (Istud intelligitur de universali et æterna damnatione reproborum angelorum et hominum.)

Et erubescet luna et confundetur sol, quum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion (id est triumphanti Ecclesia).

Capitulum XXV. — Domine, Deus meus es tu; exaltabo te, et confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia. Quia factus es fortitudo pauperi et egeno in tribulatione sua.

Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc (scilicet in monte Sion) convivium pinguium, etc. (Istud exponitur de institutione Eucharistiæ, quam Christus verus Deus in monte Sion instituit.)

Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum; et auferet lacrimam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet.

Ecce Deus noster iste; exspectavimus eum, et salvabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum; exsultabimus, et lætabimur in salutari ejus.

Et triturabitur Moab (id est Antichristus) sub eo (id est Christo, quia in monte Sion occidetur).

Capitulum XXVI. — Urbs fortitudinis nostræ Sion; Salvator ponetur in ea murus, etc.

Semita justi recta est.

Et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te : nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ.

Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te.

Domine, dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis; tantum in te recordemur nominis tui.

Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.

A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis.

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.

Vade, popule meus, intra cubicula tua; claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio mea. Ecce Dominus egredietur de loco suo ut visitet iniquitatem orbis terræ contra eum; et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos.

Capitulum XXVII. — Visitabit Dominus super Leviathan, serpentem tortuosum, et occidet cetum qui in mari est.

Florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum.

Non est populus sapiens : propterea non miserebitur ejus qui fecit illum.

Capitulum XXVIII. — Erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exsultationis residuo populi sui.

Quem docebit Dominus scientiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere (id est qui solidum cibum capere possunt, quia carnales mollities et voluptates vicerunt : hos Deus docebit).

Dixistis : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. (Istud Petrus in sua Canonica inducit.) I Petr. II, 6.

Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.

Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra.

Capitulum XXIX. — Erit sicut somnium visionis nocturnæ.

Inebriamini, et non a vino.

Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.

Quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo, Quid me fecisti sic? et figmentum dicat fictori suo, Non intelligis. Sic omnes quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos? et quis novit nos?

Audient surdi in die illa verba libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. Addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in Sancto Israel exsultabunt.

Capitulum XXX. — Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum; et os meum non interrogastis.

Superbia tantum est; quiesce.

Dicunt videntibus, Nolite videre ; et adspicientibus, Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt ; loquimini nobis placentia, videte nobis errores.

Hæc dicit Dominus : Si revertamini et quiescatis, salvi eritis ; in silentio et in spe erit fortitudo vestra.

Dixistis : Ad equos fugiemus ; ideo fugietis. Et super veloces ascendemus ; ideo velociores erunt qui persequentur vos.

Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri. Exaltabitur Dominus parcens vobis. Deus judicii Dominus : beati omnes qui exspectant eum. Miserans miserebitur tui ; ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi.

Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc est via ; ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram.

Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit.

Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum. Labia ejus repleta sunt indignatione ; spiritus ejus, torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum.

Auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris et flamma ignis devorantis.

Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata, etc. (Topheth, id est gehenna, præparata est reprobis ab heri, id est a principio mundi, quia simul facta sunt cœlum empyreum et infernalis ignis.)

Capitulum XXXI. — Ægyptus homo, et non Deus ; et equi eorum caro, et non spiritus.

Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion et caminus in Jerusalem.

Capitulum XXXII. — Lingua balborum velociter loquetur.

Stultus enim fatua loquetur, ut perficiat simulationem et loquatur fraudulenter.

Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii.

Princeps ea quæ digna sunt principe cogitabit.

Erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium et securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

Beati qui seminatis super omnes aquas.

Capitulum XXXIII. — Væ qui prædaris : nonne et ipse prædaberis ? Et qui spernis, nonne et ipse sperneris. Quum fatigatus desieris contemnere, contemneris.

Domine, miserere nostri, te enim exspectavimus ; esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis.

Divitiæ salutis, sapientia et scientia ; timor Domini ipse est thesaurus ejus.

Angeli pacis (id est nuntii Ezechiæ) amare flebunt.

Nunc consurgam, dicit Dominus ; nunc exaltabor, etc.

Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, etc. Regem in decore suo videbunt oculi ejus.

Ubi est litteratus ? ubi est verba legis ponderans ? ubi est doctor parvulorum ?

Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos.

Capitulum XXXIV. — Complicabuntur sicut liber cœli. Erit terra ejus in picem ardentem die ac nocte ; non exstinguetur in sempiternum. Ascendet fumus ejus a generatione in generationem ; et desolabitur in sæcula sæculorum.

Onocentaurus et pilosus clamabunt ibi.

Requirite diligenter in libro Domini, et legite.

Capitulum XXXV. — (Istud de vocatione gentium ad fidem accipiendum est.)

Lætabitur deserta et invia, et exsultabit A solitudo. Confortate manus dissolutas, etc. Pusillanimes, confortamini, et nolite timere : ecce Deus vester ipse veniet (scilicet per incarnationem) et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.

Via sancta vocabitur ; non transibit per eam pollutus ; sed qui liberati fuerint et redempti a Domino, venient in Sion cum laude. Lætitia sempiterna super capita B eorum ; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

Capitulum XXXVI. — Quæ est ista fiducia qua confidis ?

Capitulum XXXVII. — Leva orationem pro reliquiis quæ repertæ sunt. (Verba Ezechiæ.) Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ. Inclina, Domine, aurem tuam, et audi ; aperi oculos tuos, et vide.

Despexit te, subsannavit te, virgo filia C Sion.

Quum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas, dicit Dominus. Ponam ergo circulum in naribus tuis et frenum in maxillis tuis.

Angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.

Capitulum XXXVIII. — Convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit : Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in D oculis tuis feci. Et flevit Ezechias fletu magno.

Et dixit ei Dominus : Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos.

Reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat in horologio Achaz.

Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, etc. Præcisa est velut a texente vita mea ; dum adhuc ordirer succidit me, etc. Sicut pullus hirundinis, sic clamabo ; meditabor ut columba, etc. Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, etc. Ecce in pace amaritudo, etc. Tu autem eruisti animam meam ut non periret, etc. Quia non infernus confitebitur tibi, etc.

Capitulum XXXIX. — Dixit Ezechias : Bonum verbum Domini quod locutus est. Fiat tantum pax et veritas in diebus meis.

Capitulum XL. — (Istud capitulum loquitur de Christo et ejus præcursore.)

Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester, etc.

Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, etc. Omnis vallis exaltabitur, etc. (Istud spiritualiter intelligi debet.) Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei nostri.

Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Vere fœnum est populus. Verbum Dei nostri stabit in æternum.

Ecce Dominus in fortitudine veniet, etc. Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit ? Quis appendit tribus digitis molem terræ, etc. ? Quis adjuvit spiritum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ac ostendit illi ? Cum quo iniit consilium et instruxit eum, etc. ? Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt, etc. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram illo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei, etc.

Cui similem fecistis Deum ? aut quam imaginem ponetis ei ? Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit illos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Dat scrutatores secretorum quasi non sint, etc. Et cui assimilastis me ? dicit Sanctus. Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc.

Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. Qui dat lasso virtutem.

Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.

Capitulum XLI. — Ego Dominus, primus et novissimus ego sum. A

Glutino bonum est.

Ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus. Ecce confundentur omnes qui pugnant contra te.

Ego Dominus exaudiam egenum et pauperem; non derelinquam eos.

Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.

Primus ad Sion dicet : Ecce adsum, et Jerusalem evangelistam dabo.

Capitulum XLII. — Ecce servus meus, B suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum; judicium gentibus proferet. Non clamabit, nec audietur foris vox ejus, etc. (Nota. De Christo ista inducit S. Matthæus.) Non erit tristis, neque turbulentus; et legem ejus insulæ exspectabunt.

Matth. XII, 18.

Ego Dominus, dans flatum populo qui est super terram, et spiritum calcantibus eam. Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem C gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

Ego Dominus, hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo.

Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ. (Nota in isto capitulo de illuminatione gentium.) Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt. Dominus sicut fortis egredietur, etc. Ducam cæcos in viam quam nesciunt. D

Quis cæcus, nisi servus meus? et quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? Qui multa vides, nonne custodies?

Capitulum XLIII. — Quum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Quum ambulaveris in igne, non combureris, ait Dominus.

Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.

Ante me non est formatus Deus, et post me non erit.

Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini.

Populum istum formavi mihi, laudem meam annuntiabit.

Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. (Hoc in Christo Deo incarnato impletum est, qui propter nostra peccata occisus est, etc.)

Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Reduc me in memoriam.

Capitulum XLIV. — Noli timere, serve meus Jacob. Effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam.

Iste dicet : Domini ego sum, etc.

Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum; irrita faciens signa divinorum.

Capitulum XLV. — (In isto capitulo loquitur Propheta aliqua de Christo sub persona Cyri regis.)

Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum.

Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant Justum, etc.

Væ qui contradicit factori suo. Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis?

Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel.

Ego Dominus, et non est alius. Non in abscondito locutus sum. Deus justus et salvans non est præter me. Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ. (Nota de divinitate Patris et Christi.) In memetipso juravi : egredietur de ore meo justitiæ verbum et non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. Ad eum venient et confundentur omnes qui repugnant ei.

Capitulum XLVI. — Audite me, domus Jacob, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva.

Redite, prævaricatores, ad cor.

Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.

Audite me, duro corde. Prope feci justitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.

Capitulum XLVII. — Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon. Ultionem capiam, et non resistet mihi homo. Redemptor noster, Dominus exercituum nomen ejus, Sanctus Israel. Sapientia tua et scientia tua hæc decepit te. Veniet super te malum atque calamitas, et nescies ortum eorum. Veniet super te miseria repente.

Capitulum XLVIII. — Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea, ait Dominus.

Propter nomen meum longe faciam furorem meum. Excoxi te, elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me ego faciam, ut non blasphemer ; et gloriam meam alteri non dabo. Ego primus et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, etc.

Non a principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fierent, ibi eram ; et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus. (Nota hic apertissime mysterium supersanctæ Trinitatis. Dicit enim Dominus a Domino et Spiritu ejus se missum.)

Hæc dicit Dominus redemptor tuus : Ego Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea. Facta fuisset quasi flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris.

Capitulum XLIX. — (Nota in isto capitulo multa de Christo et vocatione principum gentilium ad ejus fidem.)

Audite, insulæ, etc. Dominus ab utero vocavit me, etc. Posuit os meum quasi gladium acutum ; in umbra manus suæ protexit me.

Judicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo.

Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur ; et glorificatus sum in oculis Domini. Et dixit : Parum est ut sis mihi ad suscitandas tri-
A bus Jacob, et fæces Israel convertendas : dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

Hæc dicit Dominus, etc., ad contemptibilem animam, etc. : Reges videbunt et consurgent principes, et adorabunt, etc.

Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, etc. Non esurient neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol. Laudate, cœli ; et exsulta, terra ; jubilate, montes, laudem Domino ; quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum
B suorum miserebitur.

(In isto capitulo sunt aliqua, quæ Judæi allegant pro se litteraliter, et male intelligunt.)

Numquid oblivisci potest mater infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.

Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem.

Ecce levabo ad gentes manum meam, et exaltabo ad populos signum meum.

C Ego Dominus, super quo non confundentur qui exspectant eum.

Capitulum L. — Numquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere ?

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus. Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me, etc.
D Quis est adversarius meus ? Accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus.

Quis ambulat in tenebris, et non est lumen ei ? Speret in nomine Domini et innitatur super Deum suum.

Capitulum LI. — Gaudium et lætitia invenietur in ea, et gratiarum actio, et vox laudis.

Attendite ad me, popule meus, quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Me insulæ exspectabunt.

Cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur.

Nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum.

Qui redempti sunt a Domino, revertentur; et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum. Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis qui quasi fœnum arescit ?

Capitulum LII. — Excutere de pulvere, consurge, sede, Jerusalem.

Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa : quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum (scilicet per incarnationem).

Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, quum converterit Dominus Sion.

Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium ; et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Recedite, recedite; exite inde, pollutum nolite tangere. Mundamini, qui fertis vasa Domini.

(Nota multa pulchra de Christo, et despectu et gloria ejus, de dilatatione fidei ejus, et gentium vocatione, etc.) Ecce intelliget servus meus, et exaltabitur, et revelabitur, et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros adspectus ejus. Super ipsum continebunt reges os suum : quia quibus non est narratum de eo viderunt, et qui non audierunt contemplati sunt.

Capitulum LIII. — (Nota in isto capitulo de Christi passione magis historiam quam prophetiam, propter prophetiæ hujus excellentiam evidentissimam.)

Quis credidit auditui nostro? etc. Non est species ei neque decor; et vidimus eum, et non erat adspectus, etc.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus illum quasi leprosum, et percussum

A a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, etc.

Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et pro transgressoribus rogavit.

Capitulum LIV. — Lauda, sterilis, quæ non paris; decanta laudem, et hinni, etc.

(Istud de Ecclesia ex gentibus congregata exponitur.)

Redemptor tuus, Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur.

Ad punctum in modico dereliqui te, et
B in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis meæ abscondi parumper faciem meam a te ; et in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus.

Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum ; et ego creavi interfectorem ad disperdendum.

Capitulum LV. — Omnes sitientes, venite ad aquas, etc. Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles.

C Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas vocabis, etc.

Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, etc.

Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ ; neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationi-
D bus vestris.

Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, prosperabitur in his ad quæ misi illud.

Erit Dominus nominatus in signum æternum quod non auferetur.

Capitulum LVI. — Custodite judicium et facite justitiam, quia prope est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur. Non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum, etc.

Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.

Speculatores ejus cæci omnes, canes muti non valentes latrare, videntes vana, et dormientes. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, unusquisque in viam suam declinavit.

Capitulum LVII. — Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo ; et viri misericordiæ tolluntur, et non est qui intelligat.

Mei non es recordata, quia ego tacens, et quasi non videns.

Hæc dicit Dominus excelsus et sublimis, habitans æternitatem, et sanctum nomen ejus, in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu : ut vivificet spiritum humilium et cor contritorum. Spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam. Abscondi a te faciem meam ; et abiit vagus in via cordis sui.

Impii quasi mare fervens, quod requiescere non potest. Non est pax impiis, dicit Dominus.

Capitulum LVIII. — Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, etc.

Frange esurienti panem tuum, etc.

Requiem dabit tibi Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam.

Si glorificaveris Dominum dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem ; tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudinem terræ, ait Dominus, etc.

Capitulum LIX. — Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat ; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum ; et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.

Confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates.

Peccata nostra responderunt nobis.

Et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus.

Capitulum LX. — Surge, illuminare, Je-
A rusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est, etc. Et ambulabunt gentes in lumine tuo.

Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?

Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam. Occupabit salus muros tuos. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te ; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, etc.

B Capitulum LXI. — Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me ; ad annuntiandum mansuetis misit me, etc., ut darem lugentibus coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium pro spiritu mœroris.

Isti sunt semen cui benedixit Dominus.

Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.

Capitulum LXII. — Videbunt gentes Justum tuum, et cuncti reges Inclytum tuum; quia complacuit Domino in te.

C Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes ; tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.

Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei.

Juravit Dominus in dextera sua.

Capitulum LXIII. — Quis est iste qui venit de Edom, etc. ? (Istud loquitur de Christi ascensione.)

Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, quæ largitus est secun-
D dum indulgentiam suam.

Afflixerunt spiritum Sancti ejus.

Attende de cœlo et vide. Multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum super me continuerunt se. Abraham nescivit nos. Tu, Domine, pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum. Quare errare nos fecisti de viis tuis ? etc.

Capitulum LXIV. — Utinam dirumperes cœlos et descenderes.

Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.

Ecce tu iratus es, et peccavimus. Et facti sumus ut immundi omnes nos ; quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ.

Et nunc pater noster es tu, nos vero lutum ; et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Non irascaris, Domine, satis, et ne ultra memineris iniquitatis nostræ ; ecce, respice, populus tuus omnes nos.

Capitulum LXV. — (Nota in isto capitulo de excæcatione Judæorum, et illuminatione gentium.)

Quæsierunt me, qui non interrogabant me, etc. Impii fumus erunt coram me, ignis ardens tota die.

Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. Servos suos vocabit Dominus nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, amen. Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, etc.

Ecce enim ego creo cœlos novos et terram novam ; et non erunt in memoria priora. Sed gaudebitis et exsultabitis usque in æternum in his quæ ego creo. Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. Electi mei non laborabunt frustra, quia semen benedictorum Domini est. Antequam clament, ego exaudiam ; adhuc illis loquentibus, ego audiam.

Capitulum LXVI. — Hæc dicit Dominus : Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi ? Omnia hæc manus mea fecit.

A Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos ?

Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum ; qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem, etc.

Antequam parturiret, peperit ; antequam veniret tempus partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale ? et quis vidit huic simile ? Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam ? dicit Dominus. Si ego qui generationem ceteris B tribuo, sterilis remanebo ? ait Dominus Deus tuus.

Ecce ego declinabo in eos ut flumen pacis. Quomodo si mater blandiatur, ita et ego consolabor vos. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, etc.

Ecce Dominus in igne veniet, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis.

Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem. Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, in C Africam, in Lydiam, tenentes sagittam ; in Italiam et Græciam, ad insulas longe, etc. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus; et adducent omnes fratres vestros in equis et quadrigis, et in lectulis et mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, etc. (Ista vehicula spiritualiter intelligenda sunt.)

Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato. Egredientur, et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eo- D rum non exstinguetur ; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

PROPHETIA JEREMIÆ

HABET CAPITULA QUINQUAGINTA DUO. ET AGITUR IN EA DE CAPTIVITATE JUDÆORUM, ET DE DESTRUCTIONE CIVITATIS JERUSALEM ; DE PLANCTU ET LAMENTATIONE PROPTER DESTRUCTIONEM ISTAM.

CAPITULUM I. — Dixit Dominus ad Jeremiam : Priusquam te formarem in utero, novi te ; et antequam exires de vulva, sanctificavi te, etc.

Et dixi : A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.

Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum ut eruam te, dicit Dominus.

Bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum, dicit Dominus, ut liberem te.

CAPITULUM II. — Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, dicit Dominus, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem et vani facti sunt ?

Sacerdotes non dixerunt, Ubi est Dominus ? et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me.

Duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te, dicit Dominus Deus exercituum.

A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.

Quomodo conversa es in pravum, vinea aliena ?

Verterunt ad me tergum et non faciem.

Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris : Non peccavi. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas !

CAPITULUM III. — Tu fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus.

A Leva oculos tuos in directum, et vide ubi prostrata sis. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me : Pater meus es tu.

Revertere ad me, et non avertam faciem meam. Tamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es.

Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. Non dicent ultra, Arca testamenti Domini ; ne-
B que ascendet super cor, etc.

In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini ; et congregabuntur ad eam omnes gentes, etc.

Convertimini ad me, et sanabo aversiones vestras. Vere in Domino Deo nostro salus Israel.

CAPITULUM IV. — Si reverteris, Israel, ait Dominus, ad me convertere. Si abstuleris offendicula tua a facie mea, dicit Dominus, non commoveberis.

Novate vobis novale, et nolite serere
C super spinas. Circumcidimini, et auferte præputia cordium vestrorum, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui exstinguat.

Lava a malitia cor tuum, ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ ?

Viæ tuæ et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi, ait Dominus.

Sensus cordis mei turbati sunt in me.

Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.

D CAPITULUM V. — Domine, oculi tui respiciunt fidem. Percussisti eos, et non doluerunt ; renuerunt accipere discipli-

nam. Induraverunt facies suas super petram, et noluerunt reverti. A

Numquid super his non visitabo, ait Dominus, et in gente tali non ulciscetur anima mea ?

Prævaricatione prævaricata est in me domus Israel et domus Juda, ait Dominus. Negaverunt Dominum, et dixerunt : Non est ipse. (Istud in Christi passione evidenter impletum est.)

Audi, popule stulte, qui non habes cor. Me non timebitis ? qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum B
quod non præteribit ; intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud.

Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis.

Capitulum VI. — Erudire, ait Dominus, ne forte recedat anima mea a te.

A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student. Pax, pax ; et non erat pax. Confusione autem non sunt confusi et erubescere nescierunt. Quamobrem cadent inter corruentes in tempore visitationis suæ.

Interrogate quæ sit via bona, et ambu- C
late in ea ; et invenietis refrigerium animabus vestris.

Holocautomata vestra non sunt accepta, etc.

Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere ; luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super vos.

Frustra conflavit conflator.

Capitulum VII. — Bonas facite vias vestras, dicit Dominus, et habitabo vobiscum. D

Tu ergo, noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te.

Numquid me ad iracundiam provocant ? dicit Dominus. Nonne semetipsos in confusione vultus sui ?

Non sum locutus cum patribus vestris, nec præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum ; sed hoc verbum præcepi eis : Audite vocem meam, etc.

Facti sunt retrorsum, et non in ante.

Capitulum VIII. — Eligent magis mortem quam vitam omnes de generatione hac pessima.

Quare aversus est populus iste aversione contentiosa ?

Milvus in cœlo cognovit tempus suum, etc. ; populus autem meus non cognovit judicium Domini.

Numquid resina non est in Galaad ? etc.

Capitulum IX. — Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrimarum ? et plorabo die ac nocte interfectos populi mei. Quis dabit mihi in solitudine diversorium viatorum ? et derelinquam populum meum, et recedam ab eis.

Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, etc.

Sagitta vulnerans, lingua eorum. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.

Quis est vir sapiens qui intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini fiat ?

Hæc dicit Dominus : Ecce ego cibabo populum istum absinthio, et potum dabo ei aquam fellis.

Deducant oculi vestri lacrimas, et palpebræ vestræ defluant aquis.

Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis ; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus.

Omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.

Capitulum X. — A signis cœli nolite metuere quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt.

Non est similis tui, Domine. Magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium ? Tuum enim est decus.

Dominus autem Deus verus est, ipse

Deus vivens, et rex sempiternus. Ab indignatione ejus commovebitur terra, et non sustinebunt gentes comminationem ejus. Qui fecit terram in fortitudine sua, præparans orbem in sapientia sua, et extendens cœlos prudentia sua.

Stultus factus est omnis homo a scientia sua.

Dixi : Plane hæc infirmitas mea est, et portabo illam.

Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quæsierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est, nec intellexerunt.

Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos.

Corripe me, Domine : verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.

Capitulum XI. — Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas?

Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. Et non cognovi quia super me cogitaverunt consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur ultra.

Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis. Tibi enim revelavi causam meam.

Capitulum XII. — Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum. Verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur ? et bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt? Plantasti eos, et proficiunt, etc. Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.

Tu, Domine, nosti me ; vidisti me, et probasti cor meum.

(Nota de reprobatione Judæorum.) Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam ; dedi dilectam animam meam in manum inimicorum ejus. Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva. Dedit contra me vocem, ideo odivi eam. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, etc.

Capitulum XIII. — Computrescere faciam superbiam populi pessimi, qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui.

Hæc dicit Dominus : Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi domum Israel, ut essent mihi in populum, et in nomen, et in laudem, et in gloriam ; et non audierunt.

Nolite elevari ; sed date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.

Dic regi et dominanti : Humiliamini.

Si mutare potest Æthiops pellem suam, et pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere quum didiceritis malum.

Capitulum XIV. — Si iniquitates nostræ responderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ. Tibi peccavimus, exspectatio Israel, salvator in tempore tribulationis. (Nota pulcherrima de Dei incarnatione.) Quare quasi colonus venturus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare venturus es velut vir vagus, aut fortis qui non potest salvare? Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos.

Deducant oculi mei lacrimam per diem et noctem, et non taceant, etc. Cognovimus, Domine, impietates nostras, etc. Ne nos des in opprobrium, propter nomen tuum, etc.

Capitulum XV. — Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.

Væ mihi, mater mea : quare me genuisti, virum rixæ, virum discordiæ?

Tu scis, Domine, recordare mei, et visita me, et tuere me ab his qui persequuntur me.

Inventi sunt sermones tui, et comedi eos. Et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiam cordis mei.

Non sedi in concilio ludentium ; a facie

manus tuæ solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me.

Hæc dicit Dominus : Si converteris, convertam te, et ante faciem meam stabis ; et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.

Capitulum XVI. — (Nota in isto capitulo de liberatione Judæorum a captivitate in qua erant dispersi.)

Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos. Oculi mei super omnes vias eorum ; non sunt absconditæ ab oculis meis.

Domine, fortitudo mea et robur meum, et refugium meum in die tribulationis, ad te gentes venient ab extremis terræ, et dicent : Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit.

Capitulum XVII. — Ignem succendisti in furore meo, usque in æternum ardebit.

Hæc dicit Dominus : Maledictus homo qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.

Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.

Pravum est cor hominis et inscrutabile : quis cognoscat illud ? Ego Dominus scrutans cor et probans renes ; qui do unicuique juxta vias suas, et juxta fructum adinventionum suarum.

Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur ; recedentes a te, in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum. Sana me, Domine, et sanabor ; salvum me fac, et salvus ero.

Ego non sum turbatus, te pastorem sequens ; et diem hominis non concupivi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum fuit in conspectu tuo. Non sis mihi tu formidini, spes mea in die afflictionis. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego, etc.

Custodite animas vestras.

Capitulum XVIII. — Numquid sicut figulus, non potero facere vobis, domus Israel ? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos
A in manu mea. Repente loquar adversus gentem et regnum, ut eradicem et destruam illud. Si pœnitentiam egerit gens ista, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei, etc.

Attende, Domine, ad me, et audi voces adversariorum meorum. Numquid redditur pro bono malum ? etc. Tu, Domine, scis omne consilium eorum adversum me. Ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum non deleatur.

Capitulum XX. — Seduxisti me, Domi-
B ne, et seductus sum ; fortior me fuisti, et invaluisti.

Factus est mihi sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die. Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens. Audivi contumelias multorum, et terrorem in circuitu. Persequimini et persequamur eum, ab omnibus viris qui erant pacifici mei, etc.

Dominus mecum est quasi bellator fortis : idcirco qui me persequuntur cadent,
C et infirmi erunt. Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum quod nunquam delebitur.

Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum.

Maledicta dies in qua natus sum, etc. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei ?

Capitulum XXI. — Hæc dicit Dominus : Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et
D viam mortis.

Capitulum XXII. — Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.

Capitulum XXIII. — Væ pastoribus qui dispergunt et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum ; et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter ; et hoc est nomen quod vocabunt eum,

Dominus justus noster. (Istud intelligitur A de Christo, et in Hebræo habetur nomen Domini tetragrammaton.)

Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea ; factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino, a facie Domini, et a facie verborum sanctorum ejus.

Via impiorum erit quasi lubricum in tenebris ; impellentur et corruent in ea.

Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo eos (scilicet impios) felle.

Quis adfuit in consilio Domini, et vidit, B et audivit sermonem ejus ? Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. Non revertetur furor Domini usque dum faciat, et usque dum compleat Dominus cogitationes cordis sui. In novissimis diebus intelligetis consilium ejus.

Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe ? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum ? dicit Dominus.

(Nota de immensitate Dei.) Numquid C non cœlum et terram ego impleo ? dicit Dominus.

Quid paleis ad triticum ? Numquid non verba mea sunt quasi ignis, ait Dominus, et quasi malleus conterens petram ?

Derelinquam vos, et civitatem quam dedi vobis et patribus vestris ; et dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.

Capitulum XXV. — Dominus de excelso rugiet : quia judicium Domino cum genti- D bus. Judicatur ipse cum omni carne.

Ululate, pastores, et clamate ; et adspergite vos cinere, optimates gregis : quia completi sunt dies vestri ut interficiamini, et cadetis quasi vasa pretiosa.

Capitulum XXVI. — Dixit Jeremias : Scitote quia si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos.

Capitulum XXVIII. — Propheta qui vaticinatus est, quum venerit verbum ejus scietur Propheta quem misit Dominus in veritate.

Capitulum XXIX. — Ego scio cogitationes quas cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam.

Invenietis me, quum quæsieritis me in toto corde vestro.

Dabo eos in vexationem, et in maledictionem, et in stuporem, et in sibilum, et in opprobrium, eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus.

Ego sum judex et testis, ait Dominus.

Capitulum XXX. — Væ, quia magna dies illa, et non est similis ei.

Non dominabuntur Jacob amplius alieni ; sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis (id est Messiæ).

Castigo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius ; non autem te faciam in consummationem.

Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli. Quid clamas ad me ? Insanabilis est dolor tuus.

Quis est iste qui applicet cor suum ut appropinquet mihi ? ait Dominus.

Capitulum XXXI. — In caritate perpetua dilexi te : ideo attraxi te miserans.

Factus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus est.

Erit anima eorum quasi hortus irriguus, et ultra non esurient.

Vox in excelsis audita est lamentationis et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt. Hæc dicit Dominus : Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrimis, quia est merces operi tuo.

Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus. Converte me, Domine, et convertar, quia tu es Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam ; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.

Dirige cor tuum in viam directam. Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga ?

(Nota de Christifera Virgine.) Creavit

Dominus novum super terram : femina A
circumdabit virum.

Unusquisque in iniquitate sua morietur. Omnis qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus.

(Nota. Sequentia verba allegat Apostolus de datione novæ legis.) Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda pactum novum, etc. Non docebit ultra vir proximum suum dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus. B

Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumen diei, ordinem lunæ atque stellarum in lumine noctis, etc.

Capitulum XXXII. — Domine Deus, ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna; non erit tibi difficile omne verbum : qui facis misericordiam in millibus, et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum post eos. Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu : cujus oculi aperti sunt super C omnes filios Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, etc.

Ecce ego Dominus Deus universæ carnis : numquid mihi difficile erit omne verbum?

Dabo eis cor unum et viam unam. Et lætabor super eis, quum bene eis fecero. (Nota in isto capitulo de reductione filiorum Israel de captivitate sua.)

Capitulum XXXIII. — Clama ad me, et exaudiam te; et annuntiabo tibi grandia et firma quæ nescis.

(Nota et in isto capitulo de reductione D et liberatione filiorum Israel.)

In tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ, et faciet judicium et justitiam in terra.

Si irritum fieri potest pactum meum cum die, etc.

Capitulum XXXVI. — Dixit Baruch ad principes Juda : Ex ore suo loquebatur Jeremias quasi legens omnes sermones istos ad me, et ego scribebam in volumine atramento.

Capitulum XXXIX. — Eruens liberabo te, et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.

Capitulum XLIII. — Dixerunt Johanan et omnes viri superbi ad Jeremiam : Mendacium tu loqueris; non misit te Dominus, etc.

Capitulum XLIV. — Non poterat vos Dominus ultra portare, propter malitiam studiorum vestrorum.

Capitulum XLV. — Væ mihi misero, quia Dominus addidit dolorem dolori meo. Laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni.

Capitulum XLVII. — O mucro Domini! usquequo non quiescis?

Capitulum XLVIII. — Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.

Transfusus non est de vase in vas : ideo permansit gustus ejus in eo, et odor ejus non est immutatus.

Audivimus superbiam Moab, etc.

Quia plus fecit quam potuit : idcirco periit, etc.

Capitulum XLIX. — Arrogantia tua et superbia cordis tui decepit te. Quum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.

Quis similis mei? et quis sustinebit me? ait Dominus. Et quis est iste pastor qui resistat vultui meo?

Capitulum L. — In tempore illo venient filii Israel et filii Juda simul, etc., et apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, etc. (Sensum horum verborum diligenter inquire in textu et glossis, quia expedit contra Judæos.)

Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ.

Ecce ego ad te, o superbe, ait Dominus exercituum, quia venit dies tuus, et tempus visitationis tuæ. Et cadet superbus, et corruet, et non erit qui suscitet eum.

Capitulum LI. — Curavimus Babylonem, et non est sanata; derelinquamus eam.

Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram.

THRENI

HABENT CAPITULA QUINQUE, ET CONTINENTUR IN EIS LAMENTATIONES JEREMIÆ SUPER CIVITATEM JERUSALEM.

A Capitulum I. — Peccatum peccavit Jerusalem : propterea instabilis facta est.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.

De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.

Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda.

Vide, Domine, quoniam tribulor; conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in me.

B Capitulum II. — Deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem, et non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Leva ad eum manus tuas, etc.

Capitulum III. — Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus.

Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die.

C Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. Hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo.

Misericordiæ Domini quod non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.

Novi diluculo, multa est fides tua.

Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum.

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

D Bonum est viro quum portaverit jugum ab adolescentia sua.

Sedebit solitarius, et tacebit, quia levabit se super se. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

Quia non repellet in sempiternum Dominus : quia et si abjecit, miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

Quis est iste qui dixit ut fieret, Domino non jubente?

Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos inique egimus, et te ad iracundiam provocavimus : idcirco tu inexorabilis es.

Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.

Oculus meus deprædatus est animam meam, etc. Inundaverunt aquæ super caput meum. Ne avertas aurem tuam a singultu meo.

Capitulum IV. — Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?

Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.

Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos; facti sunt cibus earum.

Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris; cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus.

Capitulum V. — Ex oratione Jeremiæ.

Recordare, Domine, quid acciderit nobis; intuere et respice opprobrium nostrum.

Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Væ nobis quia peccavimus. Propterea mœstum factum est cor nostrum; ideo contenebrati sunt oculi nostri.

Quare ergo in perpetuum oblivisceris nostri, derelinques nos in longitudine dierum? Converte nos, Domine, ad te, et convertemur : innova dies nostros sicut a principio.

PROPHETIA BARUCH

(QUÆ NON EST IN CANONE) HABET CAPITULA SEX. ET AGITUR IN EA DE VERBIS QUÆ LEGIT BARUCH CAPTIVIS IN BABYLONE ; DE PRÆNUNTIATIONE REDITUS POPULI ISRAEL, ET EORUM QUÆ FUTURA ERUNT TEMPORIBUS ULTIMIS.

Capitulum I. — Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ, sicut est dies hæc, etc.

Capitulum II. — Facti sumus subtus et non supra, quia peccavimus Domino Deo nostro, et non obedivimus ei.

Avertatur, Domine, ira tua, quia derelicti sumus pauci. Exaudi, Domine, et educ nos propter te, et da nobis invenire gratiam.

Non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus eorum, dabunt honorem Domino; sed anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens, dat gloriam et justitiam tibi Domino.

Fecisti in nobis, Domine Deus noster, secundum omnem benignitatem tuam, et secundum omnem miserationem tuam illam magnam.

Dabo eis cor, et intelligent; et aures, et audient; et laudabunt me.

Capitulum III. — Et nunc, Domine Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius, clamat ad te. Audi, Domine, et miserere, quia Deus misericors es. Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum tuorum. Propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, ut laudemus te, et invocemus nomen tuum.

Audi, Israel, mandata vitæ; auribus percipe, ut scias viam prudentiæ, etc.

Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ, ubi sit lumen oculorum, et pax.

A Quis invenit locum ejus (scilicet sapientiæ)? aut quis intravit in thesauros ejus? Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias terræ? Qui in avibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant, et aurum in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum. Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii in loco eorum surrexerunt. Viam autem disciplinæ ignoraverunt, neque intellexerunt semitas ejus. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra
B est, viam sapientiæ nescierunt.

O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus, et non habens finem; excelsus, et immensus. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt : propterea perierunt. Et quia non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.

Quis ascendit in cœlum, et accepit eam, et deduxit eam de nubibus? etc. Non est
C qui possit scire vias ejus.

Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt; vocatæ sunt, et dixerunt, Adsumus ; et luxerunt ei cum jucunditate. Qui fecit illas, hic est Deus noster, et non æstimabitur alius ab illo.

Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

Capitulum IV. — Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum. Omnes
D qui tenent eam pervenient ad vitam; qui autem derelinquunt eam, ad mortem.

Convertere, et apprehende eam; ambula

per viam ad splendorem ejus. Beati sumus, quoniam quæ Deo placita sunt, manifesta sunt nobis. A

Animæquior esto, popule Dei. Exacerbastis eum qui fecit vos, Deum æternum.

Animæquiores estote, filii, clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum.

Filii, patienter sustinete iram quæ supervenit vobis. Qui enim induxit vobis mala, ipse rursus adducet vobis sempiternam jucunditatem cum vestra salute.

Circumspice ad orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem.

Capitulum V. — Exsurge, et sta in excelso. Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum et rupes perennes, et convalles replere in æqualitatem terræ, ut ambulet Israel diligenter in honorem Dei.

PROPHETIA EZECHIELIS

CONTINET CAPITULA QUADRAGINTA OCTO. ET AGITUR IN EA DE VISIONIBUS IPSIUS; DE SCELERIBUS JUDÆORUM; DE RUINA JERUSALEM, ET DE EJUS COMPARATIONE.

Capitulum I. — Quatuor facies et quatuor pennæ uni. Pedes eorum, pedes recti. Non revertebantur quum incederent. Facies eorum et pennæ eorum extentæ desuper. Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur quum ambularent. Totum corpus plenum oculis in circuitu ipsorum quatuor. B

Capitulum II. — Tu ergo, fili hominis, ne timeas, quia increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.

Capitulum III. — Dixit Dominus ad Ezechielem : Fili hominis, non ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ tu mitteris : et si ad illos mittereris, ipsi audirent te. C

Benedicta gloria Domini de loco suo.

Fili hominis, speculatorem te dedi domui Israel. Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris ei ut avertatur a via sua impia; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed et si justus conversus a justitia, etc. D

Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.

Qui audit, audiat; et qui quiescit, quiescat.

Capitulum V. — Complebo furorem meum, et quiescere faciam indignationem meam, et consolabor, ait Dominus.

Capitulum VI. — Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me, ait Dominus; et displicebant sibimet super malis quæ fecerant.

Capitulum VII. — Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ.

Angustia superveniente, requirent pacem, et non erit. Conturbatio super conturbationem veniet impiis.

Capitulum IX. — A sanctuario meo incipite percutere. Omnem autem super quem videritis signum Thau, ne occidatis.

Capitulum XI. — (Nota in hoc capitulo de reductione filiorum Israel a captivitate eorum.) Congregabo vos de populis, et adunabo de terris, etc.

Capitulum XII. — Hæc dicit Dominus ad Ezechielem : Portentum te dedi domui Israel. Dic : Ego portentum vestrum.

Capitulum XIII. — Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum

pro domo Israel, ut staretis in prælio in A die Domini.

Interfecerunt animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt, mentientes.

Mœrere fecistis cor justi mendaciter, quem ego non contristavi; et confortastis manus impii.

CAPITULUM XIV. — Propheta quum erraverit, ego Dominus decepi prophetam illum.

Terra quum peccaverit, interficiam de ea hominem et jumentum. Et si fuerint B tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, filium autem et filiam non liberabunt.

CAPITULUM XVI. — Sicut mater, ita et filia ejus.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ : superbia, saturitas panis, abundantia, et otium ejus.

CAPITULUM XVII. — Qui dissolvit pactum, numquid effugiet?

CAPITULUM XVIII. — Patres comederunt C uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. Non erit vobis istud in proverbium, ait Dominus. Ecce omnes animæ meæ sunt. Ut anima patris, ita et anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii, etc.

Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut avertatur a viis D suis et vivat?

Si autem averterit se justus et fecerit iniquitatem, omnes justitias quas fecerat non recordabor. In prævaricatione sua et in peccato suo morietur.

Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, dicit Dominus.

Revertimini et vivite : quia nolo mortem morientis, sed ut convertatur et vivat, dicit Dominus.

CAPITULUM XX. — Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, ait Dominus.

Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos.

CAPITULUM XXI. — Tu autem, profane, impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita, dicit Dominus.

CAPITULUM XXII. — Ecce complosi manus meas, dicit Dominus, super malitias quas fecisti. Numquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ, in diebus quos ego faciam tibi?

Et conflabo vos, et congregabo vos, et succendam vos in igne furoris mei ; et conflabimini in medio ejus, sicut conflatur argentum in medio fornacis ; et requiescam.

Sacerdotes inter mundum et pollutum non intellexerunt.

Hæc dicit Dominus : Quæsivi virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam ; et non inveni. Et effudi super eos indignationem meam.

CAPITULUM XXIV. — Immunditia tua exsecrabilis : quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis.

Ezechiel erit portentum vestrum.

CAPITULUM XXVII. — (Nota de Pigmæis.) Sed et Pigmæi qui erant in turribus tuis (o Tyre), pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum. Ipsi compleverunt pulchritudinem tuam.

CAPITULUM XXVIII. — Ecce sapientior tu es Daniele : omne secretum non est absconditum a te.

Fili hominis, leva planctum super regem Tyri dicens (nota de angelo apostata) : Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et beryllus, sapphirus, carbunculus, et smaragdus. Tu Cherub extentus et protegens; et posui te in monte sancto Dei. In medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis

a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. Repleta sunt interiora tua iniquitate ; et ejeci te de monte sancto Dei, et perdidi te, o Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. Elevatum est cor tuum in decore tuo, et perdidisti sapientiam tuam in decore tuo; in terram projeci te.

Capitulum XXXI. — Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, etc. (Istud exponi potest de Lucifero, eo quod cedri, id est angeli, non fuerunt altiores eo, quia summus erat.)

Capitulum XXXIV. — (Nota in isto capitulo de pastoribus.) Hæc dicit Dominus : Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, etc. Lac comedebatis, et lanis operiebamini, etc.; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, etc.; sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor.

Ecce ego Dominus requiram gregem meum de manu eorum, etc. Ego ipse pascam oves meas.

Salvabo gregem meum, ait Dominus. Et suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, David (id est Messiam) servum meum. Ego Dominus ero eis in Deum ; et servus meus David princeps eorum.

Capitulum XXXVI. — Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab A inquinamentis vestris. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, etc. Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.

Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus : notum sit vobis; sed propter nomen sanctum meum. Confundimini, et erubescite super viis vestris, ait Dominus.

Capitulum XXXVII. — (Nota istud capitulum, ut bene exponatur.)

B Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, popule meus, et inducam vos in terram Israel, etc.

(Nota quæ sequuntur, quia de Christo loquuntur. Item, nota de Gog et Magog, capitulis XXXVIII et XXXIX.)

Capitulum XLIV. — Porta hæc clausa erit et non aperietur, et vir non transiet per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam; eritque clausa.

Sacerdotes docebunt populum meum C quid sit inter sanctum et pollutum, et inter mundum et immundum.

(Nota. Quæ in isto et sequenti capitulo dicuntur de sacrificiis et templo, spiritualiter et de futura triumphanti Ecclesia sunt exponenda. Item de aquis, quæ exponuntur de fonte Baptismatis, nota capitulo XLVII.)

PROPHETIA DANIELIS

HABET CAPITULA QUATUORDECIM. ET AGITUR IN EA DE DANIELE SOCIISQUE EJUS ET CANTICO EORUM ; DE MUNDI MONARCHIA ; DE MUTATIONIBUS TEMPORUM ; DE POTESTATE, ÆTERNITATE REGNI CHRISTI ; DE HISTORIA SUSANNÆ ; DE DESTRUCTIONE BEL ATQUE INTERFECTIONE DRACONIS.

Capitulum I. — Ait rex Asphanez præposito eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, et eruditos omni sapientia, cautos scientia, et doctos disciplina.

D Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus. Dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum.

Et dixit Daniel : Tenta nos, obsecro, servos tuos, diebus decem, et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum ; et contemplare vultus nostros et vultus puerorum qui vescuntur cibo regio ; et sicut videris, facies cum servis tuis.

Post dies autem decem, apparuerunt vultus eorum meliores et corpulentiores, præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio.

Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia. Non sunt inventi tales de universis, ut Daniel, Ananias, Misael et Azarias.

Capitulum II. — (Visio Danielis de lapide qui abscissus est de monte sine manibus, de Christo pulchre exponitur.)

Benedixit Daniel Deum cœli, et locutus ait : Sit nomen Domini benedictum a sæculo et usque in sæculum, quia sapientia et fortitudo ejus sunt. Et ipse mutat tempora et ætates ; transfert regna, atque constituit ; dat sapientiam sapientibus. Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta. Tibi, Deus patrum meorum, confiteor, teque laudo, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi, et ostendisti mihi quæ rogavi te.

Est Deus in cœlo revelans mysteria.

Capitulum III. — Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis, et gloriosum nomen tuum in sæcula ; quia justus es in omnibus quæ fecisti nobis, et universa opera tua vera, et viæ tuæ rectæ, et omnia judicia tua vera.

Non est confusio confidentibus in te, Domine. Et nunc sequimur te in toto corde nostro, et timemus te, et quærimus faciem tuam. Ne confundas nos, sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ; et erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo ; et confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala.

Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis, et superexaltatus in sæcula. Benedictum nomen gloriæ tuæ

A sanctum, et laudabile, et superexaltatum in omnibus sæculis. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ, et superlaudabilis, et superexaltatus in sæcula. Benedictus es in throno regni tui, etc. Benedictus es qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim, et laudabilis, et superexaltatus in sæcula. Benedictus es in firmamento cœli, et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula. Benedicite, omnia opera Domini, Domino, etc.

Benedicite Domino, qui eruit nos de in-
B ferno, et salvavit nos de manu mortis.

Benedicite, omnes religiosi, Deo deorum, etc.

Dixit Nabuchodonosor : Ecce video viros quatuor ambulantes in medio ignis, et species quarti similis filio Dei.

Capitulum IV. — Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum, dixit Daniel regi Nabuchodonosor.

Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, et Altissimo benedixi, et
C Viventem in sempiternum laudavi et glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem ; et omnes habitatores terræ apud ipsum in nihilum reputantur. Juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ ; et non est qui resistat manui ejus, et dicat, Quare sic fecisti? Nunc igitur laudo, magnifico, et glorifico Regem cœli, quia omnia opera ejus vera.

Capitulum V. — Tu quoque non humi-
D liasti cor tuum ; sed adversus Dominatorem cœli elevatus es.

Capitulum VI. — Eductus est Daniel de lacu leonum, et nulla læsio apparuit in eo, quia credidit Deo suo.

Capitulum VII. — Adspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit. Vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda. Thronus ejus flammæ ignis ; rotæ ejus ignis accensus. (Cetera quære.) Millia millium ministrabant ei, et decies millies cen-

tena millia adsistebant ei. Judicium sedit, et libri aperti sunt.

(In isto capitulo et sequentibus multa scribuntur de Antichristo, quæ in Historia scholastica satis convenienter exponuntur; et cetera quære.)

Adspiciebam propter vocem sermonum grandium quos cornu illud (scilicet Antichristus) loquebatur.

Adspiciebam in visione noctis; et ecce in nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit; et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ servient ei. Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.

Horruit spiritus meus.

Adspiciebam, et ecce cornu illud (scilicet Antichristus) faciebat bellum adversus sanctos, et prævalebat eis, donec venit Antiquus dierum, etc. (Nota hic de Antichristo diligenter.) Et tradentur in manus ejus (scilicet Antichristi, sancti et boni Christiani), usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis (id est tres annos cum dimidio).

Capitulum VIII. — Ego Daniel langui et ægrotavi post visionem per dies.

Capitulum IX. — Propter temetipsum inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi, Domine; placare, Domine; ne moreris.

Dixit Gabriel ad Danielem : Septuaginta hebdomades (supple, annorum) abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum (id est Christus), etc. (Quære in textu. Nota hic pulcherrima de tempore adventus Christi, et passione ipsius, ac obstinatione Judæorum. Bene exponitur in Scholastica historia. Quære diligenter.)

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio (scilicet Judæorum excæcatio).

Capitulum X. — Intelligentia opus est in visione.

Daniel, vir desideriorum, intellige, etc. (Nota in isto capitulo de controversia inter angelos provinciarum ac populi custodes.)

Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.

Noli timere, vir desideriorum; pax tibi; esto robustus.

Capitulum XI. — (In undecimo capitulo nota de Antichristo : quæ tamen partim exponuntur de Antiocho.)

Capitulum XII. — In tempore illo consurget Michael, princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui; et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. (Istud tempore Antichristi implebitur.)

Multi de his qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium ut videant semper. Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

(Item, nota residuum hujus capituli, in quo de Antichristo tangitur : quod scilicet post mortem ejus convertentur ab eo decepti, ad agendam pœnitentiam.)

Capitulum XIII. — Iniquitas egressa est de Babylone a senioribus, qui videbantur regere populum, ait Dominus.

Angustiæ mihi sunt undique. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini, dixit Susanna.

Flens autem Susanna suspexit in cœ-

lum : erat enim cor ejus fiduciam habens A in Domino.

Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant.

Revertimini ad judicium. Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.

Capitulum XIV. — Apprehendit angelus Domini Habacuc in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui ; posuitque eum in Babylone, super lacum, in impetu spiritus sui.

Recordatus es mei, Domine Deus meus, et non dereliquisti diligentes te.

PROPHETIA OSEE

CONTINET CAPITULA QUATUORDECIM. ET LOQUITUR DE IDOLOLATRIA POPULI ISRAEL, SIGNATA PER MULIEREM MERETRICEM ; DE MUNDATIONE PECCATORUM ; ET EXHORTATUR UT FILII ISRAEL AD DOMINUM CONVERTANTUR.

Capitulum I. — Principium loquendi Do- B mino ad Osee. Et dixit Dominus ad Osee : Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino.

Erit in loco ubi dicitur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis.
Rom. IX, 26. (Istud allegat Apostolus ad Romanos de vocatione gentium.)

Capitulum II. — Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria.

Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. C

Sponsabo te mihi in sempiternum ; et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et in miserationibus ; et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus.

Capitulum III. — Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim. Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum (id est Messiam); et pavebunt ad Dominum, et ad D bonum ejus, in novissimo dierum. (Istud modo in Judæis obstinatis verificatum est; sed in fine mundi, Antichristi detecta perfidia, ad Christum revertentur.)

Capitulum IV. — Judicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.

Unusquisque non judicet. Populus tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti.

Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam Dei.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Quia oblita es mei, obliviscar et ego filiorum tuorum ; gloriam eorum in ignominiam commutabo.

Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem sublevabunt animas eorum. Et erit sicut populus, sic sacerdos. Dominum dereliquerunt in non custodiendo.

Fornicatio, et ebrietas, et vinum auferunt cor. Spiritus fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo.

Populus non intelligens vapulabit.

Sicut vacca lasciviens declinavit Israel.

Capitulum V. — Attendite hoc, sacerdotes, quia vobiscum judicium est : quoniam laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super montem Thabor. Victimas declinastis in profundum.

Capitulum VI. — In tribulatione sua mane consurgent ad me : Venite, et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos ; percutiet, et curabit nos.

Misericordiam volui, et non sacrificium; A et scientiam Dei plus quam holocausta. Ipsi autem sicut Adam prævaricati sunt.

In domo Israel vidi horrendum.

CAPITULUM VII. — Circumdederunt eos adinventiones suæ, coram facie mea factæ sunt. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente.

Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit.

Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.

Væ eis, quoniam recesserunt a me. Vastabuntur, quoniam prævaricati sunt in me. Et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia, etc. Et recesserunt a me. Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam. Reversi sunt ut essent absque jugo, etc.

CAPITULUM VIII. — Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi.

Ventum seminabunt, et turbinem metent. C

CAPITULUM IX. — Noli lætari, Israel, et noli exsultari, quia fornicatus es a Deo tuo.

Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei sacrificia eorum. Profunde peccaverunt. Væ eis, quum recessero ab eis.

Exosos habui eos propter malitiam adinventionum eorum; de domo mea ejiciam eos; non addam ut diligam eos : omnes principes eorum recedentes.

Radix eorum exsiccata est, fructum ne- D quaquam facient.

Abjiciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum; et erunt vagi in nationibus.

CAPITULUM X. — Divisum est cor eorum, nunc interibunt.

Confundetur Israel in voluntate sua.

Dicent montibus, Operite nos; et collibus, Cadite super nos.

Juxta desiderium meum corripiam eos.

Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ, et innovate vobis novale. Tempus requirendi Dominum, quum venerit qui docebit vos justitiam.

CAPITULUM XI. — Puer Israel, et dilexi eum; et ex Ægypto vocavi filium meum.

Ego quasi nutricius Ephraim; portavi eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos.

In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis. Populus meus pendebit ad B reditum meum.

CAPITULUM XII. — Juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus reddet ei.

Misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper.

In manu Prophetarum assimilatus sum.

CAPITULUM XIII. — Ego Dominus Deus tuus, et salvator non est præter me.

Saturati sunt; et elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei. Occurram eis quasi ursa raptis catulis; et dirumpam interiora eorum, et consumam eos ut leo.

Perditio tua, Israel, ex te; in me tantummodo auxilium tuum. Dabo tibi regem in furore meo.

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne.

CAPITULUM XIV. — Convertere ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum, et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum; et reddemus vitulos labiorum nostrorum.

Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis. Ero quasi ros. Israel germinabit quasi lilium. Convertentur sedentes in umbra ejus.

Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis; prævaricatores vero corruent in eis.

PROPHETIA JOEL

HABET CAPITULA TRIA. ET LOQUITUR DE CONSUMPTIONE TERRÆ PER ERUCAM, BRUCHUM, LOCUSTAM, ET RUBIGINEM; DE INDUCTIONE AD POENITENTIAM, ET DE JUDICIO FUTURO.

CAPITULUM I. — Expergiscimini, ebrii, et flete; et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine.

Computruerunt jumenta in stercore suo.

CAPITULUM II. — Conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, dies tenebrarum et caliginis. Similis ei non fuit a principio, et post eum non erit. Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma. A facie ejus cruciabuntur populi ; omnes vultus redigentur in ollam. A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. Multa sunt nimis castra Domini (id est angeli sancti), fortia, et facientia verbum ejus. Magnus dies Domini et terribilis valde : et quis sustinebit eum ?

Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu ; et scindite corda vestra et non vestimenta vestra. Et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.

A Quis scit si ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem ? Sacrificium et libamen Domino Deo nostro.

Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, etc.

Exsultate in Domino Deo vestro, qui dedit vobis doctorem justitiæ.

Non confundetur populus meus in sempiternum.

Post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, etc. (Istud Petrus allegat in Actibus.) *Act.* II, 17 *et seq.*

B In monte Sion et in Jerusalem erit salvatio, et in residuis quos Dominus vocaverit.

CAPITULUM III. — (Nota de judicio ultimo.) Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo ibi cum eis. Cito velociter reddam vicissitudinem super caput vestrum. Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu, etc. Et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam, et movebuntur

C cœli et terra; et Dominus spes populi sui.

PROPHETIA AMOS

COMPLECTITUR CAPITULA NOVEM. ET LOQUITUR DE SCELERIBUS JUDÆORUM ET GENTIUM; DE IRA DEI ET VINDICTA SUPER EOS VENTURA. INDUCIT QUOQUE AD POENITENTIAM, ET PRÆDICIT FINALEM REPARATIONEM.

CAPITULUM I. — Dominus de Sion rugiet, etc.

CAPITULUM II. — Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam

D eum, pro eo quod vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamento.

Ecce ego stridebo subter vos sicut stridet plaustrum onustum fœno. Et peribit

fuga a veloce, et fortis non salvabit animam suam.

Capitulum III. — Visitabo super vos omnes iniquitates vestras.

Si erit malum in civitate quod Dominus non fecit? Quia non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?

Nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem.

Capitulum IV. — Juravit Dominus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus. Et per aperturas exibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon, dicit Dominus.

Præparare in occursum Dei tui, Israel : quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, etc. Dominus exercituum nomen ejus.

Capitulum V. — Domus Israel cecidit, non adjiciet ut resurgat.

Faciens Arcturum et Orionem, convertens tenebras in mane, et diem nocte mutans; qui vocat aquas, et effundit eas super faciem terræ : Dominus nomen ejus.

Odio habuerunt corripientem, loquentem perfecte abominati sunt.

Cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra.

Numquid hostias et sacrificium obtuli-

A stis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? etc. (Istud inducit Stephanus in Actibus Apostolorum.) Act. vii, 42.

Capitulum VI. — Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.

Juravit Dominus Deus in anima sua : Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi.

Væ qui lætamini in nihili; qui dicitis, Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Qui convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justi-

B tiæ in absinthium, etc.

Capitulum VII. — Domine Deus, propitius esto, et quiesce, obsecro.

Non sum propheta, et non sum filius prophetæ.

Capitulum VIII. — Venit finis super populum meum Israel; non adjiciam ultra ut pertranseam eum.

Juravit Dominus : Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et emittam famem in terram ; non famem

C panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei, etc.

Capitulum IX. — Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, etc.

In die illo suscitabo tabernaculum David, quod cecidit; et reædificabo aperturas ejus, etc. (Nota. Istud allegat apostolus Jacobus in Actibus Apostolorum, tamen secundum translationem Septuaginta interpretum.) Ibid. xv, 16.

PROPHETIA ABDIÆ

UNICUM HABET CAPITULUM, ET LOQUITUR DE COMMINATIONE ET DESTRUCTIONE EDOM ET ESAU.

D Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.

Omnes viri fœderis tui, illuserunt tibi, etc. Qui comedunt tecum, ponent insidias subter te. Propter iniquitatem in fratrem tuum, Operiet te confusio, et peribis in æternum. Sicut fecisti, fiet tibi.

Ascendent salvatores in montem Sion judicare; et erit Domino regnum.

PROPHETIA JONÆ

CONTINET CAPITULA QUATUOR. ET LOQUITUR DE NAUFRAGIO JONÆ, QUI IN HOC CHRISTI PASSIONEM PRÆFIGURANS, MUNDUM AD POENITENTIAM REVOCAT; ATQUE SUB NOMINE NINIVE SALUTEM GENTIUM PRÆFIGURAT.

Capitulum I. — Quid tu sopore deprimeris? Surge, et invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus.

Capitulum II. — Præparavit Dominus piscem grandem; et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus.

Dixit Jonas : Clamavi ad Dominum de tribulatione mea, et exaudivit me. Sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. Quum angustiaretur in me spiritus meus, Domini recordatus sum. Qui custodiunt vanitates, frustra misericordiam suam derelinquunt. Ego autem in voce laudis immolabo tibi; quæcumque vovi, reddam Domino pro salute.

A Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.

Capitulum III. — Ninive erat civitas magna itinere dierum trium.

Et crediderunt Ninivitæ Domino, et operti sunt saccis, etc.

Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus?

Et vidit Deus opera eorum, et misertus est.

Capitulum IV. — Et nunc, Domine, B tolle, quæso, animam meam, quia melior est mihi mors quam vita.

Putasne bene irasceris tu?

PROPHETIA MICHÆÆ

HABET CAPITULA SEPTEM. ET PRÆDICIT SAMARIÆ DEVASTATIONEM ET CAPTIVITATEM, ATQUE INTERITUM PRINCIPUM ISRAEL ET PSEUDOPROPHETARUM; ET DE INGRATITUDINE ET MALITIA EORUMDEM.

Capitulum I. — Faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum, quia desperata est plaga ejus.

Capitulum II. — Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris : quoniam contra Dominum est manus eorum.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra; et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.

Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur?

Dixit Michæas : Utinam non essem vir C habens spiritum, et mendacium potius loquerer.

Congregatione congregabo te, Jacob, totum, etc. (Inquire in textu et expositionem scrutare.)

Capitulum III. — Numquid vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum? Qui comederunt carnem populi mei, et pellem desuper excoriaverunt. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, sicut nequiter egerunt, etc.

Verumtamen ego repletus sum fortitudi- D ne spiritus Domini, judicio et virtute, ut annuntiem Israel scelus et peccatum suum.

Audite hæc, qui abominamini judicium A et recta pervertitis.

Capitulum IV. — Et erit in novissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, etc. (Nota. Istud Is. II, 2. habetur supra in Isaia. Quære ergo et inspice utrobique textum ac sensum.)

Nos ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum et ultra.

Et tu, turris gregis nebulosa filiæ Sion, ad te veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Nunc quare mœrore contraheris? Numquid rex non est tibi, aut consi- B liarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem?

Capitulum V. — (Nota in isto de duplici Christi natura ac generatione æterna. Item nota totum capitulum, quoniam pulcherrimum est.)

Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda. Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. Et stabit, et pascet in fortitudine Domini; et convertentur, quia nunc magnificabitur C usque ad terminos terræ, in medio universæ terræ. Et erit iste pax, Assyrius quum venerit, et quando calcaverit in domibus nostris.

Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt.

Capitulum VI. — Judicium Domini cum populo suo.

Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? responde mihi, etc.

Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram D ei et holocautomata? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?

Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.

Salus erit timentibus nomen tuum, Domine.

Capitulum VII. — Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Præcoquas ficus desideravit anima mea.

Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est. Vir fratrem suum venatur ad mortem.

Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, etc. Inimici hominis domestici ejus.

Ego autem ad Dominum adspiciam, et exspectabo Deum salvatorem meum. Audiet me Deus meus. Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi; consurgam. Quum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quia peccavi ei, donec causam meam judicet.

Educet me Dominus in lucem, et videbo justitiam ejus. Et adspiciet me inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me, Ubi est Deus tuus?

Pasce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ.

Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine sua.

Non immittet Dominus ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur, et miserebitur nostri. Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.

PROPHETIA NAHUM

HABET CAPITULA TRIA. ET LOQUITUR DE IRA DEI ET VINDICTA GRAVI CONTRA NINIVITAS, QUI AD PRÆDICATIONEM JONÆ POENITENTIAM EGERUNT DE PECCATIS, ET POSTEA FUERUNT PECCATIS MAJORIBUS INVOLUTI.

CAPITULUM I. — Deus æmulator et ulciscens Dominus. Ulciscens Dominus et habens furorem, ulciscens in hostes suos. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus. Increpans mare, et exsiccans illud. Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furoris ejus?

Bonus Dominus, et confortans in die A tribulationis, et sciens sperantes in se.

Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse faciet. Non consurget duplex tribulatio.

Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem.

CAPITULUM III. — Aquam propter obsidionem hauri tibi, exstrue munitiones tuas.

PROPHETIA HABACUC

CONTINET CAPITULA TRIA. ET LOQUITUR DE DISPUTATIONE QUAM PROPHETA FECIT CUM DEO ET HOC MUNDO, ET QUOMODO JUSTI CONCULCANTUR ET PROSPERANTUR INIQUI.

CAPITULUM I. — Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, et non salvabis? Quare respicis contemptores, et taces conculcante impio justiorem se? Propter hoc lacerata est lex. Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.

Numquid non tu a principio, Domine Deus meus, sancte meus, et non moriemur? Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. Quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio justiorem se?

CAPITULUM II. — Super custodiam meam stabo, et figam gradum meum super munitionem, et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.

Apparebit Dominus in finem, et non B mentietur; si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit.

Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Justus autem in sua fide vivet.

Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur: qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimpletur.

Væ ei qui multiplicat non sua. Usquequo aggravat contra se lutum densum?

Væ qui potum dat amico suo, mittens C fel suum, et inebrians, ut adspiciat nuditatem ejus.

Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra.

CAPITULUM III. — Domine, audivi auditionem tuam, et timui, etc.

Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Cornua in manibus ejus; ibi abscondita est fortitudo ejus.

Egressus es in salutem populi tui, in A salutem cum Christo tuo, etc.

Ego autem in Domino gaudebo; et exsultabo in Deo Jesu meo.

Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor, in psalmis canentem.

PROPHETIA SOPHONIÆ

HABET CAPITULA TRIA. ET LOQUITUR DE JUDICIO DEI CONTRA JUDÆOS ET GENTES, ET DE CONSOLATIONE ISRAEL.

CAPITULUM I. — Ruinæ impiorum erunt, B et disperdam eos a facie terræ, dicit Dominus. Disperdam eos qui avertuntur de post tergum Domini, dicit Dominus, et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum. Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini.

Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur, et qui complevit domum Dei sui iniquitate et dolo.

Et erit in tempore illo : Scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis : qui dicunt, C Non faciet bene Dominus, et non faciet male.

Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris.

Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.

In igne zeli Domini devorabitur omnis D terra, quia consummationem cum festinatione faciet Dominus cunctis habitantibus terram.

CAPITULUM II. — Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati. Quærite justum, quærite mansuetum, si quo modo abscondamini in die furoris Domini.

Horribilis Dominus super impios, et attenuabit omnes deos terræ; et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.

CAPITULUM III. — Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, etc. (Quære totum istud, quia de Christo exponitur resurgente.)

Lauda, filia Sion; jubila, Israel; exsulta in omni corde tuo, filia Jerusalem. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos rex Israel; Dominus in medio tui, non timebis malum ultra.

Noli timere ; non dissolvantur manus tuæ. Dominus Deus in medio tui fortis, ipse salvabit. Gaudebit super te Dominus in lætitia, silebit in dilectione tua, et exsultabit super te in laude.

PROPHETIA AGGÆI

HABET CAPITULA DUO. ET PRÆDICIT REVERSIONEM JUDÆORUM ; DE REÆDIFICATIONE TEMPLI, AC CIVITATIS RENOVATIONE.

CAPITULUM I. — Ponite corda vestra super vias vestras.

CAPITULUM II. — Spiritus meus erit in medio vestri, nolite timere.

Adhuc unum modicum, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam ; et movebo omnes gentes. Et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo

domum istam gloria, dicit Dominus. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus; et in loco isto dabo pacem. (Nota de Christi adventu prophetiam evidentem atque pulcherrimam. Loquitur autem Propheta de domo facta per Zorobabel.) A

Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine; et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus.

In die illo, dicit Dominus, assumam te, Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus; et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

PROPHETIA ZACHARIÆ

HABET CAPITULA QUATUORDECIM. ET LOQUITUR DE LIBERATIONE JUDÆORUM ET DE VINDICTA CONTRA INIMICOS EORUM; DE HUMILITATE ADVENTUS CHRISTI ET PASSIONE EJUSDEM.

CAPITULUM I. — Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me, et convertar ad vos. Ne sitis sicut patres vestri. Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis, dicit Dominus. B

Ira magna ego irascor super gentes opulentas, dicit Dominus.

Revertar ad Jerusalem in misericordiis.

CAPITULUM II. — Ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum istum, dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem. C

Hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos. Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi ejus. Et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui; et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. (Nota. In verbis istis dicit Dominus exercituum se mitti a Domino exercituum : in quo tangitur pluralitas Personarum, ac Christi divinitas.) D

Sileat a facie Domini omnis caro, quoniam consurrexit de habitaculo sancto suo.

CAPITULUM III. — Dixit Dominus ad Satan : Increpet Dominus in te, Satan : et increpet Dominus in te. (Nota. Hic dicitur ter, Dominus, ad designandum in simplici Deo personalem Trinitatem.)

Ecce ego adducam servum meum Orientem (id est Christum). (Item Oriens, id est Messias, secundum translationem Chaldaicam.)

Super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus; et auferam iniquitatem terræ illius in una die. (Nota. In Christo lapide angulari sunt septem dona Sancti Spiritus. Item Spiritus Sanctus formavit sculpturam, id est corpus ejus; et in die Parasceves abstulit Christus mundi peccata.)

CAPITULUM IV. — Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.

Isti sunt duo filii olei, qui adsistunt Dominatori universæ terræ.

CAPITULUM VI. — Ecce vir, Oriens nomen ejus; et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino. Et ipse portabit gloriam, et sedebit et dominabitur in solio suo; et erit sacerdos super solio suo, et consilium pacis erit inter duos illos (quia

in Christo pagani et Judæi in una fide congregati sunt). (Item hæc prophetia in Christo impleta est, qui ædificavit templum, id est Ecclesiam, et dominatur in militanti Ecclesia.)

Capitulum VII. — Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo; et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.

Noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentes; et aures suas aggravaverunt, ne audirent. Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem.

Capitulum VIII. — Zelatus sum Sion zelo magno, dicit Dominus.

Sicut cogitavi ut affligerem vos, quum me ad iracundiam, etc.

Veritatem tantum et pacem diligite.

Ibimus vobiscum : audivimus enim quoniam Dominus vobiscum est.

Capitulum IX. — Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus venit tibi justus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. Et loquetur pacem gentibus. Potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ.

Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. (Christus enim eduxit patres de limbo.)

Quid bonum Domini, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? (Istud intelligitur de corpore et sanguine Christi.)

Capitulum X. — Petiit pluviam a Domino in tempore serotino.

Super pastores iratus est furor meus, ait Dominus.

Capitulum XI. — Benedictus Dominus, divites facti sumus.

Dixi : Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : Projice eos ad statuarium, decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. (Nota de Christi venditione.)

A (Nota in isto capitulo de malo pastore quid faciat, etc.) O pastor et idolum derelinquens gregem! Brachium ejus ariditate siccabitur, etc.

Capitulum XII. — Dixit Dominus extendens cœlum, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo.

Et erit qui offenderit ex eis in die illa (id est tempore gratiæ) quasi David, et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum. (Istud dicit Propheta ad designandum magnitudinem mi-
B sericordiæ Dei tempore Christi et gratiæ.)

Effundam super domum David spiritum gratiæ et precum. Adspicient ad me quem confixerunt; et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum sicut doleri solet in morte primogeniti.

Capitulum XIII. — (Nota de fonte Baptismi.) In die illa erit fons patens domui David (id est Ecclesiæ Christi) et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ.

In die illa, dicit Dominus, disperdam no-
C mina idolorum de terra.

Non sum propheta; homo agricola ego sum.

Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet : His plagatus sum in medio eorum qui diligebant me.

Framea, suscitare super pastorem meum (id est Christum), et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum; percute pastorem, et dispergentur oves gregis.

Ducam eos per ignem, et uram eos sic-
D ut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Et ego exaudiam eum et dicam : Populus meus es; et ipsi dicent : Dominus Deus meus.

Capitulum XIV. — Stabunt pedes Domini in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem.

(Nota in isto capitulo multa pulcherrima et difficilia, etiam aliqua de Antichristo.)

Veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti ejus cum eo.

Et erit in die illa : non erit lux, sed

frigus et gelu. Erit dies una quæ nota est A Domino, non dies neque nox, etc. Et in die illa exibunt aquæ vivæ de Jerusalem, etc. In die illa erit Dominus rex super omnem terram. In die illa erit Dominus unus, et nomen ejus unum.

PROPHETIA MALACHIÆ

HABET CAPITULA QUATUOR. ET LOQUITUR DE ABJECTIONE POPULI JUDÆORUM ET SACRIFICIORUM EJUS ; ET DE ADVENTU CHRISTI.

CAPITULUM I. — Dilexi vos, dicit Domi- B nus. Nonne frater erat Esau Jacob ? Et dilexi Jacob, Esau autem odio habui.

Filius honorat patrem, et servus timet dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus ? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus ? dicit Dominus.

Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen Domini. Et nunc deprecamini vultum Domini, ut misereatur vestri, si quo modo suscipiat facies vestras.

(Nota de sacrificio novæ legis.) Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus C exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.

Maledictus dolosus : quia rex magnus ego sum, dicit Dominus, et nomen meum horribile in gentibus.

CAPITULUM II. — Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de D ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege. Propter quod dedi vos contemptibiles omnibus populis.

Numquid non pater unus omnium nostrum ? numquid non Deus unus creavit nos ? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum. Disperdat Dominus virum qui fecit hoc. Custodite ergo spiritum vestrum, et nolite despicere.

Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, in eo quod dicitis : Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent ; aut certe, ubi est dies judicii ?

CAPITULUM III. — (Nota de præcursore adventuque Christi.) Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus ? aut quis stabit ad videndum eum ? Ipse enim quasi ignis conflans.

Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et qui calumniantur et opprimunt, nec timuerunt me, dicit Dominus.

Ego Dominus, et non mutor.

Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

Si affiget homo Deum, quia vos configitis me ? dicit Dominus.

Inferte omnem decimam in horreum meum, et sit cibus in domo mea, ait Dominus.

Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus. Et dixistis : Vanus est qui servit Domino ; et quod emolumentum quia custodimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino ? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt, etc.

Parcam timentibus me, dicit Dominus, sicut parcit vir filio suo servienti sibi.

Convertimini, et videbitis quid sit inter

justum et impium, et inter servientem A Deo et non servientem ei.

CAPITULUM IV. — Ecce dies veniet succensa quasi caminus; et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula; et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus, quæ non derelinquet eis radicem.

Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. Egrediemini et salietis quasi vitulus de armento; et calcabitis impios, in die qua ego facio, dicit Dominus.

(Nota de Eliæ adventu ante finem mundi.) Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres, ne forte veniam et percutiam terram anathemate.

LIBER MACHABÆORUM PRIMUS

HABET CAPITULA SEXDECIM. ET AGITUR IN EO DE PRÆLIIS INTER HEBRÆORUM DUCES ET GENTEM PERSARUM; ET DE LIBERATIONE POPULI SUB MATHATHIA, JUDA, JONATHA ET SIMONE.

CAPITULUM I. — Regnavit Alexander an- B nis duodecim, et mortuus est.

Exiit ex pueris ejus radix peccati, Antiochus Illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses.

Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus.

Ædificavit Antiochus rex abominandum idolum desolationis super altare Dei.

Multi de populo Israel elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis.

CAPITULUM II. — Mathathias habebat filios quinque : Joannem, Simonem, Judam Machabæum, Eleazarum, et Jonathan. Dixit Mathathias : Væ mihi ! Ut quid natus sum videre contritionem populi mei et civitatis sanctæ ? Quæ erat libera, facta est ancilla. Ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est. Propitius sit nobis Deus; non est nobis utile relinquere legem et justitias Dei. Omnis qui zelum habet legis exeat post me.

Moriamur omnes in simplicitate nostra, et testes erunt super nos cœlum et terra. (Nota quod Judæi malebant occidi, quam D in die sabbati inimicis pugnando resistere.)

Nunc ergo, filii, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum, et mementote operum patrum quæ fecerunt, et accipietis gloriam magnam et nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, et reputatum est ei ad justitiam? Joseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, et factus est dominus Ægypti. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. Omnes qui sperant in Domino non infirmantur. A verbis peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et C vermis : hodie extollitur, et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. Ecce Simon, frater vester, scio quod vir consilii est; ipsum audite semper, et ipse erit vobis pater. Et Judas Machabæus, fortis viribus a juventute sua, sit vobis princeps militiæ. (Hæc omnia sunt verba Mathathiæ, cum aliis quæ habentur in isto capitulo : quæ sunt valde notabilia. Quære ergo.)

CAPITULUM III. — (Nota præconia Judæ Machabæi.) Surrexit Judas Machabæus pro patre; et adjuvabant eum omnes fratres ejus, et qui se conjunxerant patri ejus; et præliabantur prælium Is-

rael cum lætitia. Et dilatavit gloriam populo suo; et induit se loricam sicut gigas, et accinxit se arma bellica sua in præliis. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos; et qui perturbabant populum suum succendit flammis; et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt; et in sæculum memoria ejus in benedictione. Et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes.

Dixit Judas : Non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis et in paucis, quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.

Accingimini, et estote filii potentes (ait Judas), et estote parati ut pugnetis, quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.

Capitulum IV. — Dixit Judas : Impetum inimicorum ne formidetis. Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri. Et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostri Deus noster.

Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est; sed state nunc contra inimicos, etc.

Dejice, Domine, inimicos gladio diligentium te.

Dixit Judas et fratres ejus : Ecce contriti sunt inimici nostri; ascendamus nunc mundare sancta et renovare. Et ascenderunt in montem Sion, etc.

Capitulum V. — Convenit Judas et fratres ejus, et ecclesia magna, cogitare quid facerent fratribus suis qui in tribulatione erant, etc.

Erat Judas congregans extremos, et hortabatur populum per totam viam.

Capitulum VI. — Vocavit Antiochus rex omnes amicos suos, et dixit : Recessit somnus ab oculis meis, et concidi, et corrui corde præ sollicitudine; et dixi in corde meo : In quantam tribulationem

A deveni, et in quos fluctus tristitiæ, qui jucundus eram et dilectus in potestate mea!

Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos in prælium. (Nota in hoc loco multa de robore elephantorum, et de audacia Eleazari filii Saura, qui pro populo suo supposuit se elephanto, etc.)

Capitulum VII. — Satis agebat impius Alcimus pro principatu sacerdotii sui, etc.

Capitulum VIII. — Possederunt Romani

B omnem locum consilio suo et patientia. (Nota in isto capitulo multa de Romanis.)

Capitulum IX. — Ait Judas : Si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ.

Et ingravatum est prælium, et multi ceciderunt; et Judas cecidit, et ceteri fugerunt. (Nota. Postquam iniit pactum cum Romanis, occisus est Judas.)

Cetera verba Judæ, bellorum et virtutum quas fecit, non sunt descripta : multa

C enim erant valde, etc.

Capitulum XI. — Occidebant tria millia Judæorum, centum millia in die illa, et liberaverunt regem Demetrium.

Capitulum XII. — Habemus solatio sanctos libros qui sunt in manibus nostris.

Capitulum XIII. — Nunc non mihi contingat parcere animæ meæ pro fratribus in omni tempore tribulationis.

Occidit Tryphon Jonathan et duos filios ejus.

Capitulum XIV. — (Nota de Simone fra-

D tre Machabæi.) Confirmavit Simon omnes humiles populi sui, et legem exquisivit, et abstulit omne malum et iniquum. Sancta glorificavit, et multiplicavit vasa sanctorum. Et quæsivit bona genti suæ, et placuit eis potestas ejus et gloria cunctis diebus.

Capitulum XVI. — Auxilium de cœlo vobiscum sit.

Ptolemæus socer Simonis occidit Simonem et duos filios ejus.

LIBER MACHABÆORUM SECUNDUS

HABET CAPITULA QUINDECIM. ET RECAPITULANTUR IN EO QUÆDAM IN PRIMO LIBRO DICTA ; DEINDE AGITUR DE TRIBULATIONE POPULI, DE CONSTANTIA SEPTEM FRATRUM ET MATRIS EORUM, ET DE LIBERATIONE POPULI PER JUDAM MACHABÆUM.

CAPITULUM I. — Benefaciat vobis Deus ; A et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno et animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua et in præceptis suis, et faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.

Oravimus ad Dominum, et exauditi sumus. De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi. Per omnia benedictus qui tradidit impios.

(Nota in isto capitulo de igne absconso B in puteo tempore captivitatis Babylonicæ.)

(Oratio Nehemiæ.) Domine Deus, omnium creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus es rex bonus, solus præstans, solus justus, omnipotens, et æternus, custodi partem tuam et sanctifica. Afflige opprimentes nos et contumeliam facientes in superbia ; constitue populum tuum in loco sancto tuo.

CAPITULUM III. — Facies et color immutatus declaravit animi internum dolorem.

Ipse qui habet in cœlis habitationem, C visitator et adjutor est loci sui.

CAPITULUM IV. — In leges divinas impie agere, impune non cedit.

(Nota in isto capitulo de laude Oniæ pontificis.)

CAPITULUM V. — Contigit per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastas, quasi cohortes armatas, et cursus equorum per ordinem digestos et congressiones fieri, etc. (Nota in textu istam visionem.) D

Erant autem toto triduo in Jerusalem octoginta millia ab Antiocho interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.

Verum, non propter locum gentem, sed propter gentem locum Dominus elegit. Qui derelictus est in ira Dei omnipotentis, iterum in magna Dei reconciliatione cum summa gloria exaltabitur.

Existimavit se Antiochus rex, præ superbia, terram quidem ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deductarum, propter mentis elationem.

Judas autem Machabæus secessit in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat ; et fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

CAPITULUM VI. — (Nota in isto capitulo, quomodo Deus electos in præsenti punit. Require in textu.) Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.

Eleazarus, ætate provectus, gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium : destinavit enim non admittere illicita propter vitæ amorem. Cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenuam nobilitatis canitiem : Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentium decipiantur. Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste scis quia duros corporis sustineo dolores; secundum animam vero, propter timorem tuum libenter hæc patior.

CAPITULUM VII. — (Nota in isto capitulo de martyrio fratrum Machabæorum et matris eorum, et verbis eorum, etc.)

Parati sumus magis mori, quam patrias A Dei leges prævaricari.

Rex mundi Deus defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.

De cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio.

Potestatem inter homines habens, quum sis corruptibilis, facis quod vis; sed sustine, et videbis qualiter Deus te torquebit.

Peto, nate, ut adspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus; B ita fiet ut non timeas carnificem istum. Tu vero qui inventor omnis malitiæ effectus es, non effugies manum Dei. Tu autem, o sceleste et flagitiosissime, noli frustra extolli. Nondum enim omnipotentis Dei et omnia inspicientis judicium effugisti. Tu vero judicio Dei, justas superbiæ tuæ pœnas exsolves.

Capitulum VIII. — Ira Dei in misericordiam conversa est.

Nos autem in omnipotenti Deo confidimus, qui potest et venientes adversum C nos et universum mundum uno nutu delere.

Capitulum IX. — Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.

Orabat autem scelestus Antiochus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.

Si bene valetis, maximas agimus gratias.

Capitulum X. — (Nota capitulo decimo de quinque viris de cœlo apparentibus, et succurrentibus Judæ Machabæo et suis, D etc.)

In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, et victoriam dedit illis.

Capitulum XI. — (Nota in isto capitulo etiam de apparitione, etc.)

Ibant prompti, de cœlo habentes adjutorem et miserantem eos Dominum.

Si bene valetis, sic estis ut volumus; sed et nos ipsi bene valemus.

Capitulum XII. — Fortissimus Judas collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, etc. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, etc.

Capitulum XIV. — Tu, Domine universitatis, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum habitationis tuæ fieri in nobis. Et nunc, Sancte Sanctorum, omnium Domine, conserva domum istam impollutam.

(Nota hic de Razia, qui se virtuose occidit, etc.)

Capitulum XV. — Machabæus autem confidebat semper cum omni spe auxilium sibi a Deo adfuturum. Et hortabatur suos ne formidarent, sed sperarent ab Omnipotente sibi adfuturam victoriam; et allocutus est eos de lege et Prophetis. Judas singulos armavit, non hasta et clypeo, sed sermonibus optimis et exhortationibus.

(Nota hic de apparitione Oniæ et Jeremiæ prophetæ facta Judæ.) Onias sacerdos vir bonus et benignus, verecundus visu, modestus moribus, et eloquio decorus, a puero in virtutibus exercitatus fuit. — Hic est fratrum amator, qui multum orat pro populo, Jeremias propheta Dei. Et dedit Judæ Machabæo gladium aureum dicens : Accipe sanctum gladium, munus a Domino, in quo dejicies adversarios Israel.

Dominator cœlorum, mitte angelum tuum bonum ante nos, in timore et tremore magnitudinis brachii tui.

Judas autem et qui cum eo erant, manu quidem pugnabant, Dominum autem cordibus exorabant.

Judas per omnia corpore et animo mori pro civibus paratus erat.

Sicut vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est; alternis autem uti, delectabile : ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus.

EVANGELIUM MATTHÆI

HABET CAPITULA VIGINTI OCTO. ET AGITUR IN EO PRINCIPALITER DE CHRISTI HUMANITATE.

CAPITULUM I. — Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham, etc. Jacob genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus. (Nota quod Lucas dicit Joseph esse filium Heli. Ergo quære concordiam.)

Dixit angelus ad Joseph : Vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

CAPITULUM II. — Per aliam viam reversi sunt Magi in regionem suam.

CAPITULUM III. — Dixit Joannes Baptista : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.

Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos, etc.

Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. Christus congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inexstinguibili.

Respondens Jesus Joanni, dixit : Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam. (Nota hic de baptismo Christi, et de descensu Spiritus Sancti in eum, ac voce paterna : Hic est Filius meus dilectus, etc.)

CAPITULUM IV. — Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a diabolo, etc.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Non tentabis Dominum Deum tuum.

Ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei (id est Christo).

Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, etc.

A Circuibat Jesus, sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo.

CAPITULUM V. — Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui

B persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœ-

C lis est.

Non veni solvere legem, sed implere. Donec transeat cœlum et terra, unus apex non præteribit de lege. Qui autem fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit consilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.

Vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens, offeres munus tuum.

D Esto consentiens adversario tuo dum es in via cum eo.

Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te, etc.

Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; et qui dimissam duxerit, adulterat.

Ego dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram, neque per caput tuum, etc. Sit autem sermo vester : Est, est; Non, non. Quod his abundantius est, a malo est.

Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram. Qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium, etc.

Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos : ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.

Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioqui mercedem non habebitis apud Patrem. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

Capitulum VI. — Et quum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Tu autem quum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem in abscondito. Orantes autem, nolite multum loqui : scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam eum petatis. Sic ergo orabitis : Pater noster, etc.

Quum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Tu autem quum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo. Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. A Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus lucidum erit.

Nemo potest duobus dominis servire. Non potestis Deo servire et mammonæ.

Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt; et Pater vester cœlestis pascit ea. Scit enim Pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur B vobis.

Nolite solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus est sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.

Capitulum VII. — Nolite judicare, ut non judicemini. Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

Nolite sanctum dare canibus, neque C margaritas vestras ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis.

Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.

Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis. Hæc est enim lex et Prophetæ.

Intrate per angustam portam, quia lata et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. D Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam!

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor fructus malos facit.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Multi dicent mihi in die illo :

Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, etc.?

Omnis qui audit verba hæc et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram. Et omnis qui audit verba hæc et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam supra arenam, etc.

Erat Jesus docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ et Pharisæi.

Capitulum VIII. — Domine, si vis, potes me mundare.

Dixit Jesus leproso curato : Vide nemini dixeris ; sed vade, ostende te sacerdoti, etc.

Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. (Hæc sunt verba centurionis.)

Filii regni ejicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus et stridor dentium.

Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

Dixit Jesus discipulo : Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Domine, salva nos, perimus.

Quid timidi estis, modicæ fidei ?

Imperavit Jesus ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

Dæmones rogabant Jesum, dicentes : Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum. (Ecce quam nihil possunt diaboli, nisi permissi.)

Capitulum IX. — Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.

Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus ? Veniet autem dies quum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.

Luc. VIII, 54. Dixit Jesus : Puella, surge. Et statim surrexit a mortuis.

Miserere nostri, fili David.

Secundum fidem vestram fiat vobis.

Messis quidem multa, operarii vero pauci. Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.

Capitulum X. — Dedit Jesus duodecim

A discipulis potestatem spirituum immundorum, et ut curarent omnem languorem. Et misit eos dicens : Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, nec calceamenta, etc. Intrantes in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui, etc.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris

B vestri qui loquitur in vobis, etc.

Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Nihil opertum, quod non revelabitur ; et occultum, quod non sciatur. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum qui habet potestatem et animam et corpus perdere in gehennam ignis.

C Nonne duo passeres asse veneunt ? et unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro. Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt.

Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim hominem separare a patre, etc. Inimici hominis domestici ejus. *Mich.* VII, 6. (In Michæa propheta.)

Qui amat patrem aut matrem aut filium plus quam me, non est me dignus.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, aut justum in nomine justi, mer-

D cedem Prophetæ et justi accipiet. Qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Capitulum XI. — Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

Inter natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.

Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

Cecinimus vobis, et non saltastis ; la-

mentavimus, et non planxistis. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus, etc. (Nota in textu istam parabolam.)

Respondens Jesus, dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quia sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Capitulum XII. — Dominus est Filius hominis etiam sabbati.

Ecce puer meus, quem elegi, etc. (Nota istum passum in textu, qui habetur in
Is. xlii, 1. Isaia.)

Omne regnum contra se divisum, desolabitur, etc. Qui non est mecum, contra me est.

Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali? Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, etc. Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

(Nota hic de figura Jonæ prophetæ in ventre piscis, etc.)

Quicumque facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

Capitulum XIII. — Alia ceciderunt in terram bonam; et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Qui habet aures audiendi audiat.

Qui habet, dabitur ei, et abundabit; A qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo.

(Nota hic allegationem Isaiæ de excæca- *Is.* vi, 9, 10.
tione Judæorum, etc.)

Vestri beati oculi, quia vident, et aures, quia audiunt.

Hic est qui verbum Dei audit, et cum gaudio suscipit illud; non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur, etc. (Nota in isto capitulo de differentia eorum qui B audiunt verbum Dei.)

Inimicus homo hoc fecit. Sinite utraque crescere usque ad messem, etc.

Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, etc. Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum.

In consummatione sæculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, etc.

C Unde huic sapientia hæc et virtutes? Dixit Jesus : Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua.

Capitulum XIV. — Ascendit Jesus in montem solus orare.

Venit Jesus ad discipulos ambulans super mare, etc.

Modicæ fidei, quare dubitasti?

Quicumque tetigerunt fimbriam vestimenti Jesu, salvi facti sunt, etc.

Capitulum XV. — Quare vos transgredimini mandata Dei propter traditionem D vestram?

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. In vanum autem colunt me, etc.

Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ procedunt de ore, hæc coinquinant hominem.

Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

Adhuc et vos sine intellectu estis? Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur.

Miserere mei, Domine, fili David. — Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus. — Catelli edunt de micis, etc.

Capitulum XVI. — (Nota. Increpat Jesus Judæos quod non adverterunt ex Prophetis, maxime ex Daniele, tempus sui adventus, etc.) Ait Jesus Pharisæis : Faciem cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis.

Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater.

Præcepit Jesus discipulis ne dicerent quod ipse esset Christus.

Vade post me; scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?

Capitulum XVII. — Transfiguratus est Jesus ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol, etc. Domine, bonum est nos hic esse.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.

Elias venturus est, et restituet omnia. (Nota de Eliæ futuro adventu.)

Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis.

Capitulum XVIII. — Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.

Qui autem scandalizaverit unum ex his pusillis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala.

A Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. Non est voluntas ante Patrem ut pereat unus ex istis pusillis.

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum B vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit, dic Ecclesiæ ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

Si duo ex vobis consenserint de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui est in cœlis. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Patientiam habe in me, etc. Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te mi- C sereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

Capitulum XIX. — Quos Deus conjunxit, homo non separet.

Sunt eunuchi qui castraverunt se ipsos propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.

Dixit Jesus : Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cœlorum.

Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

D Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me.

Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.

Apud Deum omnia possibilia sunt.

Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Omnis

qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, etc., centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi.

Capitulum XX. — Quid hic statis tota die otiosi? Ite et vos in vineam meam, etc.

Amice, non facio tibi injuriam. Tolle quod tuum est, et vade. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?

Multi sunt vocati, pauci vero electi.

Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.

Capitulum XXI. — Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, etc.
Zach. IX, 9. (In Zacharia.)

Domus mea, domus orationis vocabitur.

Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

(Nota in isto capitulo de parabola vineæ : in qua videntur Evangelistæ discordes, sed in sententia non discordant.)

Capitulum XXII. — Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

Ligatis manibus ejus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus et stridor dentium.

Scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo.

Quid me tentatis, hypocritæ? Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.

Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione, non nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei.

Non est Deus mortuorum, sed viventium.

Diliges Dominum Deum tuum, etc. Hoc est primum et maximum, etc. (Quære postea plenius.)

Capitulum XXIII. — Omnia quæcumque A dicunt facite; secundum opera autem illorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt. Alligant autem onera gravia super humeros hominum; digito autem suo nolunt tangere.

Vos vero nolite vocari Rabbi : unus est enim magister vester; omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester in cœlis. Neque vocemini magistri, etc. Qui se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur.

B Vos non intratis in regnum cœlorum, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis, duces cæci. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

Væ vobis qui mundatis quod deforis est, intus autem pleni estis immunditia. Cæce, munda prius quod intus est, etc.

Væ vobis, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Sic et vos quidem a foris paretis hominibus justi, C intus vero pleni estis hypocrisi et iniquitate.

Vos implete mensuram patrum vestrorum. Genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?

Capitulum XXIV. — Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus, etc. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, etc. Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, etc.

(Nota hic de Antichristo, et finali judi- D cio, consummationeque mundi.)

Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi. Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia : ita ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi.

Sicut fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem, sic erit adventus Filii hominis.

Statim post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit splendorem suum, etc. ; et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, etc.

De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi Pater solus.

Ideo et vos estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis venturus sit.

Capitulum XXV. — Prudentes virgines acceperunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus. Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua, etc. Amen dico vobis, nescio vos.

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.

Dicet rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, etc. Tunc dicet his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, etc.

Capitulum XXVI. — Dixit Jesus discipulis suis : Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

Cœnantibus illis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et manducate ; hoc est corpus meum, etc.

Tristis est anima mea usque ad mortem.

Vigilate et orate, ut non intretis in ten-
A tationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Discipuli omnes relicto eo fugerunt.

Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.

Capitulum XXVII. — Jesus autem stetit ante præsidem ; et quum accusaretur, nihil respondit.

Plectentes coronam de spinis, posuerunt
B super caput ejus ; et genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes : Ave, rex Judæorum. Et exspuerunt in faciem ejus, et percutiebant caput ejus arundine, etc. (Compatere mitissimo atque dulcissimo Agno, o lector.)

Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.

A sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.

Jesus clamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est, etc.

C Erit novissimus error pejor priore.

Capitulum XXVIII. — Erat adspectus angeli sicut fulgur, vestimenta autem ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, etc.

Ecce Jesus occurrebat mulieribus, dicens : Avete. Tunc accesserunt et tenuerunt pedes ejus, etc.

Locutus est Jesus discipulis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii,
D et Spiritus Sancti. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

EVANGELIUM MARCI

CONTINET CAPITULA SEDECIM. ET AGITUR IN EO PRINCIPALITER DE CHRISTI FORTITUDINE ET RESURRECTIONE.

CAPITULUM I. — Prædicabat Joannes dicens : Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.

Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

Erat Jesus cum bestiis, et angeli ministrabant ei.

Scio quia sis Sanctus Dei.

Non sinebat Jesus dæmonia loqui quoniam sciebant eum.

Egressus est Jesus in desertum locum, et ibi orabat.

CAPITULUM II. — Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

Cognito Jesus spiritu suo quia sic cogitarent, ait, etc.

Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Itaque Dominus est Filius hominis etiam sabbati.

CAPITULUM III. — Observabant Judæi Jesum si sabbatis curaret, ut accusarent eum, etc. Circumspiciens eos cum ira, contristatus est Jesus super cæcitate cordis eorum, etc.

Spiritus immundi, quum Jesum videbant, procidebant ei, dicentes : Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent eum.

Dicebant (quidam de Jesu) : Quoniam in furorem versus est.

Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.

CAPITULUM IV. — Vobis datum est scire mysterium regni Dei; illis vero qui foris sunt, fiunt omnia in parabolis : ut videntes non videant, et audientes non intelligant.

Ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum,

A et circa reliqua concupiscentiæ, introeuntes in cor suffocant verbum Dei, et sine fructu efficitur, etc.

Erat Jesus in puppi super cervical dormiens. Et surgens, comminatus est vento, et dixit mari : Tace et obmutesce. Et facta est tranquillitas magna.

Quis, putas, est hic, quia ventus et mare obediunt ei?

CAPITULUM V. — Jesu, Fili Dei summi.

Dixit diabolus ad Jesum : Legio mihi nomen est, quia multi sumus.

B Vade, et nuntia quanta tibi fecerit Deus, et misertus sit tui.

CAPITULUM VI. — Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua.

Mirabatur Jesus propter incredulitatem eorum.

Audito Herodes nomine Jesu ait : Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit; et ideo virtutes operantur in eo. Herodes metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum, etc.

C Dixit Jesus discipulis : Venite seorsum in desertum locum, requiescite pusillum.

CAPITULUM VII. — Sic et vos imprudentes estis.

Catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.

Suspiciens Jesus in cœlum, ingemuit, et ait : Adaperire.

Bene omnia fecit : et surdos fecit audire, et mutos loqui.

CAPITULUM VIII. — Adhuc cæcatum habetis cor vestrum?

D Interrogabat Jesus discipulos suos, dicens : Quem me esse dicunt homines?

CAPITULUM IX. — Transfiguratus est Jesus coram discipulis, etc. Et venit vox de

nube, dicens : Hic est Filius meus carissimus ; audite illum. A

Elias quum venerit primo, restituet omnia.

Si quid potes, adjuva nos. — Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. — Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.

Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.

Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus et minister.

Qui non est adversum nos, pro nobis est. B

Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

Capitulum X. — Erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

Complexans Jesus parvulos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.

Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, nisi unus Deus, dixit Jesus.

Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt !

Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis. C

Animæquior esto. Vade, fides tua te salvum fecit.

Capitulum XI. — Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tollere, et mittere in mare, etc. Propterea dico vobis : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.

Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversum aliquem. Si non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. D

In qua potestate hæc facis? et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias?

Capitulum XII. — Coloni dixerunt : Hic est heres ; venite, occidamus eum, et nostra erit hereditas.

Respondit Jesus : Primum omnium mandatum est : Audi, Israel : Dominus Deus tuus unus est ; et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. — Diligere Deum ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine, et diligere proximum tanquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis. — Non es longe a regno Dei.

Hæc vidua plus omnibus misit.

Capitulum XIII. — Qui autem sustinuerit usque in finem, hic salvus erit.

De die illa et hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.

Videte, vigilate, et orate. Vigilate : nescitis enim quando Dominus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane ; ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes.

Capitulum XIV. — (Incipit Passio.) Cœpit Jesus pavere, et tædere, etc. (Quære sensum istius.)

Non quod ego volo, Pater, sed quod tu.

Tu es Christus, Filius Dei benedicti ?

Capitulum XV. — Erat autem hora quasi tertia, et crucifixerunt eum.

Hora nona, exclamavit Jesus voce magna : Eloi, Eloi, lamma sabacthani ? etc.

Capitulum XVI. — Exeuntes mulieres, fugerunt de monumento, et nemini quidquam dixerunt. (Quære sensum istius, quia videtur contrarium aliis Evangelistis.)

Surgens Jesus mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, etc.

Exprobravit Jesus incredulitatem illorum et duritiam cordis, etc.

Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, etc.

Dominus Jesus assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.

EVANGELIUM LUCÆ

CONTINET CAPITULA VIGINTI QUATUOR. ET AGITUR IN EO PRINCIPALITER DE INCARNATIONE, PASSIONE ET MORTE CHRISTI.

CAPITULUM I. — Ipse (scilicet Joannes) præcedet ante illum (scilicet Christum) in spiritu et virtute Eliæ, etc., parare Domino plebem perfectam.

Sic fecit mihi Dominus, in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

In mense autem sexto (scilicet a conceptione Joannis), missus est Gabriel angelus a Deo, etc. Ave, gratia plena, Dominus tecum, etc. Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, etc.

Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, etc.

Beata quæ credidisti, etc.

Magnificat anima mea Dominum, etc. (Nota profunde canticum Mariæ.) Dispersit superbos mente cordis sui.

Quis, putas, puer iste erit?

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, etc.

CAPITULUM II. — (Nota in isto capitulo multa pulcherrima, et de sancta Anna prophetissa vidua.)

Peperit Maria filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.

Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Transeamus usque Bethlehem.

Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace : quia, etc.

Puer Jesus crescebat, plenus sapientia.

Fili, quid fecisti nobis sic? etc.

Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?

A Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. (Quære intellectum.)

CAPITULUM III. — (Verba Isaiæ allegat.) *Is.* XL, 3.
Parate viam Domini, etc.

Dixit Joannes Baptista : Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat. Nihil amplius quam constitutum est vobis, faciatis.

(Verba Joannis ad milites.) Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.

B Factum est autem, Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum; et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; et vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi, etc.

(Nota hic de genealogia Salvatoris.)

CAPITULUM IV. — Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo usque ad tempus.

Spiritus Domini super me, etc. (Nota in textu verba Isaiæ de Christo.)

C Quum plicuisset Jesus librum, reddidit ministro. — Medice, cura te ipsum.

Duxerunt Jesum ad supercilium montis, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

CAPITULUM V. — Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.

Non veni vocare justos, sed peccatores, ad pœnitentiam (dixit Jesus).

CAPITULUM VI. — Vellebant discipuli Jesu spicas per sata, et manducabant, confricantes manibus.

D Exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

Quærebant Jesum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

Elevatis Jesus oculis in discipulos suos A dicebat : Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum cœlorum, etc. (Supra in Matthæo.)

Matth. v. 3 et seq.

Verumtamen, væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. Væ quum benedixerint vobis omnes homines.

Diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus vobis. Omni autem petenti te tribue ; et qui aufert quæ tua sunt, ne B repetas. Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia ?

Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.

Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini ; nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittimini ; date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, etc. C

Unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, etc.

Capitulum VII. — Domine, non sum dignus ut sub tectum meum intres : propter quod memetipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te ; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

Ait Jesus : Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui, etc.

Ecce qui in veste pretiosa sunt et in D deliciis, in domibus regum sunt.

Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsis.

Similes sunt homines isti pueris sedentibus in foro, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis ; lamentavimus vobis, et non planxistis.

Justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

Stans mulier retro secus pedes ejus, lacrimis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.

Quis magis diligit ? — Æstimo quia is cui plus donavit. — Recte judicasti. Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti. Osculum mihi non dedisti, etc. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

Capitulum VIII. — Quod autem in terram bonam cecidit, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

Nemo accendit lucernam, et operit eam vase, sed ponit eam super candelabrum, etc.

Videte ergo quomodo auditis. Qui enim habet, dabitur illi, etc.

Mater mea et fratres mei hi sunt, qui audiunt verbum Dei et faciunt, dixit Jesus.

Quid mihi et tibi est, Jesu, Fili Dei altissimi ? Obsecro te, ne me torqueas.

Rogabant Jesum dæmonia ne imperarent eis ut in abyssum irent, sed in porcos, etc.

Narra quanta tibi fecit Deus.

Jesus clamavit : Puella, surge. Et reversus est spiritus ejus, et surrexit continuo.

Capitulum IX. — (Nota in isto capitulo de Christi transfiguratione.)

Si quis vult venire post me, etc.

Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.

Tu autem vade, et annuntia regnum Dei.

Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.

Capitulum X. — Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

In eadem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua.

Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit, ait Jesus.

Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.

Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super om-

nem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Exsultavit Jesus Spiritu Sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, etc. (Supra in Matthæo.)

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua. Hoc fac et vives.

Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Capitulum XI. — Qui non colligit mecum dispergit.

Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ. Ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis.

Capitulum XII. — Quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur. Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, etc. (Supra in Matthæo.) *Matth.* x, 28.

Nonne quinque passeres veneunt dipondio? et unus ex illis non est in oblivione coram Deo. (Nota de providentia Dei.) Vestri autem et capilli capitis numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis.

Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est omnis qui thesaurizat, et non est in Deo dives.

Nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlo, etc.

Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, etc. Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Servus qui cognovit voluntatem domini A sui et non fecit, plagis vapulabit multis; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Cui multum datum est, multum quæretur ab eo; et cui multum commendatum est, plus quæretur ab eo.

Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?

Capitulum XIII. — Dico vobis : nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Omnis populus gaudebat in universis B quæ gloriose fiebant a Jesu.

Contendite intrare per angustam portam.

Ite, dicite vulpi, etc., (dixit Jesus de Herode).

Benedictus qui venit in nomine Domini.

Capitulum XIV. — Quum invitatus fueris, recumbe in novissimo loco, etc. Omnis qui se exaltat, humiliabitur.

Quum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos; et beatus eris, quia non habent retribuere tibi.

C Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

Compelle intrare, ut impleatur domus mea.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis ex vobis volens turrim, etc.? Hic homo cœpit ædificare, et non D potuit consummare. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Bonum est sal, etc. (Quære in textu.)

Capitulum XV. — Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. Dico vobis, gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia. Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore, etc.

Quanti mercenarii in domo patris mei

abundant panibus ! Ego autem hic fame A pereo. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus ; fac me sicut unum ex mercenariis tuis.

Epulari et gaudere oportebat, quia hic frater tuus mortuus fuerat, et revixit ; perierat, et inventus est.

Capitulum XVI. — Redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare.

Fodere non valeo, mendicare erubesco. B

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, etc. Qui fidelis est in minimo, in majori fidelis est ; et qui in modico iniquus est, in majori iniquus est.

Nemo servus potest duobus dominis servire.

Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra : quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. C

Mortuus est dives, et sepultus est in inferno, etc.

Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala ; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Capitulum XVII. — Si septies in die peccaverit frater tuus in te, et septies in die conversus fuerit ad te dicens, Pœnitet me, dimitte illi. D

Adauge nobis fidem.

(Nota in textu similitudinem de servo.) Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.

Jesu præceptor, miserere nostri. — Ite, ostendite vos sacerdotibus.

Regnum Dei intra vos est.

Sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt fulget, ita erit Filius hominis in die sua.

(Nota in textu de tempore ante judicium.)

Memores estote uxoris Lot.

In illa nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur.

Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.

Capitulum XVIII. — Oportet semper orare, et non deficere. (Nota in textu parabolam.)

Deus, propitius esto mihi peccatori, etc. (Item nota de publicano pœnitente, etc.)

Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, nisi solus Deus.

Increpabant turbæ cæcum ; ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. — Quid vis ut faciam tibi ?

Capitulum XIX. — Dixit Jesus : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans excepit illum gaudens.

Dixit Zachæus : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus ; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

Hodie huic domui salus facta est. Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.

Negotiamini dum venio.

Nolumus hunc regnare super nos.

Timui te, quia homo austerus es, etc. — De ore tuo te judico, serve nequam.

Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, et gloria in excelsis.

Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, etc.

Capitulum XX. — Dixit dominus vineæ : Quid faciam ? Mittam filium meum dilectum : forsitan, quum hunc viderint, verebuntur. (Nota quod in ista parabola videtur Lucas aliter ponere quam Matthæus.)

Illi qui digni habebuntur sæculo illo, æquales sunt angelis Dei, et filii Dei sunt ; neque ultra mori poterunt. Deus non est mortuorum, sed vivorum : omnes enim vivunt ei.

Capitulum XXI. — Vere dico vobis, quia

vidua hæc pauper plus quam omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt, etc.

(Nota in isto capitulo de præcedentibus judicium.)

Capillus de capite vestro non peribit.

In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum, dixit Jesus.

Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Attendite vobis, ne graventur corda vestra crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ.

Tanquam laqueus superveniet dies illa (scilicet judicii) in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.

Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

Capitulum XXII. — (Incipit Passio.)

Intravit Satanas in Judam qui cognominabatur Iscariotes, etc.

Dixit Jesus : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse major, etc.

Qui major est in vobis, fiat sicut minor ; et qui præcessor est, sicut ministrator. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.

Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus, etc.

Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.

Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Apparuit Christo angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Quid dormitis ? Surgite, et orate, ut non intretis in tentationem.

A Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.

Conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini Jesu, et flevit amare.

Viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes eum. Et velaverunt eum, et percusserunt faciem ejus, etc.

Si vobis dixero, non credetis mihi ; si autem interrogavero, non respondebitis mihi, nec dimittetis.

Capitulum XXIII. — Sprevit autem illum
B Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum.

Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros, etc.

Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ? Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos ; et collibus, Operite nos.

Hic est Christus Dei electus.

Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es ? etc. Digna factis rece-
C pimus.

Capitulum XXIV. — Quid quæritis viventem cum mortuis ?

Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes ?

O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?

Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis,
D dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas ?

Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.

Stetit Jesus in medio discipulorum, et dixit : Pax vobis, etc. Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.

Dixit Jesus : Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis, et Prophetis, et Psalmis de me. Oportebat Christum pati, et resurgere die tertia, et præ-

dicari in nomine ejus pœnitentiam et A remissionem peccatorum in omnes gentes. Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto; et ego mittam promissum Patris mei in vos.

Elevatis manibus, benedixit eis Jesus; et ferebatur in cœlum.

Erant (scilicet discipuli Christi et Apostoli) semper in templo, laudantes et benedicentes Deum.

EVANGELIUM JOANNIS

HABET CAPITULA VIGINTI UNUM. ET APERIUNTUR IN EO CHRISTI DIVINITAS ET SACRAMENTA.

Capitulum I. — In principio erat Ver- B bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. Quod factum est, in ipso vita erat (quia in Filio Dei sunt omnia vita et lux).

Erat lux vera, quæ illuminat, etc.

Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, etc.

Verbum caro factum est, etc.

De plenitudine ejus (scilicet Christi) accepimus omnes gratiam pro gratia.

Lex per Moysen data est, gratia et veri- C tas per Jesum Christum facta est.

Deum nemo vidit unquam. Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus : Jesum, filium Joseph, a Nazareth.

(Verba Christi ad Nathanael.) Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.

Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel.

Capitulum II. — (Christus convertit D aquam in vinum.)

Vocatus est Jesus et discipuli ejus ad nuptias.

Nondum venit hora mea.

Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.

Quod signum ostendis nobis quia hæc facis ?

Multi crediderunt in Jesum. Ipse autem non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

Capitulum III. — Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Spiritus ubi vult spirat; et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est omnis qui natus est ex spiritu.

Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?

Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, etc. Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, etc.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non misit Deus Filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, etc. Omnis qui male agit, odit lucem; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

Non potest homo accipere quidquam, nisi ei datum fuerit de cœlo.

Qui habet sponsam, sponsus est. (Hæc sunt verba Joannis Baptistæ de Christo.) Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, etc. Illum oportet crescere, me autem minui.

Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur ; qui de cœlo venit, super omnes est, et quod vidit testatur. Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non ad mensuram dat Deus Spiritum.

Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.

Qui credit in Filium, habet vitam æternam ; qui autem incredulus est Filio, ira Dei manet super eum.

Capitulum IV. — Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus.

Jesus fatigatus ex itinere, etc.

Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum ; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (dixit Jesus mulieri Samaritanæ). Salus ex Judæis est. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et tales Pater quærit. Spiritus est Deus ; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.

Mirabantur discipuli quia cum muliere loquebatur Jesus. (Nota. Videtur ergo Jesus non habuisse consuetudinem loquendi cum eis.)

Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui misit me, ut perficiam opus ejus.

Ipse Jesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet.

Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

(Nota. Hic sanavit filium reguli agonizantem solo verbo, etiam absens.)

Capitulum V. — Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.

Dixit Jesus : Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

A Quærebant Judæi Jesum interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed patrem suum dicebat Deum, æqualem se Deo faciens.

Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.

Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Pater
B omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.

Mortui audient vocem Filii Dei.

Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso ; et potestatem dedit ei et judicium facere, quia Filius hominis est.

Veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, etc.

Dixit Jesus : Non possum ego a me ipso
C facere quidquam. Judicium meum justum est, quia non quæro voluntatem meam, etc.

Joannes erat lucerna ardens et lucens.

Opera quæ dedit mihi Pater, quæ facio, testimonium perhibent de me. Claritatem ab hominibus non accipio.

Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me ; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. (Hoc dixit Jesus de Antichristo.)

Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam
D quæ a solo Deo est, non quæritis ?

Capitulum VI. — Hoc dicebat Jesus, tentans eum (scilicet Philippum), etc.

Quum cognovisset Jesus quia venturi erant ut facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Voluerunt discipuli Jesum accipere in navim, et statim navis fuit ad terram ad quam ibant.

Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Hunc enim Pater signavit Deus.

(Nota in isto capitulo multa de corpore Christi.)

Non Moyses dedit vobis panem, sed Pater meus dat vobis panem verum. Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet unquam.

Domine, semper da nobis panem hunc.

Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet ; et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. Patrem non vidit quisquam, nisi is qui est a Patre (scilicet Christus).

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Durus est hic sermo ; quis potest eum audire ? etc.

Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam.

Dicebat Jesus : Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

Respondit Petrus Christo : Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei.

Capitulum VII. — Dixit Jesus : Non potest mundus odisse vos ; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quia opera ejus mala sunt.

Quidam in turba dicebant de Jesu, Quia bonus est ; alii autem, Non, sed seducit turbas, etc.

Si quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoscet de doctrina an ex Deo sit. Qui A a semetipso loquitur gloriam propriam quærit ; qui autem quærit gloriam Dei, hic verax est, et injustitia in illo non est.

Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.

Christus quum venerit, nemo scit unde sit.

Clamabat Jesus : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu Sancto, quem accepturi erant credentes. B Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus, etc.

Nonne Scriptura dicit, Quia ex semine David, et de Bethlehem castello ubi erat David, venit Christus ?

Dixerunt ministri Judæorum de Jesu : Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur.

Numquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, et cognoverit quid faciat ?

Capitulum VIII. — Qui sine peccato est C vestrum, primus in illam lapidem mittat.

Vade, et amplius noli peccare, etc.

Locutus est Jesus : Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Tu de te ipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum.

Vos secundum carnem judicatis, ego non judico quemquam.

Dixit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum. In peccato vestro moriemini.

Dixit Jesus : Vos deorsum estis, ego de D sursum sum. Vos de mundo estis, ego non sum de mundo, etc.

Dixit Jesus : Ego sum principium, qui et loquor vobis.

Quum exaltaveritis Filium hominis, etc. Non reliquit me Pater solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

Veritas liberabit vos.

Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum ; filius autem manet in æternum.

Sermo meus non capit in vobis.

Unum patrem habemus Deum.

Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere.

Diabolus homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas non est in eo. Quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus.

Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui est ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Ego non quæro gloriam meam : est qui quærat et judicet.

Dixerunt Judæi ad Jesum : Nunc cognovimus quia dæmonium habes.

Si glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Abraham exsultavit ut videret diem meum ; et vidit, et gavisus est.

Antequam Abraham fieret ego sum.

Jesus autem abscondit se (id est, invisibilem reddidit se), et exivit de templo.

Capitulum IX. — Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari.

(Nota hic de cæco nato illuminato.) Dicebant Pharisæi : Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. — Ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur, etc. — Da gloriam Deo. — Scimus quia peccatores Deus non audit ; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. A sæculo non est auditum quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi esset hic homo a Deo, non posset facere quidquam.

Capitulum X. — Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est et latro, etc.

Ego sum ostium (ait Jesus). Per me si quis introierit, salvabitur ; et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.

(Nota in isto capitulo de bono pastore, et mercenario.)

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor,
A videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, etc.

Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.

Fiet unum ovile et unus pastor.

Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam. Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.

Dicebant multi ex Judæis de Jesu : Dæ-
B monium habet, et insanit : quid eum auditis ?

Quousque animam nostram tollis ?

Opera quæ facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, etc. Ego et Pater unum sumus. Si non facio opera Dei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite.

Quærebant Jesum apprehendere ; et exivit de manibus eorum. (Nota valde mi-
C rabile, quia imperceptibiliter exivit.)

Joannes signum nullum fecit (scilicet Baptista).

Capitulum XI. — Domine, ecce quem amas infirmatur. — Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, etc.

Diligebat Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum, etc.

Nonne duodecim sunt horæ diei ? Si quis ambulaverit in die, non offendit, etc., si autem in nocte, offendit.

Scio quia quæcumque poposceris a Deo,
D dabit tibi Deus.

Dixit Jesus : Ego sum resurrectio et vita, etc.

Utique, Domine : ego credidi quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti.

Jesus ut vidit Mariam (scilicet Magdalene) plorantem, et Judæos, infremuit spiritu et turbavit se ipsum. Et lacrimatus est Jesus.

Si credideris, videbis gloriam Dei.

Jesus, elevatis sursum oculis, dixit :

Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quoniam semper me audis.

Jesus clamavit voce magna : Lazare, veni foras. Et statim prodiit, etc.

Jesus moriturus erat pro gente : et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum.

Capitulum XII. — Lazarus unus erat ex discumbentibus. (Nota hic de unctione pedum Jesu a Maria, etc.)

Venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, etc.

Videtis quia nihil proficimus ?

Nisi granum frumenti cadens in terram, etc. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam ? Pater, salvifica me ex hac hora.

Nunc judicium est mundi, etc.

Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant. Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.

(Nota in isto passu allegationem Isaiæ prophetæ, et verba Evangelistæ in textu quære.)

Ex principibus multi crediderunt, etc. Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei.

Dixit Jesus : Qui me spernit, sermo quem locutus sum judicabit eum in novissimo die.

Capitulum XIII. — Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos.

Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Si non lavero te, non habebis partem mecum. Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.

Vos vocatis me, Magister, et Domine ; et bene dicitis. Si ergo ego lavi pedes ve-
A stros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Non est servus major domino suo.

Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

Ego scio quos elegerim.

Erat recumbens unus ex discipulis in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.

Post buccellam introivit in Judam Satanas.

Quod facis, fac citius.

B Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

Capitulum XIV. — Non turbetur cor vestrum.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Vado parare vobis locum, ut ubi sum ego et vos sitis.

Dixit Jesus : Ego sum via, veritas, et
C vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis.

Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.

Qui videt me, videt et Patrem.

Verba quæ ego loquor, a me ipso non loquor.

Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.

Quodcumque petieritis Patrem in no-
D mine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.

Si diligitis me, mandata mea servate, etc.

Non relinquam vos orphanos ; veniam ad vos, etc.

Ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

Qui diligit me, diligetur a Patre meo ; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et Pater meus diliget eum, et

ad eum veniemus, et mansionem apud A eum faciemus.

Paracletus autem Spiritus Sanctus, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, etc.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

Pater major me est.

Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Capitulum XV. — Ego sum vitis vera, et B Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum ; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat, etc.

Sine me nihil potestis facere.

Si manseritis in me, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut C animam suam ponat quis pro amicis suis.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

Jam non dicam vos servos, etc. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, etc.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat dili- D geret ; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Si me persecuti sunt, et vos persequentur, quia non est servus major domino suo.

Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent (ait Jesus) ; nunc autem viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.

Capitulum XVI. — Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo, etc.

Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, etc.

Adhuc multa habeo vobis dicere ; sed non potestis portare modo. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, etc.

Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : Quia de meo accipiet (scilicet Spiritus Sanctus), etc.

Amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit ; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Et vos nunc quidem tristitiam habetis ; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.

Exivi a Patre, et veni in mundum, etc.

Non sum solus, quia Pater mecum est, etc.

In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.

Capitulum XVII. — Sublevatis Jesus oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, etc. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui prius quam mundus fieret, etc.

Non pro mundo rogo, sed pro eis quos mihi dedisti, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.

Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos, etc. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. Sanctifica eos, Pater, in veritate. Sermo tuus veritas est.

Non pro his rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in

me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, A in me, et ego in te, et ego in eis, ut sint consummati in unum.

Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

Pater juste, mundus te non cognovit. Ego autem te cognovi ; et notum feci eis nomen tuum, ut dilectio tua in eis sit, et ego in ipsis.

Capitulum XVIII. — (Hic Passio incipit.)

Ut dixit Jesus, Ego sum, abierunt re- B trorsum, et ceciderunt in terram.

Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum ? etc.

Unus ministrorum dedit alapam Jesu, etc. Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, quid me cædis ?

Quam accusationem affertis adversus hominem hunc ? etc.

Dixit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo.

Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc C natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

Quid est veritas ?

Capitulum XIX. — Tunc apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit.

Exiit Jesus, portans spineam coronam et purpureum vestimentum, etc.

Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.

Bajulans sibi crucem, exivit.

Crucifixerunt eum, et alios duos hinc D et hinc, medium autem Jesum.

Jesus Nazarenus, rex Judæorum.

Quod scripsi, scripsi.

Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus, etc.

Non fregerunt crura Jesu, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua, etc. Qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus, etc. — Os non comminuetis ex eo. — Videbunt in quem transfixerunt.

Venit Nicodemus ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum.

Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus.

Capitulum XX. — Nondum sciebat discipulus ille (scilicet Joannes) Scripturam, quia oportebat Christum a mortuis resurgere, etc.

Vidit Maria duos angelos in albis, sedentes ubi positum fuerat corpus Jesu, etc.

Conversa Maria, vidit Jesum stantem, existimans quia hortulanus esset, etc.

Noli me tangere : nondum enim ascendi ad Patrem.

Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, etc.

Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio discipulorum. Gavisi sunt discipuli, viso Domino.

Insufflavit Jesus et dixit : Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt. (Hic dat Jesus Spiritum Sanctum in terra.)

Noli esse incredulus, sed fidelis. Quia vidisti me, credidisti. Beati qui non viderunt, et crediderunt.

Capitulum XXI. — Domine, tu omnia nosti ; tu scis quia amo te.

Quid ad te ? Tu me sequere.

Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros (non spatio locorum, sed capacitate legentium).

EPISTOLA AD ROMANOS

HABET CAPITULA SEDECIM, ET REVOCAT APOSTOLUS IN EA ROMANOS AB ERRORIBUS GENTIUM ET CÆRIMONIIS LEGIS AD VERAM CATHOLICAM FIDEM.

Capitulum I. — Evangelium ante promisit Deus per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.

Jesus Christus prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, etc.

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.

Non erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco.

Justus ex fide vivit.

Invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur ; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles : quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Qui mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, etc. Servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est Deus benedictus in sæcula.

Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, etc. (In isto capitulo loquitur Apostolus de innaturali peccato. Si vis, quære.)

Tradidit illos Deus in reprobum sensum, etc. Quum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui mala agunt digni sunt morte ; non solum qui A faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Capitulum II. — Inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas. In quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas : eadem enim agis.

Existimas autem, o homo qui judicas eos et talia agis, quia tu effugies judicium Dei ? An divitias bonitatis Dei et patientiæ et longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum duritiam tuam et imB pœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei.

Gloria, honor et pax omni operanti bonum : Judæo primum, et Græco. Non est personarum acceptio apud Deum.

Quum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum, etc.

Qui alium doces, te ipsum non doces ; qui gloriaris in lege, per prævaricationem C legis Deum inhonoras.

Capitulum III. — Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, etc.

Aiunt quidam, Faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio justa est.

Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram Deo.

Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum.

Omnes peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius.

D An Judæorum Deus tantum ? nonne et gentium ? Imo et gentium.

Capitulum IV. — Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Et si-

gnum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, etc.

A

Lex iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio, etc.

Deus vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.

Abraham contra spem in spem credidit; et non est infirmatus in fide, plenissime sciens quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere.

Non est autem scriptum tantum propter ipsum, sed et propter nos.

B

Jesus Christus traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

Capitulum V.— Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Jesum Christum.

Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem.

Spes non confundit, quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

C

Commendat autem caritatem suam in nobis Deus, quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Si quum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis nunc reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.

Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt. (Quære intellectum.)

D

Non sicut delictum ita et donum, etc.

Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam justi constituentur multi. Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.

Capitulum VI. — Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato ut gratia abundet? Absit, etc.

Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. (Nota hic in textu quomodo per Baptismum in Christo renascimur, et ei assimilamur.)

Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo.

Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati, ad iniquitatem; ita et nunc exhibete membra vestra servire justitiæ, in sanctificationem.

Quem fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.

Stipendia peccati, mors; gratia autem Dei, vita æterna.

Capitulum VII. — An ignoratis, fratres? scientibus enim legem loquor.

Peccatum non cognovi, nisi per legem, etc. Peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum : nam velle adjacet mihi; perficere autem, non invenio. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem alteram legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis.

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

Igitur ego ipse mente servio legi Dei : carne autem, legi peccati.

Capitulum VIII. — Nihil ergo damnatio-

nis est his qui sunt in Jesu Christo, qui non secundum carnem ambulant, etc.

Deus de peccato damnavit peccatum, etc.

Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt. Prudentia carnis, mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

Vos autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Si autem filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur.

Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Nam exspectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei exspectat, etc.

Spe salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.

Similiter Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam

A quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, etc. (Quære in textu : non possum omnia scribere.)

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? etc.

Quis nos separabit a caritate Christi?

B Tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? etc. In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.

Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, etc., neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

CAPITULUM IX. — Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu San-

C cto. (Nota ineffabilem caritatem Apostoli.) Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, etc., ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.

In Isaac vocabitur tibi semen, etc.

Quum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali (scilicet Esau et Jacob), ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, Major serviet minori, sicut scriptum est (scilicet in Ma-

D lachia propheta) : Jacob dilexi, Esau vero odio habui. *Malach.* I, 2.

Quid igitur dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum? etc. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quoniam in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam. (In Exodo habetur.) *Exod.* IX, 16. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat.

Dicis itaque : Voluntati autem ejus quis resistit? O homo, tu quis es qui respon-

deas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? etc.

(Nota verbum Osee de vocatione gen-
Osee II, 24. tium.) Vocabo non plebem meam, plebem
I Petr. II, 10. meam, etc.

Verbum breviatum faciet Dominus super terram.

CAPITULUM X. — Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.

Finis legis est Christus.

Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

(Nota in isto capitulo plures allegationes Apostoli ex Prophetis.)

Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, etc.! Fides est ex auditu, etc.

Is. LXV, 1, 2. Isaias dicit : Inventus sum a non quærentibus me, etc. Ad Israel autem : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, etc. (Nota testimonium Isaiæ de illuminatione gentium, et excæcatione Judæorum.)

CAPITULUM XI. — Numquid repulit Deus populum suum? Absit.

Reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei salvæ factæ sunt.

Si autem gratia, jam non ex operibus : alioqui gratia non est gratia.

(Nota testimonia de obstinatione Judæorum.) Dedit illis spiritum compunctionis, oculos ut non videant, etc. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, etc.

Ministerium meum honorificabo, etc.

Si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami.

Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.

(Nota. Apostolus loquitur de Judæis et A gentibus sub parabola oleastri et olivæ. Vide in textu.)

Vide bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem, bonitatem Dei, si permanseris in bonitate : alioqui et tu excideris.

Non sitis vobis ipsis sapientes.

Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt B judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum.

CAPITULUM XII. — Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini in novitate sensus vestri, ut C probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.

Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Qui præest, in sollicitudine. Dilectio sine simulatione; caritatem fraternitatis invicem diligentes; honore invicem prævenientes; spiritu ferventes; spe gaudentes; in tribulatione patientes. Benedicite persequentibus vos, etc.

Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Id ipsum invicem sentientes; non alta sapientes, sed humilibus consen- D tientes.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes; providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ. Mihi vindictam et ego retribuam, dicit Dominus.

Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

A Capitulum XIII. — Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est potestas nisi a Deo. Quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt.

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, sibi ipsis damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere? Fac bonum, et habebis laudem. Si autem male feceris, time.

(Nota in textu quomodo etiam sæculari potestati obediendum est.)

Reddite omnibus debitum : cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit, etc.

Plenitudo legis, est dilectio.

Hora est jam nos de somno surgere, etc. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus.

Carnis curam ne feceritis in desideriis ; sed induimini Dominum Jesum Christum.

Capitulum XIV. — Infirmum in fide assumite.

Qui infirmus est, olus manducet.

Is qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet, etc.

Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit.

Nemo nostrum sibi vivit. Sive enim vivimus sive morimur, Domini sumus.

Tu quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

Non ergo amplius invicem judicemus ; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Noli illum perdere pro quo Christus mortuus est.

Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto.

Itaque, quæ pacis sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt in invicem custodiamus.

Omnia quidem munda sunt, etc.

Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, etc.

Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Capitulum XV. — Debemus autem nos B firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem : etenim Christus non sibi placuit, etc.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus.

Deus patientiæ et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore ho- C norificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit nos.

Deus spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti.

Audacius scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens.

Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me orationi- D bus vestris.

Capitulum XVI. — Salutate invicem in osculo sancto.

Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.

Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.

Soli sapienti Deo per Jesum Christum honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS

HABET CAPITULA SEDECIM, IN QUA QUOSDAM A FALSIS APOSTOLIS ET PROPHETIS PER ELOQUENTIAM, QUOSDAM VERO PER OBSERVANTIAM LEGIS JUDAICÆ SEDUCTOS, REVOCAT AD VERAM FIDEM ET EVANGELICAM SAPIENTIAM.

A Capitulum I. — Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu, etc.

Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.

Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est.

Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo, etc. Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ?

Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Jesum Christum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem contumeliam; ipsis autem vocatis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.

Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos.

Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, etc.

Vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.

Capitulum II. — Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et prædicatio mea non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in sapientia spiritus et virtutis, etc.

Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus mundi, etc.; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.

Oculus non vidit, nec auris audivit, etc.

Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.

Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.

Animalis homo non percipit ea quæ
B sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi. Spiritualis autem omnia dijudicat, et ipse a nemine judicatur.

Capitulum III. — Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, etc.

Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?

Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Unusquisque videat quomodo superædi-
C ficet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus. (Nota hic de superædificatione auri, argenti, lapidum, ligni, fœni, stipulæ, etc.)

Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

Nemo se seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum. Itaque nemo glorietur in ho-
D minibus.

Capitulum IV. — Sic nos existimet homo ut ministros Christi, etc.

Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, etc.

Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.

Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?

Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. Nos stulti propter Christum. Maledicimur, et benedicimus ; blasphemamur, et obsecramus.

Non est in sermone regnum Dei, sed in virtute.

Quid vultis ? In virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis ?

Capitulum V. — Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit ? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, etc. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.

Quid mihi de his qui foris sunt judicare? Nam eos qui foris sunt Deus judicabit.

Capitulum VI. — An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt ? Nescitis quoniam angelos judicabimus ?

Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis ? quare non magis fraudem patimini ?

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.

Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi ? etc.

Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.

An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, et non estis vestri ?

Empti estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.

Capitulum VII. — Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, etc.

A Unusquisque proprium donum habet ex Deo : alius quidem sic, alius vero sic.

Melius est nubere quam uri.

(Nota in isto capitulo de matrimonio quorum alter infidelis est.)

In pace autem vocavit nos Deus.

Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve est ; reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes. Præterit enim figura hujus mundi. Volo au-
B tem vos sine sollicitudine esse.

Capitulum VIII. — Scientia inflat, caritas autem ædificat.

Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.

Nullus Deus nisi unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.

Peccantes in fratres, et percutientes con-
C scientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Capitulum IX. — Quis militat suis stipendiis unquam ? etc.

Numquid de bobus cura est Deo ?

Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus ? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt ? etc.

D Quum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Factus sum infirmis infirmus, etc.

Nescitis quod hi qui in stadio currunt, etc. ? Sic currite ut comprehendatis. Omnis qui in agone contendit, etc.

Ego sic curro, non quasi in incertum, etc. Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte quum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.

Capitulum X. — Petra autem erat Christus.

Hæc omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem propter eruditionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.

Qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere.

Ut prudentibus loquor : vos ipsi judicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ?

Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.

Si quis vocat vos ad cœnam infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, etc.

Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Sine offensione estote Ecclesiæ Dei : sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

Capitulum XI. — Omnis viri caput est Christus; caput autem mulieris, vir; caput vero Christi, Deus.

Vir non debet velare caput, quoniam imago est et gloria Dei; mulier autem gloria est viri. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier habere velamen super caput suum, etc. Vir si comam nutriat, ignominia est illi, etc. Si quis videatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus.

Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.

Laudo vos ? in hoc non laudo.

Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis, etc.

Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet A autem se ipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.

Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.

Capitulum XII. — Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.

Divisiones vero gratiarum sunt, unus autem Spiritus, etc. Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Alii datur per B Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, etc. Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

Non potest dicere oculus manui : Opera tua non indigeo, etc.

Quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.

Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio C doctores, etc.

Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

Capitulum XIII. — Si linguis loquar angelorum et hominum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, etc.

Caritas patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur; non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt; non irritatur, non cogitat D malum, non gaudet super iniquitate, etc. Omnia suffert, omnia credit, etc.

Caritas nunquam excidit. Scientia destruetur.

Ex parte cognoscimus, etc.; quum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

Quum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus; quum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.

Videmus nunc per speculum in æni-

gmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc A
cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.

Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas.

Capitulum XIV. — Spiritus autem loquitur mysteria.

Nam si orem lingua, mens mea sine fructu est. Quid ergo? Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente.

In ecclesia volo quinque verba sensu B
meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia lingua.

Fratres mei, nolite effici pueri sensibus, sed malitia parvuli estote; sensibus autem perfecti sitis.

Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, etc.

Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.

Si quis ignorat, ignorabitur.

Omnia autem honeste et secundum or- C
dinem fiant in vobis.

Capitulum XV. — Visus est Christus post resurrectionem Cephæ (id est Petro), et post hæc undecim; deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul; deinde visus est Jacobo; deinde Apostolis omnibus; novissime autem omnium tanquam abortivo, visus est et mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, etc.

Gratia Dei sum id quod sum, etc.

Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit, etc. D

Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Christus resurrexit primitiæ dormientium. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.

Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.

Nolite seduci: corrumpunt enim mores bonos colloquia mala. Evigilate, justi, et nolite peccare.

Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, etc. Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. (Nota de quatuor dotibus corporum glorificatorum.)

Non prius quod spirituale; sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.

Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, etc. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, etc.

Stimulus mortis peccatum est, etc.

Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.

Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles; abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

Capitulum XVI. — Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini, et omnia vestra in caritate fiant.

Salutate invicem in osculo sancto.

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maranatha.

EPISTOLA SECUNDA AD CORINTHIOS

HABET CAPITULA TREDECIM. IN QUA EOSDEM QUOS SUPRA AD POENITENTIAM CONVERSOS ET EMENDATOS LAUDAT, CONSOLATUR, ET DOCET.

CAPITULUM I. — Benedictus Deus et Pater A Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ita ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt.

Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. Scitote quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, etc. B

Deus dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

CAPITULUM II. — Si ego vos contristo, et quis est qui lætificet me, nisi qui contristatur ex me?

Non ignoramus cogitationes ejus (scilicet Satanæ).

Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu.

Christi bonus odor sumus Deo.

CAPITULUM III. — Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris. C

Fiduciam talem habemus ad Deum : non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est.

Littera occidit, Spiritus autem vivificat.

Habentes autem talem spem, multa fiducia utimur.

Dominus Spiritus est; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.

Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, D tanquam a Domini Spiritu.

CAPITULUM IV. — Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, etc.

Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, etc.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

Propter quod non deficimus : licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.

Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.

CAPITULUM V. — Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis, etc.

Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino : per fidem enim ambulamus, non per speciem.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit.

Caritas Christi urget nos.

Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus, etc.

Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.

Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

Capitulum VI. — Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, etc. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

Nemini dantes ullam offensionem, etc., in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, etc., in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, etc., per arma justitiæ a dextris et a sinistris, etc., quasi tristes, semper autem gaudentes.

Os nostrum patet ad vos, o Corinthii ; cor nostrum dilatatum est.

Quæ societas luci ad tenebras ? quæ autem conventio Christi ad Belial ? aut quæ pars fideli cum infideli ? etc.

Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus : Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo, et ero illorum Deus, etc.

Capitulum VII. — Has ergo promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos, etc.

Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.

Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur ; sæculi autem tristitia, mortem operatur.

Capitulum VIII. — Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum.

Propter nos Christus egenus factus est, quum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus.

Providemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

Capitulum IX. — Qui parce seminat, par-
A ce et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, etc.

Hilarem datorem diligit Deus.

Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, etc.

Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.

Capitulum X. — In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo, etc., in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Quales sumus verbo per epistolas, ab-
B sentes, tales et præsentes in facto.

Ipsi nobis nos ipsos metientes et comparantes, etc.

Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Capitulum XI. — Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ. Sed et supportate me, etc.

Timeo ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate quæ est in
C Christo.

Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non ergo magnum si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ : quorum finis erit secundum opera eorum.

Libenter suffertis insipientes, quum sitis ipsi sapientes.

(Nota in isto capitulo de tribulationibus et afflictionibus sancti Apostoli.) Quis infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.

D Capitulum XII. — Scio hominem in Christo, sive in corpore sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum : quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.

Ne revelationum magnitudo extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.

Virtus in infirmitate perficitur.

(Nota in isto capitulo de miraculis Apostoli, sicut ipsemet asserit.)

Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. A Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.

Capitulum XIII. — In ore duorum vel trium, etc.

Si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vos ipsos? nisi forte reprobi estis.

Non possumus adversus veritatem, sed pro veritate.

Potestatem dedit mihi Dominus in ædificationem, et non in destructionem, etc.

EPISTOLA AD GALATAS

HABET CAPITULA SEX, IN QUA SEDUCTOS A FALSIS APOSTOLIS UT AD LEGEM ET CIRCUMCISIONEM REVERTERENTUR, REVOCAT AD VERAM FIDEM CATHOLICÆ VERITATIS.

Capitulum I. — Jesus Christus dedit se- B metipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam.

Licet nos, aut angelus de cœlo evangelizaret vobis præterquam evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædixi, et iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

Non acquievi carni et sanguini.

Capitulum II. — Deus personam hominis non accipit.

Quum venisset Cephas Antiochiam, in faciem restiti ei, quia reprehensibilis erat, etc.

Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.

Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.

Non abjicio gratiam Dei.

Capitulum III. — Sic stulti estis, ut quum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.

Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. Qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

Justus ex fide vivit, etc.

Christus nos redemit, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno.

Lex propter transgressiones posita est, etc.

Mediator unius non est; Deus autem unus est.

Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.

Capitulum IV. — Ubi venit plenitudo C temporis, misit Deus Filium suum factum sub lege, natum ex Virgine, etc.

Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater, etc.

Ergo inimicus factus sum vobis, verum dicens vobis?

Bonum in bono æmulamini semper, et non tantum quum præsens sum, etc.

Illa quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim : Lætare, sterilis, etc.

D Capitulum V. — In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per caritatem operatur.

Currebatis bene. Quis vos fascinavit veritati non obedire? Utinam abscindantur qui vos conturbant.

Per caritatem Spiritus servite in invicem. Omnis enim lex in uno sermone

impletur : Diliges proximum tuum sicut A te ipsum. Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.

Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.

Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, etc., inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, etc. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. B

Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, etc. Adversus hujusmodi non est lex.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

Capitulum VI. — Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite C in spiritu lenitatis : considerans te ipsum, ne et tu tenteris.

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

Si quis existimat se aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit. Opus suum probet unusquisque. Unusquisque enim onus suum portabit.

Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.

Nolite errare : Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

De cetero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.

EPISTOLA AD EPHESIOS

HABET CAPITULA SEX. IN QUA EPHESII (QUI AB APOSTOLO VERBO VERITATIS ACCEPTO, PERSTITERUNT IN FIDE) LAUDANTUR.

Capitulum I. — Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus. D

Deus prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, etc.

Deus instauravit omnia in Christo, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris, etc.

Prædestinati sumus secundum propositum Dei, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus.

Spiritus Sanctus est pignus hereditatis nostræ.

Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, etc.

(Nota de quatuor ordinibus angelorum.) Deus constituit Christum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem.

Capitulum II. — Nos aliquando conversati sumus in deliciis* carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum ; et era- *desideriis

mus natura filii iræ sicut et ceteri. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati.

Gratia salvati estis per fidem : et hoc, non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur.

Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum : per crucem dissolvens inimicitias in semetipso.

Jam non estis hospites et advenæ; sed estis cives Sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, etc.

Capitulum III. — Revelatum est sanctis Apostolis et Prophetis in spiritu, esse gentes coheredes, et concorporales, et comparticipes promissionis Dei in Christo Jesu.

(Nota de sancta Trinitate.) Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur : ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per Spiritum Sanctum in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, et latitudo, et sublimitas, et profundum.

Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Capitulum IV. — (Nota optime et fac.) Obsecro vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis : cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.

Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, etc. Occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Non jam simus parvuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ.

Deponite vos secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est.

Irascimini, et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei.

Omnis amaritudo et ira, et indignatio, et clamor tollatur a vobis. Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis.

Capitulum V. — Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

Nemo vos seducat inanibus verbis.

Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate, probantes quid sit beneplacitum Deo.

Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.

Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes pro omnibus semper, etc.

Subjecti estote invicem in timore Dei.

Vir caput est mulieris, sicut et Christus est caput Ecclesiæ.

Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans illam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, etc.

Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed fovet, etc.

Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Unusquisque uxorem suam sicut semetipsum diligat.

Capitulum VI. — Filii, obedite parentibus vestris in Domino, etc.

Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini.

Fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, etc.

Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo : induti loricam justitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere, etc.

Orate omni tempore in spiritu, vigilantes in omni instantia et obsecratione, etc.

EPISTOLA AD PHILIPPENSES

CONTINET CAPITULA QUATUOR. IN QUA APOSTOLUS PHILIPPENSES COLLAUDAT, QUOD ACCEPTO VERBO VERITATIS, PERSTITERUNT IN FIDE, NEC FALSOS RECEPERUNT APOSTOLOS.

Capitulum I. — Confido quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.

Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia, ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensione.

In omni fiducia magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo : multo enim melius.

Tantum digne Evangelio Christi conversamini, etc.

Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in illum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, etc.

Capitulum II. — Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, et id ipsum sentientes. Nihil agite per contentionem, neque per inanem gloriam, sed per humilitatem superiores sibi invicem arbitrantes : non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.

Christus quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, etc. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod, etc. In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, etc.

Deus operatur in vobis velle et perficere, pro bona voluntate.

Omnia facite sine murmurationibus : ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, in medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.

Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

Capitulum III. — Gaudete in Domino semper.

Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi, propter quem omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

Fratres, ego non arbitror me comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt oblitus, ad ea vero quæ priora sunt

extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium vocationis supernæ.

Multi ambulant, quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt.

Nostra conversatio in cœlis est.

Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

CAPITULUM IV. — Fratres mei dilectissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino.

Ego te rogo, Germane compar, adjuva illas, etc.

Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus prope est. Nihil

A sollicili sitis; sed in omni gratiarum actione et obsecratione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.

De cetero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque amabilia, quæcumque justa, etc., hæc cogitate; et Deus pacis erit vobiscum.

Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio humiliari, scio et abundare, ubi-
B que et in omnibus institutus sum, et satiari et esurire, etc. Omnia possum in eo qui me confortat.

Deus meus impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas in Christo Jesu.

EPISTOLA AD COLOSSENSES

HABET CAPITULA QUATUOR. IN QUA APOSTOLUS COLOSSENSES PRÆVENTOS A FALSIS APOSTOLIS CORRIGIT, EOSQUE DE FIDEI VERITATE ADMONET.

CAPITULUM I. — Postulamus ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spirituali : ut ambuletis digne Deo per omnia, crescentes in scientia Dei, etc.

(Nota hic quatuor ordines angelorum.) Gratias agimus Deo Patri, qui nos transtulit in regnum Filii dilectionis suæ : qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, etc.

Exhibete vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram Deo, etc.

CAPITULUM II. — Volo vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis. Nam si corpore absens sum, tamen spiritu vobiscum sum, gaudens, et videns ordinem vestrum.

C Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, etc.

In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, etc.

CAPITULUM III. — Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, etc., avaritiam, quæ est si-
D mulacrorum servitus, etc. Nunc autem deponite iram, indignationem, turpem sermonem de ore vestro.

Exspoliate vos veterem hominem cum actibus suis, et induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum.

Induite vos ergo, sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem,

modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Christus donavit vobis.

Super omnia autem, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. Pax Christi exsultet semper in cordibus vestris : docentes et commonentes vosmetipsos in psalmis et hymnis, etc.

Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

A Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas.

Quodcumque facitis, ex animo agite, etc.

Capitulum IV. — Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.

In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. Sermo vester in gratia semper sale sit conditus, ut sciatis quomodo vos oporteat unicuique respondere. Stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei.

Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.

B Gratia Domini Jesu vobiscum. Amen.

EPISTOLA PRIMA AD THESSALONICENSES

HABET CAPITULA QUINQUE. IN QUA APOSTOLUS IPSOS THESSALONICENSES COLLAUDAT : QUIA VERBO VERITATIS ACCEPTO, QUUM PERSECUTIONEM PATERENTUR A CIVIBUS SUIS, PERSTITERUNT IN FIDE, NEC FALSOS APOSTOLOS RECEPERUNT.

Capitulum I. — Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa.

Conversi estis servire Deo vero et vivo, et exspectare Filium ejus de cœlis.

Capitulum II. — Loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.

Pervenit ira Dei super Judæos usque in finem.

Capitulum III. — Nemo moveatur in tribulationibus, quia in hoc positi sumus.

Nunc vivimus, si vos statis in Domino.

Ipse Deus et Pater noster, et Dominus Jesus Christus dirigat viam nostram, et abundare faciat caritatem vestram in invicem et in omnes.

Capitulum IV. — Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra : ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore.

Ne quis circumveniat fratrem suum.

Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.

Rogamus vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis ut quieti sitis; honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis.

C

Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo.

Ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei, descendet de cœlo, etc.

Capitulum V. — Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

D

Non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus et sobrii simus, induti loricam fidei et caritatis, et galeam spem salutis.

Christus mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus sive dormiamus, simul cum illo vivamus.

Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate, propter opus illorum. Pacem habete cum illis.

Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo reddat ; sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. Spiritum nolite exstinguere. A Omnia probate ; quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.

Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. Fidelis Deus qui vocavit vos : qui etiam faciet.

EPISTOLA SECUNDA AD THESSALONICENSES

HABET CAPITULA TRIA. IN QUA APOSTOLUS EOSDEM INSTRUIT DE TEMPORIBUS NOVISSIMIS ; DE ADVENTU, PERSECUTIONE ET FALLACIA ANTICHRISTI ; DE IPSIUS EXALTATIONE ATQUE RUINA.

CAPITULUM I. — In revelatione Domini nostri Jesu Christi de cœlo cum angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam his qui non noverunt Deum et qui non obediunt Evangelio Jesu Christi, pœnas dabunt in interitu æternas, a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, quum venerit glorificari in Sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.

Dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, etc.

CAPITULUM II. — Non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, etc.

Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur. (Nota hic de Antichristo.)

Revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui : cujus est B adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis.

Dominus noster Jesus Christus, et Deus Pater qui dilexit nos, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.

CAPITULUM III. — Orate ut liberemur ab importunis et malis hominibus.

Non omnium est fides.

Subtrahatis vos ab omni fratre ambu- C lante inordinate.

Non inquieti fuimus, nec gratis panem manducavimus, sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.

Si quis non vult operari, non manducet.

Obsecramus ut cum silentio operantes, suum panem manducent.

Si quis non obedierit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur, etc.

EPISTOLA PRIMA AD TIMOTHEUM

HABET CAPITULA SEX. IN QUA TIMOTHEUM APOSTOLUS INSTRUIT DE ORDINATIONE ET OFFICIO EPISCOPATUS, DIACONATUS, ATQUE OMNIS ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ.

Capitulum I. — Finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta : a quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, etc.

Scimus quia bona est lex, si quis ea legitime utatur. Justo non est lex posita, sed injustis et non subditis, etc.

Gratias ago ei qui me confortavit in Christo Jesu.

Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere : quorum primus ego sum.

Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Hoc præceptum commendo tibi, fili, ut milites bonam militiam, habens fidem et conscientiam bonam : quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.

Capitulum II. — Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate.

Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.

Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira et disceptatione.

Mulier in silentio discat cum omni humilitate. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.

Capitulum III. — Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non percussorem, non litigiosum, etc., non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum testimonium habere bonum ab his qui foris sunt.

Diaconos similiter pudicos, non bilingues, etc., habentes mysterium fidei in conscientia pura : et sic ministrent, nullum crimen habentes.

Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.

Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

Capitulum IV. — In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, etc.

Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per Verbum Dei et orationem.

Ineptas et aniles fabulas devita; exerce autem te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ.

Nemo adolescentiam tuam contemnat. Esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi.

Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Hoc enim

faciens, te ipsum salvum facies, et eos qui A te audiunt.

Capitulum V. — Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem ; juvenes, ut fratres ; anus, ut matres, etc.

Viduas honora, quæ veræ viduæ sunt. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.

Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui la- B borant in verbo et doctrina.

Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. Sine præjudicio nihil facias, in aliam partem declinando. Manus nemini cito imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.

Modico vino utere, propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates.

Capitulum VI. — Qui sub jugo sunt servi, dominos suos omni honore dignos ar- C bitrentur.

Superbus nihil sciens, languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, etc.

Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli. Radix omnium malorum est cupiditas.

Tu autem, o homo Dei, hæc fuge. Sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei.

Serva mandatum sine macula, irreprehensibile, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, quem ostendet beatus, et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest : cui honor et gloria et imperium in sempiternum. Amen.

Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde, etc., divites fieri in operibus bonis, facile tribuere.

O Timothee, devita profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, etc.

EPISTOLA SECUNDA AD TIMOTHEUM

HABET CAPITULA QUATUOR, IN QUA HORTATUR APOSTOLUS IPSUM TIMOTHEUM AD CORONAM MARTYRII ; INFORMATQUE EUM DE OMNI REGULA CATHOLICÆ VERITATIS, ET QUID FUTURUM SIT NOVISSIMIS TEMPORIBUS, ET DE SUA PASSIONE.

Capitulum I. — Admoneo te ut resusci- D tes gratiam Dei quæ in te est. Non enim dedit Deus nobis spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. Noli erubescere testimonium Domini nostri Jesu Christi, neque me.

Deus liberavit nos, et vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia ; manifestata est autem nunc, etc.

Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.

Formam habe sanorum verborum in fide, in dilectione Jesu, per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis.

Capitulum II. — Tu ergo, fili mi, confortare in gratia Jesu Christi. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.

Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus de omnibus intellectum.

Fidelis sermo : si commortui sumus, et convivemus; si sustinemus, et conregnabimus, etc.

Noli verbis contendere : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audienti- B um. Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.

Sermo vaniloquorum ut cancer serpit.

Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus; et discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. (Nota in textu quæ loquitur de prædestinatis et reprobis.) In magna domo, non solum sunt vasa aurea vel argentea, sed et lignea et fictilia, etc.

Juvenilia vero desideria fuge. Sectare C autem justitiam, fidem, caritatem et pacem. Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites.

Servum Domini non oportet litigare, sed docibilem esse ad omnes, patientem, cum modestia corripientem.

Det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a laA queis diaboli, a quo captivi detinentur ad ipsius voluntatem.

Capitulum III. — Scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, sine affectione, sine pace, criminatores, etc., voluptatis amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita. Quemadmodum Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati; sed non proficient, etc.

Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.

Tu vero permane in his quæ didicisti, et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere.

Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo, ad omne opus bonum instructus.

Capitulum IV. — Prædica verbum; insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia.

Erit tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad desideria sua coacervabunt sibi magistros, etc.

Tu vero vigila, in omnibus labora, ministerium tuum imple. Sobrius esto.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, etc.

EPISTOLA AD TITUM

HABET CAPITULA TRIA. IN QUA TITUM INSTRUIT APOSTOLUS DE CONSTITUTIONE PRESBYTERORUM ET DE CONVERSATIONE SPIRITUALI, ATQUE HÆRETICIS VITANDIS.

Capitulum I. — Oportet episcopum sine D crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, etc. (Quære.)

Sunt multi inobedientes et vaniloqui, quos oportet redargui.

Omnia munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens et conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, quum sint abominati et reprobi.

Capitulum II. — Tu loquere quæ decent sanam doctrinam : senes ut sobrii sint,

A pudici, prudentes, etc. Juvenes exhortare ut sobrii sint, etc.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est nihil mali habeat loqui de nobis.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei.

Loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

CAPITULUM III. — Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei. Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est.

Discant nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infru-
B ctuosi.

EPISTOLA AD PHILEMONEM

CAPITULUM HABET UNICUM. COMMENDAT IN EA APOSTOLUS PHILEMONEM DE FIDE ET CARITATE IN SANCTOS ; ET ROGAT EUM UT INDULGEAT ONESIMO SERVO SUO, ET IPSUM BENIGNE SUSCIPIAT.

C Multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter caritatem magis obsecro.

Tu autem illum (scilicet fratrem), id est viscera mea, suscipe. Sine consilio tuo nihil volui facere. Si aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. Ita, frater, ego te fruar in Domino; refice viscera mea in Christo.

Confidens de obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam et super id quod dico facies, etc.

EPISTOLA AD HEBRÆOS

CONTINET CAPITULA TREDECIM. OSTENDIT IN EA APOSTOLUS DEFECTUM ET EVACUATIONEM LEGIS MOSAICÆ, ET PERFECTIONEM LEGIS EVANGELICÆ. OSTENDIT ITEM ET QUOD CHRISTUS VERUS DEUS SIT ET HOMO, DEI ET HOMINUM MEDIATOR.

D CAPITULUM I. — Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et sæcula. Qui quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis : tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis?

(Nota in isto capitulo multa testimonia de divinitate Christi in littera.)

CAPITULUM II. — Abundantius oportet A nos observare ea quæ audivimus, ne pereffluamus. Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus?

Non angelis subjecit Deus orbem terræ.

Eum qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat eum, propter quem omnia et per B quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.

Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum. In quo enim passus est ipse et tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari.

CAPITULUM III. — Fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum. C

Moyses quidem fidelis erat in tota domo Dei tanquam famulus; Christus vero tanquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.

Quapropter, sicut dicit Spiritus Sanctus, Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, etc.

Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo et vero; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, ut non ob- D duretur quis ex vobis fallacia peccati.

CAPITULUM IV. — Non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei.

Festinemus ingredi in illam requiem. Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo, etc.

Habentes pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, etc. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

CAPITULUM V. — Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, etc. Et quum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam, etc.

Quum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonis Dei; et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.

Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus : eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

CAPITULUM VI. — Intermittentes igitur inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, ut non segnes efficiamini, etc.

Abraham longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.

Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, etc.

Præcursor pro nobis introiit Jesus, secundum ordinem Melchisedech factus sacerdos in æternum.

CAPITULUM VII. — (Nota hic de Melchisedech, et sacerdotio Christi, etc. Quære.) Melchisedech, rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, etc., assimilatus Filio Dei, etc.

Sine ulla contradictione, quod minus est a majore benedicitur.

Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.

Manifestum est quod ex Juda ortus sit A Dominus noster.

Nihil ad perfectum adduxit lex. Introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum.

Christus eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare potest in perpetuum, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, et excelsior cœlis factus, etc.

CAPITULUM VIII. — Talem habemus pon- B tificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister et tabernaculi veri quod fixit Deus et non homo.

Responsum est Moysi: Vide, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte.

(Nota in isto capitulo testimonium Jeremiæ de novo Testamento.)

Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, ego neglexi eos, dicit Dominus.

Quod antiquatur et senescit prope interitum est.

CAPITULUM IX. — Christus adsistens pontifex futurorum bonorum, etc., per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, etc.

Si sanguis hircorum et vitulorum inquinatos sanctificat, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo?

Novi testamenti Jesus mediator est, etc.

Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est : alioqui nondum valet dum vivit qui testatus est.

Omnia pene in sanguine mundantur secundum legem, et sine sanguinis effusione non fit remissio.

Non in manufacta Sancta Jesus introiit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Quemadmodum hominibus statutum est semel mori, post hoc autem judicium ; sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Secundo autem sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.

CAPITULUM X. — Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, etc., nunquam potest accedentes perfectos facere.

Impossibile est sanguine hircorum et taurorum auferri peccata.

Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.

Christus unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.

Habentes, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, etc., accedamus cum corde vero in plenitudine fidei, adspersi corda a conscientia mala; teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem : fidelis est enim qui repromi- C sit. Consideremus invicem in provocatione caritatis et bonorum operum : non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes, etc.

Terribilis quædam est exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ D contumeliam fecerit? Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

Vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

Justus meus ex fide vivit : quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

CAPITULUM XI. — Est autem fides spe-

randarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac testimonium consecuti sunt senes.

Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.

(Nota in isto capitulo de fide antiquorum Sanctorum.)

Fide Enoch translatus est, ne videret mortem.

Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.

Exspectabat Abraham fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.

Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.

Magis elegit Moyses affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem : majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Invisibilem enim tanquam videns sustinuit.

Fide transierunt mare Rubrum tanquam per aridam terram, etc.

(Nota. Samson ponitur in numero Sanctorum.) Quid dicam de Gedeon, Barac, Samson, Jephthe, David, Samuel, et aliis Prophetis? qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones in Christo Jesu Domino nostro. Ludibria et verbera experti, egentes, angustiati, afflicti ; quibus dignus non erat mundus ; in solitudinibus errantes, in montibus et in speluncis, et in cavernis terræ, etc.

Capitulum XII. — Ideoque et nos tantam habentes impositam nobis nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen : adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, etc. Recogitate eum qui talem sus-
A tinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, etc.

Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, etc.

In disciplina perseverate : tanquam filiis vobis se offert Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis. Omnis disciplina in præsenti qui-
B dem videtur non esse gaudii, sed mœroris ; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.

Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit : contemplantes ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.

Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis, et Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui con-
C scripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritum justorum perfectorum, etc.

Serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est.

Capitulum XIII. — Caritas fraternitatis maneat vobiscum ; et hospitalitatem nolite oblivisci. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti. Honorabile connubium, et torus immaculatus.

Mementote præpositorum vestrorum, qui
D vobis locuti sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum, imitamini fidem.

Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula.

Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est gratia stabiliri cor, non escis.

Jesus, ut sanctificaret populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per

ipsum ergo offeramus hostiam laudis Deo A semper.

Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis placatur Deus.

Obedite præpositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri : ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Hoc enim expedit vobis.

Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum.

Rogo vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis.

LIBER ACTUUM APOSTOLORUM

CONTINET CAPITULA VIGINTI OCTO. DECLARAT IN EO SANCTUS LUCAS, CHRISTO IN CŒLUM ASSUMPTO, VISIBILEM SPIRITUS SANCTI MISSIONEM, GESTAQUE APOSTOLORUM ET PRÆCIPUE PAULI ; ATQUE INFANTIAM NASCENTIS ECCLESIÆ DESCRIBIT.

Capitulum I. — Cœpit Jesus facere et B docere, usque in diem, etc., qua assumptus est.

Præbuit Jesus se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.

Dixit Jesus Apostolis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.

Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Duo viri (id est angeli) dixerunt Aposto- C lis : Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus.

Suspensus Judas crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus. Fiat commoratio, etc. (Hic Petrus apostolus conjungit ex duobus psalmis unum testimonium.)

Cecidit sors super Matthiam. (Nota expositionem de hac sorte.) D

Capitulum II. — Quum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, etc. Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.

Cœperunt Apostoli loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Et audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.

Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. (Nota hic testimonium Joelis prophetæ de missione Spiritus Sancti in Christi discipulos.)

Jesum Nazarenum, virum justum et approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri (o viri Israelitæ), hunc definito consilio et præscientia Dei traditum interemistis : quem Deus suscitavit, etc. (dixit Petrus ad illos).

(Nota in littera testimonium David de Christi resurrectione.) Christus neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum suscitavit Deus, etc.

Dixit Petrus : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum. Separamini a generatione ista prava.

Appositæ sunt illa die animæ circiter tria millia (id est, tria millia Judæorum die Pentecostes crediderunt).

Erant (Christiani) perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. (Istud erat in Jerusalem in principio Ecclesiæ, misso Spiritu Sancto.)

Multa prodigia et signa fiebant per Apostolos in Jerusalem, et metus erat magnus in universis.

Omnes qui credebant erant pariter, et erant eis omnia communia; et sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis, et laudabant Deum, habentes gratiam ad omnem plebem.

Capitulum III. — Petrus dixit : Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni, surge et ambula, etc.

Respondit Petrus : Viri Israelitæ, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, etc. Sanctum et Justum negastis, et auctorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit.

Fratres, scio quod per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Deus qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum suorum pati Christum suum, implevit sic.

Pœnitemini ergo, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.

Moyses dixit : Prophetam suscitabit vobis de fratribus vestris tanquam me, etc. (Istud de Christo exponitur.) Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps, annuntiaverunt dies Christi, etc.

Primum Deus suscitans Filium suum, misit eum ut convertat se unusquisque a nequitia sua.

Capitulum IV. — Factus est numerus virorum credentium quinque millia.

Jesus Christus est lapis qui reprobatus est ab ædificantibus, qui factus est in caput anguli; et non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat vos salvos fieri.

Videntes principes Judæorum Petri et Joannis constantiam, comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, mirabantur. Manifestum est, et non possumus negare.

Dixit Petrus : Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate.

Convenerunt adversus sanctum puerum tuum (Domine) Jesum, quem unxisti, Pontius Pilatus et Herodes cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri. Et nunc, Domine, respice et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.

Et quum orassent discipuli, motus est locus in quo erant, et repleti sunt Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia.

Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.

Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, etc.

Nec quisquam egens erat inter eos. Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.

Capitulum V. — Dixit Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, etc. ? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias, cecidit et exspiravit, etc. (Nota in littera etiam de femina.)

Per manus Apostolorum fiebant signa et prodigia magna in populo, et magnificabat eos populus. In plateis ejiciebant infirmos, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitate sua, etc.

Posuerunt Apostolos in custodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens carcerem, eduxit eos.

Dixit Petrus : Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

Gamaliel, Pharisæus, legis doctor, honorabilis universæ plebi, etc. (Verba sancti

Gamalielis:) Si est ex hominibus consilium aut opus hoc, dissolvetur. Si autem ex Deo, non poteritis dissolvere illud, etc.

Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

Capitulum VI. — Non est æquum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate viros boni testimonii, etc. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus, etc.

Multa turba sacerdotum obediebat Evangelio.

Stephanus plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.

Viderunt omnes faciem Stephani tanquam faciem angeli.

Capitulum VII. — Deus gloriæ apparuit Abraham, et dixit : Egredere de terra tua et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi, etc.

Translati sunt Jacob et filii ejus in Sichem, et positi in sepulcro quod emit Abraham a filiis Hemor.

Eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, et erat potens in verbis et operibus suis. Existimabat Moyses intelligere fratres, quoniam per manus ipsius Deus daret salutem illis, etc. Viri, fratres estis : ut quid nocetis alterutrum ? — Quis te constituit principem et judicem super nos ?

Deus misit Moysen in Ægyptum ad Pharaonem, cum manu angeli qui apparuit ei in rubo.

Non in manufactis Excelsus habitat.

Dixit Stephanus ad Judæos : Dura cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, sicut et patres vestri. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiaverunt de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis : qui accepistis legem in dispositione angelorum.

Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait : Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei, etc.

Lapidabant Stephanum dicentem : Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus clamavit voce magna, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum, etc.

Capitulum VIII. — Facta est persecutio magna in Jerusalem, et dispersi sunt omnes, præter Apostolos, etc. Saulus autem devastabat Ecclesiam, etc.

Dicebant Samaritani de Simone mago : Hic est virtus Dei quæ vocatur magna.

Imponebant Petrus et Joannes manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.

Obtulit Simon Petro et Joanni pecuniam, etc. Cui dixit Petrus : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Cor tuum non est rectum coram Deo. In felle enim amaritudinis et obligatione peccati te video esse. — Precamini vos pro me ad Dominum.

Putasne intelligis quæ legis ? etc. Tanquam ovis ad occisionem ductus est, etc. (In Isaia). — Credo Filium Dei esse Jesum Christum. *Is.* LIII, 7.

Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus, etc. (Iste Philippus non erat unus Apostolorum, sed septem diaconorum.)

Capitulum IX. — Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Christi, accessit ad principes sacerdotum, etc.

(Nota de conversione Pauli.) Circumfulsit eum lux de cœlo, et audivit vocem : Saule, Saule, quid me persequeris ? Ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. — Domine, quid me vis facere ? — Ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere.

Erat Saulus tribus diebus non videns, et non manducavit neque bibit.

Vas electionis est mihi iste, etc.

(Nota de miraculis B. Petri.) Invenit

Petrus Æneam ab annis octo paralyticum, et sanavit eum. Dixit Petrus Tabithæ defunctæ : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos ; et viso Petro, resedit.

Capitulum X. — (Nota hic de conversione beatissimi Cornelii centurionis, postea episcopi facti.) Cornelius centurio, vir religiosus, timens Deum et faciens eleemosynas, et deprecans Deum semper, vidit manifeste in visu angelum Domini introeuntem ad se et dicentem sibi : O Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.

Cornelius procidens ad pedes Petri, adoravit. Petrus autem levavit eum, dicens : Surge, et ego homo sum.

Petrus dixit : In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi. Jesum a Nazareth unxit Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo. Hunc Deus suscitavit, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis (scilicet Apostolis) qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere peccatorum per nomen ejus omnes qui credunt in eum.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, et loquebantur linguis.

Ego quis eram, qui possem prohibere Deum ?

Barnabas erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto et fide.

Cognominati sunt primum Antiochiæ discipuli, Christiani.

Capitulum XII. — Occidit Herodes fratrem Joannis gladio, etc.

Angelus Domini adstitit Petro in carcere, etc. Præcingere.

A Discessit angelus a Petro, qui ait : Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, etc.

Angelus ejus est, etc.

Percussit angelus Domini Herodem, eo quod non dedisset honorem Deo ; et consumptus a vermibus, exspiravit.

Capitulum XIII. — Erant in Ecclesia Antiochiæ Prophetæ et doctores, in quibus Barnabas, et Simon, et Lucius, et Manahen, et Saulus.

Paulus repletus Spiritu Sancto, dixit :
B O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, et inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te ; et eris cæcus, etc.

Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

Dedit Deus Judæis Saul filium Cis annis quadraginta, etc. Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, etc. Dabo vobis sancta David fidelia (alia translatio habet : Misericordias David fideles). Per
C Jesum remissio peccatorum annuntiatur, ab omnibus a quibus non potuistis in lege Moysis justificari, etc. Videte, contemptores, et admiramini, et disperdimini, etc. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei ; sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. (Verba Pauli ad Judæos.)

Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam. Disseminabatur verbum Domini per universam regionem. Di-
D scipuli quoque replebantur gaudio et Spiritu Sancto.

Capitulum XIV. — Dixit Paulus claudo nato : Surge. Et continuo exsilivit, et ambulabat, etc.

Viri, quid facitis ? Et nos mortales sumus, similes vobis homines.

Lapidabant Judæi Paulum, existimantes eum mortuum esse.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

Capitulum XV. — Qui novit corda Deus,

testimonium perhibuit, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum? Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari.

Respondit Jacobus, dicens : Viri fratres, audite me. Simon narravit, etc. Huic concordant verba Prophetarum : Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David quod cecidit, ut requirant ceteri hominum Dominum, etc. (Istud exponitur de militanti Ecclesia partim ex gentibus congregata.) Notum a sæculo est Domino opus suum.

Scripserunt Apostoli gentibus : Visum est Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.

Judas, Barnabas et Silas erant prophetæ.

Facta est autem dissensio inter Paulum et Barnabam.

Capitulum XVI. — Vetati sunt Paulus et sui a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia; et non permisit eos Spiritus Jesu.

Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis.

Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu.

Capitulum XVII. — Christum oportuit pati et resurgere a mortuis.

Nobiliores ex eis susceperunt verbum Domini cum omni aviditate, quotidie Scripturas scrutantes.

Quidam Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum Paulo et dicebant : Quid vult seminiverbius hic dicere? Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse. Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? Nova quædam infers auribus nostris.

Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid novi.

Quibus Paulus ait : Videns simulacra vestra, inveni aram in qua scriptum erat : Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum et omnia quæ in ipso sunt, hic cœli et terræ quum sit Dominus, non in A manufactis templis habitat; nec manibus humanis colitur indigens aliquo, quum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia. Non longe est Deus ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus, sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus. Genus ergo quum simus Dei, etc. Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est B orbem in æquitate, in viro quem statuit, fidem præbens omnibus.

Quidam adhærentes Paulo, credebant : in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, etc.

Capitulum XVIII. — Erat Paulus scenofactoriæ artis.

Dixit Paulus Judæis : Sanguis vester super caput vestrum ; mundus ego, ex hoc, etc.

Judæus Apollo, Alexandrinus genere, vir eloquens, potens in Scripturis, multum C contulit his qui crediderant; et vehementer revincebat publice Judæos, ostendens per Scripturam esse Christum Jesum.

Capitulum XIX. — Quum imposuisset Paulus illis manus, venit Spiritus Sanctus super eos; et loquebantur linguis, et prophetabant. Erant autem omnes viri fere duodecim.

(Nota de miraculis Pauli.) Virtutes non modicas fecit Deus per manus Pauli : ita ut super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, vel semicinctia, et recede- D bant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.

Capitulum XX. — Adolescens quidam, Eutychus, cecidit de fenestra, et sublatus est mortuus. Et incubuit Paulus super eum, et revixit.

Dixit Paulus discipulis : Vos scitis a prima die qua ingressus sum, qualiter per omne tempus vobiscum fuerim, serviens Domino cum omni humilitate et lacrimis multis et tentationibus : quomodo nihil subtraxerim vobis utilium, etc. Sed nihil

horum vereor, nec facio animam meam A pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, etc. Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Commendo vos Deo, et verbo gratiæ ejus, qui potens est ædificare, et dare hereditatem in sanctis. Oportet meminisse verbi Domini Jesu : Beatius est magis dare quam accipere.

Procumbentes discipuli super collum Pauli, osculabantur eum. B

Capitulum XXI. — Philippo uni de septem diaconibus erant quatuor filiæ virgines prophetantes.

Dixit Paulus : Quid facitis flentes et affligentes cor meum ? Ego non solum alligari, sed etiam mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu. Domini voluntas fiat.

Utique oportet convenire multitudinem, etc.

Capitulum XXII. — Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres vo- C luntatem ejus, et videres Justum.

Capitulum XXIII. — Tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti ?

Scriptum est : Principem populi tui non maledices.

Capitulum XXIV. — Quum in multa pace agamus per te, et multa corrigantur per tuam providentiam, semper et ubique suscipimus te, optime Felix, cum omni gratiarum actione. Ne diutius protraham te, oro, breviter audias nos pro tua cle- D mentia.

Dixit Paulus : Studeo sine offendiculo habere conscientiam ad Deum et ad homines semper.

Capitulum XXV. — Multas et graves causas objecerunt Judæi Paulo, quas non poterant probare, Paulo rationem reddente, etc.

Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

Sine ratione videtur mihi mittere vinctum, et causam ejus non significare.

Capitulum XXVI. — Permittitur tibi loqui pro temetipso.

Paulus, extenta manu, cœpit pro se rationem reddere : Obsecro, patienter me audias. Quid incredibile videtur apud vos, si Deus mortuos suscitat ? etc.

Festus dixit : Insanis, Paule ; multæ litteræ ad insaniam te convertunt. Et Paulus : Non insanio, inquit, optime Feste ; sed verba veritatis et sobrietatis loquor.

Capitulum XXVII. — Ventus Typhonicus qui vocatur Euroaquilo.

Suadeo vobis bono animo esse. — Propter quod bono animo estote, viri.

Capitulum XXVIII. — Vipera invasit manum Pauli ; quam ille in ignem excutiens, nil mali passus est, etc.

Patrem Publii febribus et dysenteria vexatum Paulus sanavit, omnesque infirmos insulæ (Melitenæ) curavit.

Dixit Paulus Judæis : Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam ad patres nostros, etc. (Nota testimonium in textu de excæcatione Judæorum.)

CANONICA JACOBI APOSTOLI

HABET CAPITULA QUINQUE. ET SUADET IN EA JACOBUS AD PATIENTIAM; APUD DEUM NON ESSE PERSONARUM ACCEPTIONEM, MALAQUE LINGUÆ VITIO PROVENIENTIA APERIT; BELLA ET CONTROVERSIAS REPREHENDIT, ET AD VIRTUTES EXHORTATUR.

Capitulum I. — Omne gaudium existimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.

Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat; et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, etc. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.

Glorietur frater humilis in exaltatione sua; dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit.

Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo quum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim neminem tentat. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua, abstractus et illectus. Deinde concupiscentia quum conceperit, parit peccatum; peccatum vero quum consummatum fuerit, generat mortem.

Nolite errare, fratres mei dilectissimi. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie genuit nos verbo veritatis, etc.

Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri, justitiam Dei non operatur. Abjicientes omnem immunditiam, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

A Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis, etc. (Nota hanc similitudinem optimam.)

Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, etc., hujus vana est religio, etc.

Capitulum II. — Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, etc. ?

Si personas accipitis, peccatum operamini.

Quicumque totam legem impleverit, of-
B fendat autem in uno, factus est omnium reus, etc.

Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam; superexaltat autem misericordia judicium.

Quid proderit, si quis fidem dicat se habere, opera autem non habeat? Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Tu credis quoniam unus est Deus; bene facis : et dæmones credunt, et contremiscunt. Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est?

C (Nota totum capitulum, imo totam epistolam, quia moralissima est, et doctrinalissima.)

Capitulum III. — Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam gravius judicium accipitis. In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

Lingua nostra, ignis; universitas iniquitatis lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, etc. (Nota hic de lingua refrenanda in textu.)
D Linguam nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.

Quis sapiens et disciplinatus inter vos ? A Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Si zelum amarum habetis et contentiones, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, et diabolica. Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis.

Capitulum IV. — Unde bella et contentiones in vobis ? Nonne ex concupiscentiis vestris ?

Non habetis, quia non postulastis. Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, etc.

Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei ? Quicumque voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituitur.

Subditi estote Deo. Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Purificate corda, duplices animo. Risus vester in luctum converta- C tur, et gaudium in mœrorem.

Nolite detrahere alterutrum, fratres mei. Qui enim detrahit fratri, aut judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem.

Quæ est vita vestra ? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.

Dicatis : Si Dominus voluerit, et, Si vixerimus, faciemus hoc vel illud. Nunc exsultatis in superbiis vestris.

Scienti bonum facere et non facienti, peccatum est illi.

Capitulum V. — Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris quæ advenient vobis, etc. (Quære in textu.) Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.

Clamor eorum in aures Dei Sabaoth introivit.

Patientes estote usque ad adventum Domini ; et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit. Ecce judex ante januam adsistit.

Exemplum accipite longanimitatis, la- B boris, et patientiæ, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini.

Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis.

Ante omnia nolite jurare, neque per cœlum, etc. Sit autem sermo vester : Est, est ; Non, non, etc.

Tristatur aliquis vestrum ? Oret æquo animo, et psallat. Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ; et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis est, dimittentur ei. (Nota de effectu Extremæ unctionis.)

Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini. Multum valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat similis nobis, etc. (Nota de fiducia orandi.)

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum.

CANONICA PETRI APOSTOLI PRIMA

HABET CAPITULA QUINQUE. AGIT IN EA GRATIAS PETRUS DEO, QUI PER PASSIONEM, SANGUINEM, ET MORTEM FILII, GENUS SALVAVIT HUMANUM ; ET AD RECTE VIVENDUM, DIVERSOS STATUUM HOMINES INSTRUIT.

Capitulum I. — Benedictus Deus et Pater D Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, et hereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis.

Jesum Christum quum non videritis, A diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis; videntes autem exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.

Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecti, sperate in eam quæ vobis offertur gratiam : non configurati prioribus ignorantiæ vestræ tenebris, sed secundum eum qui vocavit vos Sanctum, et ipsi sancti in omni conversatione sitis.

Non corruptibilibus auro vel argento B redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati et incontaminati Christi, etc.

Animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde diligite invicem attentius.

Capitulum II. — Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis quam dulcis est C Dominus.

Ecce ponam in Sion, etc.

Vobis honor credentibus. Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

Carissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam: conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant D de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.

Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, etc. Sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Omnes honorate, fraternitatem diligite, etc. Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.

Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ est enim gratia si peccantes et colaphizati suffertis? Si autem bene facientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum : in hoc enim vocati estis. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, etc.

Eratis aliquando sicut oves errantes; sed conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

Capitulum III. — (Nota in isto capitulo de decenti ornatu et habitu mulierum. Et quomodo viri feminis compati et cohabitare debent, in textu quære.)

Omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles; non reddentes malum pro malo, sed econtrario benedicentes, quia in hoc vocati estis.

Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide et spe.

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu: deglutiens mortem, ut vitæ æternæ efficeremur heredes, etc.

Capitulum IV. — Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, etc.

Estote prudentes et vigilate in orationibus. Ante omnia mutuam caritatem in vobis continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem sine murmuratione. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.

Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis

eorum qui non credunt Evangelio? Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendant animas suas.

Capitulum V. — Seniores, obsecro, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, non turpis lucri gratia, neque ut dominantes in cleris, sed forma gregis facti ex animo. Et quum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

Adolescentes, subditi estote senioribus.

Omnes invicem humilitatem insinuate, A quia Dominus superbis resistit, etc. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite in fide.

Deus omnis gratiæ qui vocavit vos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirma- B bit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Salutate invicem in osculo sancto.

CANONICA PETRI APOSTOLI SECUNDA

CONTINET CAPITULA TRIA. MONET IN EA PETRUS CREDENTES TENERE FIDEI VERITATEM; NOTAT ET DAMNAT HÆRETICORUM FALSITATEM; ET SECUNDUM CHRISTI ADVENTUM DESCRIBIT.

Capitulum I. — His qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione Dei nostri, etc., ut efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.

Non indoctas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi virtutem et præscientiam. Accepit enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.

Non voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Dei homines.

Capitulum II. — (Nota in isto capitulo de testimonio Noe et Lot, quod eis Apostolus exhibet.) Si Deus angelis peccantibus non pepercit, etc.

Novit Deus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii cruciandos C reservare, qui dominationem contemnunt, audaces, sibi placentes, pellicientes animas instabiles. Hi sunt quibus caligo tenebrarum reservatur.

Iniqui servi sunt corruptionis. A quo enim quis superatus est, hujus et servus est.

Melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad vomitum; et, Sus lota in volutabro luti.

D Capitulum III. — Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, et dicentes: Ubi est promissio aut adventus ejus?

Cœli erant prius, et terra de aqua et per aquam consistens Dei verbo: per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli vero qui nunc sunt et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum.

Unus dies apud Deum, tanquam mille anni, et mille anni sicut unus dies.

Non tardat Dominus promissum; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.

Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur. Quum ergo hæc omnia dissolvenda sint, quales A oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini nostri Jesu Christi, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos cœlos et novam terram et promissa Christi exspectamus, in quibus justitia habitat. Propter quod, carissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace.

CANONICA JOANNIS APOSTOLI PRIMA

HABET CAPITULA QUINQUE. TESTIFICATUR IN EA JOANNES DE VERBO VERITATIS ET VITÆ; AD CONFESSIONEM PECCATORUM HORTATUR, AFFIRMANS NOS DOMINUM JESUM ADVOCATUM HABERE APUD PATREM; AMOREM MUNDI DISSUADET, ET AD AMOREM DEI ET PROXIMI HORTATUR.

Capitulum I. — Societas vestra sit cum Patre et Filio ejus Jesu Christo.

Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.

Si ambulamus in luce, sicut et Deus in luce est, societatem habemus ad invicem.

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est ut remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate.

Capitulum II. — Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, etc.

In hoc scimus quoniam cognovimus Deum, si mandata ejus servamus. Qui dicit se nosse Deum et mandata ejus non servat, mendax est. Qui servat verbum Christi, vere in eo caritas Dei perfecta est. Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.

Qui diligit fratrem suum, in lumine permanet, et scandalum in eo non est. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in B tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Et mundus transit et concupiscentia ejus. Qui facit voluntatem Dei manet in æternum.

Filioli, novissima hora est. Et sicut audistis quia Antichristus venit, nunc an-
C tichristi multi sunt facti, etc. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.

Vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus, sed quasi scientibus. Hic est antichristus, qui negat Patrem et Filium. Qui negat Filium, nec Patrem habet. Non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed unctio docet vos de omnibus.

Filioli, manete in Christo, ut quum ap-
D paruerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus.

Capitulum III. — Videte qualem carita-

tem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei A nominemur et simus. Propterea mundus non novit nos, quia non novit Deum. Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Omnis qui peccat non vidit Deum, nec cognovit eum.

Filioli, nemo vos seducat, etc. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam diabolus ab initio peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Qui natus B est ex Deo, non peccat, quoniam semen ejus manet in eo.

Hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum.

Nolite mirari si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui C habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.

Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus, etc.

Capitulum IV. — Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.

Major est qui in vobis est, quam qui in D mundo. Ipsi de mundo sunt, et de mundo loquuntur, et mundus eos audit, etc.

Carissimi, diligamus invicem, quoniam caritas ex Deo est, et omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est, et cognoscit Deum.

In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.

Carissimi, si Deus sic dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere, etc. Si diligamus invicem, Deus manet in nobis.

Pater misit Filium suum salvatorem mundi.

Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.

Timor non est in caritate; sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.

Si quis dixerit, Diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?

Capitulum V. — Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus : et mandata ejus gravia non sunt.

Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum : et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.

Venit per aquam et sanguinem Jesus Christus.

Spiritus testificatur quoniam Christus est veritas.

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus. Et hi tres unum sunt.

Qui non credit in Filium, mendacem facit Deum, quoniam non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, nos audit.

Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat illum.

Mundus totus in maligno positus est.

Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum verum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita æterna.

Custodite vos a simulacris. Amen.

CANONICA JOANNIS SECUNDA

HABET CAPITULUM UNICUM. COMMENDAT IN EA ELECTAM ET FILIOS EJUS ; AD FRATERNAM CARITATEM HORTATUR ; ET MONET HÆRETICOS DEVITARE.

Sit vobiscum gratia, misericordia, et pax A a Deo Patre et a Jesu Christo Filio Patris, in veritate et caritate.

Multi seductores exierunt, qui non credunt Jesum Christum venisse in carne.

Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis.

Si quis hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis.

CANONICA JOANNIS TERTIA

HABET CAPITULUM UNICUM. EXTOLLIT IN EA GAIUM PIETATIS CAUSA QUAM EXERCEBAT IN PEREGRINOS ; ATQUE UT IN IPSA PIETATE PERMANEAT EXHORTATUR.

Carissime, orationem facio prospere te B ingredi et valere, sicut prospere agit anima tua.

Majorem horum gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.

Is qui amat primatum gerere in fratribus, non recipit nos, etc. Carissime, noli imitari malum, sed quod bonum est semper. Qui bene facit, ex Deo est.

Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

CANONICA JUDÆ APOSTOLI

HABET CAPITULUM UNICUM. MONET IN EA JUDAS APOSTOLUS OMNES UT DE SUA SALUTE SOLLICITI SINT ; INDUCIT ALTERCATIONEM MICHAELIS CUM SATANA ; DETESTATUR QUOQUE HÆRETICORUM VITAM.

Jesus populum salvans de terra Ægypti, C secundo eos qui non crediderunt perdidit. Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reservavit (scilicet Jesus). (Hic innuitur unitas personalis Dei et hominis in Christo.)

Quum Michael archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysis corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Dominus.

Væ illis qui via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et contradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis suis convivantes, sine timore, semetipsos pascentes ; nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur ; arbores autumnales, in-

fructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ; fluctus A feri maris, despumantes suas confusiones; sidera errantia, quibus procella tenebrarum conservata est in æternum.

Prophetavit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, et de omnibus duris quæ locuti sunt contra Dominum peccatores impii. Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superbiam, B mirantes personas quæstus causa. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.

Superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam. Miseremini aliis in timore, odientes eam quæ carnalis est, maculatam tunicam.

Ei autem qui potens est vos conservare sine peccato, et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exsultatione, in adventu Domini nostri Jesu Christi, soli Deo salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria, magnificentia, imperium et potestas, ante omnia sæcula, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

APOCALYPSIS JOANNIS APOSTOLI

CONTINET CAPITULA VIGINTI DUO. ET AGITUR IN EA DE REVELATIONIBUS JOANNI FACTIS PER ANGELUM, IN PATMOS INSULA; DE TRIBULATIONIBUS QUAS ECCLESIA CHRISTI TUNC PATIEBATUR, ET IN FUTURUM PASSURA ERIT, ET PRÆSERTIM TEMPORE ANTICHRISTI; ET DE SUPPLICIIS DAMNATORUM, AC PRÆMIIS ELECTORUM.

CAPITULUM I. — Gratia vobis et pax ab C eo qui est, et qui erat, et qui venturus est; et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ : qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.

Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus, qui est, et qui D venturus est omnipotens.

De ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat; et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. Et ait : Ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis et inferni.

CAPITULUM II. — Habeo adversum te pauca, quia caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age : alioqui venio tibi cito, etc. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit : Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Qui vicerit, non lædetur a morte secunda.

Hæc dicit qui habet rhumphæam ex utraque parte acutam : Vincenti dabo manna absconditum, et dabo ei calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis : Ego sum scrutans renes et corda; et dabo unicuique secundum opera sua. Id quod habetis tenete, donec veniam. Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam.

CAPITULUM III. — Nomen habes quod vivis, sed mortuus es. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente habe qualiter acceperis et audieris, et pœnitentiam age, et esto vigilans. Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, et confitebor nomen ejus coram Patre meo.

Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit : Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis novæ Jerusalem.

Hæc dicit testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei : Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus. Utinam frigidus esses aut calidus. Sed quia tepidus es, nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo : quia dicis, Quod dives sum et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. Suadeo tibi emere aurum ignitum et probatum, etc. (id est caritatem orationibus). Ego quos amo, arguo et castigo. Ecce sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo et ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

CAPITULUM IV. — Quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni, etc. (Nota hic concordiam sancti Apostoli cum beato Ezechiele propheta de descriptione figuræ quatuor Evangelistarum.)

Requiem non habebant die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est.

Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu
A creasti omnia, et propter voluntatem tuam creata sunt.

CAPITULUM V. — Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum et solvere septem signacula ejus.

Dignus es, Domine, accipere librum et solvere signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo.

Erat numerus angelorum millia millium, dicentium : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinita-
B tem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

Sedenti in throno et Agno benedictio, honor, gloria et potestas in sæcula sæculorum.

CAPITULUM VI. — Animæ interfectorum clamabant voce magna : Usquequo, Domine, sanctus et verus, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum eorum, et fra-
C trum eorum qui interficiendi sunt sicut et ipsi.

Reges terræ, principes, tribuni, divites, et fortes, absconderunt se in speluncis et petris montium, dicentes montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni.

CAPITULUM VII. — Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno, etc. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo
D Deo nostro, in sæcula sæculorum. Amen.

Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte. Non esurient neque sitient amplius, etc. Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, etc.

CAPITULUM VIII. — Stetit angelus ante altare, habens thuribulum aureum ; et data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit

fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu angeli coram Deo.

Capitulum IX. — Ascendit fumus putei abyssi, sicut fumus fornacis magnæ.

In diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.

Capitulum X. — Angelus levavit manum ad cœlum, et juravit per Viventem in sæcula sæculorum : Quia tempus ultra non erit, sed consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.

Capitulum XI. — Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus (id est tribus annis cum medio, tempore Antichristi, scilicet Ecclesiam Christi).

(Nota hic de Antichristo et sanctis Elia et Enoch. Quære totum in textu cum expositione, quia concordat his quæ Daniel propheta prædixit.)

Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra lucentia, in conspectu Domini terræ stantes, etc. Quum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso (id est Antichristus), faciet adversus illos bellum, et vincet eos, et occidet illos. Et jacebunt corpora eorum in platea civitatis, ubi Dominus eorum crucifixus est, per tres dies et dimidium, et non sinent ea poni in monumentis, etc. Et post tres dies et dimidium, spiritus vitæ a Deo intravit in eos, et steterunt supra pedes suos. Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem : Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, etc. (Istud exponitur de interfectione Eliæ et Enoch, et resurrectione eorum.)

Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, qui accepisti virtutem tuam magnam et regnasti.

Capitulum XII. — Signum magnum apparuit in cœlo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, etc. (De militanti Ecclesia dicitur, secundum litteram, tamen de sancta Maria transumitur.)

Factum est prælium in cœlo. Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, etc. Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui seducit universum orbem. — Nunc facta est salus et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, etc. Descendit diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. (Hoc tempore Antichristi erit.)

Capitulum XIII. — (Istud capitulum pulchre exponit Beda de Antichristo. Nota et quære.)

Vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem et cornua decem (id est Antichristum). Plaga mortis ejus curata est, etc. (quia finget se a morte surgere). Datum est ei (scilicet Antichristo) os loquens magna et blasphemias; et data est illi potestas facere menses quadraginta duos (quia tam diu regnabit Antichristus). Datum est illi bellum facere cum sanctis et vincere eos (scilicet Christianos). Adoraverunt eum (scilicet Antichristum) omnes qui habitant terram quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.

Habebat cornua duo similia Agni (scilicet Antichristus). Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere, etc. Et faciet omnes habere characterem bestiæ, etc.

Capitulum XIV. — Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit, etc.

Timete Dominum, et date illi honorem, et adorate eum qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum, et omnia quæ in eis sunt.

Cruciabitur iniquus igne et sulfure in conspectu angelorum sanctorum et Agni; et fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum; et requiem non habebit die ac nocte.

Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos.

CAPITULUM XV. — Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens. Justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex Sanctorum. Quis non timebit te et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es.

CAPITULUM XVI. — Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua.

Blasphemaverunt nomen Dei, et non egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam.

Et commanducaverunt linguas suas præ dolore; et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis; et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

Sunt spiritus dæmoniorum facientes signa.

CAPITULUM XVII. — (Nota in isto capitulo de Antichristo, de decem cornibus, etc., in Beda.)

Agnus, Dominus dominorum est, et Rex regum.

CAPITULUM XVIII. — Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.

Exsultate, cœli, et sancti Apostoli et Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum.

CAPITULUM XIX. — Laus, et gloria, et virtus Deo nostro, quia vera et justa judicia ejus sunt. Alleluia. Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni. Regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se.

Byssinum, justificationes sunt Sanctorum.

Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.

Conservus tuus sum, et fratrum tuorum. Deum adora. Testimonium Jesu, est spiritus prophetiæ.

Habet in vestimento et in femore suo

A scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium.

CAPITULUM XX. — Regnaverunt cum Christo mille annis, etc. (Quære expositionem hujus passus.) Hæc est resurrectio prima, etc.

Quum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog; et congregabit eos in prælium, etc. (Nota de Antichristo in textu et Glossa. De Gog et Magog

B concordat cum Ezechiele propheta.)

Libri aperti sunt, et liber vitæ apertus est, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris. Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

CAPITULUM XXI. — Vidi cœlum novum et terram novam. Primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum

C Deus.

Dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Hæc verba fidelissima et vera sunt. Ego sum Alpha et Omega, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit possidebit hæc. Et ero illi Deus, et ipse erit mihi filius. Timidis autem, et incredulis, et exsecratis, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure: quod est mors secunda.

Templum non vidi in ea (scilicet civita-

D te sancta Jerusalem, quæ est uxor Agni): Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna: nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

(Nota in isto capitulo concordiam S. Joannis cum Ezechiele propheta in descriptione civitatis et templi.)

CAPITULUM XXII. — Servi Dei servient

illi; et videbunt faciem ejus; et nomen A ejus in frontibus ipsorum; et regnabunt in sæcula sæculorum.

Beatus qui custodit verba prophetiæ libri hujus.

Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc; et qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus sanctificetur adhuc.

Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis. Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, etc. Ego Jesus misi angelum meum. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. Qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

Venio cito. Veni, Domine Jesu.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

NOTA. — Secunda pars hujus Epitomes impressa est in fine tomi II (p. 691-721), sub titulo *Epilogatio quædam brevis et conclusio Pentateuchi,* ad instar editionum Coloniensium ann. 1534, 1548 et 1566.

FINIS COMMENTARIORUM IN SACRAM SCRIPTURAM

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

IV, 9, 10. Ubi est Abel frater tuus ?... Quid fecisti ? 396 D.

IX, 13. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram, 261 A.

XXII, 18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, 107 B.

XXXII, 30. Vidi Deum facie ad faciem, 43 D'.

XXXIII, 12. Ero... socius itineris tui, 9 B.

XLIX, 1. Congregamini ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis, 23 D.

— 10. Non auferetur sceptrum de Juda,... donec veniat qui mittendus est, 107 A.

EXODI.

III, 2. Apparuit... ei (Moysi) Dominus, 127 B'.

— 14. Ego sum qui sum... Sic dices... : Qui est, misit me, 231 B'.

VII, 1. Constitui te deum Pharaonis, 216 B'.

LEVITICI.

XI, 43, 44. Nolite contaminare animas vestras;... ego enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quia ego sanctus sum, 30 A'.

NUMERORUM.

I, 3. A vicesimo anno et supra... numerabitis eos, 108 D.

DEUTERONOMII.

XXXII, 8. Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, 182 B'.

XXXII, 15. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, 218 D'.

JOSUE.

V, 15. Josue... adorans ait, etc., 352 A.

XI, 15. Non præteriit (Josue) de universis mandatis, nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi, 169 D.

III REGUM.

VIII, 10. Nebula implevit domum Domini, 332 C'.

— 46. Non est... homo qui non peccet, 409 D.

X, 12. Fecitque rex de lignis thyinis... citharas lyrasque cantoribus, 346 C'.

IV REGUM.

VI, 16. Plures enim nobiscum sunt quam cum illis, 309 B'.

TOBIÆ.

III, 17. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui, 344 D.

XII, 8. Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, 156 A'.

JOB.

I, 16. Ignis Dei cecidit e cœlo et tactas oves puerosque consumpsit, 316 D'.

XIII, 15. Vias meas in conspectu ejus arguam, 388.

XXIV, 19. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, 344 C'.

— 23. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam, 246 B.

XXXIV, 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, 315D'.

PSALMORUM.

XV, 2. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, 182C.
XVII, 4. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero, 446B.
XXIII, 7, 9. Attollite portas, principes, vestras; et elevamini, portæ æternales; et introibit Rex gloriæ, 84D'.
LIV, 8. Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine, 309D.
LVII, 11. Lætabitur justus quum viderit vindictam, 324B.
LXXX, 16. Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula, 298D.
LXXXIV, 13. Terra nostra dabit fructum suum, 312B'.
LXXXVI, 1. Fundamenta ejus in montibus sanctis, 367A.
LXXXVII, 10. Clamavi ad te, Domine, tota die; expandi ad te manus meas, 458B'.
LXXXVIII, 7. Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei ? 30C.
XCIII, 19. Consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, 463A.
XCVII, 2. Notum fecit Dominus Salutare suum; in conspectu gentium revelavit justitiam suam, 219C'.
CIII, 6. Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, 362B.
CV, 28. Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum, 243C'.
CXL, 2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, 286C.

PROVERBIORUM.

III, 13. Beatus homo qui invenit sapientiam et qui affluit prudentia, 81.
— 18. Lignum vitæ est (sapientia) his qui apprehenderint eam, 241B, 374C.
IV, 23. Omni custodia serva cor tuum, 336D.
VIII, 22, 23. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio; ab æterno ordinata sum, 3A'.
XII, 7. Verte impios, et non erunt, 247D.
XV, 12. Non amat pestilens eum qui se corripit, 116B.
— 29. Longe est Dominus ab impiis, 15A, 183A.
XVIII, 19. Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, 180D.
XXI, 1. Cor regis in manu Domini ; quocumque voluerit, inclinabit illud, 164C.
XXV, 27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum ; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria, 234A.
XXX, 4. Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti ? 45B'.

ECCLESIASTÆ.

II, 26. Homini bono... dedit Deus sapientiam et scientiam et lætitiam ; peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, 408A.
VII, 3. Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii, 398C.
— 5. Cor stultorum, ubi lætitia, 5B'.
XI, 3. Lignum... in quocumque loco ceciderit, ibi erit, 325C, 400D.

CANTICI CANTICORUM.

V, 2. Vox dilecti mei pulsantis, 256D'.

SAPIENTIÆ.

V, 4, 5. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est, 277B.
VI, 21. Concupiscentia... sapientiæ deducit ad regnum perpetuum, 379.
X, 13. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, 125B.
XVI, 20, 21. Panem de cœlo præstitisti illis..., omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem ;... deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur, 96A.
XVII, 10. Semper... præsumit sæva perturbata conscientia, 27D.

ECCLESIASTICI.

III, 20. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, 193D'.
— 31. Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam, 147, 379.
VI, 4. Anima... nequam disperdet qui se habet, et in gaudium inimicis dat illum, 37D'.

VII, 19. Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis, 418B'.
XLIV, 20. Non est inventus similis illi, 371B'.
L, 13. Circa illum corona fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano, 307D.

ISAIÆ.

III, 9. Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt, 407C'.
— 14. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui et principibus ejus, 88B'.
IV, 3. Sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem, 251C.
VI, 3. Clamabant alter ad alterum... : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, 266A.
IX, 15. Propheta docens mendacium, ipse est cauda, 292B'.
XI, 1. Egredietur virga de radice Jesse, 269A.
XII, 1. Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi ; conversus est furor tuus et consolatus es me, 399C'.
XXIV, 21, 22. In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso et super reges terræ,... et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum et claudentur ibi in carcere, 336D'.
XXVII, 9. Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum, 11D.
XXVIII, 20. Coangustatum est... stratum, ita ut alter decidat, 20C.
XXX, 26. Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, 361B'.
— 33. Præparata est... ab heri Topheth, a rege præparata, profunda et dilatata, 327C'.
XL, 31. Qui... sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ,... ambulabunt et non deficient, 39A.
XLIV, 3. Effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam, 97A'.
— 6. Ego primus et ego novissimus, 231A'.
XLV, 8. Aperiatur terra et germinet Salvatorem, 312B'.
— 9. Testa de Samiis, etc., 193B'.
XLIX, 10. Non esurient neque sitient et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos et ad fontes aquarum potabit eos, 284C'.
LIII, 8. Propter scelus populi mei percussi eum, 105D'.
LIII, 12. Tradidit in mortem animam suam, 98D'.
LIV, 16. Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas et proferentem vas in opus suum, 314A.
LVII, 20. Impii... quasi mare fervens, quod quiescere non potest, 73B'.
LX, 19. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam, 372D.
LXI, 7. Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, 283B.
LXIII, 2. Quare... rubrum est indumentum tuum ? 353B'.
LXV, 15, 16. Dominus... servos suos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, amen, 152C.
LXVI, 23. Erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato, 88D', 298D.

JEREMIÆ.

XI, 20. Videam ultionem tuam ex eis, 204A.
XVII, 7. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, 413B.
XXXII, 39, 41. Dabo eis cor unum et viam unam,... et lætabor super eis, quum bene eis fecero, 112A.

THRENORUM.

I, 15. Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda, 354A'.
II, 19. Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, 72B.
III, 40-42. Scrutemur vias nostras et quæramus et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos inique egimus et ad iracundiam provocavimus, 387.

EZECHIELIS.

I, 27. Vidi quasi speciem electri, velut adspectum ignis, 260D'.
II, 1. Sta super pedes tuos, et loquar tecum, 128A.
— 9. Vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber; et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris, 267C'.
III, 12. Assumpsit me spiritus, 232C.

DANIELIS.

VII, 10. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus, 374 A.
— 10. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei, 271 C'.
— 10. Judicium sedit et libri aperti sunt, 360 B.
— 13, 14. Adspiciebam... in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit;... et dedit ei potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient; potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur, 69 B, 270 A.
— 27. Regnum autem et potestas... quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum, 304 C.
X, 1. Intelligentia... est opus in visione, 268 A'.
XII, 3. Fulgebunt... qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, 235 D.
— 4. Claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum, 297 D'.
— 7. In tempus, et tempora, et dimidium temporis, 301 C.
— 12. Beatus qui exspectat et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque, 285 C.

OSEE.

II, 14. Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus, 309 D.
XIII, 9. Perditio tua,... tantummodo in me auxilium tuum, 63 B.
— 14. Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne, 354 C.

AMOS.

V, 27. Migrare vos faciam trans Damascum, 130 A.

NAHUM.

I, 9. Non consurget duplex tribulatio, 69 B'.

HABACUC.

I, 13. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris, 248 C'.
II, 1. Super custodiam meam stabo, 195 C'.

AGGÆI.

II, 7, 8. Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram et mare et aridam,... et veniet Desideratus cunctis gentibus, 97 D'.

ZACHARIÆ.

III, 2. Increpet Dominus in te, Satan, et increpet Dominus in te, 71 C.
— 9. Super lapidem unum septem oculi sunt, 234 C'.
IV, 2. Vidi... candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, 233 A'.
— 7. Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? 288 D.
XII, 10. Adspicient ad me quem confixerunt, 230 C'.

MALACHIÆ.

I, 10, 11. Non est mihi voluntas in vobis,... et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis... magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, 437 B'.

MATTHÆI.

II, 2. Vidimus... stellam ejus, 210 A'.
III, 11. Ego... baptizo vos in aqua..., ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, 188 C'.
V, 4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, 271 B.
— 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, 401 B'.
VI, 22. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, 265 B'.
— 34. Nolite... solliciti esse in crastinum, 153 A'.
VII, 15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, 276 D.
— 24. Omnis... qui audit verba mea... et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram, 26 B.
X, 8. Gratis accepistis, gratis date, 135 D'.
XII, 18. Ecce puer meus quem elegi; dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit, 223.

XIII, 9. Qui habet aures audiendi, audiat, 240 D'.
— 39. Messores... angeli sunt, 327 B.
XV, 26. Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus, 218 B.
XX, 1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, 170 D.
XXII, 16. Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, 64 C'.
XXIII, 27. Væ vobis,... quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia, 204 A.
XXIV, 22. Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro ; sed propter electos breviabuntur, 341 A.
XXV, 1. Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, 259 D.
— 12. Amen dico vobis, nescio vos, 301 A.
XXVI, 52. Omnes... qui acceperint gladium, gladio peribunt, 302 A.
XXVIII, 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, 270 D'.
— 19. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, 51 D', 101 C.

MARCI.

XVI, 19. Jesus... assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei, 84 C', 132 A'.

LUCÆ.

III, 8. Facite... fructus dignos pœnitentiæ, 211 B.
IV, 13. Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus, 312 C.
VIII, 11. Semen est verbum Dei, 163 C'.
XI, 10. Omnis... qui petit, accipit, 404 B.
XII, 49. Ignem veni mittere in terram, 329 B'.
XIV, 11. Qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur, 33 B.
XVIII, 7, 8. Deus... non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte ?... Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum, 277 D'.
XXI, 28. His... fieri incipientibus,... levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, 46 C'.
XXIII, 30. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos, 279 C.

JOANNIS.

I, 9. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, 6 B'.
— 26. Medius... vestrum stetit, quem vos nescitis, 148 D'.
II, 19. Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud, 305 C'.
IV, 24. Spiritus est Deus, 435 A.
V, 19. Quæcumque... ille fecerit, hæc et Filius similiter facit, 58 D.
— 27. Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est, 184 C.
VI, 29. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille, 246 C'.
— 32, 48. Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum... Ego sum panis vitæ, 244 D.
— 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater... traxerit eum, 175 A.
VIII, 25. Principium, qui et loquor vobis, 254 C'.
— 28. Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, 101 A, 122 A.
X, 9. Ego sum ostium, 252 A'.
XI, 25. Ego sum resurrectio et vita, 4 B'.
XII, 25. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, 311 A'.
— 31. Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, 322 D', 340 B.
XIV, 1. Creditis in Deum, et in me credite, 177 A.
— 22. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes : Quid factum est quia manifestaturus es nobis te ipsum et non mundo ? 67 B.
— 26. Spiritus Sanctus... vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis, 24 D'.
XV, 15. Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis, 195 B.
— 26. Quum... venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, 118 A.
XVI, 27. Ipse... Pater amat vos, quia vos me amastis, 43 B'.
XIX, 2. Plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, 274 B.
XX, 23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt, 237 A.
XXI, 25. Alia multa... fecit Jesus, 226 A'.

AD ROMANOS.

VIII, 9. Si quis... Spiritum Christi non habet, hic non est ejus, 174 C.

IX, 28. Verbum breviatum faciet Dominus super terram, 296 A'.

XI, 11. Illorum delicto salus est gentibus, 163 A.

XVI, 1. Commendo... vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchris, 187 C.

I AD CORINTHIOS.

I, 17. Non... misit me Christus baptizare, sed evangelizare, 150 B'.

IV, 4. Nihil... mihi conscius sum, 203 B.

VIII, 12. Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, 139 D.

XI, 19. Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant, 291 A'.

II AD CORINTHIOS.

I, 12. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, 372 B'.

AD GALATAS.

II, 9. Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse, 254 A.

V, 3. Testificor... omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ, 167 D.

AD EPHESIOS.

V, 2. Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, 16 C.

— 29. Nemo... unquam carnem suam odio habuit, 76 C'.

II AD THESSALONICENSES.

II, 4. Qui... extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, 314 A'.

— 8. Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, 355 A'.

— 9. Cujus est adventus... in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, 319 B.

II AD TIMOTHEUM.

I, 6, 8. Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te... Noli... erubescere testimonium Domini nostri, 240 B.

III, 2. Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, 20 B.

AD TITUM.

III, 10. Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, 239 A.

JACOBI.

I, 18. Voluntarie... genuit nos verbo veritatis, 49 C.

IV, 4. Amicitia hujus mundi inimica est Dei. Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur, 20 C.

V, 9. Ecce judex ante januam adsistit, 226 A.

I PETRI.

II, 9. Vos... genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 42 A.

I JOANNIS.

II, 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, 195 B'.

— 27. Unctio ejus docet vos de omnibus, 86 D.

JUDÆ.

13. Sidera errantia, 288 C'.

INDEX ANALYTICUS

A

ABADDON, quod interpretatur exterminans, est Hebraicum diaboli nomen, 292 D'.

ABEL. Ejus sacrificium respexit Deus, quo sensu, 34 C'. — A Cain ex invidia occisus est, 34 A', 35 A. — Christum figuravit, 315 C.

ABIRON quomodo vivus in infernum descenderit, 355 C'.

ABRAHAM. Elucidantur quæ de illo tradidit S. Stephanus, 123 C' et seq.

ABSINTHIUM. Cur ita vocetur stella per quam figurantur hæresiarchæ, 288 D'.

ABSTINENTIA seu sobrietas alia est virtus infusa, 445 A, alia virtus naturalis et acquisita, 445 B. — Reprehenduntur immoderatæ abstinentiæ dediti, 443 A.

ABYSSUS designat hæreticorum figmenta, 290 B'. — Quid sit ejus clavis, 356 B, et puteus, 290 B'. — Ejus angelus est diabolus, 292 C'. — Abyssus miseriarum abyssum invocat misericordiarum, 399 D.

ACCEPTIO personarum quid sit, 148 B.

ACON (alias Acho). Ita vocatur urbs Ptolemais, 197 D.

ACTUS. In illo consistunt meritum et demeritum, 31 B', magis tamen in actu interiori, quam in exteriori, 246 B'. — Liber Actuum Apostolorum, a S. Luca editus, 83 A, multiplici ratione commendatur, 81. In illo de quibus personis præsertim agatur, 122 B.

ACULEI exprimunt, in Apocalypsi, tormenta Catholicis inflicta, 292 B'.

ADAM quomodo per triplicem concupiscentiam tentatus sit, 20 B'. — Salvatus est virtute passionis Christi, 315 D.

ADRIA utrum urbem et mare designet, 215 D.

ADRUMES (alias Adrumetum), civitas in Africa, 212 C.

ADVENÆ Deum colentes quinam dicantur, 162 A'.

ÆGYPTUS interpretatur caligo seu tenebræ, 303 B. — Quos habeat terminos, 95 B'. — Ibi primo viguit studium philosophiæ, 126 C'. — In Judæa concitata est seditio per quemdam Ægyptium, 199 D'.

AER significat plebem quæ a prælato suscipit scientiæ lumen, 290 D'.

ÆTAS mundi ultima qualis sit, 23 C, et quare præcedentibus protractior, 23 A'.

ÆTERNITAS est interminabilis vitæ tota simul perfecta possessio, 450 B'. — Æternitas Dei cur per temporum differentias designetur, 227 D'.

AGABUS prænuntiavit famem quæ anno quarto imperii Claudii evenit, 152 A'. — Quomodo S. Pauli captivitatem prædixerit, 197 C'.

AGATHA (S.) quid dixerit de Christi servitute, 271 B.

AGNUS. Quo sensu Christus dicatur Agnus, 269 A', qui est lucerna cœlestis Jerusalem, 372 C, ejusque templum, 372 B. — Per nuptias Agni intelligitur consummata conjunctio Christi cum Ecclesia, 350 D'. — *Cf.* Christus.

AGRIPPA rex, filius Herodis Agrippæ, imbutus lege et ritibus Judæorum, 211 C', Romanis fuit confœderatus, 275 D. — Utrum uxorem habuerit Beronicen, 209 B. — Quid ad eum locutus sit S. Paulus, 209 D et seq. — In ejus regno habitaverunt Christiani qui Jerusalem obsidendam reliquerunt, 275 D. — Quædam ejus verba referuntur, 211 D'.

ALÆ. Per illas significantur exercitus, 292 A'. — Alæ Sanctorum, sunt virtutes, 265 B.

ALBERTUS (B.) Magnus, O. P. theologus celeberrimus, episcopus Ratisbonensis, « vir subtilissimus atque doctissimus », 232 D, sæpe allegatur, 5 B, 12 B', 21 B, etc.

ALEXANDER Halensis, Doctor irrefragabilis, 409 C', citatur, 391, 403 B, 405 B, etc.

ALEXANDER Hyrcanus ornamentum quoddam apposuit in porta templi quæ dicitur Speciosa, 103 D.

ALEXANDRIA, civitas Ægypti, 212B'. — Alexandrina Ecclesia an et quatenus in Apocalypsi designetur, 264D'.

ALLELUIA significat, Laudate Dominum, 349C, 350D.

ALTARE figurat fidem seu caritatem, vel Christum, 439C', perfectos et contemplativos, 300A'. — Quid exprimatur per altare aureum, 286C, et per quatuor ejus cornua, 293C. — Altare Dei est mens devota, 334C'.

AMBROSIUS (S.), Mediolanensis episcopus, allegatur, 10C', 405A, 422D. (Migne *Patrol. lat.* tom. 14-17.)

AMETHYSTUS plenissimam Beatorum castitatem explicat, 371C.

AMOR. In illo relucet prima doni ratio, 87C'. — Unusquisque ei quem amat, cupit placere, 20D. — Privatus amor sui, omnium vitiorum est origo et radix, 21D'. — *Cf.* Caritas, Dilectio.

AMOS quomodo conversionem gentilium prophetaverit, 170A et seq.

AMPHIPOLIS, urbs Macedoniæ, 178B.

ANANIAS, vir Saphiræ, quomodo peccaverit, 113B et seq., non mentitus hominibus sed Deo, 113C', et cur morte punitus sit, 114A.

ANANIAS, qui Damasci erat Christi discipulus, 140D, qualiter a Deo admonitus, 140A' et seq., Paulum conversum adierit, 140D', a tenebris liberaverit et baptizaverit, 141A.

ANANIAS, princeps sacerdotum, jussit os S. Pauli percuti, 203C.

ANGELI utrum ante sensibilem mundum creati fuerint, 450C' et seq., et quanto numero, 271A'. In eorum hierarchiis quali ordine fiant illuminationes, 149B', 327B'. Illis materia corporalis obedit quoad motum localem, 154D. — Quomodo in cœlo Deum colant, 283D et seq. Quo sensu ibidem præliati sint, 309C', 310B. De quolibet ordine angelorum aliqui lapsi creduntur, 292D'. — Homines dicuntur angelorum fratres, 311B. Regnis præsident angeli boni, sed et apponuntur angeli mali, 280C, 292C'. Quilibet homo habet etiam angelum sanctum custodem, 154C', et diabolum exercentem, 292D', 404B'. Quare salvationi hominum congratulati sint angeli, 271D. — Per angelos factæ sunt propheticæ revelationes, 260A, eorumque ministerio data est lex Moysis, 131D. Diversæ ipsorum apparitiones narrantur, 88C, 116C, 127B', 136A', 144A', etc. — Angeli cum Christo pugnabunt contra Antichristum, 353C', ignem conflagrationis ultimæ diffundent, 327C, reprobos suscitatos ad locum judicii deferent, 327D', eosque in infernum contrudent, 327C', secum autem in patriam ducent homines suæ directioni acquiescentes, 373A. Non tantum virgines ad angelicos ordines assumentur, 321A. — Quinam intelligantur per quatuor angelos qui alligati sunt in Euphrate, 293A'. — « Angelus » nominatur sacerdos vel pontifex, quare, 238A.

ANGULI exprimunt prædicatores, 366C.

ANIMA interdum pro vita animali sensitiva accipitur, 213A. — Anima humana est prona ad malum atque infirma ad bonum, 415D. — Animas ante futuram resurrectionem beatificari probatur, 278C.

Anima fidelis de Deo uno et trino sentiat catholice, 56B', et nobiliter, 183D', ejus beatitudini congratulans, 230B, et congaudens, 272C. Qualem societatem cum illo habeat, 7D' et seq.; quomodo illum quærat, 183A, alloquatur, 8C, audiat, 8D, et in eo maneat, 14D', ita ut Deus sit ejus domus, ipsaque, domus Dei, 40A. — Ut Deo placeat, peccatum vitet, 266C, divini judicii districtionem perpendens, 361A', et summi Judicis præsentiam, 38A', 73A. Coram illo quotidie se accuset, 10B, 335B; cum ejus timore sumat cibum et potum, 72D', et ante comestionem oret, 145B'. Ipsum cum omni humilitate, subjectione, et reverentia precetur, 54D; si quid devotionis experiatur, illi adscribat, 459C, et se in ejus dilectione servet, 75D'. Ad Deum satagat se et sua jugiter ordinare, 231A', illum pulsantem non repellere, 257D, ipsi vacare, 227D', et cooperari, 8D', ad misericordiam ejus confugere, 410C', ita in illo sperans ut non cesset ejus præcepta implere, 413B, et opera plena illi offerre, 258B. — Per virtutes theologicas et per sapientiæ donum immediate in Deo delectatur, 413A', mediate vero per ceteras virtutes et reliqua dona, 413B'. — Indesinenter indigens actuali Spiritus Sancti directione, 460C, et motione, 461D, quomodo probabiliter cognoscat an eumdem Spiritum habeat, 44D'. — Beneficia Christi, præsertim ejus passionem recogitet, 272C', 461A, et de illis gratias agat, 305B. Quomodo Christi vestigia sequatur, 15A, et in eo constanter maneat, 27C. Quanto plus in imitatione ejus proficit, tanto plus eum induit, 306D', 331D'.

Qualiter proximum diligere debeat, 34 A, 39B', 43A', non verbo neque lingua, 37B', sed opere et veritate, 37 C', affectu supplens quod non potest in effectu peragere, 38A. — Opera misericordiæ corporalia ac spiritualia strenue exerceat, 455D'. Ad bona proximum suum hortetur, 378B, et quos verbis instruere non valet, per patientiam ædificet, 421D. Qua ratione peccatores de igne rapiat, 76C, et quo sensu exire jubeatur de congregatione malorum, 344B, non ex humana verecundia cessans ab actibus bonis, 444D, nec propinquorum amore discedens a via perfectionis, 404A. Defleat in primis propria, deinde et proximorum peccata, 402A, 417D. — Devotos ac religiosos visitet atque audiat, 139D', correctiones fratrum vel superiorum gratanter accipiens, 10C, et flagitium detractionis maxime devitans, 424C.

Se sanctificet, 30D, cor suum secundum Scripturæ doctrinam conformet, 38 D, et sollicite custodiat, 373B'. In luce ambulet, 7D, de virtute in virtutem procedens, 7A'. — A triplici concupiscentia purgetur, 22D, non inhærendo rebus carnalibus sed summo bono, 23B, 414A'. Peccatum quanto odio habeat, 8 D, quotidie conscientiam suam discutiens, 388, 422C'. Opportuno tempore confiteatur, 10B, plene, non superficiali consuetudine, 414B'. — Conetur prævalere suæ carni, 417B', vincere in bono malum, 424B, præsentis vitæ delicias non admittere, 351 C', proficiendi propositum quotidie resumere, 376D', continuis orationibus insudare, 290A, pro gratia ejusque incremento deprecari, 378C', spiritualiter innovari, 403 C', vitam inchoare cœlestem, 283C', et ad priorem fervorem reverti, 241D, 248A. — Pro fidei defensione qualiter pugnet, 68A, ejusdem fidei fundamento firmiter inhærens, 75B'. Quatenus se ipsam vere diligat, 311A'. — Non fiat nimis secura, 46C', non præsumat de viribus suis, 76D, nec aliquid sit in oculis suis, 418A', sed gloriam mundi pro nihilo arbitretur, 445C'. Sine prudenti consideratione nihil peragat, 265B'; sobrie et modeste loquatur de futuris actibus, 187A'. Utrum aliquando se excusare possit, 11A. — In tribulationibus non frangatur, sed confidentiam servet, 441B, 454A', et gaudeat, quare, 119A'. Ex afflictionibus salubriter informetur, 408A'. — Ad præliandum contra vitia et dæmones quomodo excitetur, 422B, et quibus mediis utatur, 411B, 461A. Indiget præsidio B. V. Mariæ, 460D', angelorum, 423C, et aliorum Sanctorum, 460D'. — Omnem diem quasi ultimum reputans, 450B, quo morti propinquior efficitur, eo ferventior sit, 401A, et usque in finem perseveret, 242A'.

ANIMALIA quatuor, plena oculis ante et retro, 265A', requiem non habebant, quo sensu, 265C'. — Explanantur eorum verba, 265D', 266C', 270A'. — Quosnam designent, 263B' et seq., 265A', 270B, 350A, etc., et quid significent sex eorum alæ, 265B. — Sancti per illa figurati, an tempore visionis fuerint defuncti, 273C.

ANNI. Per mille annos in Apocalypsi exprimitur tempus evangelicæ legis, 356A'.

ANSELMUS (S.), Cantuariensis episcopus, allegatur, 46A, 456B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 158 et 159.)

ANTICHRISTUS, per bestiam designatus, 302B', 313C, 335C', ex tribu Dan dicitur nasciturus, 282A. — In illo supremus diabolus habitabit, 335C'. — Quid prænuntietur de Antichristi persecutione, 278D, 280A, 293C', 315A, etc., de ejus potestate, 314A, 315A, prodigiis, 314C, 316C', et blasphemiis, 314B', 338D'. Variis modis persuadebit se verum esse Christum, 302C', et tanquam Filius Dei adorabitur, 314D. An vera miracula facturus sit, 319A et seq. Genus humanum ab ipso falli permittet Deus, quare, 315C'. — Quid intelligatur per Antichristi characterem, 317A', 323B', et numerum, 317D'. — Annis tribus cum dimidio regnabit Antichristus, 301B, ejusque satellites in principalibus regnis dominium tenebunt, 280B. Ipsius ministri seu prædicatores quænam operaturi sint prodigia, 316B' et seq. Utrum ejus tempore Ecclesia miraculis glorificanda sit, 302C. — Per prædicationem Eliæ et Enoch falsitas Antichristi detegetur, 335D; illis autem occisis, 302D', ipse peribit cum multis suis ministris, 303C', 355C', virtute Christi, 355C, ad quem postea totus pene mundus convertetur, 304C. — Explanatur illud : Hic est Antichristus qui negat Patrem et Filium, 25A'. — Antichristi dicuntur hæresiarchæ, tyranni, 24A, 41D, et qui alios scandalizant, 24B.

ANTIOCHIA Pisidiæ ubi sita, 158C'. — Quid in illa civitate S. Paulus dixerit, 159A,

quosnam converterit, 162 A', 163 B', et quam persecutionem passus sit, 163 C'.

ANTIOCHIA Syriæ olim Reblatha et Emath Magna dicebatur, 158 D'. — Ibi quomodo Judæis primum, 151 D, deinde gentilibus prædicatum fuerit Evangelium, 151 A' et seq. — In eadem civitate Christiani nomen suum acceperunt, 152 B, atque inceperunt collectæ pro fidelibus Judææ, 152 B'. — Antiochena Ecclesia an et qualiter in Apocalypsi designetur, 264 C'.

ANTIOCHUS non veram pœnitentiam egit, 438 D.

ANTIPAS (S.) martyr in Apocalypsi laudatur, 243 A'.

ANTIPATRIS, civitas Palæstinæ, unde nomen acceperit, 206 A'.

ANTONIUS (S.) abbas a dæmonibus pene usque ad mortem flagellatus est, 420 C. — Quomodo illi revelata sit humilitatis necessitas, 418 B'.

APELLES hæresiarcha confutatur, 4 C.

APOCALYPSIS revelatio dicitur, 225 A. — Liber Apocalypsis, qui est propheticus, 275 B, 376 C, ubi et quomodo compositus fuerit a S. Joanne, 224, qui nondum suum evangelium scripserat, 226 B'. Qua lingua editus sit idem liber, 318 B, et quomodo procedat, 275 B. — Obscuritatibus et metaphoricis locutionibus plenus est, 237 B', 258 C. — In illo sunt septem visiones, 258 C', sæpius idem repetitur sermo, 295 D', præteritum pro futuro interdum ponitur, 293 B', 303 B', 355 D', frequenter pro eodem sumuntur templum, Ecclesia et cœlum, 327 A, et descriptis Ecclesiæ persecutionibus consolatio datur ex descriptione mysteriorum Christi, 295 C', 305 C. — Quanta ejus utilitas, 376 A, ex saluberrimis documentis quæ in illo continentur, 226 D'. — Quomodo illum elucidaverit ipsius auctor, 376 D.

APOLLO quomodo Evangelium prædicaverit apud Ephesios, 187 D', et apud Corinthios, 188 A'.

APOLLONIA, civitas Macedoniæ, 178 B.

APOLLYON est diaboli nomen Græcum, 292 D'.

APOSTOLI, per coronam stellarum duodecim figurati, 307 D, baptizati sunt a Christo, 86 B, cujus deitatem agnoverunt, quomodo, 45 A. — De illorum ordinatione quid sentiendum, 157 B. Primi fuerunt pontifices evangelicæ legis, 204 D, quorum successores exstant episcopi, 90 D'. — Quantum mutati sint recepto Spiritu Sancto, 102 D, 117 A'. Quantus eorum fervor, 119 C', et quanta constantia, 133 D. Confirmati in gratia, mortaliter non peccaverunt, 94 C', atque ex revelatione noverunt se esse in caritate, 35 C', 40 A', 55 C'. Omnium gentium idiomata proferre potuerunt et intelligere, 94 C'. — In die Pentecostes, statim post acceptum Spiritum ingressi sunt templum, 95 C, spiritualiter ebrii, 96 C. — Utrum januis clausis ex carcere educti sint, 116 C, et cum Petro ad principes Judæorum fuerint locuti, 117 D. — Quot annis in Judæa prædicaverint, 167 D'. Eorum doctrina miraculis confirmata est, 52 B', 102 C, 115 C', et spiritu prophetico quo fulserunt, 298 B. Incerta et occulta sapientiæ suæ Deus illis manifestavit, quo sensu, 431 D et seq. Per discipulos suos solebant conversos baptizare, 150 B'. — Quomodo in Apocalypsi designentur, 273 B', 287 D, 369 B, 371 A'. — *Cf.* Discipuli.

APPIUS consul forum constituit cum tribus tabernis, 217 C'.

APULEIUS Platonicus allegatur, 181 C.

AQUA significat doctrinam, 290 B', populum, 320 B, 334 C, 338 D, et alia, 410 B. — Aqua viva est sapientia Dei beatificans et beata, 364 A. — Aqua vitæ est gratia et doctrina evangelica, 378 B.

AQUILA designat S. Joannem evangelistam, 264 B'.

AQUILA (S.) vir Priscillæ, de Ponte oriundus, 185 C, quo sensu fuerit scenofactoriæ artis, 185 C'.

ARABIA, quæ sacra interpretatur, quosnam habeat terminos, 95 D'.

ARATUS poeta a S. Paulo allegatur, 183 D.

ARBORES. Per illas designantur homines, 288 A, majores et perfecti, 291 C. — Arbores autumnales dicuntur hæretici, quare, 73 C.

ARCA testamenti mystice, juxta quosdam, est Christus, 306 B.

ARCHIDIACONI an septem diaconorum vices gerant, 121 D'.

ARCUS Scripturam signat, 273 D'.

AREOPAGUS, vicus Athenarum in quo Mars colebatur, 181 C, eratque curia magistratuum et schola liberalium artium, 181 B', unde nomen acceperit, 181 D. — In illo principalis philosophus fuit Dionysius, 184 A'. — Explanantur quæ ibidem locutus est S. Paulus, 181 B' et seq.

ARGUMENTUM tripliciter sumitur, 85 B.

ARIMASPI dicuntur contra gryphes dimicare ad rapiendos smaragdos, 369 D'.

ARISTOTELES « princeps philosophorum », 379, imo antonomastice « Philosophus », 5 C, a S. Hieronymo vocatur « princeps fatuorum », 379. — Allegantur ejus libri Primæ philosophiæ, 5 C, 267 A', 411 A', 446 D, Ethicorum, 368 C', 411 B', Politicorum, 412 C, 428 C', Cœli, 446 C. — Citatur insuper, 19 A', 63 D', 64 B.

ARIUS hæresiarcha, 276 C, quomodo erraverit, 135 C, et condemnatus sit, 295 B. — Superbissimus, turpissime interiit, 90 D.

ARS scenofactoria in quo sistat, 185 C'.

ARTEMO est modicum velum, directioni potius quam celeritati navis accommodatum, 215 A'.

ASER, qui interpretatur beatus, quosnam exprimat, 282 C.

ASIA minor, quibus provinciis constiterit, 95 B'. — Ejus Ecclesiæ, quas fundavit rexitque S. Joannes, 223, tempore hujus Apostoli septem fuerunt, 227 D.

ASSON, civitas Asiæ maritima, 193 A'.

ATHANASIUS (S.), Alexandrinus episcopus, allegatur, 451 A.

ATHENÆ, famosissima Græciæ civitas, 180 B, quæ studio philosophiæ vehementissime vacabat, 181 A'. — Ibi ara Deo ignoto consecrata fuit, quo sensu, 181 C', et qua occasione, 184 B'.

ATRIUM designat peccatores impœnitentes, præsertim hæreticos, 300 C'.

ATTALIA, civitas Pamphyliæ maritima, 167 A.

AUDITUS alius est exterior, 432 C', alius interior, nempe intellectus, 433 A.

AUGUSTINUS (S.), Hipponensis episcopus, quomodo psalmos pœnitentiales in ultima infirmitate meditatus sit, 463 A. — Allegantur ejus libri de Trinitate, 94 D, de Utilitate credendi, 41 C', de Videndo Deum, 43 C', de Civitate Dei, 105 D', 109 B', 180 B', 359 B, etc., de Hæresibus, 240 B', super Genesim, 43 C', Enchiridion, 30 A'. — Sæpe etiam citatur, 9 D, 10 C', 14 C, etc.

AUGUSTUS imperator. Ab illo ceteri Romani imperatores nomen sortiti sunt, 209 B'.

AUREA dicitur præmium essentiale Beatorum, 242 D.

AUREOLA specialis virginibus confertur, 320 C'.

AURICHALCUM quid sit et quid significet, 235 A.

AURUM sapientiam exprimit, 339 B. — Per aurum ignitum probatum designatur fervens caritas, 255 D.

AVARI figurantur per mercatores, 343 C', et per quadrupedia quæ terris adhærent, 146 A.

AVES. Per illas significantur fideles ad cœlestia se levantes, 355 A.

AZOTUS, urbs Philistinorum, 138 C'.

B

BABYLON, urbs Chaldææ, 343 B, confusio interpretatur, et regnum diaboli designat, 323 B, 343 A, vel collectionem impiorum, 337 D. — Roma a S. Petro « Babylon » vocatur, 303 B.

BALAAM in quo erraverit, 72 C, et quid regi Balac contra Israelitas suggesserit, 243 B'. — Quinam illum imitentur, 72 A'.

BAPTISMUS triplex est : fluminis, flaminis ac sanguinis, 49 A. — Sacramentum Baptismi, a Christo institutum, 50 D', indelebilem characterem imprimit, unde nec iteratur, 263 C. Quanta ejus dignitas, 52 A, et efficacitas, 55 B', 263 B. In illo circumcisi sumus, quo sensu, 415 D'. — Sub qua forma baptizaverint Apostoli, 101 C. — Adulti baptizandi fidem suam profitentur, 138 B. — Baptismus figuratur per mare vitreum mixtum igne, 329 D et seq.

BARBARI appellantur omnes præter Hebræos, Latinos et Græcos, 216 B.

BARNABAS (S.) quare sic vocatus, 112 A'. — Non idem erat ac Joseph Barsabas, 92 C', 112 C'. — Natus et passus fertur in Salamina, urbe Cypri, 157 A'. — Fuit persona notabilis, 112 B', et magnis virtutibus ornabatur, 151 D'. — Antiochiæ quid egerit, 151 C' et seq. Quo sensu et a quibus impositionem manuum acceperit, 156 B' et seq. — Iconii quid egerit, 164 B. — Lystræ pro Jove reputatus, 165 C, quomodo gentilium adorationem recusaverit, 165 A', 166 B. — Qualis dissensio facta sit inter illum et S. Paulum, 172 B'. — *Cf.* Paulus.

BASILIUS (S.), Cæsariensis episcopus, allegatur, 37 A', 360 C', 417 A'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 29-32.)

BEATI, caritatem perfectam habentes, 14 D, pleno gaudio replentur, 6 D. — Quare comprehensores dicantur, 44 D, necnon sacerdotes Dei et Christi, 358 A'. Spiritualia holocausta offerunt, 440 A', laudi et cultui Dei indesinenter insistentes, 371 B, et actibus latriæ dulcissime refecti, 371 C. — In illis quanta sit justitia, 27 D', et quo sensu virtutes

cardinales permaneant, 367 B'. — Per dona gloriæ Deo conformati, 29 B', illum vident sicuti est, 29 C', ejus claritatem habentes, 365 A', et beatitudinem participantes, 30 B. Quomodo nutriantur, 374 D et seq. Quo Deum clarius contemplantur, eo ipsum ferventius amant, 367 D'. — Instar vitrorum sibi mutuo patent, 369 B. — Qua mente tormenta reproborum conspiciant, 324 B. — Post resurrectionem, eorum corpora erunt impassibilia, agilia, clara atque subtilia, 362 A', 374 B'. Ambulabunt in lumine corporum glorificatorum, 372 A'. — A Deo illuminati nunquam deviare aut falli poterunt, 375 C'. Deus absterget omnem lacrimam ab oculis eorum, 284 D', 363 A', habitabitque cum illis, 363 C, et in illis, 372 A, 375 A. — Servient Deo, 375 A, cujus faciem videbunt, 375 B. — *Cf.* Electi, Sancti.

BEATITUDO est status omnium bonorum aggregatione perfectus, 374 D. — In quo essentialiter sistat, 6 B. — *Cf.* Cœlum.

BEDA (S.) Venerabilis, Ord. S. Benedicti, citatur, 20 A', 31 A, 62 C', 70 C', 74 C, etc. — Allegatur ejus libellus de expositione nominum locorum quæ in Actibus Apostolorum exprimuntur, 197 A. — (Migne *Patrol. lat.* tom. 90-95.)

BENEDICTUS (S.) abbas quomodo contra concupiscentiam pugnaverit, 403 D.

BENEFICIA ecclesiastica concedenda non sunt ex carnali affectu, 92 C'.

BENJAMIN, qui filius dexteræ interpretatur, quosnam figuret, 282 C'.

BERENGANDUS (alias Berengaudus), Ord. S. Benedicti, sæpe allegatur, 227 B, 232 A', 235 B, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 17, col. 765 et seq.)

BERNARDUS (S.), abbas Claræ Vallis, septem laudat Dei misericordias, 455 A'. — Quomodo contra concupiscentiam pugnaverit, 403 A'. — Allegatur ejus opus de Consideratione, 388, unusque ex ejus sermonibus de B. V. Maria, 307 A'. — Citatur insuper, 24 B, 51 B, 414 A', etc. — (Migne *Patrol. lat.* tom. 182-185.)

BEROEA, urbs Macedoniæ, 179 A'.

BERYLLUS donum timoris congrue designat, 370 A'.

BESTIA figurat diabolum, 341 A, falsos deos, 357 C', Antichristum, 313 C, ejusque ministros, 316 A'. — Quid sit ejus character, 317 A', 323 B', 333 C, 355 B', et numerus, 317 D' et seq. — Per bestias terræ intelliguntur concupiscentiarum motus, vel crudeles principes, 277 A'.

BILIBRIS, mensura seu vas continens duas libras, quid signet, 276 B'. — Bilibris tritici mystice est collectio eminentium personarum Ecclesiæ, 276 C'. — Bilibres hordei fidelium multitudinem figurant, 276 D'.

BITHYNIA est nomen provinciæ Asiæ minoris, et civitatis in ea, 174 B. — Ibi prædicavit S. Lucas, 174 C.

BOLIS est pondus plumbi, aut similis rei, quo maris profunditas investigatur, 214 A'.

BONAVENTURA (S.), Ord. Min., Albanensis episcopus, allegatur, 390, 402 D', 405 B, etc.

BONIFACIUS (S.), Moguntinus archiepiscopus, utrum in Apocalypsi designetur, 328 C'.

BOSNIA est Mysia (Mœsia) superior, 174 B.

BOTRI vineæ terræ, sunt mali homines, 327 D.

BRACHIUM sæculare in certis casibus pro fide pugnare debet, 68 A.

BRUNO (S.), Cartusiensis Ordinis fundator, electus in archiepiscopum Rheginensem, hanc dignitatem respuit, 217 D, et solitariam vitam in Calabria finivit, 217 A'.

BULGARIA est Mysia (Mœsia) inferior, ubi sita, 174 B.

BYSSINUM sunt justificationes Sanctorum, quo sensu, 351 C.

C

CÆSAREA. Multæ sunt urbes hujus nominis, 187 B', inter quas Cæsarea Palæstinæ, ubi habitavit Cornelius centurio, 143 D, et domum habuit diaconus Philippus, 138 C'; Cæsarea Philippi, quæ a Philippo Herodis filio cognominata est, 143 D'; et Cæsarea, quæ vocatur Diocæsarea, 187 B'.

CAIN, cujus munera a Deo non fuerunt accepta, quare, 34 B', fratrem suum Abel ex invidia trucidavit, 34 A', 35 A, et a Domino reprehensus, se emendare contempsit, 396 D. — Quinam illum imitentur, 72 A'.

CAIUS a S. Joanne epistolam accepit, 61 A, et laudatus est, 61 A' et seq., præsertim de caritate, 62 B.

CALAMUS accipitur pro mensura, 300 A, vel pro instrumento scriptorio, 300 B.

CALCULUS candidus significat corpus glorificatum, 244 C'.

CALIX designat pœnam, passionem, 323 C', et mensuram retributionis aut ultionis, 323 D'.

— Cur per calicem vini pœna malorum intelligatur, 337 B'.
CANDELABRUM aureum dicitur Ecclesia, quo sensu, 233 C et seq.
CANES figurant iracundos, gulosos, et recidivantes, 377 A'.
CANTICUM novum quomodo ab electis cantetur, 320 D. — Quid sit canticum virginum, 320 C' et seq.
CAPILLI capitis mystice sunt cogitationes affectionesque cordis, 292 C.
CARIA, provincia Asiæ, 174 B'.
CARITAS, quæ vestis nuptialis dicitur, 250 A, et designatur per jaspidem, 369 C, est vita animæ, 249 A, et supernaturalis similitudo increati amoris, 42 B'. — Quanta ejus dignitas, 9 A, et sublimitas, 28 A'. Secernens filios Dei a filiis diaboli, 33 D et seq., mortale peccatum secum stare non sinit, 10 A, quantumlibet sit parva, 424 C'. Omnes virtutes virtualiter continet, 32 D', 255 D', easque convocat in domum gaudii, 433 D. Contra terrorem judicii confidentiam donat, 46 B'. Per illam qualiter Deo assimilemur, 46 D'. Ab ipsa est omnis meritoria actio aut elicitive aut imperative, 32 C'. — Quando perfecta sit, 14 A, secundum triplicem gradum, 14 B. Caritas fervens est aurum ignitum probatum, quo sensu, 255 D. Perfecta caritas foras mittit timorem servilem, 47 B, non autem filialem, 47 C'. — Caritas Dei et dilectio proximi inseparabiliter sunt connexæ, 34 D, 49 D, nam eadem est caritas habitualis qua Deus proximusque diligitur, 48 B. — Caritas omnia facit esse communia, 102 A', et quo perfectior eo liberalius se communicat, 112 A. Quomodo servetur, 75 D', et qualis sit ejus ordo, 36 C'. — Præceptum caritatis, a principio generis humani naturaliter cordibus insitum, 15 A', in lege scripta renovatum est, 15 B', et in lege evangelica clarius explanatum, 15 C'. In illo cetera præcepta virtualiter continentur, 15 D. — Utrum ex caritate facienda sint opera pœnitentiæ, 402 B et seq. — An aliquis scire possit se esse in caritate, 13 B, 14 C', 40 A', 55 C', vel alios in statu caritatis exsistere, 33 C', 55 A. — Quanta sit Dei erga nos caritas, 43 A et seq., 45 C', 47 D'. — Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo, quo sensu, 46 D. — *Cf.* Amor, Dilectio, Præcepta.
CARO interdum pro sensualitate accipitur, 415 C'. — Quid sit concupiscentia carnis, 20 A'.
CARPUS (S.), juxta quosdam, est episcopus Pergami de quo loquitur Apocalypsis, 245 C.
CASSIANUS (Joannes) citatur, 114 C', 154 A. (Migne *Patrol. lat.* tom. 49.)
CASTOR et Pollux a gentilibus in periculo maris invocabantur, 217 C.
CATENA signat multitudinem electorum, 356 C.
CATHOLICI veri unctionem qualem habeant, 24 B', et quo sensu omnia noverint, 24 D'. *Cf.* Christianus.
CENCHRÆ, portus Corinthius, 187 B.
CERINTHUS hæresiarcha, « filius diaboli », 246 D', adhuc vivente S. Joanne evangelista in Asia surrexit, 24 A, 239 A'. — Docuit legalia cum Evangelio observanda, 246 D'. — Confutatur, 3 A, 4 C, 41 C.
CHALCEDONIUS lapis donum intellectus figurat, 369 A'.
CHARAN, urbs Mesopotamiæ, in Genesi dicitur Haran, 123 C'.
CHIOS, insula Ægæi maris, 193 B'.
CHOSROAS, rex Persarum. Utrum ejus filius in Apocalypsi designetur, 318 B' et seq.
CHRISTIANUS an et quatenus per quatuor animalia Apocalypsis intelligatur, 265 A. — Quomodo Christum imitari debeat, 15 A. — Retribuere bonum pro malis, ad omnem pertinet Christianum, 423 D, et qui malum pro bono reddunt, prorsus indigni sunt Christiani appellari, 423 A'. — Christiani, qui filii Patriarcharum vocantur, quo sensu, 282 B, qualiter pro fidei defensione pugnent, 68 A. A tempore Neronis usque ad Constantini conversionem, magnas persecutiones passi sunt, 276 A. — *Cf.* Catholici.
CHRISTUS est Verbum Dei, 353 B', Verbum Patris incarnatum, 41 A, virtus et sapientia Patris, Unigenitus Dei et verus Deus, 271 D', solus Dominator et Dominus, 68 C' et seq., 100 D', 148 B', Rex regum et Dominus dominantium, 354 A', Veritas, 51 C et seq., Auctor vitæ, 105 B, lux vera, 16 D, lumen hominum universorum, 211 D, stella matutina, 247 C', 377 D', sol justitiæ, 236 B, 278 A', 306 D', redemptor, Dei ac hominum mediator, 12 D, 77 A, 148 B', salvator generis humani, 43 D, 45 B, salvator mundi, 219 B', causa nostræ salutis, 283 C, principium creaturæ Dei, 254 C', Salutare Dei, 434 B', primogenitus mortuorum, 228 D', Ecclesiæ caput, 117 C', primum fundamentum, 367 A, et princeps, 117 B', judex vivorum et mortuorum, 149 C'. — Vocatur etiam Alpha et Omega, princi-

pium et finis, 231 B, primus et novissimus, 236 A', Sanctus et Verus, 251 B', justus, 12 A, 131 B. Fidelis et Verax, 352 B', Amen, testis fidelis et verus, 254 B', advocatus et orator noster, 11 D', magni consilii Angelus, 280 C', 285 C', 296 A, summus atque æternus sacerdos, 230 A, princeps regum terræ, 229 B, Agnus, 269 A', 279 A, 341 A', templum Dei, 305 C', area novi testamenti, 306 B, altare, 277 B', 327 C, leo de tribu Juda, 268 D', lignum vitæ, 241 B, 374 C, radix David, 269 A, 377 C', manna absconditum, 244 C et seq., lapis angularis, 108 C', 331 C', et pretiosus, 365 C', calculus candidus, 244 C', ostium apertum, 259 B. Utrum dicendus sit propheta et angelus, 106 A'. — In nomine Christi qualiter intelligantur Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, 25 B', 101 D. — Quomodo Christus, per angelum repræsentatus, depingatur, 233 A' et seq., habens claves mortis et inferni, 236 C', vel amictus nube, etc., 296 A et seq. — Per quatuor animalia Apocalypsis an et quatenus designetur, 265 A.

De Christi divinitate et humanitate. Generatio ejus enarrari nequit, 137 B'. — Patri consubstantialis et coæqualis, 45 B', in una persona et duabus naturis, 3 B', est verus Deus verusque homo, 270 A', 353 D. — Probantur ejus vera divinitas veraque incarnatio, 4 C, 58 D, 195 A', 236 C'. — Ab exordio incarnationis fuit comprehensor perfectus, 31 B, 53 A', viator simul exsistens, quo sensu, 99 D'. — Quanta ejus scientia, 225 A, 270 C'. Illi competit omnem mentem creatam purgare, illuminare et perficere, 269 C. — Ejus humanitas quomodo fuerit Verbi instrumentum, 98 B', 228 B', et quando omni creaturæ prælata sit, 247 A'. — Illum, ut hominem, Spiritus Sanctus unxit, misit, 149 A, et in omnibus direxit, 84 B'. — Ejus gratia quodammodo infinita consistit, 149 A. Secundum quod homo, quatenus sit causa pacis et gratiæ, 228 B'. In illo quomodo sit gratia capitis, 100 A'. — Deus erat cum illo, quo sensu, 149 C. — Per vestimentum ejus significatur ipsius humanitas; per femur, spiritualis fecunditas, 354 B'.

De primo Christi adventu. Quomodo de illo locuti sint Prophetæ, 106 D', 150 A, 178 D, 434 B'. — In adventu ejus impletum fuit tempus hebdomadarum annorum, de quibus Daniel, 447 A. — Ante suam nativitatem ex Virgine, voluit pacem esse in mundo, 281 A'. — Primum ejus adventum quænam signa illustraverint, 97 B', et quomodo illi obedierint creaturæ, 88 B. Innumerabilia fuerunt ejus miracula, 83 B. — Tripliciter tentatus est, 20 C'. — Affectuosissime ac seriosissime prædicavit, 297 C, multa dicens quæ in Evangelio non habentur, 196 B'. Cærimonialia legis in melius mutavit, 122 D', et præcepta moralia evangelicis perfecit consiliis, 123 A. Quomodo Trinitatem doceat, 51 D'. Lex ejus est lex pietatis, 68 A'. — Quod fecit edocuit, 83 C', in cunctis operibus suis immaculatus, 296 C. — Nudis pedibus incessit, 160 C. — Sacramentum Baptismi instituit, 50 D', ejusque formam statuit, 101 C. In cœnaculo celebravit, 89 A, 285 D', et passione instante, oravit pro sui corporis glorificatione, 440 C, quam promeruit, 270 C'.

Passio ejus, quæ prænuntiata erat, 137 D et seq., fecit illud futura quod facit præterita, 109 C. Christus est Agnus occisus ab origine mundi, 315 C. Definito consilio et præscientia Dei traditus, 98 C', divina ordinatione passus, 105 D', sanguine suo Ecclesiam acquisivit, 195 D, et lavit nos a peccatis nostris, 229 A', 432 B', pro quibus est propitiatio, 12 B, 453 C', eadem tollens, 30 D'. Quo sensu per aquam et sanguinem venerit, 50 C', eumque pati oportuerit, 178 D. — Cum mansuetudine summa ivit ad locum supplicii, 137 D, et vere mortuus est, 99 C', præceptum caritatis perfectissime implens, 16 A, in ipsa morte sua, 16 B. — Quantam satisfaciendi potentiam habuerit, 12 A', apud quem copiosa est redemptio, 455 B. Non est in alio aliquo salus, 109 A. — Suæ passionis merito humanum genus Deo reconciliavit, 12 C, diabolum vicit, 257 B', et quantum in ipso fuit, universos salvavit peccatores, 149 B, 455 C. Hoc meritum hominibus applicatur per sacramenta, 7 C', 50 D', 169 A', quæ de ejus latere fluxisse perhibentur, 51 A. — Ejus corpus et anima per mortem separata sunt, sed utrumque Verbo mansit unitum, 99 B'. — Ad limbum veniens, sanctos in eo detentos beatifica visione illustravit, 99 B. — Ipse ut Deus se ipsum suscitavit, solutis doloribus inferni, quo sensu, 99 A, 211 C. Qualiter probaverit se resurrexisse, 85 D, 160 C'. Quoties post resurrectionem cum discipulis manducaverit, 85 A'. — In die ascensionis apparuit primo in conclavi, deinde in mon-

te Oliveti, 86 A'. Quomodo in cœlum ascenderit, 84 C', 88 A.

De Christi regno et secundo adventu. Qualis sit victoria Christi, 268 D', 274 C, qui diabolum ligavit, 356 D, et in abyssum misit, quo sensu, 356 A' et seq. Quando data sit illi corona, 274 A. Pro quibus interpellet, 12 B', et qua voce, 12 C'. Qua ratione dicatur in regno cœlesti consistere, 241 B, in medio fidelium ambulare, 238 C, in throno sedere, vel stare, 269 B'. — Triplex est ejus sponsa, nempe Ecclesia, anima, et B. V. Maria, 351 B. Nuptiæ ejus cum Ecclesia describuntur, 350 D' et seq. — Est in Ecclesia militanti per sacramentalem præsentiam, 241 B, nos corpore et sanguine suo reficiens, 244 A'. — Quantum nos dilexerit, 229 D. Quanta ejus unio cum fidelibus, 139 B. Electi veteris testamenti quo pacto illi fuerint uniti, 169 B'. Omnis qui in illo manet, non peccat, quo sensu, 31 B et seq. Quomodo det gratiam, 378 B', per quam salvamur, 169 D. — Quemadmodum vestis corpus, sic Christus animam tegit, 306 D', ornat, protegit, calefacit, 307 A. — Quis veraciter eum agnoscat, 12 D' et seq. Qualiter ei benedicamus et ipse nobis benedicat, 271 D'. Illi servire, regnare est, 271 B. — Qui se Christo opponunt, sibi nocent, non illi, 139 A'. Qui alios scandalizant, Christum persequuntur, 139 C. — Christus Antichristum perimet, 341 B'.

Judex universorum constitutus, 184 C, quomodo ad nos venturus sit, 27 D, cum angelis et Sanctis, 74 A, 230 C. Per passionem suam meruit judicii exsecutionem, 258 A, 270 C'. — In die judicii a bonis et malis corporaliter in forma humana conspicietur, 230 D, et plangent se super eum omnes tribus terræ, 230 D'. — Tanquam judex in Apocalypsi repræsentatur, 326 C. — Est lumen Ecclesiæ triumphantis, 365 B', seu lucerna cœlestis Jerusalem, 372 C. Secundum naturam humanam, est præcipuum præmii accidentalis objectum, 372 B, ipse quanta felicitate fruens, 283 C. Corpus ejus, in quo remansisse perhibentur cicatrices quinque vulnerum, 416 A', lumen solis inæstimabiliter superat, 372 A'. Faciem ejus corpoream corporalibus oculis videbunt Beati, 375 C. — *Cf.* Filius, Jesus, Verbum.

CHRYSOLITHUS donum pietatis exprimit, quare, 370 D.

CHRYSOPRASUS prudentiam convenienter designat, 371 A.

CHRYSOSTOMUS (S.), Constantinopolitanus episcopus, allegatur, 405 A, 409 D', 414 A', etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 47-64.)

CICATRICES spiritualiter dicuntur reliquiæ vitiorum deletorum, 416 A'.

CILICIA, provincia Asiæ, 171 A'.

CINIS tanquam panis a pœnitente manducatur, quo sensu, 444 B'.

CINNAMOMUM est species aromatica, cinereum habens colorem, 346 C'.

CITHARA mortificationem carnis exprimit, 270 C. — Citharæ Dei sunt mentes Deo devotæ, 330 A. — Quid intelligatur per citharas Sanctorum, 330 A, et per Dei citharistas, 320 C.

CIVITAS Dei nova, est Ecclesia militans, 254 B, vel triumphans, 254 A', quæ describitur, 362 A' et seq., 365 A et seq. — Civitas quænam spiritualiter vocetur Sodoma et Ægyptus, 302 D'.

CLAMOR noster quo sensu ad Deum veniat, 440 D.

CLARITAS Dei. Quomodo illam habeant Beati, 365 A', 372 C.

CLAUDIUS imperator quando et quare Judæos Roma discedere præceperit, 185 D. — Quarto anno ejus imperii evenit fames quam prædixerat Agabus, 152 A'.

CLAUDIUS Lysias, tribunus, quid erga S. Paulum egerit, 199 A' et seq., et de ipso scripserit ad Felicem præsidem, 205 D'.

CLAUDUS a S. Petro curatus, erat etiam paralyticus, 103 C, et designat Christianum vitiis assuetum, 107 B', sed postea conversum, 107 C'. — Claudus a S. Paulo quomodo Lystræ sanatus sit, 164 C' et seq.

CLAVIS David est virtus illuminativa per quam Christus aperit nobis mysteria Scripturarum, 251 C'. — Claves mortis et inferni habet Christus, quo sensu, 236 C'.

CLEMENS (S.), « martyr, doctor et Pontifex summus », 35 D', quid referat de S. Petri pœnitentia, 401 C', caritate, 447 A', et verbis circa triplex homicidium, 35 D'. — Ejus parentes pœnas quasi intolerabiles passi sunt, 396 B.

CLIMACUS (S. Joannes), abbas montis Sinai, quid referat de quibusdam monachis mirabilem pœnitentiam agentibus, 393. — Allegatur etiam, 390. — (Migne *Patrol. gr.* tom. 88.)

COÆQUÆVA quatuor ponuntur : cœlum empyreum, angelus, materia, tempus, 451 B.

COCCINUM cruentam ferocitatem figurat, 339 B.

COELUM empyreum est inter corpora nobilissimum, 451 C'. Ibi locatur Ecclesia triumphans, 365 B, et Deus dicitur residere, quo sensu, 449 B. — In illo est perfecta justitia, 58 B. — Utrum in eo futura sit laus vocalis, 363 B'. — Diversi cœli distinguuntur, 451 B'. Cœlestia corpora an sint incorruptibilia, 451 D'. Cœli peribunt, 451 C'. Cœlum in melius mutabitur, 359 D', 361 B et seq. — Quomodo cœli lætentur, 311 C'. Per cœlum apertum quid significetur, 352 B'. Cœli qualiter aperti sint ante oculos S. Stephani, 132 A'. — Cœlum Ecclesiam designat, 278 C', 329 A, 349 C. — *Cf.* Beati, Sancti.

COENACULUM. In illo Christus primam Missam celebravit, 89 A.

COENOBITÆ conversationem primitivæ Ecclesiæ imitantur, 112 A. *Cf.* Monachi, Religiosi.

COGNITIO fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, 29 C'. — Cognitio Dei alia est informis, alia formata, 13 A, 42 A.

COLLECTÆ quomodo factæ sint pro fidelibus Judææ, 152 B', 190 D'.

COLLYRIUM quid sit et quid designet, 256 B.

COLONIA. Quæ civitas ita vocetur, 174 C'.

COLUMNA perfectos, prædicatores ac prælatos signat, 254 A.

COLUMNA (Prosper Colonna), Cardinalis, nepos Martini V, a Dionysio Cartusiano laudatur, 388, 463 C'. *Cf.* Dionysius Cartusianus.

COMPREHENSORES. Quare sic appellentur Beati, 44 D.

CONCUPISCENTIA triplex describitur cum suis effectibus, 20 D et seq.

CONFESSIO culpæ est iter renovationis animæ, 407 A'. — In lege naturæ et in lege scripta sufficiebat confessio Deo facta, 9 D'. — Confessio sacramentalis quomodo necessaria sit, 409 B, et quænam in ea valeant ad remissionem peccati, 406 B'. Fieri debet sacerdoti jurisdictionem habenti, 9 C', tanquam vicario Dei, 389. — De triplici confessione fit mentio in Scripturis, 45 D. — Confessio fidei est informis vel formata, 45 D. — *Cf.* Pœnitentia.

CONSCIENTIA non potentiam aut habitum nominat, sed actum, 203 A. — Conscientia pura salubrem gignit fiduciam, prava autem formidinem, 27 D. — Conscientiarum libri aperientur in finali judicio, 360 B.

CONSILIUM proprie sumptum, Deo non competit, quare, 195 B. — Per consilia evangelica perficiuntur præcepta moralia, 123 A. Qui ea observant, quo sensu sint perfecti, 14 D.

CONSTANTINOPOLITANA Ecclesia an et quatenus in Apocalypsi designetur, 264 D'. — Constantinopolitana synodus Macedonium condemnavit, 295 C.

CONSTANTINUS imperator utrum et qualiter in Apocalypsi figuretur, 281 B'. — Ante ejus conversionem magnas persecutiones passi sunt Christiani, 276 A.

CONTEMPLATIVI per diem designantur, 289 D. — Quandonam ab actibus vitæ contemplativæ cessandum sit, 146 C'.

CONTRITIO adæquata esse debet multitudini ac magnitudini culparum, 419 A, 424 C'. Vera non est sine caritate, 424 C'. — Utrum parva contritio sufficiat ad delenda majora peccata, 424 B'. — Contritio qualiter ossa conturbet, 398 A. — Contritio cordis per collyrium exprimitur, 256 B. — Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet, quo sensu, 438 A. — *Cf.* Pœnitentia.

CONVENTUS devotorum et religiosorum est honorandus, 89 C'.

CONVERSIO. In conversione alterius Deo cooperari, quanta sit gratia, 168 A'.

COOS insula ubi sita, 196 D.

COR qualiter arescat, 442 D. — Cordis crassitudo reddit animam acediosam ac tenebrosam, 219 A. — Fundus cordis humani strato assimilatur, 20 C. — *Cf.* Anima.

CORE. Illum quinam imitentur, 72 B'.

CORINTHUS, civitas Achaiæ, 186 C'. — Quid ibi egerit S. Paulus, 185 C et seq.

CORNELIUS centurio, de Italia oriundus, 143 D', quibus virtutibus floruerit, 143 D', 144 A, 146 D', 147 D, et utrum fidem de Christo habuerit ante angelicam apparitionem, 144 D'. — Quomodo angelum viderit, 144 A', quid ab illo audierit, 144 B' et seq., et qualiter Spiritum Sanctum acceperit, 150 A.

CORONA vitæ, est præmium essentiale Beatorum, 242 D. — Quo sensu data sit Christo corona, 274 A. — Quid intelligatur per coronas aureas, 262 B', 326 D, per coronas similes auro, 292 A, et per coronam stellarum duodecim, 307 D.

CORPUS, per tunicam maculatam designatum, quo sensu odiendum sit, 76 A', vel diligendum, 76 C'.

CORRECTIO quantum prosit, 462 D', et quam culpabilis ejus omissio, 244 A. — Qualiter facienda sit, 239 B. — Grataner accipienda est, 10 C.

CORRUPTIO in affectu, parit corruptionem in intellectu, 109 C'.

CREATURA a Creatore indesinenter dependet, 7 A, et multipliciter dicitur in Deo esse, 14 C'. — Ibi incipit ejus imperfectio ubi finitur ejus perfectio, 7 B. — Quo sensu sit in ea vanitas, 7 B, 321 D'. — Res creata duplici ratione est vera, 64 A. — In creaturis relucet Creatoris majestas, 182 C'. — Nomine creaturæ aliquando intelligitur homo, 288 A'.

CREMIUM quid sit, 442 B.

CRETA, civitas seu insula Asiæ, 212 B'.

CRYSTALLUM. Illi assimilatur claritas Sanctorum, 365 D'.

CULPA. Ejus confessio est iter renovationis internæ, 407 A'. — Excusatio et negatio propriæ culpæ gravia sunt peccata, 407 B', etsi quædam culpæ occultatio sit bona, 407 C'. — Ex pœna cognoscitur culpa pro qua infligitur, 408 A'. — *Cf.* Contritio, Peccatum.

CURA immoderata, non ordinata providentia, prohibetur, 153 A'. — Cura animarum quam periculosa, 244 B.

CUSA (Nicolaus de), Cardinalis et Legatus S. Sedis, a Dionysio Cartusiano laudatur, 467. *Cf.* Dionysius Cartusianus.

CYPRUS insula ubi sita, 151 D.

CYRENE civitas Libyæ, 122 D.

CYRILLUS (de Guidone), Italus XIII sæc. Ejus Proverbia allegantur, 418 B.

D

DÆMON vel Diabolus cur dicatur serpens antiquus, 310 D, draco magnus et rufus, 308 B, 309 D', 310 D, Satanas, 310 A', 357 C, accusator fratrum, 311 B, malignus, 18 A', 55 B'. — Diabolus interpretatur deorsum fluens, 357 C, et tribus linguis vocatur Abaddon, Apollyon et Exterminans, 292 D'. Designatur per montem magnum igne ardentem, 288 D. — Natura ejus in se est bona, 71 B. Quanta ejus potestas, 316 D'. — Diabolus ab initio peccat, quo sensu, 32 B. Quantum nocere cupiat, 312 A, non cessans persequi et tentare credentes, 312 B, mala sub boni specie suggerens, 420 D, et peccata blasphemiæ specialiter insinuans, 338 D'. Nihil valet nisi a Christo permissus, 356 B. Quomodo in terram projectus sit, 310 B'. — Quilibet homo habet angelum custodem, 292 C', et diabolum exercentem, 292 D'. Ante Salvatoris adventum, diabolus pene cunctis dominabatur hominibus, 340 A. In Antichristo supremus diabolus habitabit, 335 C', et adorabitur, 314 D. — « Diaboli corpus » appellantur perversi et persecutores, 334 A'. Ejus filii sunt homines vitiosi, 33 C, quomodo distinguendi a filiis Dei, 33 D. Ejus membra satellitesque sunt seductores, 26 A'. Ipsius equi dicuntur impii, 293 D'. Diabolici exstant qui spiritualibus vitiis involvuntur, 412 A'. — Qui facit peccatum, ex diabolo est, quo sensu, 31 C' et seq. A dæmonibus oppressus est, qui in mortali jacet peccato, 149 C. Vitiosi sunt servi dæmonis, virtuosi autem domini ejus, 271 C. Opera ejus qualiter dissolvat Filius Dei, 32 D. — Diabolus semel victus utrum non redeat ad eumdem tentandum, 404 D et seq. — Cum illo quando et qualiter S. Michael contentionem habuerit de Moysis corpore, 70 C' et seq. — Quare dæmon per pythonissam S. Paulum ejusque socios laudaverit, 175 B'.

Dæmones, qui appellantur volucres immundæ et odibiles, 343 D, per aerem designantur, 336 D'. — Quanta eorum multitudo, 423 B. — Quinam illorum ordines a gentilibus admissi sint, 180 D'. — Quid de illis sentiant Christiani, 181 C. — Nonnullos dæmones de ordinibus Principatuum et Potestatum fuisse probabile est, 460 D'. — Illorum diversi sunt principes, 405 B', quorum summus est Lucifer, 405 C'. — Dæmones contra sanctos angelos pugnant, quo sensu, 310 B, et quosdam sanctos viros corporaliter flagellaverunt, 420 B. — Triplex dæmonis damnatio ponitur, 356 A. Dæmones in judicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reservati sunt, quo sensu, 70 A. Peracto judicio, omnes diaboli in infernum mergentur, nec amplius egredientur, 359 B'. — *Cf.* Lucifer, Satanas.

DAMASCENUS (S.) allegatur, 75 D', 98 B', 185 A', etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 94-96.)

DAMASCUS, Syriæ metropolis, 129 D'.

DAMNATI qualem pœnitentiam agant, 400 C', et quomodo eorum peccata venialia puniantur, 412 D'. — Utrum in inferno peccent, 337 D'. — *Cf.* Infernus, Reprobi.

DAN. Ut dicitur, ex tribu Dan nascetur Antichristus, 282 A.

DATHAN vivus in infernum descendit, quo sensu, 355 C'.

DAVID « præclarissimus propheta », 100 B, qualiter Deo placuerit, 159 B'. — Christum devotissime præstolabatur et prænuntiabat, 434 C', loquens de ejus divinitate, 161 A, passione, 110 A' et seq., resurrectione 99 B', 100 C, 161 C, et ascensione, 160 A'. — Illi de proprio statu multa Deus revelavit per Nathan et Gad, 194 D. — Adulterando cum Bethsabee, secundum legem lapidandus erat, 415 D. Quo sensu Deo soli peccaverit, 428 D, et qualem pœnitentiam egerit, 420 C'. — Per David interdum Christus ad litteram intelligitur, 170 D. — Clavis David quid designet, 251 C'.

DECALOGUS, cujus præcepta manent in Evangelio, 193 D', quo pacto ad caritatem Dei et proximi referatur, 34 B. — Utrum servari possit sine gratia gratificante, 13 C et seq. — *Cf.* Lex.

DECRETUM (Gratiani) allegatur, 69 C'.

DEFUNCTUS. Pro quonam defuncto non sit orandum, 55 B.

DELECTATIO qualis sit inordinata, 5 B'. — Signum virtutis perfecte inexsistentis, est delectatio operationi conjuncta, 164 A.

DEMETRIUS a S. Joanne evangelista laudatur, 63 C.

DENARIUS mystice est pretium sanguinis Christi, vel vita beata, 276 C'.

DESERTUM figurat populum a Deo relictum, 338 B'.

DETRACTIO, quæ maxime vitanda est, 424 C, quatenus fiat peccatum mortale, 423 B'. — Detractor quando sit redarguendus, 62 C'.

DEUS unus est in natura, trinus in personis, 259 D. Vocatur Deus gloriæ, 123 D, cœli et terræ Dominus, 182 A, Rex sæculorum, 330 D, vivens in sæcula sæculorum, 266 A', 272 A', 298 A, Sanctus Sanctorum, 283 C', lux, 6 A' et seq., 283 B', caritas, 42 D', 46 A et seq., veritas, 63 C', scrutans corda et renes, 246 D. — Est primum ens, 446 C, in quo idem sunt essentia, virtus et actio, 426 D'. Spiritus simplicissimus et immensus, 130 A', 452 D, esse verum, plenum, perfectum possidet, 231 A', et in æternum permanet, 446 C, in se ipso immobiliter consistens, 7 D, omnimodam incommutabilitatem habens, 452 B, atque perfectissimam unitatem, 452 C. — Est in omnibus per essentiam, præsentiam et potentiam, 46 A', 182 D'. Ibi specialiter esse dicitur, ubi specialiter operatur, 128 D. Non indigens loco, 130 C', in illo non est circumscriptive nec definitive, sed transcendenter, 449 B. Quo sensu dicatur in cœlo empyreo habitare, 449 B. — Omnis boni fons opulentissimus, 350 D', 423 D', quo sensu omnia creaverit, 266 D', et quanta libertate, 267 A. An angelos ante mundum sensibilem fecerit, 450 D'. Quomodo corporalia creaverit, 451 B. Omnia ex illo sunt quantum ad id boni quod habent aut sunt, 63 B, et amor ejus increatus est causa effectiva totius boni creati, 43 D. Ab illo procedit omnis vita, 272 B'. Etsi dicatur æternus creator, ab æterno non creavit, 77 B'. In illo quotuplici sensu sit creatura, 14 C'. In ipso vivimus, movemur et sumus, 183 B.

Inter ejus attributa non est ponenda distinctio formalis, 452 A'. — Soli sibi comprehensibilis, 44 B, solus perfecte se diligit, 14 B. — Describitur ejus sanctitas, 266 B, justitia, 330 C, 334 D, pietas, 454 D', misericordia, 246 A, 397 C, quæ in infinitum major est miseria nostra, 426 C. — Perfecta providentia omnibus præsidens, 182 A, sibi prorsus sufficiens, 182 C, quomodo mundum et unumquemque in illo exsistentem regat, 412 A. — Ultra condignum remunerans, 364 A, et citra condignum puniens, 324 A, 345 A, nullum malum deserit impunitum, nullum bonum irremuneratum, 436 D. Detestatione immensa turpitudinem culpæ abominatur, 266 C. Non est personarum acceptor, 147 D' et seq. Bona scit per approbationem, mala per simplicem cognitionem et detestationem, 248 C'. — Ab illo est omnis potestas, 314 A. Magna et mirabilia sunt ejus opera, 330 B. Quo sensu illi soli competat vera operari miracula, 319 A'. — Judicium ejus quotuplex sit, 331 C. Non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens, quo sensu, 457 B. Judicia ejus manifesta sunt, 331 A, et tamen incomprehensibilia, 331 B. Dabit unicuique secundum opera sua, 246 A'. — In illo quid sint furor et ira, 354 A', quæ frequenter in V. T. ipsi attribuuntur, quare, 396 B' et seq. — Quid intelligatur per ejus animam, 223, consilium, 195 B, faciem, 375 A', 434 C, oculos, 412 A, rugitum, 418 C', vias, 436 A, thronum, 228 D. — Quo sensu dicatur converti, 399 A', quædam nescire, 406 C, recedere et accedere, 423 D', exsurgere, 446 C', descendere, 128 C, in aliis requiescere, 130 B', et novissimus appelletur, 377 C.

Deum nemo vidit unquam, quo sensu, 43C' et seq., 131D'. Qualiter illum in vita ista cognoscamus, 44A. — Quantum sit timendus, 322B', 330A', honorandus, 322C', quærendus, 182 C', 183A, et adorandus, 323A. — Honor latriæ illi soli debetur, 283C', qui in infinitum honorabilior est quam ab universis valeat honorari, 27D'. Cur illum colamus, 182 C. Omnes gentes adorabunt in conspectu ejus, quo sensu, 330D'. Omnia ad eum sunt referenda, 267B'. Majus est Dei laudibus quam orationibus vacare, quare, 102B. — Quid sit illum perfecte diligere, 14A, et quotuplici ratione sit diligendus, 47D'. — Quanta ejus erga nos caritas, 43A et seq., 45C', 47D', 104C', etc., qui nos in filios adoptivos elegit, 28A, et vitam æternam nobis contulit, 53A. Merita nostra sunt ejus dona, 413C. Dei genus sumus, 183B'. — Quantum nostram optet salutem, 248A'. Animarum medicus, 387, quibus modis nos instruat, 411C', et cordis nostri pulset januam, 256 C'. Qualem societatem habeat cum anima fideli, 7D' et seq. — Quinam illum « Deum suum » nominare valeant, 421C'. Qui natus est ex eo, peccatum non facit, 32A' et seq., 55A'. Qui servat mandata ejus, in illo manet, 39C', et ipse in eo, 39D'. — Quomodo tentet electos, 253A', et cur illos flagellet, 279A'. Diversis modis homines arguit et corripit, 395B et seq. Quare nos probet, 441B. — Quomodo refugium factus sit nobis, 453B, et aures ejus nostris orationibus intentæ fiant, 453C. Solus pius est, quo sensu, 330C'. Apud illum propitiatio est, 453B', et copiosa redemptio, 455A, sed ejus vindicta tanto districtior est quanto clementior fuit exspectatio, 246B. Non quemquam relinquit, nisi prius ab eo relinquatur, 26C'. — Qua ratione sit templum cœlestis Jerusalem, 372A. — Absterget omnem lacrimam ab oculis Beatorum, 284D', 363A'. — *Cf.* Trinitas.

Dii quinam dicantur, 216A' et seq., 254B. — Homo solus, dicitur deus vel bestia, 216B'.

DEVOTIO. Ad illam excitandam quomodo prosint facta exteriora, 458B'.

DIACONI primi quare septem electi fuerint, 120C', et quomodo ordinati, 121C'. — An eorum vicem nunc gerant archidiaconi, 121D'.

DIDYMUS Alexandrinus a S. Beda beatus nuncupatur, 219D. Allegatur ejus liber de Spiritu Sancto, 26B, 219D. (Migne *Patrol. gr.* tom. 39.)

DIES designat tempus evangelicæ legis, 372D', et contemplativos, 289D.

DILECTIO. Quænam sint ejus causæ, 48A'. — Quis vere se ipsum diligat, 311A'. Qui carnali amore se diligunt, vere se odiunt, 311B'. — Quomodo diligendus sit proximus, 34A, 39B', 43A', 48B', non verbo neque lingua, 37B', sed opere et veritate, 37C'. — Qui non diligit manet in morte, quo sensu, 35B'. — *Cf.* Amor, Caritas.

DIOCLETIANUS imperator, in effusione christiani sanguinis maxime cruentus, 275D, an et quatenus in Apocalypsi figuretur, 275A et seq.

DIONYSIUS (S.), Alexandrinus episcopus, quid de Apocalypsi senserit (lib. II de Promissionibus), 376A'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 10.)

DIONYSIUS (S.) Areopagita, « divinus », 127C', qui in Areopago principalis fuerat philosophus, 184A', ubinam episcopus sederit, 185A'. — Prophetavit in epistola ad S. Joannem directa, 298C, illique S. Paulus revelasse creditur quæ in tertio cœlo audivit, 185B'. — Allegantur ejus liber de Divinis nominibus, 158C, epistolæ ad Apollophanem et ad Polycarpum, 184D'. — Citatur insuper, 98B', 132B, 144D, etc. — Ejus Legenda memoratur, 184A', 185A'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 3 et 4.)

DIONYSIUS Cartusianus humiliter de se ipso sensit, 262A'. — Enarrationem in septem Psalmos pœnitentiales scripsit rogatus a Cardinali Prospero Colonna, 388, Monopanton vero, ut annueret votis Cardinalis Nicolai de Cusa, 467.

DIOTREPHES quomodo S. Joanni apostoli adversatus sit, 62B'.

DISCIPULI Christi mirabili unitate contra persecutores oraverunt, 110D. *Cf.* Apostoli.

DISCRETIO commendatur, 110D.

DISSIMILITUDO est causa displicentiæ, 423A, aversionis et rancoris, 35A.

DITHALASSUS locus quid sit, 215A'.

DIVITIÆ. Quanto quis temporales divitias diligentius quærit, tanto in anima exstat pauperior, 241C'.

DOCTOR irrefragabilis. *Vide* Alexander.

DOCTOR solennis. *Vide* Henricus.

DOCTORES Ecclesiæ quomodo figurentur, 288B', 289B, 290C. — Non dignus est alios docere, qui quod docet non satagit adimplere, 435D'. — *Cf.* Prædicator.

DOCTRINA salutaris est quasi Dei loquela, 433A.

DOGMA. De Ecclesiasticis dogmatibus liber (Gennadii Massiliensis) allegatur, 196 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 58, col. 997.)
DOLUS quam abominabilis sit, 406 D'. — Dolosi per serpentes designantur, 146 A.
DOMITIANUS, frater Titi, ipsi successit in imperio, 275 A'. — An et quatenus in Apocalypsi figuretur, 275 A et seq. — Ejus persecutio totam infestavit Ecclesiam, 231 C'. — Sub illo S. Joannes apostolus Romæ in ferventis olei dolium missus, 223, nec læsus, in Patmos insulam relegatus est, 224.
DONA Spiritus Sancti quosnam habeant effectus, 353 B, et qualiter per diversos lapides pretiosos signentur, 369 C et seq. — *Cf.* Spiritus.
DORIDA (alias Doris), provincia minoris Asiæ, 212 B'.
DRACO magnus et rufus diabolum denotat, 308 B, 309 D', 310 D.
DRUSILLA quomodo facta sit uxor Felicis præsidis, 208 C. — Quoniam fuit Judæa, S. Paulum libenter audivit, 208 B.

E

EBION hæresiarcha, « filius diaboli », 246 D', adhuc vivente S. Joanne evangelista surrexit in Asia, 24 A, 239 A'. — Docuit legalia cum Evangelio observanda, 246 D'. — Refellitur, 3 A, 4 C, 41 C.
ECCLESIA, quam Christus acquisivit sanguine suo, 195 D, ejus est sponsa, mater, soror et uxor, 312 C, ipsumque habet pro primo fundamento, 367 A. Designatur per cœlum, 322 A', 349 C, per candelabrum aureum, 233 C et seq., per thronum, 359 C', per Jerusalem, 449 B', et civitatem Dei, 449 C', seu civitatem sanctam, 301 B. — Ecclesia militans dicitur regnum cœlorum, 259 D, 290 D; Dei templum, 300 D, et regnum, 219 C', 229 C'; sedes Dei, 262 B', et Christi, 269 D. Exprimitur per Sion, 438 A', et per civitatem dilectam, 359 D.—Figurata per mulierem sole amictam, 306 C' et seq., quomodo parturierit, 307 B'; quem filium masculum pepererit, 309 A, 312 B, in solitudinem deinde fugiens, 309 C. — Ejus muri sunt virtutes aut prælati, 438 C', vel duo populi ex quibus constructa est, 439 A, et qui etiam lapides ejus nuncupantur, 447 C.
Per Ecclesiam Christi aliquando intelligitur universitas fidelium a principio usque ad finem mundi, 170 D. — Universæ Ecclesiæ sunt una Ecclesia catholica, 227 A'. Quatuor patriarchales Ecclesiæ an et quatenus in Apocalypsi innuantur, 264 C'. — Ecclesia militans, quæ in laudibus Creatoris se triumphanti Ecclesiæ conformat, 266 A, quare oret hora tertia, sexta et nona, 96 C'. — Illam Deus exaltavit multo magis quam Synagogam, 447 D'. Eamdem circumeunt angeli sancti, 271 D, ad tuendum ipsam, 309 C', necnon dæmones ad devorandum, 271 A'. Quanto fortius ab ipsa dejicitur diabolus, tanto pertinacius eam persequitur, 312 C. Ejus corpus relevatur dum reprobi a bonis separantur, 24 A'. Quodnam sit maximum ejus malum, 289 A'. — Ex spirituali ejus thesauro fiunt indulgentiæ, 455 B.
Ecclesia primitiva qualiter in Apocalypsi depingatur, 273 B'. Quantus fuerit ejus fervor, 102 B', 142 C et seq., et sanctæ dilectionis ardor, 197 D, 217 A'. In illa erat cor unum et anima una, 111 C', omnia fiebant communia, 112 A; multi quotidie communionem accipiebant, 102 B, prophetico fulgebant spiritu, 152 D; omnes fere post Baptismum variis linguis loquebantur, 101 A', discipuli replebantur gaudio, 163 D', 168 C. Utrum in eadem episcopi fuerint a presbyteris distincti, 166 D'. — An tempore Antichristi Ecclesia miraculis glorificanda sit, 302 C. — Ecclesia triumphans describitur, 282 C' et seq., sub nomine civitatis sanctæ Jerusalem, 362 A' et seq., 365 A et seq. — Allegatur liber de Ecclesiasticis dogmatibus (Gennadii Massiliensis), 196 A'.
ECLIPSIS quæ tempore passionis Christi accidit, quotuplici modo mirabilis fuerit, 184 D', et quid de illa senserint philosophi Athenienses, 184 B'.
ECSTASIS, seu alienatio mentis a se, fit pavore, admiratione, vel contemplatione, 104 C.
EFFUSIO significat gratiæ copiam, 97 A'. — Effusio virtuosa in quo sistat, 72 B.
ELAM est regio Persiæ, 95 A'.
ELECTA, veneranda et sancta matrona, a S. Joanne epistolam accepit, et laudata est, 57 A' et seq., cum suis filiis, 58 A'. — Illi fuit soror ejusdem nominis, 59 D'.
ELECTI ex Deo sunt, secundum prædestinationem æternam, 63 B. — Quo sensu illos Deus noverit, 250 A', tentet, 253 A', et flagellet, 279 A'. Illis quantum prosint tribulationes,

226 A, 408 C. — Pro cunctis illis interpellat Christus, 12 B'. — Electi V. T. quomodo Christo uniti fuerint, 169 B'. — Mundi decursus durabit quousque electorum numerus compleatur, 278 B. — Animas suas carnaliter non diligentes, 311 D, electi diabolum vincunt, 311 C, a quo finaliter supplantari nequeunt, 310 C. — Sunt templum, Ecclesia et cœlum, 327 A. — Qualiter canticum novum decantent, 320 D. — Christum in die judicii conspicient, quo sensu, 230 D ; cum illo ambulabunt in albis, 250 B'. — *Cf.* Beati, Prædestinatus, Sancti.

ELECTIO. Quis in illa servandus sit ordo, 121 B.

ELECTRUM, quod aurei igneique coloris est, quid figuret, 260 D'.

ELEEMOSYNA quatenus præcipiatur, 37 A et seq.

ELEMENTA, quorum transmutatio post finale judicium cessabit, 298 C, quomodo tunc innovanda sint, 361 B'.

ELIAS qualiter cum Enoch prædicaturus sit tempore Antichristi, 301 C, 303 D, 335 D, quibus virtutibus fulgens, 301 A', et qua potestate præditus, 301 D' et seq. — Omnes tribus Israel convertet, 281 D'. — Ab Antichristo occidetur, 302 D'. — Quid de resurrectione ejus prænuntietur, 303 A', 305 A'.

ELIPHAZ Themanites. Utrum verba ejus a Deo sint approbata, 10 B'.

ELIU Buzites. An sermones ejus Deus approbaverit, 10 C'.

ELOQUENTIA animam mollit, 206 D.

ELYMAS magus, a S. Paulo increpatus, 158 B, cæcitatem incurrit, 158 A'. — Quomodo interpretetur ejus nomen, 157 D'.

ENOCH septimus fuit ab Adam, 74 A. — Quomodo cum Elia prædicaturus sit tempore Antichristi, 301 C, qui eum occidet, 302 D'. — Quid de resurrectione ejus prænuntietur, 303 A', 305 A'. — Liber Enoch, qui inter apocrypha reputatur, 74 C, utrum a S. Juda citetur, 74 A'. — *Cf.* Elias.

EPHESUS, metropolis Ioniæ, 193 C', in Asia minori, 232 D', 237 D'. — Quid ibi egerit S. Paulus, 187 D, 188 B et seq., dæmonia ejiciens, 189 B', et magos multos convertens, 190 B'. — Quanta turbatio ibidem exorta sit, 190 D', et qualiter sedata, 191 D'. — Ejus episcopus, qui metropolitanus erat, 237 D', laudatur, 238 A' et seq. Quo sensu caritatem suam primam reliquerit, 239 D'. An S. Timotheus fuerit, 240 A.

EPICURUS, etsi continentissime vixerit, docuit beatitudinem in corporis voluptatibus constituendam, 180 B'.

EPISCOPUS a tribus episcopis consecratur, quare, 134 B. — Episcopi, qui sunt Apostolorum successores, 90 D', et sacerdotum principes, 237 A', cur vocentur angeli, 237 C, 238 A. — Eorum est manus imponere baptizatis, 135 C. — Utrum ab illis distincti fuerint presbyteri in primitiva Ecclesia, 166 D'.

EQUUS est brutum luxuriosum, 412 D. — Quid designet, in Apocalypsi, equus albus, 273 B', 274 C', 352 C', 353 C', rufus, 274 C', 275 B', pallidus, 274 C', 277 C, niger, 274 C', 276 C. — Equis in prælium paratis assimilantur hæretici, 291 D'. — Equi diaboli sunt impii, 293 D'. — Hæresiarcharum equi sunt eorum discipuli, 294 A. — Per frenos equorum intelliguntur principes crudeles, 328 A.

EREMITÆ quidam longum in mundo duxerunt martyrium, 284 B.

ERROR. Omne peccatum voluntatis venit ex errore aliquo intellectus, 72 B.

ESAU non veram egit pœnitentiam, 438 D.

ESSÆI non leguntur Christum persecuti, 205 A.

ESTHER «venerabilis» in Deo lætabatur, 410 D'.

EUCHARISTIA. In illa corpore et sanguine suo nos reficit Christus, 244 A', 286 C', cujus sapor non a carnalibus sed a devotis percipitur, 244 B'. — *Cf.* Missa, Sacramenta, Sacrificium.

EUCLIDES testatur, corporaliter rectum esse cujus medium non exit ab extremis, 414 A.

EUGENIUS IV Papa « sanctus et humilis ». Ad illum scripsit S. Bernardus tractatum de Consideratione, 388.

EUNUCHUS Æthiops, veri Dei cultor, 136 D', cujus laudatur virtus, 136 C', 137 D', a diacono Philippo qua lingua instructus fuerit, 137 B, et qualiter baptizatus, 138 B.

EUPHRATES flumen interpretatur fertilitas, 335 A', et designat sæculum nequam, 293 A', vel falsorum fratrum collectionem, 335 A'.

EUSEBIUS, Cæsariensis episcopus, allegatur (Hist. eccles. III, c. 5), 275 D.

EUSEBIUS, Emisenus episcopus, citatur, 417 D, 419 B'.

EUSTACHIUS (S.) ejusque conjux pœnas quasi intolerabiles passi sunt, 396 B.

EUTYCHES hæresiarcha quomodo erraverit, 295 A'.

EVA virtute passionis Christi salvata est, 315 D.

EVANGELIUM dicitur Evangelium gratiæ Dei,

quare, 194 C'. — Doctrina in Evangeliis conscripta, quo pacto elucidetur a ceteris N. T. Scripturis, 81. — Quid sit Evangelium æternum, 322 A'. — Evangelii prædicatio, quæ prænuntiata erat, 87 C', cur per homines sine litteris peracta sit, 109 D. — An et quatenus Evangelistæ in Apocalypsi figurentur, 263 C' et seq. Illorum doctrina miraculis confirmata est, 52 B'. — Multa sunt dicta documentaque Christi quæ nullus Evangelistarum descripsit, 196 B'.

EXORCISTÆ quidam Judæi quomodo nomen Jesu invocaverint, 189 D'. Duo ex illis signanter puniti sunt, 190 C.

EXSULTATIO, quæ dicitur quasi extra saltatio, in quo sistat, 433 C.

EXTERMINANS. Ita vocatur diabolus, 292 D'.

EZECHIEL sub qua similitudine Deum adspexerit, 260 D'. — In ejus visione qualiter signentur quatuor Evangelistæ, 264 C. — Quæ scripsit de civitate et templo, cum Apocalypsi conferuntur, 365 D, 366 B, 367 D, 368 B, etc.

F

FALX acuta exprimit Christi judiciariam potestatem, 326 D.

FAMES significat subtractionem alimoniæ verbi Dei ac sacramentorum, 277 A'.

FEL amaritudinis quid sit, 136 A.

FELIX, præses Syriæ, erat vir cupidus et voluptatibus deditus, 208 A'. — Ægyptium quemdam cum multis rebellantem devicit, 199 D'. — Cur contremuerit audito S. Paulo, 208 C, et quomodo a præsidatu amotus sit, 208 B'.

FESTUS Portius, qui Felici successit tanquam præses Syriæ, 208 B', quo sensu optimus dicatur, 211 B'. — Apud ejus tribunal S. Paulus Cæsarem appellavit, quare, 209 A.

FIDES christiana, quæ sanctissima dicitur, 75 B', est radius primæ Veritatis, 220 A', oculus mentis ultimum finem ostendens 163 B', 169 A, fundamentum virtutum spiritualisque vitæ, 166 D, victoria quæ vincit mundum, 50 C. — Est informis vel formata, 45 D. — Unde pateat ejus certitudo, 5 B, 52 B et seq., 103 A, 431 B' et seq. — Conversio mundi ad fidem, omni miraculo est mirabilior, 311 A. — Fides persecutionibus non est minorata, sed aucta, 133 C'. — Pro ejus defensione qualiter pugnare debeant Christiani, 68 A. Contra diversos ejus adversarios diversis modis procedendum est, 183 A'. Ejus mysteria non cunctis sunt passim pandenda, 297 C'. — Qualis sit sanctorum fides, 324 A'. — Quo sensu fides inter fructus Spiritus computetur, 152 A.

FIDUCIA salubris a conscientia pura generatur, 27 D.

FILII in articulo necessitatis parentibus providere tenentur, 153 A. — Filii Dei qualiter efficiamur, 28 A et seq., 29 D. — Filii Dei a diaboli filiis distinguuntur, 33 C et seq.

FILIUS Dei, cui appropriatur sapientia, 46 C, est verus Deus, et vita æterna, 56 A. — Quomodo dissolvat opera diaboli, 32 D. — Quale testimonium dederit illi Pater, 52 C. — Qui illum negat, negat et Patrem ipsius, 25 B'. — Pater et Filius sunt unus spirator et dator Spiritus Sancti, 97 A. — *Cf.* Christus, Pater, Spiritus, Trinitas.

FINIS supernaturalis per media supernaturalia attingendus est, 148 A'.

FLUMEN aquæ vivæ Spiritum Sanctum exprimere potest, 373 C. — Flumina hæreticos designant, 334 A.

FOENUM figurat homines, 288 A, vel inferiores, fragiles, et incipientes, 291 B.

FOLIA ligni vitæ, sunt verba quibus Christus suos in patria alloquetur, 374 C'.

FONS aquæ vivæ opulentiam divinam significat, 363 D'. — Per fontes intelliguntur hæresiarchæ, 334 A. — Fontes aquarum mystice sunt doctores et prælati, 288 D'. — Fontes aquarum vitæ quid sint, 284 B'.

FORMIDO ex conscientia prava oritur, 27 D.

FORNICATIO a gentilibus reputabatur opus naturale ac licitum, 170 D'. — Contra fornicationis spiritum adolescentibus specialior instat pugna, 18 A'. — Fornicatio spiritualis dicitur idololatria, 323 D.

FORTITUDO alia est virtus, alia donum, 122 C.

FRANCISCUS (S.) divitias spernens, quantum in anima locupletatus sit, 241 C'. — Quomodo contra concupiscentiam pugnaverit, 403 A'. — Cibis suis cinerem superfudit, 444 C'. — Quid docuerit de tentationibus blasphemiæ, 420 D'.

FRATRES. Ita vocantur in Scriptura qui de eadem sunt cognatione, 89 A'.

FRUCTUS duodecim ligni vitæ quinam sint, 374 D et seq.

FULGURA mystice sunt miracula, quare, 262 C', 286 D', 306 A', 337 A.

FUMUS designat verba ventosa, vanitatisque vaporem instabilem, 294 D.

FUNDAMENTUM primum Ecclesiæ est Christus, 367 A. — Fundamenta duodecim, sunt Apostoli, 366 C', 369 B, vel Patriarchæ, 366 C'.

FUROR libidinis, dicitur irrationabilis concupiscentia, 403 C.

G

GAD, qui interpretatur accinctus, quosnam figuret, 282 C.

GALATIA, regio Asiæ, 173 D', a Gallis nomen accepit, 174 A.

GALLIO, proconsul Achaiæ, 186 C', quomodo S. Paulum dimiserit, 186 D'.

GAMALIEL (S.), « vir doctissimus », 201 B, ad cujus pedes instructus est S. Paulus, 118 C, an fuerit Apostolorum discipulus, 118 D. — Explanantur quæ dixit ad principes Judæorum, 118 D et seq. — Fertur fuisse inter eos qui S. Stephanum sepelierunt, 133 D'.

GAUDIUM quid sit, 6 C. — Aliud est spirituale, 5 A', aliud carnale, 5 B'. — Naturale est animæ, velle gaudere, 398 D'. — Dupliciter in Deo gaudemus, 5 C'. — Gaudium plenum non est in vita præsenti, 6 A, sed in cœlo, 6 D.

GAZA. Duæ civitates hoc nomine vocantur, 136 B'.

GEHENNA impiis præparata, per Topheth significatur, 327 C'. *Cf.* Infernus.

GENTILES per mare designantur, 333 B'. — Eorum conversio a quibus prænuntiata sit, 170 A. — Quænam quatuor præcepta illis in concilio Jerusalem data sint, 170 C', 171 D'.

GERMANUS (S.), Antisiodorensis episcopus, cibis suis cinerem superfudit, 444 C'. (In Legenda aurea, cap. 102.)

GIEZI, minister Elisæi. Ab illo « Giezitæ » dici possunt simoniaci, 135 C'.

GLADIUS denotat sermonem venenatum, 277 A'. — Per gladium ex utraque parte acutum, intelligitur sententia judicii vel evangelica doctrina, 235 B'. — Omnis qui gladium accipit, gladio perit, quo sensu, 302 A, 316 C.

GLORIA est clara cum laude notitia, 77 B. — Gloria dicitur conscientiæ puritas, 372 B'. — Gloria sæcularis quam vana, 323 C. — Ad promerenda gloriæ bona, non sufficiunt naturalia, 430 D'.

GLOSSA (Walafridi Strabi) allegatur, 59 D', 94 C', 103 C, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113 et 114.)

GNIDUS, civitas vel promontorium Doridæ, 212 B'.

GOG interpretatur tectum, et pluribus modis intelligitur, 358 D' et seq.

GRABATA dicuntur lectisternia pauperum, 115 C.

GRÆCI qualiter numeros per litteras significent, 318 B. — Græci quinam adversus Hebræos murmuraverint, 120 B. — « Græci » dicebantur Judæi ex Græcia nati, 142 A.

GRANDO designat verbum Dei, 288 C, verba Apostolorum, 287 D, vel frigus inferni, 287 B', aut persecutionum tempestatem, 306 A'.

GRATIA duplici sensu accipitur, 256 D'. — Gratia gratum faciens, quæ est spiritualis generatio, 27 B', quomodo definiatur, 58 B, 227 A'. Utrum sine illa servari possint Decalogi præcepta, 13 C et seq. — Gratiam de condigno non meremur, 378 C, sed illam Deus infundit homini facienti quod in se est, 26 C', 144 D. — Illam qualiter det Christus, 378 B'. — Ipsam per sacramenta confert lex evangelica, 194 C'. — In remissione peccati simul intelligitur gratiæ infusio, 406 D, quo sensu, 407 B. — Actibus virtuosis gratia augetur, 141 C. — Dona gratiæ gratis datæ ad aliorum præstantur profectum, 94 B'. — *Cf.* Lex, Sacramenta.

GREGORIUS (S.) Nazianzenus, Constantinopolitanus episcopus, allegatur, 451 A.

GREGORIUS (S.) Papa citatur, 10 C', 22 D', 185 A', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 75-79.)

GRYPHES dicuntur smaragdos contra Arimaspos custodire, 369 D'.

GUILLELMUS Antisiodorensis. Ejus Summa allegatur, 390, 398 D.

GUILLELMUS, Parisiensis episcopus, qualem orandi formam pœnitenti præscribat, 392. — Citantur ejus liber de Pœnitentia et Divina rethorica, 392, Sacramentale, 390, et tractatus de Tentationibus et resistentiis, 421 A.

H

HÆRESIARCHÆ, a Scriptura prænuntiati, 68 C, Dei gratiam transtulerunt in luxuriam, 68 D. — Per fontes designati, 334 A, frequenter ingeniosi sunt, 292 B. — In Apocalypsi describuntur, 276 C, 288 C' et seq., 290 D et seq.

HÆRETICI quinam vocentur in veteri et in nova lege, 115 D'. — Dicuntur Antichristi,

24 A, 41 D, per flumina designantur, 334 A, et assimilantur brutis animalibus, 71 B', 75 A', nubibus sine aqua, 73 B, arboribus autumnalibus, 73 C, fluctibus feri maris, 73 A', sideribus errantibus, 73 C'. — Quomodo in Apocalypsi figurentur, 276 C, 291 A et seq., 293 B et seq. — Libidine dominandi suos confingentes errores, 195 B', nullam habentes in loquendo verecundiam, 292 A', et animas crudeliter dilaniantes, 292 D, quantum peccaverint, 70 A' et seq., 74 B' et seq. — Eorum tempore erant valde sancti episcopi, 289 B. — Hæretici, quorum rex est diabolus, 292 C', quo sensu de mundo loquantur, 41 B', qualiter arguendi sint, 76 A, et quinam vitandi, 59 A'.

HAYMO, Halberstatensis episcopus, citatur, 232 C', 245 D', 250 C', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 117.)

HECTOR inter gentiles eminenter bonos computatur, 211 B'.

HENRICUS Gandavensis, Doctor solennis. Allegantur ejus Quodlibeta, 409 C'.

HERMAGEDDON significat consurrectionem in priora, vel montem globosum, 336 A'.

HERODES I Ascalonita, cujus tempore natus est Christus, quos habuerit filios, 153 B. — Aueam posuit aquilam in porta templi quæ dicitur Speciosa, 103 D. (Apud Josephum, Antiquit. lib. XVII, c. 8.)

HERODES II Antipas Joannem Baptistam occidit et Christum illusit, 153 B.

HERODES III Agrippa, filius Aristobuli, 153 B, S. Jacobum Majorem interfecit, 153 C. — Quomodo e manibus ejus evaserit S. Petrus, 153 C et seq. — Percussus ab angelo horrende interiit, 155 B'.

HIERONYMUS (S.) longum in mundo duxit martyrium, 284 B. — Aristotelem nominat « principem fatuorum », 379, et aliquam Origenis interpretationem damnat, 219 A'. — Allegantur ejus libri de Viris illustribus, 61 A, et de Expositione fidei catholicæ, 169 C. — Citatur insuper, 86 C', 91 C', 98 C, 112 D', 125 D', etc.

HISPANIA et India dicuntur termini terræ habitabilis, 88 A.

HISTORIA ecclesiastica (Apollonii apud Eusebium lib. V, c. 18) allegatur, 157 D.

HISTORIA scholastica (Petri Comestoris) citatur, 101 A', 103 C, 114 A, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198.)

HOLOCAUSTUM, quod ad divinæ majestatis honorem penitus comburebatur, 437 B', præfigurabat religiosos ac viros perfectos, 437 C'. — Per holocausta intelliguntur opera virtuosa ex caritatis ardore exhibita, 439 B', et qui se ipsos Deo integre offerunt, 439 B', præsertim martyres, 439 D'.

HOMICIDA est omnis qui odit fratrem suum, quo sensu, 35 D'.

HOMICIDIUM quotuplex sit, 35 D'.

HOMO quilibet habet angelum sanctum custodem, 154 C', et diabolum exercentem, 292 D', 404 B'. — Voluntas Dei est, ut homo ab homine instruatur, 139 D'. — Homini facienti quod in se est, Deus gratiam infundit, 26 C'. — Quo sensu homines perhibeantur angelorum fratres, 311 B. An assumantur ad angelorum ordines, 368 D', 439 D. — Quanta dignitas humanæ naturæ per incarnationem Verbi conferatur, 352 C. — Quam gloriosum sit homini alios secum salvare, 372 C', 373 A. — Justitia hominum in præsenti vita est plurimum imperfecta, 27 C'. — Homo, per arborem designatus, qualiter areat, 442 D. — Quinam ex hominibus signum Dei in suis frontibus non habeant, 291 C, et non homines sed bestiæ appellandi sint, 412 C. — Homo solus dicitur dèus vel bestia, 216 B'. — Per intellectum significatur homo, quo sensu, 194 B'. — Fundus cordis humani strato comparatur, 20 C. — Per faciem hominis quinam in Apocalypsi figurentur, 264 B et seq. — Hominis os eloquentiam, nasus discretionem, oculi sapientiam et mansuetudinem exprimunt, 292 C. — *Cf.* Anima, Cor.

HORA novissima, ultimam mundi significat ætatem, 23 C. — Hora tertia, sexta et nona orat Ecclesia, quare, 96 C'.

HORDEUM subditos designat, 276 C'.

HOREB mons interdum Sinai vocatur, 127 B'.

HUGO de S. Victore, canonicus regularis, allegatur, 185 B', 379. (Migne *Patrol. lat.* tom. 175-177.)

HUMILITAS quam necessaria, 418 B'. — Humiles per infantes figurantur, 18 C'.

HYACINTHUS, cœlestem habens colorem, 294 C, virtutem latriæ convenienter exprimit, 371 B.

HYPOCRITÆ quantum noceant, 277 A'. — Illorum cœtus per equum pallidum denotatur, 277 C.

HYSSOPUS, humilis herba bene odorans, tumorem pulmonis repellens, quid significet, 432 C.

I

ICONIUM. Duplex civitas ita vocata est, alia in Lycaonia, alia in Cilicia, 163 D'.

IDOLOLATRIA dicitur fornicatio spiritualis et vinum, quare, 323 D.

IDOLOTHYTA appellantur quæ idolis immolata seu consecrata fuerunt, 245 C'.

IGNIS quosnam habeat effectus, 353 B. — Per illum designatur amor et gratia Sancti Spiritus, 287 D, ardor inferni, 287 B', quælibet dura punitio, 327 D, aut sermo invidiosus et rabidus, 294 D. — In linguis igneis, ad extra realiter apparentibus, 94 D, qualiter et quare advenerit Spiritus Sanctus, 93 C' et seq. — Ignis conflagrationis ultimæ angelico ministerio diffundetur, 327 C, elementa omnia attinget, 19 B', homines tunc viventes interficiet, 360 B', et cum reprobis in infernum descendet, 360 C'. — Ignis inferni quo sensu tenebrosus sit, 324 C.

IGNORANTIA affectata, est inexcusabilis, 255 C.

IMPERATOR. Illo valde sublimior est summus Pontifex populi christiani, 428 C'.

IMPII et Iniqui. Impii odibiles sunt non quantum ad esse sed quoad culpam, 343 A'. — Memoriam mortis a sua mente rejicientes, 345 A', aliorum salutem impedire nituntur, 180 A. — Interdum verbis se humiliant ex timore pœnarum, 136 D. — Illorum concordia quantum noceat, 204 A'. — Iniqui cur vocentur « stulti », 29 C. — Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, quo sensu, 30 B'. — Impii in die judicii arguendi sunt, 74 B, neque tunc salvandi, ut stulte dixerunt aliqui hæretici, 278 C.

INCARNATIO Verbi quantam humanæ naturæ dignitatem conferat, 352 C. *Cf.* Christus.

INCENSA dicuntur orationes Sanctorum ignitæ, 286 B.

INCONSTANTIA mentis magna est imperfectio, 151 D'.

INDIA et Hispania dicuntur termini terræ habitabilis, 88 A.

INDULGENTIÆ fiunt ex spirituali Ecclesiæ thesauro, 455 B, quem erogat summus Pontifex, 455 C.

INFANTES quosnam designent, 18 B'. — Infantes non baptizati non punientur igne, sed erunt in limbo puerorum, 361 A.

INFERNUS, cujus tormenta describuntur, 324 A et seq., ob suam profunditatem lacus dicitur, 327 B'. Ejus pœna est gravissima propter suppliciorum æternitatem, 349 D', 359 B'. — In illo puniuntur omnes qui in mortali vitio moriuntur, 324 D. — Ibi erit odium omnis boni honesti, 337 D', et Deus sine cessatione blasphemabitur, 343 A', 400 B'. — Utrum in illo futura sit memoria artis et scientiæ, 348 A'. — Ignis inferni est tenebrosus, quo sensu, 324 C. — *Cf.* Damnati, Reprobi.

INFINITUM a finito plene comprehendi nequit, 44 C.

INIQUITAS omnis peccatum est, quo sensu, 55 D. — Ab illa quomodo nos lavet Deus, 427 A'. — Iniquitates a peccatis distinguuntur, qua ratione, 427 C.

INNOCENTIUS III, « vir doctissimus », allegatur (de Contemptu mundi, lib. III, c. 21), 418 A. (Migne *Patrol. lat.* tom. 217, col. 725.)

INSIPIENTIA, quæ est vitium sapientiæ dono contrarium, 416 B', in quo sistat, 416 C'.

INTELLECTUS quotuplici modo sumatur, 411 A', et quo sensu dicatur homo, 194 B', necnon visus, auditus, gustus, 433 A, olfactus et tactus, 433 B. — Visio intellectualis multiplex est, 44 A. — Intellectus creatus falsitatis origo censetur, 25 D. — Donum intellectus describitur, 411 D.

INTENTIO vana quantum noceat, 249 D.

IRIS insinuat fœdus amicitiæ Dei, 261 A, 296 A.

ISAIAS prænuntiavit Christi passionem, 137 D et seq., excæcationem Judæorum, 163 D, 218 C' et seq., et gentilium illuminationem, 163 A.

ISIDORUS (S.), Hispalensis episcopus, allegatur, 369 C', 380. (Migne *Patrol. lat.* tom. 82, col. 570, et 83, col. 679.)

ISRAEL. Regnum Israel spiritualiter intellectum, quomodo restituendum sit, 87 A et seq.

ISSACHAR, qui merces interpretatur, quosnam figuret, 282 B'.

J

JACOBUS (S.) Major in Hispania prædicavit, 88 A, et ab Herode Agrippa occisus est, 153 C.

JACOBUS (S.) Minor, filius Alphæi, 89 B, primus Jerosolymitarum antistes, erat frater S. Judæ, 67 B, 89 C. — Quare dictus sit frater Christi, 89 B. — Quomodo episcopus ordinatus fuerit, 134 B. — In concilio Jerusalem quantam habuerit auctoritatem, 169 D', et quid locutus sit, 170 A et seq. — An et quatenus in Apocalypsi figuretur, 273 C.

JASPIS, viridem habens colorem, quid designet, 260 B', 365 D', 369 C. — Cur illi Christus assimiletur, 369 A.

JEJUNIUM quanta polleat virtute, 156 A'.

JERUSALEM interpretatur visio pacis, 439 C. — Tempore Salomonis vallata est triplici muro, 438 A'. — Christiani qui illam habitabant quomodo ante ejus obsidionem recesserint, 275 D. — Quando huc venerit S. Paulus, 141 D', 167 D', 198 B et seq., et quæ ultima vice ibidem passus sit, 199 B et seq. — Ibi concilium de legalium observatione qualiter celebratum fuerit, 168 D et seq., et quid decreverit, 171 D'. — Jerosolymitana Ecclesia an et quatenus in Apocalypsi designetur, 264 C'. — Jerusalem figurat Ecclesiam tam militantem quam triumphantem, 449 A'. — Per muros ejus, intelliguntur virtutes vel prælati, 438 C'. — Sub ejus nomine describitur Ecclesia triumphans, 362 A' et seq. — Jerusalem cœlestem nullus ingredi valet nisi ab omni labe sit immunis, 373 A'. — *Cf.* Ecclesia.

JESUS, in lege Moysis et Prophetis promissus, 48 D', 178 B', in veritate est Christus Dei Patris Filius, 25 A', 50 B', naturalis, non adoptivus, 104 D', 141 B, et Deus æternus, 69 A'. — Quid sit in illum credere, 177 A. — *Cf.* Christus.

JEZABEL. Mulier sic vocata in Apocalypsi, 245 A', quid docuerit, se prophetissam fingens, 245 B'. — Punitio ejus prænuntiatur, 246 B.

JOANNES (S.) apostolus, evangelicæ legis propheta, 81, summus Asiæ præsul, 62 A', per aquilam figuratus, 264 B', 273 D, 277 C, 289 B', præ ceteris de Christi divinitate profundius scripsit, 3 A. — Quantis donis a Deo auctus sit, 223. Quanta ejus constantia, 109 C, humilitas, 226 B, 231 C', 236 C, caritas, 11 D, 45 D'. Noverat se esse in caritate, 9 B', imo in caritate perfecta, 57 B'. Sæpissime repetit fraternæ dilectionis præceptum, 48 C'. Quosnam specialiter filios suos nominet, 18 C. Quare obtrectatoris sui linguam redarguerit, 62 D'. — Sancto Petro familiariter utebatur, 103 B. — Scripta ejus qua auctoritate vigeant, 63 D. — Auctor est epistolarum ad Electam, 57 A, et ad Caium, 61 A. — Cur se seniorem vocet, 57 B. — Totius Asiæ minoris fundavit rexitque Ecclesias, 223. — Romæ in ferventis olei dolium missus, 223, nec læsus, in Patmos insulam relegatus est, 232 B, ubi Apocalypsim composuit, 224, ante evangelium suum, 226 B', 299 B'. Revelatio illi tunc facta, congruentiam habuit ex parte loci et temporis, 232 C. Omnes visiones in Apocalypsi descriptas vidit eodem die, 258 C', non tamen simul et semel, 259 A. — Quo sensu testimonium perhibuerit verbo Dei, 226 C, in spiritu fuerit, 232 B, 260 B, visionem simul imaginariam et intellectualem adspexerit, 258 D'. — Vir desideriorum vocari potest, 268 C'. Usque ad Trajani tempora vixit, 299 C'. — *Cf.* Apocalypsis.

JOANNES (S.) Baptista quomodo Christum prædicaverit, 160 A, quem dignus fuit baptizare, qua ratione, 160 B. — Venit solum in aqua, quo sensu, 51 A. — Qualis fuerit ejus baptismus, 86 A, 159 D', 188 B', et sub qua forma ministratus, 188 C'.

JOANNES (S.) Marcus, consobrinus S. Barnabæ, 154 B', illum prædicantem cum Doctore gentium comitatus est, 157 B'. — Cur a S. Paulo discesserit, 172 A'.

JOANNES presbyter, quem Papias allegat, non fuit auctor epistolarum ad Electam, 57 A, et ad Caium, 61 A.

JOB quanta passus sit, 396 A. — Non ex impatientia maledixit diei nativitatis suæ, 415 A, nec intendit se a venialibus penitus excusare, 11 A'. — Verba trium cum illo disputantium quatenus sint a Deo approbata, 10 D'.

JOEL adventum Spiritus Sancti prænuntiavit, 96 D' et seq.

JOPPE civitas. Ibi S. Petrus orans, 145 A', qualem visionem habuerit, 145 C'.

JORDANIS fluvius ubi oriatur, 143 C'.

JOSEPH, filius Jacob, qui interpretatur augmentum, quosnam exprimat, 282 B'. — Figura Christi fuit, 45 B'. — Quo sensu Deus fuerit cum illo, 125 B.

JOSEPH (S.) qui vocabatur Barsabas, cur cognominatus sit Justus, 91 C. — Fuit de numero septuaginta duorum discipulorum, et consanguineus Christi, 92 B'. — Non idem est ac S. Barnabas, 92 C', 112 C'.

JOSEPHUS (Flavius) historiographus allegatur, 118 B', 126 C, 153 B, etc.

JOSUE dictus est etiam Osee et Jesus, 130 C.

JUDÆI, qui interpretantur confitentes, 241 D', 252 D', per terram designantur, 333 C. — Tres eorum sectæ indicantur, 205 A. — Solebant gentiles pro nihilo reputare, 150 B, defunctos suos vehementer deplangere, 134 A, viros et conjuges in eodem tumulo ponere,

114 A'. — Quoties in die adoraverint, 103 B. — Quosnam interfecerint Prophetas, 131 C. — Pro majori parte Christum audire spreverunt, 106 B', illumque per ignorantiam occiderunt, quo sensu, 110 C', quanta cæcitate percussi, 105 B'. Propter hoc scelus a Romanis vastati sunt, 110 D'. — Illorum infidelitas fuit occasio illuminationis gentium, 162 D'. — Judæi ad Christum conversi, paulatim legalia dimiserunt, 171 B, 173 B', 187 C, nec in illis spem salutis posuerunt, 198 D. — In fine mundi, per prædicationem Eliæ veritatem agnoscent Judæi, 281 D'.

JUDAS. Per tribum Juda intelliguntur qui Christum veraciter confitentur, 282 B.

JUDAS (S.) apostolus, alias Taddæus, frater Jacobi et Simonis Zelotis, quare vocatus sit Corculus, 67 A. — Quanta ejus humilitas, 67 B, 75 C.

JUDAS (S.), qui cognominabatur Barsabas, laudatur, 171 C. — Quomodo Antiochenos consolatus sit Christianos, 172 B.

JUDAS Galilæus erravit de tributo, 118 D'.

JUDAS Iscariotes fuit apostolus, prædicans ac baptizans, 90 A. — Quo sensu possederit agrum de mercede iniquitatis, 90 B.

JUDEX furem suspendens, an reddat malum pro malo, 423 A'. — An reus graviter peccet, peccatum suum judici non propalando, 422 B'. — Indignus est alium judicare, qui in eodem aut majori est peccato, 422 D'.

JUDICIUM quotuplex sit, 456 D'. — Quomodo in judicando procedendum, 209 A'. — Judicium discretionis distinguitur a judicio particulari et universali, 322 D', 447 A. — Judicium disceptationis divinæ justitiæ, qualiter evadatur, 457 D. — Contra terrorem judicii caritas confidentiam donat, 46 B'. — Tempus judicii cur præsciri nolit Deus, 87 A. — Judicium generale, quo sensu triplex sit, 331 D, et de quibus in illo reddenda sit ratio, 74 C. Zelo justitiæ a sanctis desiderabitur, 326 B'. — In die judicii, quidquid inordinatum fuit per culpam, ordinabitur per pœnam, 106 C, conscientiæ singulorum singulis innotescent, 360 B, liber vitæ aperietur, 360 C, electisque præstabitur plenaria requies, 106 B.

JULIUS (Cæsar) inter gentiles eminenter bonos computatur, 211 C'.

JULIUS centurio quomodo S. Paulum tractaverit, 212 C, 215 B'.

JURAMENTUM quando non sit servandum, 205 C'.

JUSTINUS imperator, « vir christianissimus », contra Arianos pugnavit, 295 B'. — Utrum in Apocalypsi designetur cum filio suo, 298 A'.

JUSTITIA, præclarissima virtus, per topazium figuratur, 370 C', et interdum sumitur prout est virtus communis, 31 C', 408 D', seu omnis virtus, 131 B. — Quisnam justitiam faciat, 27 B'. — Justitia hominum in vita præsenti est plurimum imperfecta, 27 C'. — Quo sensu viri perfecti aliquando justitias suas coram Deo enarraverint, 457 A'. — In Beatis qualis sit justitia, 27 D', 370 D'. — Quid sit veritas justitiæ, 64 B'. — Justi qua ratione dicantur recti corde, 414 A.

L

LABIA spiritualia, quomodo a Deo aperiantur, 436 C'.

LACRIMA. Quam felix lacrima quam Creatoris manus absterget, 284 D'. — Quantum valeant sanctæ lacrimæ, 401 C'.

LACUS miseriæ, est consuetudo iniqua, carnalis vita, 459 D'. — Lacus iræ Dei magnus, infernum significat, 327 B'.

LÆTITIA ordinata, quæ est in Deo, secundum Deum, et propter Deum, 413 B', tam grandis esse debet ut redundet in corpore per exsultationem, 413 C'.

LAODICIA. Hujus civitatis episcopus in Apocalypsi increpatur, 254 D' et seq., et deinde consolationem accipit, 256 C.

LAPIS pretiosus caritatem insinuat, 339 B. — Per lapidem mundum et candidum, intelligitur Christus, 331 C', vel quælibet virtus, 332 A. — Lapides Ecclesiæ dicuntur homines ex quibus est constructa, 447 C.

LATRIA est virtus Deo cultum cærimoniamque impendens, 352 D. — Soli Deo debetur honor latriæ, 283 C'. — Actibus latriæ dulcissime reficiuntur Beati, 371 C.

LAURENTIUS (S.) quum assaretur, dabant mugitus Christiani Romani, 418 C'.

LAURENTIUS Romanus, antipapa, S. Symmacho oppositus, 295 A'. (Apud Anastasium biblioth. c. 53. Migne *Patrol. lat.* tom. 128, col. 451.)

LECTUS conscientiam designare potest, 401 A'.

LEO quosnam figuret, 264 D et seq., 268 D', 273 C.

LEO (S.) Papa. Illi adolescenti apparuit B. V. Maria, 417 C'.

LEVI, additus dicitur, et per eum exprimuntur qui consilia observant, 282 A'.

LEX divina est æquitas ipsa, 30 C'. Qualiter recolenda et adimplenda sit, 454 B. Ejus duæ partes sunt testimonia et mandata, 48 D. — Quænam sint duo præcepta legis naturalis quantum ad proximum, 428 D. — Lex Moysis angelorum ministerio data est, 131 D. Jugum ejus quam grave, 50 A, 169 B. — Lex evangelica est omnium legum perfectissima, 454 C, gratiam continens et conferens, 161 A', 194 C'. — Lex Christi est lex pietatis, 68 A', et amoris, 396 D'; lex Moysis, lex rigoris, 68 A', et timoris, 396 D'. — De observatione legis veteris post Christum quænam quæstio orta sit Antiochiæ, 167 C, et quomodo soluta in concilio Jerusalem, 168 C' et seq. — *Cf.* Decalogus, Præcepta.

LIBELLUS apertus significat evangelicam doctrinam, 296 A'.

LIBER vitæ quid sit, et quo sensu aliquis de illo deleri dicatur, 251 B. Aperiendus est in judicio, 360 C, in quo patefient etiam libri conscientiarum, 360 B. — Liber apertus designat Scripturarum novæ legis intelligentiam, 298 B'. — Quid sit liber sigillis septem signatus, 267 C et seq.

LIGNUM thyinum, ut dicitur, est imputribile, crescens in Ophir, 346 C'. — Lignum vitæ figurat Christum, 374 C; ejusque fructus duodecim, sunt universa quæ ad electorum felicitatem concurrunt, quo sensu, 374 D et seq.

LIMBUS. Ad illum descenderunt omnes electi V. T., 161 B', qui beatifica visione caruerunt, donec Christus eos visitavit, 99 B. — In limbo puerorum erunt infantes non baptizati, 361 A.

LINGUÆ, per superbiam divisæ, per humilitatem unitæ sunt, 94 D', quanto miraculo, 94 C', 96 A. — In linguis igneis exterius apparentibus, 94 D, advenit Spiritus Sanctus, 93 B et seq.

LOCUSTÆ hæreticos designant, 291 A.

LORICÆ quid figurent, 292 D, 294 B.

LUCAS (S.) evangelista in Bithynia prædicavit, 174 C. — Librum Actuum Apostolorum conscripsit, 83 A, lingua græca, 142 B'. — Quomodo in Apocalypsi designetur, 264 A', 273 D, 332 C. — *Cf.* Actus.

LUCIFER, princeps omnium dæmonum, 405 C', dicitur tentasse primos parentes et Christum; necnon Antichristum possessurus, 404 A'. *Cf.* Dæmon, Satanas.

LUNA qualiter, tempore Passionis, soli se supposuerit, 97 B', et in sanguinem conversa sit, 98 B. — Quomodo in fine mundi mutanda, 361 B'. — Quid figuret, 289 C, 307 A.

LUX. In illa quo sensu ambulemus, 7 D et seq. — Deus lux est, 6 A' et seq. — Per tenebras designatur superabundans et invisibilis abundantia lucis divinæ, 17 C'.

LUXURIA quantum noceat, 417 D'. — Luxuriosi quænam supplicia in inferno perpessuri sint, 345 C.

LYCIA, provincia Asiæ, 196 D', 212 D.

LYDIA, provincia Asiæ, 193 B'.

LYDIA, de urbe Thyatira oriunda, Philippis manens, 174 D', a S. Paulo baptizata est, 175 A. — Opulenta fuit, grata et multum devota, 175 B.

LYRA (Nicolaus de), Ord. Min. notissimus postillator, in aliquo non approbatur, 240 A, et sub nomine « quidam » refellitur, 10 B', 305 A'.

LYSTRA, civitas Lyciæ, 212 D.

M

MACEDONIA virtutibus Alexandri Magni nobilior facta est, 174 A'.

MACEDONIUS hæresiarcha quomodo erraverit et condemnatus sit, 295 C.

MAGI. Stella illis apparens, qua ratione ceteris stellis fuerit micantior, 210 A'.

MAGISTER discipulum dyscolum cædens, an reddat malum pro malo, 423 A'.

MAGISTER Sententiarum (Petrus Lombardus) allegatur, 388. — In aliquo non approbatur, 42 D'. — (Migne *Patrol. lat.* tom. 192.)

MAGOG interpretatur, de tecto, et pluribus modis intelligitur, 359 A.

MAHOMETUS, legislator Sarracenorum, 318 B', qui finxit se esse prophetam, 245 C', non per signa mundum seduxit, sed armis prævaluit, 318 D'. — Quid de Christo dicat in Alcorano, 49 A, 56 B. — Utrum in Apocalypsi designetur, 318 B', 328 A'.

MALI in præsenti vita bonis miscentur, 24 D. — Quinam sint non sustinendi, 239 A. — *Cf.* Impii, Reprobi.

MALUM culpæ, deterius est malo pœnæ, 397 B. — Mala pure pœnalia sub conditione tantum a nobis auferri postulemus, 441 D. — Qui male facit, non videt Deum, quo sensu, 63 C.

MANAHEN erat Herodis Antipæ collactaneus, 156 C.

MANASSES, qui oblivio interpretatur, quosnam significet, 282 D.

MANASSES, rex Juda, fuit « peccator gravissimus, sed profundissime pœnitens », 399 C.

MANDATUM caritatis, est vetus et novum, quo sensu, 15 C'. — Mandata Dei gravia non sunt, 49 A' et seq.; qui illa servat, in Deo manet, 39 C', et Deus in eo, 39 D'. — *Cf.* Lex, Præcepta.

MANICHÆUS (id est Manes) hæresiarcha, 276 C, confutatur, 4 C, 41 B. — Manichæi vetus Testamentum negabant, 115 D'.

MANNA absconditum, quid sit, 244 C et seq.

MANUS spirituales, sunt bonæ operationes, 458 D'. — Expansio manuum qua intentione facienda sit, 458 B'.

MARCION hæresiarcha, filius diaboli, 246 D', adhuc vivente S. Joanne evangelista, surrexit in Asia, 24 A, 239 A'. — Docuit legalia cum Evangelio servanda, 246 D'. — Refellitur, 3 A, 4 C, 41 B.

MARCUS (S.) evangelista quomodo in Apocalypsi figuretur, 264 B', 273 C, 332 C.

MARE an et quatenus innovandum sit in fine mundi, 362 B. — Quid designet, 313 C, 347 A'. — Mare vitreum mixtum igne significat Baptismum, 329 D et seq. — Mystice quid sit mare æneum, 263 A', mare vitreum simile crystallo, 263 B et seq. — Fluctibus feri maris cur assimilentur hæretici, 73 A'.

MARGARITÆ virtutes exprimunt, 339 B.

MARIA Christifera, 306 C, Deifera, 434 D', incomparabilis, 419 C, 448 B', est singularis Christi sponsa, 351 B. — Quo sensu turbata fuerit Archangelo illam salutante, 419 C. — Ejus adjutorio indigemus, 460 D'. — Utrum intelligatur per templum Dei, 306 C, et per mulierem quæ in capite habet coronam stellarum duodecim, 307 A'. — Apparuit S. Leoni Papæ, quum ipse adolescens esset, 417 C'.

MARTINUS (S.) quare securus fuerit in periculo mortis, 441 A.

MARTYRES ex caritatis fervore Creatori se obtulerunt, 439 D', qui eos miraculis honoravit, 52 B'. — Quo sensu in cœlo precentur ut Deus sanguinem eorum vindicet, 277 D', 278 C. — Aliqui confessorum longum in mundo duxerunt martyrium, 284 B.

MATTHÆUS (S.), qui primus Evangelium scripsit, quomodo in Apocalypsi figuretur, 264 B et seq., 273 C, 276 C, 332 C.

MATTHIAS (S.), qui erat de numero septuaginta duorum discipulorum, 92 B', ascensioni Christi adfuit, 84 B'. — Qualiter electus sit in apostolum, 91 C et seq.

MELIGINA insula ubi sita, 215 D'.

MELITA insula. Utrum in illam post naufragium evaserit S. Paulus, 215 D'.

MEMORIALE vocatur notabilis effectus jugi memoria dignus, 446 D. — Memoriale Dei interdum appellatur nomen ejus a gratioso effectu impositum, 446 A'.

MENDACIUM ex veritate non est, 25 B, sed ejus origo est diabolus, 25 C. — Mendacium perniciosum ab officioso et jocoso distinguitur, 321 D'.

MENSES quinque, significant omne tempus vitæ præsentis, 291 D.

MENSURA arundinea aurea, indicat justam Christi sapientiam, 367 C.

MERCATORES designant avaros, 343 C', qui spiritualia pro terrenis dederunt, 348 C'.

MERETRIX magna, est civitas diaboli, seu collectio impiorum, 338 C, 349 B'. — Quid significent ejus ornamenta, 339 A, et nomen in fronte ipsius scriptum, 339 D. — Denuntiantur ejus scelera, 338 C et seq. — Quo sensu cum illa fornicati sint reges terræ, 338 A'.

MERITA nostra sunt Dei dona, 413 C.

MESOPOTAMIA regio quare sic dicta, 123 D.

MICHAEL (S.), de ordine Principatuum, 71 D, 309 C', princeps olim Synagogæ, 71 A, 128 B', nunc Ecclesiæ militantis, 71 D, 286 D', cur archangelus vocetur, 71 A'. — Quando et quomodo contentionem cum diabolo habuerit de Moysis corpore, 70 C' et seq. — Præliatur cum angelis suis pro Ecclesia, 309 C'. — An et quatenus in Apocalypsi designetur, 286 D'.

MILETUS, civitas Asiæ maritima, 193 B'. — Explanantur quæ ibi locutus est S. Paulus, 193 D'.

MIRACULA, quæ per fulgura signantur, 262 C', fidem consequuntur, 105 A', et legem evangelicam confirmant, 52 A', etiam in præsenti tempore, 52 D'. — Quo sensu Deo soli competat vera operari miracula, 319 A'. — Innumera fuerunt miracula Christi, 83 C, et Apostolorum, 115 C'. — Mundi ad fidem conversio maximum est miraculum, 137 C', 311 A. — Quanto miraculo donum linguarum in Apostolis splenduerit, 94 C', 95 C, 96 A. — Injustis quandoque potius quam justis miracula impenduntur, quare, 216 D'. — An vera miracula facturus sit Antichristus, 319 A et seq.

MISERATIO in Deo significatur per modum actus, 426D'.

MISERICORDIA quid sit, 397A, et quo sensu Deo conveniat, 397C. — Motivum miserendi aliud est ex parte miserentis, 397A', 399D', aliud ex parte miseri, 397B'. — Quænam sit vis verbi istius : Miserere, 426D. — Misericordia Dei quanta sit, 426C, et qualiter exoranda, 440D'. Pluraliter designatur per diversitatem suorum effectuum, 426C'.

MISSA prima in cœnaculo a Christo celebrata est, 89A. — In missa quare sacerdos manus expandat, 458B'.

MITYLENE insula. Utrum huc post naufragium evaserit S. Paulus, 215D.

MONACHI in desertis cur cingulis usi sint, 154A. *Cf.* Cœnobitæ, Religiosi.

MONS magnus et altus Christum figurat, 365B. — Mons magnus igne ardens denotat diabolum, 288D. — Quosnam designent montes, 278D', 279C. — Mons Oliveti, de quo Christus in cœlum ascendit, ubi situs sit, 88B'.

MONTANISTÆ vetus Testamentum negabant, 115D'.

MORS. Illam appetere quatenus liceat, 291C'. — Ejus diem cur Deus præsciri nolit, 87A, saltem ordinarie, 87C. — Explanantur hæc : Beati mortui qui in Domino moriuntur, 324C' et seq. — In ea mentis dispositione qua moritur homo, permanet ejus anima, 325C. Nihil periculosius homini quam in eo vivere statu, in quo mori non audet, 405D'. — Quo sensu opera mortuorum sequantur illos, 325D'. — Vera suscitatio mortuorum non fit nisi Dei potestate, 143B. — Mors designat ignem conflagrationis, vel diabolum, 360A'. — Prima mors est mors culpæ seu ipsum peccatum, 360D'. — Mors secunda est damnatio ultima, 358A', 360D', 364B'.

MOTUS primi mobilis et cœlestium corporum cessabit post finale judicium, 298C. — Motus terræ supernaturalis factus est post orationem discipulorum contra persecutores, 111B', et in carcere ubi detinebantur S. Paulus et S. Silas, 176A'.

MOYSES, Judæorum legislator, 106D, et magister, 43C', unde nomen acceperit, 51B. — Quo sensu eruditus sit in omni sapientia Ægyptiorum, 126C', et gratus Deo fuerit, 126A'. — Utrum peccaverit Ægyptium occidendo, 127A. — Angelus illi in persona Dei apparuit, 127B', cur in igne, 127C'. — Quomodo Deum viderit, 43C', et de Christo prophetaverit, 106D. — De ejus corpore quando et quatenus S. Michael cum diabolo contentionem habuerit, 70C' et seq.

MOYSES (Rabbi). Juxta illum, tot erant in lege præcepta, quot dies in anno et ossa in homine, 50A, 169C.

MULIER amicta sole, Ecclesiam militantem designat, 306C'. — An etiam B. V. Mariam figuret, 307A'.

MULUS est brutum gulosum, 412D.

MUNDUS quotuplici modo accipiatur, 19C, 181D'. — Mundus transibit, quo sensu, 22A'. Ultima ejus ætas qualis sit, 23C, et quare præcedentibus protractior, 23A'. Ejus decursus durabit quousque electorum numerus compleatur, 278B. — Mundus designatur per Babylonem, Ægyptum et Tyrum, 343C. — Totus in maligno positus, 55C', Deum non novit, 29A, et justos odio habet, 35A. Qua ratione non sit diligendus, 19A et seq., 20A. — Quis illum vincat, 50B et seq. — Mundi conversio ad fidem, maximum est miraculum, 137C', 311A. — Antichristo occiso totus pene mundus ad Christum convertetur, 304C. — Mundani perverse judicant de devotis hominibus, 28C'.

MURUS magnus et altus, 365D', figurat Dei protectionem, vel ipsum Christum, 366A.

MUTATIO non fit sine quadam corruptione, quo sensu, 452B.

MYSIA, provincia Asiæ, 174B.

MYSTERIUM quid sit, 339A'.

N

NASUS discretionem indicat, 292C.

NAUTÆ. Per illos intelligi possunt qui navem Ecclesiæ regere habent, 347A'.

NAVES mystice sunt rectores Ecclesiæ, 288B'.

NAZARÆI ex voto comam nutriebant, ac deinde radebant, 187C.

NAZARENI quinam vocati sint, 207B.

NEAPOLIS, civitas Cariæ, 174B'.

NEBULA, secundum quosdam, gratiosam Dei præsentiam significat, 332C'.

NECESSARII amici quinam sint, 147C.

NECESSITAS conditionata a necessitate absoluta distinguitur, 225B'.

NEOPHYTI vocantur qui ex infidelitate ad evangelicam legem nuper conversi sunt, 95C'.

NEPHTHALI, qui latitudo interpretatur, quosnam designet, 282D.

NEQUITIA. Quodnam peccatum ita sit appellandum, 107 D.
NERO, nondum in imperio confirmatus, S. Paulum non reclusit, 218 A, 219 D', sed postea illum interfecit, 220 A. — An et quatenus in Apocalypsi figuretur, 274 D' et seq.
NESTORIUS hæresiarcha confutatur, 4 C, 41 C.
NICÆNA synodus Arium condemnavit, 295 B.
NICOLAUS diaconus quomodo occasionem præbuerit errori Nicolaitarum, 121 A', 240 B', qui doctrinam Balaam tenuerunt, quo sensu, 243 B'.
NOX designat activos et in pœnitentiæ actibus constitutos, 289 D.
NUBES. Qualiter per nubem assumptus sit in cœlum Christus, 84 D', 88 B, qui dicitur amictus nube, quare, 296 A. — Per nubem candidam intelligi potest caro Christi, 326 D. — Nubes mystice sunt angeli, Apostoli, 230 C, et prædicatores, 73 B.
NUMERUS senarius est perfectus, 265 B. — Numerus quinquagesimus remissionem et quietem indicat, 94 B. — Quibus numeris designetur universitas, 227 D, 262 C, 285 B', 308 D, 329 C. — Frequenter per numerum determinatum exprimitur indeterminatus, 242 C, 262 B, 281 D', 293 D'. — Numerus bestiæ quid sit, 317 D' et seq.
NUPTIÆ Agni, significant plenam Christi conjunctionem cum Ecclesia, 350 D'.
NYCTICORAX signat mediocriter bonos et proficientes, 443 D'.

O

OBSECRATIO, efficacissima orationis species, in quo sistat, 456 C.
OCULI sapientiam et mansuetudinem designant, 292 C. — Quid sit concupiscentia oculorum, 20 B'. — Per oculos septem intelliguntur dona Spiritus Sancti, 269 C'.
ODIUM est mortale peccatum, 16 D'. — Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, quo sensu, 35 D'. — Qui carnali amore se diligunt, vere se odiunt, 311 B'. — Quale odium sit bonum, 311 A'.
OLEUM quosnam figuret, 277 A.
ONUS in Prophetis exprimit pœnam culpæ debitam, 416 C.
OPERATIO arguit formam, 38 C.
OPUS unum et idem quomodo sit meritorium et satisfactorium, 401 D. — Per opera intelliguntur etiam interiores actus, 377 A. — Qui sine operibus virtutum sperat salvari, inaniter sperat, 413 A. — Opera mortuorum sequuntur illos, quo sensu, 325 D'. — Deus dabit unicuique secundum opera sua, 246 A'.
ORATIO quid sit, 12 D', 75 D', et quinam sint ejus effectus, 456 A. Per orationum merita Deus multa facere decrevit, 440 C. — Oratio qualis exaudiatur, 39 A, 53 D' et seq., 456 A, et cur interdum post dilationem, 39 B, 441 B'. Quomodo orans possit cognoscere se exauditum esse, 404 B. — Quinam in Spiritu Sancto orent, 75 C'. Humiliter orandum est, 448 D. Qui ex affectu non petit, non orat, 456 A. — Frustra oratur pro illo qui impœnitens mortuus est, 55 A. — Qua compunctione oporteat pœnitentem orare, 391 ; cui orandi forma proponitur, 392. — Oratio est mysticum thymiama, 439 D'. Efficacissima perhibetur, quæ laudibus Dei miscetur, 446 B, nam majus est talibus laudibus quam orationibus esse intentum, 102 B. — Aliqui solent in loco altiori devotius orare, 145 B'. — Ante comestionem orandum est, quare, 145 B' — Obsecratio, quæ est orationis species, in quo sistat, 456 C.
ORIGENES allegatur, 126 C', 158 A, 404 D, etc. — Quid de illo sentiendum, 254 D. — Aliqua ejus interpretatio a S. Hieronymo damnatur, 219 A'. — (Migne *Patrol. gr.* tom. 11-17.)
OS eloquentiam designat, 292 C.
OSSA quomodo per contritionem conturbentur, 398 A. — Illis assimilantur virtutes, 398 B, et superiores animæ vires, 415 D', 433 D, 442 B.
OSTIUM multiplici sensu accipitur, 252 C et seq. — Ostium cordis, est liberum arbitrium, 256 B'. — Ostium apertum in cœlo, est Christus, 259 B.

P

PAMPHYLIA, provincia Asiæ, 167 A.
PANIS designat fletum salubrem, 442 A', panem sacramentalem, 442 B', contemplationem et bonam operationem, 442 C'. — Quo sensu panem suum non comedant crapulose epulantes, 443 B. — Cinerem tanquam panem manducat pœnitens, 444 B'.
PAPA, summus Prælatus, sponsus ac hierarcha totius Ecclesiæ, 455 C, necnon Pontifex summus populi christiani, Imperatore et regibus valde est sublimior, 428 C'.
PAPHUS, civitas Cypri maritima, fuit quon-

dam carminibus poetarum famosa, 157 B'. — Ibi Sergius Paulus a S. Paulo conversus est, 157 C', 158 A'.

PAPIAS, Hieropolitanus episcopus, fuit S. Joannis apostoli discipulus, 61 A.

PARDUS est animal variis respersum coloribus, 313 C'.

PASSER figurat eos qui pœnitentiam inchoant, 444 A.

PASSIONES animæ, nisi refrenentur, a medio virtutis oculum cordis abducunt, 403 D.

PASTOR quænam habeat officia, 244 B. *Cf.* Prælatus, Prædicator.

PATARA, civitas Lyciæ, 196 D'.

PATER æternus, quale testimonium Filio dederit, 52 C, et quo sensu sit salvator noster, 76 D'. — Qui negat Filium Dei, negat et Patrem ipsius, quare, 25 B'. — Pater et Filius sunt unus spirator et dator Spiritus Sancti, 97 A. — *Cf.* Christus, Filius, Spiritus, Trinitas.

PATIENTIA quid sit, 238 C', et qualiter servanda, 399 A. — Ejus est in adversis inordinatam auferre tristitiam, 316 D. — Ex consideratione pœnarum æternarum firmatur, 324 A'. — Quanta fuerit justorum patientia, 457 C'.

PATMOS insula. Ibi relegatus S. Joannes Apocalypsis librum composuit, 224.

PATRESFAMILIAS quasi episcopale officium in suis domibus exercere debent, 144 C.

PAULUS (S.), oriundus a Tarso, 140 A', urbe Ciliciæ, 171 A', 200 B, civis Romanus quomodo fuerit, 177 A', 202 C'. — Unde parentes ejus venerint, 201 A. — Saulus primo dictus, 133 A, a Gamaliele instructus est, 201 B, et ante conversionem suam zelum legis indiscretum habuit, 201 B. — Consensit neci S. Stephani, 133 B', cujus orationis virtute creditur illustratus, 133 A'. — Juxta Damascum illuminatus, 139 A, 201 D, 210 A', vocem Christi audivit, 139 B, et ad illum conversus est, 139 B'. A tempore illo non fuit conscius de aliquo mortali peccato, 203 B. — Quid postea egerit, 140 A et seq. — Quando raptus sit ad tertium cœlum, 140 C, et quomodo Deum viderit, 43 C', 44 D.

Damasco fugiens, 141 D, an statim venerit Jerusalem, 141 D', 167 D'; quales visiones ibidem habuerit, 201 D', 205 C. — Impositionem manuum accepit, quo sensu, a quibus, 156 B' et seq., et quo anno post Domini passionem, 157 C. — In dono sapientiæ privilegiatus, 115 D, omne consilium Dei annuntiavit, quomodo, 194 D'. De legalium observatione quid docuerit, 198 A'. — Quantus ejus zelus, 193 D, quanta fortitudo, 198 A, et caritas erga Judæos, 179 A'. — Utrum majora miracula fecerit quam Christus, 189 B'. — Labori manuum insistens, 196 A, erat scenofactoriæ artis, 185 C'. — Iconii quid cum S. Barnaba operatus sit, 164 B. — Lystræ claudum curavit, 164 D' et seq., et pro Mercurio reputatus, 165 C, gentilium recusavit adorationem, 165 A'; deinde lapidatus, 166 B, divina potestate mortem evasit, 166 C. — Qualis facta sit dissensio inter illum et S. Barnabam, 172 B'. — Philippis pythonissam a dæmone liberavit, 175 B', et virgis cæsus in carcerem missus est cum S. Sila, 176 D; sed interveniente terræ motu, 176 A', liberatus fuit, 177 B et seq. — Qualiter conversatus sit Thessalonicæ, 178 C, Berœæ, 179 A', apud Corinthios, 185 C et seq., et Ephesios, 187 D, 188 B et seq. — In Cenchris caput sibi totondit, 187 B, votum habens, quo sensu et quare, 187 C. — Cur Jerosolymam redierit, 190 C', et quomodo illi revelata sint quæ ibidem passurus esset, 194 D. — Troade juvenem mortuum suscitavit, 193 B. — In templo Jerusalem captus est a Judæis, 199 B. Quare se civem Romanum allegaverit, 202 C'. Illum instantius persecuti sunt Pharisæi quam Sadducæi, 207 B'. — Ante tribunal Festi Cæsarem appellavit, quare, 209 A. — Quomodo a Cæsarea in Italiam iter fecerit, 212 B. — Multa pericula in mari expertus, 213 D et seq., sed ab angelo confortatus, 214 C, ipse comites navigationis confortavit, 214 B, cum quibus omnibus, ut prædixerat, ad terram evasit, 215 C'. A vipera deinde tactus, 216 C, nihil mali passus est, 216 D, et multa prodigia patravit, 216 C'. — Quomodo Dei fuerit, 214 C, quem Deum suum appellavit, quo sensu, 214 D. — Non reclusus est a Nerone, qui nondum in imperio confirmatus erat, 219 D'. Vinctus tamen incessit, 218 D. — Quando martyrium passus sit, 168 A, 220 A. — Elucidantur ea quæ locutus est ad Judæos Antiochiæ Pisidiæ, 159 A, ad Athenienses in Areopago, 181 B', ad Ephesinæ Ecclesiæ seniores Mileti congregatos, 193 D', ad Judæos in Jerusalem, 201 A, ad Ananiam pontificem, 203 D, ad Felicem præsidem, 207 D, ad Agrippam regem, 209 D, ad Judæos Romæ, 218 B.

PAX quid sit, 227 B', et quotuplex, 58 C. — Quam desiderabilis, 227 C'.

PECCATUM infelicissima est ruina, 387. Quo sensu mors dicatur, 27B', 242C', 249A. — Gravissimum est ejus onus, 416B. — Omne peccatum est quædam injustitia, 131B, et quoddam mendacium, 377B'. — Quanta diligentia vitandum sit peccatum, 11C, cujus prima origo est voluntas creata, 22C. — Quinam sint peccati effectus, 406B, 416C', 419B', 427C'. — Peccata diverso respectu distinguuntur, 21B et seq. Quomodo illa ponderent incipientes, proficientes, 398B', et perfecti, 398C'. — Septem peccata mortalia quæ aliorum vitiorum radices vocantur, quænam sint, 21A' et seq. — Originale peccatum, quod formaliter unum, materialiter plura dicitur, 429D', contrahitur non a parentibus proximis, 430A, sed a primis parentibus, 430B. — Vulnera quatuor ex originali peccato derivant, 397C', 415A', 429D'. — Omnis peccans fertur ignorans, quare, 18B. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, 30B', omnisque iniquitas peccatum est, 55D. Inter peccata et iniquitates qualis sit distinctio, 427C. Qui facit peccatum, ex diabolo est, 31C' et seq. — Peccati quanta sit gravitas, si consideretur ex parte Dei offensi, 425A, 428D', et ex parte peccantis, 426A. — Peccatum mortale, quod per tenebras designatur, 7C, quænam pariat mala, 59B, 149C, 342B. — Qui peccat mortaliter, meretur corporaliter mori, 415C. — Utrum aliqui in peccato mortali defuncti salvi facti sint, 400D'. — Multi Sanctorum ex revelatione agnoverunt se mortali peccato non subjacere, 9A'. — Aliquem esse in peccato mortali, sæpe tam ab eo quam ab aliis certo cognosci potest, 33D'. — Quodnam peccatum dicatur nequitia, 107D. — Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quo sensu, 32A', 55A'. — Utrum aliquis adultæ ætatis rationisque compos valeat in hac vita esse sine peccato, 409B', 432A'. Quo sensu omnes peccatum habeant, 9C, 10D. — Venialia singula, non omnia, vitare possumus, 11C. — In remissione peccati simul intelligitur infusio gratiæ, 406D, quo sensu, 407B. — Quanto quis peccata sua diligentius pensat et exsecratur, tanto majorem veniam meretur, 428B. — Unum peccatum mortale non dimittitur sine aliis, quare, 10A, 427D. — Peccata in Spiritum Sanctum cur asserantur irremissibilia, 55A. — Peccata venialia quomodo dimittantur, 54C'. — Post perceptam peccatorum remissionem rursus excedere est enormius, 406C'. — Utrum semper de peccatis dolendum sit, 402B' et seq. — Excusatio et negatio propriæ culpæ, valde gravia sunt peccata, 407B'. — Quænam sint reliquiæ peccati, 397D'. — Peccata pacem peccatoris impediunt, 415D'. — Peccatores quomodo de igne rapiendi, 76C, et qualiter a Deo puniti sint, 458C.

PEDES mystice sunt affectiones, 296B, et actus, 422A. — Pedes Christi, sunt prædicatores virtuosi, 296D.

PELAGIA (S.) quantum per pœnitentiam extenuata fuerit, 443C.

PELAGIUS hæresiarcha « valde litteratus » an et quatenus in Apocalypsi figuretur, 288C'. — Qualiter de gratia erraverit, 295C.

PELECANUS pœnitentes perfectos exprimit, 443D'.

PENTECOSTE unde nomen acceperit, 93A. — In illo die quomodo advenerit Spiritus Sanctus, 93B et seq.

PERFECTI quomodo peccata ponderent, 398C'. — Aliquando malunt suas culpas puniri, quam Dei offensam manere inultam, 47C. — Non sua dumtaxat, sed et proximorum, potissime subditorum, delicta lugent, 401D'. — Aliqui ita perfecti sunt, ut statim post hanc vitam intrent beatitudinem, 11B. — Quo sensu viri perfecti interdum coram Deo de suis justitiis locuti sint, 457A'. — Qui perfectus est, amore boni perseverat in bono, 242B'. — *Cf.* Sancti.

PERGAMUS. Hujus civitatis episcopus qualiter in Apocalypsi laudetur, 243D, et admoneatur, 243B' et seq. — Illum esse S. Carpum quidam asserunt, 245C.

PERGE, maritima civitas Pamphyliæ, 158C', 167A.

PERSECUTIONES. Illis fides non est minorata, sed aucta, 133C'.

PETRÆ Sanctos in patria confirmatos designant, 279C.

PETRUS (S.), princeps Apostolorum, 89B', 168C', et Ecclesiæ, 448A, quam perfecte legem Moysis impleverit, 146B. — Omnia propter Christum reliquit, 103B'. — Quantum mutatus sit gratia Spiritus Sancti, 96D, 105A'. — Omni nocte a primo gallorum cantu uberrime flebat, 401C'. — Laudatur ejus caritas, 447A', et constantia, 105A', 109C. — S. Joanne evangelista familiariter utebatur, 103B. An designetur in Apocaly-

psi, 283D'. — In miraculis privilegiatus, 115D, utrum majora fecerit signa quam Christus, 115A'. — Claudum curavit, 103C', Æneam paralyticum sanavit, 142A', et suscitavit Tabitham, 142D'. — In Joppe orans, 145A', cœlesti visione præmonitus est, 145C' et seq., et ad Cornelium centurionem venit, 147B. — Ab Herode Agrippa in carcerem missus, 153D, per angelum liberatus est, 153D' et seq. Ejus custodibus quid acciderit, 155B. — Antiochiæ Missam celebravit, 157B. — Viginti quinque annis Romæ sedit, 168B. — Quando martyrium passus sit, 168A, 269C. — Explanantur ea quæ locutus est ad discipulos ante electionem S. Matthiæ, 89D', ad Judæos die Pentecostes, 96A', ad populum post claudi curationem, 104D, ad principes populi occasione eadem, 108B', et postquam educti sunt e carcere Apostoli, 117D; ad Simonem magum, 135C', ad Cornelium centurionem ejusque socios, 147B', ad Apostolos senioresque in Jerusalem, 168C'. — Quo stilo utatur, 154A'. — Romam nominat « Babylonem », 303B. — Quid de triplici homicidio dixerit, 35D'.

PETRUS de Tarentasia (B. Innocentius V) allegatur, 391.

PHARISÆI, quorum secta notissima fuit, 210A, susceperunt non tantum Moysis, sed et Prophetarum libros, 205A; resurrectionem mortuorum et angelos admiserunt, 205A. — S. Paulum instantius persecuti sunt quam Sadducæi, 207B'. — Per illorum hæresim quid intelligatur, 168A'.

PHIALÆ aureæ mystice sunt mentes devotæ, 270D, seu corda sapientiæ splendore ornata, 332B. — Phialæ iræ Dei quid sint, 333B, et quomodo effundantur, 333A'.

PHILADELPHIA. Hujus civitatis episcopus laudatur, 252C et seq.

PHILIPPI civitas, ubi sita, et a quo nomen sortita, 174B'.

PHILIPPUS (S.) diaconus, cur dicatur evangelista, 197A'. — Per angelum monitus, 136A', eunuchum Æthiopem adiit, 137B, quem allocutus est, qua lingua, 137B. Ipsum baptizavit, 138B, et deinde a Spiritu Domini raptus est, quo sensu, 138C. — Ejus quatuor filiæ virgines quid S. Paulo prædixerint, 197B'.

PHILOSOPHIA. Ejus studium primo viguit in Ægypto, 126C'.

PHOTINUS hæresiarcha, 276C, confutatur, 4C, 41C.

PHRYGIA, provincia Asiæ, 173D'.

PISIDIA, provincia Asiæ, 158C'.

PLAGÆ novissimæ innuunt consummationem supplicii reproborum, 329B.

PLATEÆ cœlestis Jerusalem quosnam figurent, 371C'.

PLATO. Ejus Phædo et Timæus allegantur, 181B, 413D'.

PLATONICI quid nomine dæmonis intellexerint, 181A, et quosnam distinxerint dæmonum ordinès, 180D'.

POCULUM aureum delectabilia mundi denotat, 339C.

PODERIS quid sit et quid figuret, 233C'.

PŒNA. Ex illa attenditur culpa pro qua infligitur pœna, 408A'.

PŒNITENS, qui nullatenus desperare debet, 399C, ad fiduciam excitatur, præsertim si religionem ingressus sit, 438C. — Qua compunctione oporteat illum orare, 391, et qua uti forma orandi, 392. — Quo sensu in flagella paratus, 422D, cinerem tanquam panem manducans, 444B', et poculum suum cum fletu miscens, 444C', memor sit dierum antiquorum, 458C. — Quomodo confugiat ad auxilium Dei, 460B', qui semper pœnitentibus propitius exstitit, 458D. — Illi adversantur carnales amici, 419D', malitiosi homines, 444C, et invisibiles hostes, 420B. — Ipsi solitudo convenit, quo sensu, 443D et seq. — Pœnitens solet esse specialiter aptus ad instruendum alios, 435C'.

PŒNITENTIA est alter Baptismus, 427B'. — Per illam ad Deum revertimur, 387, et virtutes vocantur in domum luctus, 398C, 433D. — Quam laudabilis sit, 389. — Describitur cum suis actibus et proprietatibus, 388. Quænam sint digna ejus opera, 211A. — Est pœnitentia non vera, quæ ex solo servili procedit timore, 438D. — Sacramentum Pœnitentiæ, quod est secunda post naufragium tabula, 10A, quantæ sit efficaciæ, 55B'. Sacramentalis pœnitentia tres habet partes, 10B. — Utrum iteranda sit pœnitentia in peccato mortali peracta, 402C et seq.

POLLUX et Castor a gentilibus in periculo maris invocabantur, 217C.

POLYCARPUS (S.), episcopus Smyrnensis, quo martyrio coronatus sit, 243A. — An de illo sermo sit in Apocalypsi, 243A.

POMA mystice dici possunt quæque vilia, 347B.

PONTIFEX cur vocetur angelus, 238A. *Cf.* Papa.

PONTUS, Asiæ regio, quas provincias complectatur, 185 C.

PORPHYRIUS Platonicus allegatur, 181 C, 425 D. — Ejus insania denuntiatur, 109 B', 114 A.

PORTA templi quæ dicitur Speciosa, qualis fuerit, 103 D. — Portæ designant observantiam præceptorum, 377 D. — Portæ duodecim insinuant duodecim Patriarchas et Apostolos, 366 B.

PORTICUS Salomonis in qua parte templi sita fuerit, 104 D. — Ibi prædicabant Apostoli, 115 A.

PRÆCEPTA cetera ad præceptum caritatis ordinantur, 15 D, 34 B. Utrum qui præcepta implet, perfectam habeat caritatem, 13 D' et seq. — Præcepta veteris legis erant moralia, cærimonialia, et judicialia, 200 A' et seq. Moralia manent in lege evangelica, non vero cærimonialia, 200 C', quæ figurativa erant, 123 A, et in melius mutata sunt a Christo, 122 D', in cujus passione cessaverunt, 146 D. Judicialia autem servari nunc possent, quo sensu, 200 D'. — Præcepta Decalogi an impleri possint sine gratia gratificante, 13 D et seq. — Præcepta quædam nova a Christo ejusque Apostolis data sunt, 15 D. — *Cf.* Decalogus, Lex, Mandatum.

PRÆDESTINATUS, ad tempus quidem errare potest, sed non finaliter perire, 33 B', 253 D'. — Prædestinatis quomodo provideat Deus, 163 B'. — Electi ex Deo sunt, quantum ad prædestinationem æternam, 63 B. — Liber vitæ est ipsa prædestinatio, 251 B. — *Cf.* Electi, Sancti.

PRÆDICATOR, cujus commendatur officium, 435 A', ad quid teneatur, 436 C. — In vanum ejus lingua laborat, si intus non radiet illustratio Creatoris, 435 B'. — Prædicatores Ecclesiæ designantur per septem angelos, 329 B, per tonitrua, 297 A', nubes, 73 B, ventos terræ, 280 A'. — Pedes Christi, sunt prædicatores virtuosi, 296 D. — Quibus ornamentis prædicatores præcingi debeant, 332 A. Pro fide mori sint parati, 172 B'. — Prædicatores boni quomodo ad officium exsequendum se aptaverint, 287 C. — Increpantur qui ea quæ prædicant, facto non confirmant, 84 A, et qui temporalia spiritualibus præferunt, 196 A. — Prædicatio simplex figuratur per voces, 262 C'; sublimis, per tonitrua, 262 D'. — Prædicatores Evangelii quinam in Apocalypsi exprimantur, 322 A', 323 A et seq.

PRÆLATUS omnem torporem abjiciat, 249 A. — Prælati, qui muris assimilantur, 438 D', et navibus, 288 B', ad quid teneantur, 36 C', 62 A, 84 B, 195 B, 307 D', et quænam sit eorum præcipua consolatio, 58 B'. — Qualiter pestiferos subditos tractare debeant, 248 B. — Verbis asperæ increpationis dulcia jungant caritatis eloquia, 256 D. Illos decet mansuetudo, ira dedecet, 194 A. — Ad priorem fervorem revertantur, 241 D. — Illorum peccata quare graviora, 428 D'. — Reprehenduntur prælati circa temporalia nimis occupati, 121 A, et palpantes subditorum peccata, 194 B. — *Cf.* Prædicator.

PRÆMIUM actui virtutis correspondet et redditur, 31 B'. — Præmium Beatorum aliud est essentiale, quod aurea dicitur, 242 D, aliud accidentale, 6 A'. — Ex illius consideratione minuitur labor vitæ præsentis, 49 D'. — *Cf.* Beati.

PRÆSCITI utrum aliquando dicantur ex Deo nati, 27 C', 32 A. *Cf.* Reprobi.

PRÆSIDENS quænam habeat officia, 206 C'. *Cf.* Prælatus.

PRÆTORIUM quid sit, 206 B'.

PRESBYTERI primitivæ Ecclesiæ an distincti fuerint ab episcopis, 166 D'.

PRISCILLA (S.), uxor Aquilæ, erat scenofactoriæ artis, 185 C'.

PROPHETÆ visione imaginaria Deum viderunt, 43 D'. — Incerta et occulta sapientiæ divinæ illis manifestata sunt, 431 D et seq. — Quomodo de Christo locuti sint, 106 D', 150 A, 178 D. — Multi conversionem gentilium vaticinati sunt, 170 A. — Visis mirabilibus Dei, communiter se corruisse fatentur, 236 C. — Quinam ex illis a Judæis interfecti sint, 131 C. — In eorum libris, temporis ordo non stricte servatur, eademque sæpe tractantur, 275 B. — In primitiva Ecclesia multi spiritu fulserunt prophetico, 152 D.

PROPHETIA est gratia gratis data, 352 D, quæ communiter non conceditur nisi virtuosis, 352 A'. — Propheticæ revelationes per angelos factæ sunt, 260 A.

PROPOSITIO. Ejus veritas est adæquatio intellectus ad rem intellectam, 64 B. — Propositiones quædam penes sensum compositum et divisum distinguuntur, 33 A.

PROSELYTI quinam in veteri Testamento dicti sint, 95 C', 178 D'.

PROVIDENTIA Dei non imponit rebus absolutam necessitatem, 214 C', nec hominibus libertatem tollit, 225 C'.

PROXIMUS diligendus est, 34A, 39B', 43A', 48B', non verbo neque lingua, 37B', sed opere et veritate, 37C'. — Naturalis ratio dictat ut homo proximum diligat, 15B'. Quænam sint duo præcepta legis naturalis quantum ad proximum, 428D. — Caritas Dei et dilectio proximi inseparabiliter sunt connexæ, 34D, 49D, ita ut posterior ad priorem ordinetur, 15A'. — Pro salute proximi quando corporalis vita exponenda sit, 36C. — *Cf.* Caritas, Dilectio.

PRUDENTIA, per chrysoprasum designata, ad ultimum finem dirigit humanos actus, 371A.

PSALMI pœnitentiales quomodo meditandi, 463A, qua compunctione pronuntiandi, 391, et ad quid obtinendum, 463B et seq.

PSEUDOPROPHETA, in Apocalypsi, significat cœtum prædicatorum Antichristi, 335D', vel aliquem ex illis præcipuum, 355A'. — Pseudoprophetæ sunt hæretici et seductores, 40C'.

PTOLEMAIS, civitas Terræ sanctæ in tribu Aser, 197D. — Altera Ptolemais in Pentapoli provincia Africæ sita est, 197A'.

PUBLIUS, princeps cujus pater a S. Paulo curatus est, ad sanctitatem postea pervenit, 216C'.

PURGATORIUM. Quanta sint ejus supplicia, 395B'.

PURPURA simulatam perfectionem denotat, 339B.

PUTEOLI civitas, ubi sita, 217A'.

PUTEUS abyssi quid sit, 290B'.

PYTHONES nomen acceperunt a Pythone Apolline, 175C, qui inventor fuit cujusdam divinationis, 175B. — Pythonissa qualis, 175C et seq., per S. Paulum a dæmone liberata sit, 175B'.

R

RABANUS (Maurus), Moguntinus episcopus, allegatur, 120B', 121C', 124B', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 107-112.)

RANÆ. Cur sub illarum specie visi sint spiritus immundi, 336A.

RATIO, affectu corrupto, prorsus inficitur, 199D.

RECHABITÆ conversationem Ecclesiæ primitivæ præfiguraverunt, 112D.

RECTUM quid sit corporaliter et spiritualiter, 414A.

REDARGUTIONES quando sint vitandæ, 420A'.

REFECTIO patriæ beatifica vocatur cœna, quare, 351A'.

REGNUM Dei quid sit, 218B', 219C', 310D', et quomodo a Sanctis magnificetur, 350D et seq.

RELIGIO quid sit, 94D', 144A. — Ejus principales actus sunt interiores, 182B.

RELIGIOSI quinam dicantur, 95A. — Religiosi, per oleum et vinum designati, 277A, apostolicæ perfectionis vestigia sectari profitentur, 112D'. — Quantum in illis detestandum vitium proprietatis, 114D'. — Religiosi remissi increpantur, 258A'. — *Cf.* Cœnobitæ, Monachi.

REMPHAM, id est stella matutina, a multis idololatris adoratur, 129C'.

REPROBI unde corrigi deberent deteriorantur, 115C', 189C, 337C'. — Quantus sit eorum numerus, 337C. — In illorum damnatione elucebit sapientia Dei, 355C. — Ipsorum tormenta, quæ describuntur, 324A et seq., 327D' et seq., qua mente a Beatis conspiciantur, 324B. — Collectio reproborum dicitur vinea terræ seu vinea diaboli, 327A'. — *Cf.* Damnati, Infernus.

RESPECTUS Dei, alius est per approbationem, alius per reprobationem, 448B'.

RESURRECTIO prima, est vita animarum sanctarum in patria, 358C. — Resurrectio corporum qualiter peragenda, 360A', et post illam quantum futurum sit Beatorum gaudium, 6D.

REUS utrum graviter peccet peccatum suum judici non propalando, 422B'.

REX summo pontifice superior fuit apud Judæos et gentiles, 428B', inferior autem a Christianis reputatur, 428C'. — Regum peccata cur graviora, 428D'. — An regem enormiter « tyrannizantem » deponere liceat communitati, 428C'. — Reges terræ, mystice sunt prælati idonei, vel qui bene se ipsos rexerunt, 372B'. — Quinam in Apocalypsi designentur per reges septem, 340A' et seq., et decem, 341C.

RHEGIUM oppidum, ubi situm, et quomodo S. Brunonis nomen revocans, 217D.

RHODOS, insula clara in Carpathio mari, 196D'.

RHOMPHÆA ex utraque parte acuta, designat rigorem divini judicii, 243B, vel Scripturam, 243C.

RICHARDUS de Mediavilla, Ord. Min. theologus, allegatur, 391.

ROMA a S. Petro Babylonis nomine designatur, 303B. — Latius præsidet religione divina quam dominatione terrena, 448A.

ROMANI ordinaverunt ne sine approbatione senatus, aliquis de novo deus coleretur, 176 C, nec ullus reus damnaretur nisi locum excusationis acciperet, 177 C', 209 C. — Ab illis vastati sunt Judæi quoniam Filium Dei crucifixerunt, 110 D', ita ut Christi potestate, ab iisdem destructa fuerint urbs et templum Jerusalem, 122 D'. — Magnis privilegiis gaudebant ubique cives Romani, 202 A'. — Romanus imperator, qui vocabatur Augustus, quare, 209 B', sine licentia sua nolebat aliquem vocari regem, 179 C. — An et quatenus in Apocalypsi figurentur Romani imperatores qui Ecclesiam persecuti sunt, 274 D' et seq., 275 B', abutentes monarchia quæ illis desuper data erat, 276 B.

RUBEN qualiter interpretetur et quosnam exprimat, 282 C.

S

SABBATUM. Quid sit iter sabbati, 88 C'.

SACERDOS cur vocetur angelus, 238 A. — Sacerdotes Judæorum ad Christum conversi, ejus misericordiam quantum manifestent, 122 A. — Sacerdotibus N. L. competit corpus Domini consecrare, 229 D'. Utrum devotus sacerdos sit dignus Eucharistiam conficere, 160 C. — Omnes fideles « sacerdotes » dicuntur, quo sensu, 229 D'. — Beati sunt sacerdotes Dei et Christi, 358 A'.

SACRAMENTA et sacrificia V. L. gratiam figurabant, sed non continebant, 437 B ; ab impiis oblata, Deo displicebant, 437 D. Quando cessaverint et mortifera evaserint, 437 C. — Sacramenta N. L. conferunt charismata gratiæ, 7 C', cujus sunt significativa, contentiva et effectiva, 161 A', 437 A. — Dicuntur fluxisse de latere Christi, 51 A, cujus passionis meritum nobis applicant, 7 C', 50 D', 169 A', 229 B'. Ex eodem Salvatoris merito virtutem sortiuntur, 18 D, 50 D'. — Sacramentum altaris per sacrificium justitiæ designatur, 439 A'.

SACRIFICIUM spirituale est actio virtuosa ad Dei honorem exhibita, 439 D'. — Sacrificium Deo spiritus contribulatus, quo sensu, 437 C'. — Sacrificia legis naturæ et veteris Testamenti, qua ratione Deo fuerint accepta, 34 D', 437 B. — Recensentur diversa sacrificia legalia, 437 B'. — Sacrificium a Christo institutum, qua prophetia prænuntiatum fuerit, 437 B'.

SADDUCÆI, qui libros Moysis tantum receperunt, 205 A, unde nomen acceperint, 116 A, qualiter erraverint, 108 A, 116 B, 204 D', et quare dicantur hæretici, 115 D'.

SALAMINA, urbs Cypri, in qua natus et passus fertur S. Barnabas, 157 A'.

SALMONE, civitas Cretæ, 212 B'.

SALOMON docuit modos exorcismi, 189 D'. — Porticus Salomonis in qua parte templi sita fuerit, 104 D.

SALUS. Quinam sint hostes nostræ salutis, 460 C'. — Quam gloriosum sit homini alios secum salvare, 372 C', 373 A.

SAMARIA significat regionem decem tribuum, 133 D, vel ejusdem metropolim, 134 D.

SAMOS, insula Ægæi maris. Ibi, ut fertur, vasa fictilia primo inventa sunt, 193 B'.

SAMOTHRACIA, Ægæi maris insula in Pagasæo sinu, 174 B'.

SANCTI quinam in hac vita dicantur, 409 A'. — Quomodo peccata sua deplangant, 398 D'. Licet quotidie venialiter peccent, tamen pro eisdem quotidie satisfaciunt, 11 A', et ad horulam possunt omni culpa carere, 11 B', 409 C'. Multi eorum ex revelatione agnoverunt se mortali peccato non subjacere, 9 A'. — Quanta sit illorum fides, 324 A'. Quo sensu ipsis manifestaverit Deus incerta et occulta sapientiæ suæ, 431 D et seq. Per miracula doctrina illorum approbata est, 52 C'. — Patientiam suam fundant considerantes æternam pravorum damnationem, 324 A'. Quo spiritu aliquando maledictionis sententiam proferant, 135 C'. — In quolibet eorum aliqua specialis emicat virtus, 371 B'. — Obedierunt etiam in his quæ vel irrationabilia vel inutilia videbantur, 136 B'. — Alæ eorum sunt virtutes, 265 B. — Simul cum Christo judicabunt, 247 B, 357 A'. — In cœlo et in terra regnum Dei magnificant, 350 D et seq. — In patria possunt viatoribus subvenire, 247 C. Eorum auxilia sunt imploranda, 460 D'. — Quo sensu dicantur in cœlo stare coram Deo, et ante eum, 282 D', amicti stolis albis, 283 A. — Allegantur eorum legendæ et chronica, 276 A. — *Cf.* Beati, Electi, Perfecti, Prædestinatus.

SANGUIS quum ex latere Christi fluxit, duo mirabilia contigerunt, 97 D'. — De sanguinibus, id est de carnalibus et cruentis operibus, liberamur a Deo, 436 B. — Quid designet sanguis, 287 D et seq., 333 C'.

SAPHIRA, uxor Ananiæ, ab angelo percussa est, 114 A'.

SAPIENTIA est aurum ignitum probatum, quo sensu, 255B'. — Naturalis sapientia suam habet delectationem, 413D'. — Dono sapientiæ, per quod in Deo immediate delectamur, 413A', contrariatur vitium puerilitatis, 347B. — Quid sit sapientia Dei, 29B.

SAPPHIRUS donum sapientiæ designat, quare, 369C.

SARABAITÆ, ficti monachi, unde exorti sint, 114C'.

SARDIS. Hujus civitatis episcopus increpatur, 248C' et seq.

SARDIUS, rubeum habens colorem, varia figurat, 260B', speciatim donum scientiæ, 370B.

SARDONYX cur donum fortitudinis exprimat, 370A.

SARRACENI nudis pedibus loca sancta ingredi dicuntur, 128B.

SATANAS, qui interpretatur adversans, 310A', de inferno egredietur tempore Antichristi, quo sensu, 358C'. *Cf.* Dæmon, Lucifer.

SATISFACTIO. Ejus opera qualia sint, 401D, 418D; an iteranda, si in peccato mortali peragantur, 402C et seq.

SAULUS, qui postea dictus est Paulus, 133A, 158A, consensit neci S. Stephani, 133B', cujus orationis virtute creditur illustratus, 133A'. *Cf.* Paulus.

SCANDALUM quid sit, 17A. — Quando veniale vel mortale fiat scandalum passivum, 17C, aut activum, 17D.

SCAPHA, levis navicula, unde nomen accipiat, 213B'.

SCHISMATICI quomodo Christum solvant, 41C.

SCORPIO vultu blanditur, et percutit cauda, 291B.

SCRIPTURA, per arcum designata, 273D', est quasi epistola nobis divinitus missa, 432D'. — Ejus studium commendatur, 379, 380. — Quomodo scrutanda sit, 179D'. Utrum multiplicem habeat sensum, etiam litteralem, 287D'. — Agendum est secundum ejus doctrinam, 38D, cui non miscetur mendacium, 27A. — Qualiter ejus libri dividantur, 81, 224, 541. — Ejus sensum magis quam verba interdum allegant Christus et Apostoli, 90B', 97B. — In illa quinam vocentur pueri vel viri, 108D. — In ipsa frequenter numerus singularis ponitur pro plurali, et econverso, 374B, verbum unius temporis pro verbo alterius temporis sumitur, 325A, et non semper servatur ordo rerum gestarum seu gerendarum, 360B'.

SEBASTIANUS (S.) cur ab omnibus amatus fuerit, 102D'.

SEDES posita in cœlo, significat congregationem devotam, 260C, vel mentes Deo beatifice perfruentes, 260D. — Per sedes intelliguntur mansiones cœlestes, 357A', vel auctoritates Ecclesiæ, 357B'.

SEDUCTORES quinam sint, 26A', 58D'.

SELEUCIA, civitas Syriæ, a quo constructa sit, 157D.

SEMEN Dei, est gratia ipsius seu caritas, 32C'.

SENECA (Annæus) philosophus docet, cum modestia et mediocri voce esse loquendum, 407D'. — Juxta illum, ab impiis vituperari est commendari, 444A'.

SENIORES viginti quatuor, de quibus loquitur Apocalypsis, quinam sint, 261D et seq., 270C, 271C, 283D, 304D, 350A. — Illorum verba explanantur, 304A' et seq.

SEPTUAGINTA interpretes. Illorum translatio allegatur, 161B, 408A'. — Eadem usus est S. Lucas, 125A', 137A', 170B, 219C, cum Ecclesia primitiva, 162A.

SERPENS æneus, cui Israelitæ incensum adolebant, ab Ezechia confractus est, 71A.

SICARII viri, cur sic vocati, 200A.

SIDERA errantia, septem planetas significant, eisque assimilantur hæretici, 73C'.

SIDON, olim urbs insignis Phœniciæ, 212C.

SIGILLA libri septem, quid figurent, 272D' et seq.

SILAS (S.) Antiochenos consolatus est Christianos, 172B. — Quomodo civis Romanus fuerit, 177B'. — Quando in adjutorem a S. Paulo electus sit, 172D'. — Philippis cum eodem virgis cæsus et in carcerem missus, 176D, interveniente terræ motu, 176A', et converso carceris custode, 176D', liberatus est, 177B et seq.

SILVERIUS (S.) Papa utrum in Apocalypsi designetur, 305B'.

SIMEON, qui audiens mœrorem interpretatur, quosnam figuret, 282A'.

SIMILA est delicatissima farina, 346D'.

SIMILITUDO est causa unionis ac amoris, 35A, 423A. — Unumquodque applaudit simili sibi, 41D'.

SIMON magus, quam superbus fuerit, 134C', et quomodo Samaritanos seduxerit, 134B'. — An vere crediderit S. Philippo diacono, 134D'. — Utrum ficte resurrexerit, 314C, 317C. — Ab illo simoniaci nominantur, 135B'.

SIMON Niger, cur sic vocatus, 156B.

SIMULACRA sunt idola, avaritia, hæreticorum figmenta, et vana phantasmata, 56 A'.
SINAI mons, quare vocetur Horeb, 127 B', et terra sancta, 128 B.
SINGULARITAS. Vitium singularitatis reprobatur, 75 A'.
SION, quæ interpretatur speculatio, designat Ecclesiam militantem ac triumphantem, 319 C', 438 A', necnon Synagogam, 446 C'. *Cf.* Jerusalem.
SMARAGDUS, lapis gratissimæ viriditatis, 261 B, donum consilii figurat, 369 B'. — Quid narretur de terra in qua inveniuntur nobiliores smaragdi, 369 D'.
SMYRNA. Hujus civitatis episcopus, de quo agit Apocalypsis, 241 A' et seq., an fuerit S. Polycarpus, 243 A.
SOBRIETAS seu abstinentia, alia est virtus infusa, 445 A, alia virtus naturalis et acquisita, 445 B.
SOCIETAS. Qualem societatem habeamus cum Deo, 7 D' et seq., et ad invicem, 7 A'. — Socii quinam dicantur, 8 B.
SODOMA interpretatur muta vel cæcitas, 303 B. — Ejus punitio ignem æternum inferni figuravit, 70 D.
SOL, a quo cuncta sidera clarificantur, 236 B, qualiter in fine mundi mutandus sit, 361 B'. — Designat Christum, doctores Ecclesiæ, 278 A', prælatos, 289 C, et fervorem persecutionis, 284 A'.
SOLITUDO est locus paratus a Deo, quo sensu, 309 D.
SOMNUS. Ejus tempore aptior est anima ad illuminationes supernas, 97 C. — Quisnam spiritualiter dormiat, 249 C'.
SORS. Qua sorte electus sit S. Matthias, 91 B'. — Utrum sortibus liceat uti, 91 C' et seq.
SPES quomodo definiatur, 30 B', et quantæ sit efficaciæ, 421 A'. — Magis inniti debet divinæ benignitati quam meritis nostris, 413 C. — Quid sit spes formata, 39 A, 412 D', et perfecta, 413 D, 454 A'. — De nullo est penitus desperandum, 55 C.
SPIRITUS veritatis et spiritus erroris quid sit, 42 D. — Non est omni spiritui credendum, quare, 40 C. — Sacrificium Deo spiritus contribulatus, quo sensu, 437 C'. — Spiritualia quantum temporalibus præponenda sint, 120 A'. — Per septem spiritus quid intelligatur, 228 B, 263 A. — Spiritus immundi sunt diaboli, 335 D'.
SPIRITUS Sanctus procedit, tanquam ab uno principio, a Patre et Filio, 373 D', 435 A, qui sunt ejus unus spirator et dator, 97 A. — Est donum Dei, 87 B', amor et nexus Patris et Filii, ipsisque consubstantialis, 5 A, 26 B, 56 B. — Quo sensu appelletur Spiritus Jesu, 174 C. Christum ut hominem unxit et misit, 149 A. Testatus est quoniam Christus est veritas, 51 B. — Illi appropriantur caritas, 46 C, bonitas, 84 B', pietas, liberalitas, 435 B. — Quomodo ejus divinitas probetur, 113 D', 219 D. — Infallibilis est magister, 171 C'. Ejus illustratio, unctio appellatur, 86 D, cujus recensentur effectus, 24 B', 27 A. — Qualiter cognoscamus an illum habeamus, 44 D', cujus indesinenter indigemus actuali directione, 460 C, et motione, 461 D. Ab illo confirmamur, quo sensu, 435 B. — Quicumque habet caritatem, habet septem dona Spiritus Sancti, 42 C'. — Qui frangit votum, eidem Spiritui mentitur, 113 C. — Peccata in Spiritum Sanctum quare irremissibilia asserantur, 55 A. — Ejus missio alia est invisibilis, alia visibilis, 93 B'. Per ipsum factæ sunt propheticæ revelationes, 325 C'. Cur in specie columbæ descenderit, 136 B. — Quo sensu illo baptizati sint Apostoli, 86 B et seq., atque repleti, die Pentecostes, 93 B et seq., 94 D et seq., seu quinquagesimo die a Pascha, 94 A, hora tertia, 96 B'. — *Cf.* Dona, Trinitas.
STADIUM quid sit, quoad nomen et quoad rem, 328 B.
STELLA minima visibilis, juxta astronomos, major est toto mundo, 19 B'. — Stella Magis apparens, quo sensu fuerit ceteris stellis micantior, 210 A'. — Quid intelligatur per stellam matutinam, 247 C', per septem stellas in Christi dextera, 235 D, 237 B, per coronam stellarum duodecim, 307 D, per stellas cœli, 278 B'. — Stella magna de cœlo cadens, figurat hæresiarcham vel hæresiarcharum catervam, 288 C', 290 D. — Stellæ mystice sunt religiosi et inferiores prædicatores, 289 C.
STEPHANUS (S.) quibus virtutibus floruerit, 121 D, 122 C, 131 C, 133 B. — Elucidantur ea quæ pro defensione sua locutus est, 123 C et seq. — Qualiter ejus facies splenduerit, 123 B. — Vidit gloriam Dei, 131 C' et seq., et Jesum stantem a dextris virtutis Dei, quo sensu, 132 C et seq. — Quomodo ante oculos ejus aperti sint cœli, 132 A'. — Quantam caritatem moriens exhibuerit, 133 A, et a quibus sepultus sit, 133 C'.

STOICI in sola animi virtute felicitatem posuerunt, 180B'.

STOLÆ mystice sunt virtutes, 377C. — Per stolas albas quid exprimatur, 262A', 277D'.

STRATUM. Per illud intelligi potest corpus, 401B'.

STULTITIA appellatur vitium puerilitatis, 347B. — Quare « stulti » vocentur iniqui, 29C.

SUBDITI in doctrina pastorum suorum debent stabiles permanere, 102A, et superioribus statim obedire, 136B'. *Cf.* Prælatus.

SULFUR designat blasphemiæ fœtorem, 294A'.

SUPERBIA vitæ quid sit, 20B' et seq. — Superbi nomina quæ æqualitatem prætendunt, abominantur, 203D. Quanta in inferno illorum supplicia, 345C.

SUPERSTITIO quid sit, 181B'.

SYNAGOGA per Sion designatur, 446C'. — In Christi adventu maxime impletum fuit tempus miserendi ejus, 446D'. — Multo magis quam Synagoga a Deo exaltata est Ecclesia, 447D'.

SYNODI quatuor celebratæ sunt in Jerusalem, tempore Ecclesiæ primitivæ, 200C.

SYRACUSÆ, urbs Siciliæ, S. Luciæ martyrio famosissima, 217D.

SYRIA, quæ ab Hebræis Aram dicitur, ubi sita sit, 171A'.

SYRTES quid sint, 213D'.

T

TABERNACULUM Ecclesiam figurat, 331B'. — Tabernaculum Moysis cur dicatur tabernaculum testimonii, 130A. — Tabernaculum Dei significat Christi humanitatem, 363A, vel Ecclesiam, 363B.

TABERNÆ tres ab Appio consule ubi constitutæ sint, 217C'.

TABITHA interpretatur Dorcas, id est damula vel caprea, 142B'. — Quomodo hanc devotam mulierem suscitaverit S. Petrus, 142D', hujusque facti quis detur sensus mysticus, 143A'.

TEMPLUM est locus orationis et sacrificiorum, 371D'. — Templi Jerusalem porta quæ dicitur Speciosa, qualis fuerit, 103D. — Deus est templum cœlestis Jerusalem, 372A. — Templum Dei est Christus ut homo, 305C', B. V. Maria, 306C, et Ecclesia militans, 300D, 306A.

TEMPUS præsens, futuro sæculo comparatum, est velut momentum, 226A. — Tempori adscribitur quod hominibus in tempore exsistentibus contingit, 184A. — Tempus amplius non erit, quo sensu, 298C, et tamen in inferno manebit, qua ratione, 298D. — Æternitas Dei cur per temporum differentias designetur, 227D'.

TENEBRÆ quid figurent, 6C', 7C, 17A' et seq.

TENTATIO ex præcedentibus peccatis frequenter oritur, 113C. — Contemnendæ sunt tentationes blasphemiæ, 420D'. — Tentatio dici potest quælibet persecutio ac tribulatio, 253A'.

TEPIDI quam Deo detestabiles, 255B.

TERRA complanabitur in novissima hora, 337B', et in melius mutabitur, 359D', 361B et seq. — Designat Judæos, 333C, vel omnes homines, 334C. — Quid exprimat terræ motus, 278D, 286D', 337C. *Cf.* Motus.

TESTAMENTUM. In veteri Testamento omnes electi justificabantur per fidem Christi futuri, 161B'. — Quadripartitum est genus librorum V. et N. Testamenti, 81, 224. — Arca testamenti quid sit, 306B.

TESTIMONIUM. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se, quo sensu, 52D.

THALASSA, urbs Cretæ, utrum et Asson dicatur, 213C.

THEODAS, qui magus fuit, 118C', multos seduxit Judæos, 118B'.

THEODOTION. Ejus translatio allegatur, 34D'.

THEOPHILUS, cui evangelium et librum Actuum Apostolorum conscripsit S. Lucas, quis fuerit, 84C.

THESSALONICA, urbs Macedoniæ, 178B. — Quomodo ibi prædicaverit S. Paulus, 178C et seq.

THOMAS (S.) apostolus in India prædicavit, 88A.

THOMAS (S.) Aquinas allegatur, 17C, 32C, 91D', etc. — Quanta fuerit ejus devotio, 459A'. — Ejus Summa contra gentiles correspondet libro S. Augustini de Civitate Dei, 438B'. — Citatur ejus tractatus de Regimine principum, 428B'.

THRONUS designat Ecclesiam triumphantem ac militantem, 350B, 359C'. — Thronus Dei quid sit, 228D, 257D', 261B, 282D'.

THURIBULUM aureum quid significet, 286A.

THYATIRA. Hujus civitatis episcopus laudatur, 245D. — An etiam reprehendatur, 245D'.

THYPHONICUS ventus quam terribilis sit, et quomodo generetur, 213D.

TICHONIUS (Afer) allegatur, 322B. (De Septem

regulis, c. 2. Migne *Patrol. lat.* tom. 18, col. 21.)
TIMOR pure naturalis, est in se indifferens, 47 A'. — Timor servilis, in quantum servilis, non est caritati conjunctus, 47 A, nec meritorius, 144 B, et condemnationem meretur, 47 D. — Duplex est timor laudabilis, puta initialis et filialis, 47 B', 144 B, 248 B, 322 B'. — Filialis timor quantum prosit in spirituali pugna, 370 B'. — Timor retrahit a peccato, 114 B'. — Sine timore Domini non est manducandum, 72 C'.
TIMOTHEUS (S.), in Lystris natus, 173 B, cur a S. Paulo circumcisus fuerit, 173 D.
TITUS Justus, fuit de gentilitate ad Judaismum conversus, 186 C.
TITUS imperator, non Ecclesiæ, sed infidelium Judæorum persecutor exstitit, 275 D. — An et quatenus in Apocalypsi figuretur, 275 A et seq.
TONITRUA appellantur prædicatores sancti, 297 A'. — Per illa intelligitur etiam prædicatio sublimis, 262 D', 286 C', 306 A'.
TOPAZIUS justitiam designat, 370 C'.
TOPHETH significat gehennam impiis præparatam, 327 C'.
TORCULAR tripliciter intelligitur, 354 B et seq.
TRAJANUS imperator, an et quatenus in Apocalypsi exprimatur, 275 A et seq.
TRANSMUTATIO elementorum, peracto finali judicio, cessabit, 298 C.
TRIBULATIO magna per tenebras designatur, 17 B'. — Raro aut nunquam deest justis tribulatio in hac vita, 462 A. — Tribulationes qualiter electis prosint, 226 A, 408 C. — Quomodo in tribulatione gaudeat justus, 119 A'. — Non consurget duplex tribulatio, quo sensu, 69 B'. — Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum, 166 A' et seq.
TRIBUS Israel omnes ad prædicationem Eliæ convertentur, 281 D'. — Inter illas cur a S. Joanne prima nominetur tribus Juda, 281 D', omittantur autem tribus Dan et Ephraim, 282 A.
TRINITAS est unus Deus, 12 A, 51 C', 58 A', unus Creator, 97 A, una natura, 435 B, essentia, potestas, 228 B', caritas, sapientia, 46 C, scientia, 87 B, veritas, 63 D'; unum summum bonum, 51 C', unum objectum fidei, 39 A', et beatitudinis, 109 B; unum Ecclesiæ militantis ac triumphantis fundamentum, 367 B, unum primum principium et unus ultimus finis, 236 B'. — In illa nihil est prius aut posterius, 236 A', nihil majus aut minus, 377 B. — Ejus operatio ad extra est indivisa, 28 D, 84 D', 225 A, 325 C', etc. — Una Persona divina sine alia diligi nequit, 49 B; qui unam colit, tres colit, 26 C; qui contra unam agit, contra alias peccat, 111 A. — Trinitas quomodo in Psalmo L exprimatur, 435 C, et in nomine Christi intelligatur, 25 B', 101 D. — Quale testimonium Christo præstet, 51 A', et ab ipso recipiat, 51 D'. — *Cf.* Deus, Filius, Pater, Spiritus.
TRISTITIA bona qualis sit, 417 C.
TRITICUM prælatos perfectos figurat, 276 B'.
TROAS, civitas Asiæ maritima, Antigonia etiam vocata est, 174 D.
TUBA. Cur illi assimiletur vox a S. Joanne audita, 232 B', 259 D'. — Tubæ septem quid significent, 285 B'.
TUNICA maculata, est conversatio prava, vel corpus mortale, 76 A'.
TURBATIO accipitur vel in bono sensu, 419 B, vel sæpius in malo, 419 C.
TYRANNUS. An communitas illum deponendi jus habeat, 428 C'.

U

ULTIO Dei, per manum ejus exprimitur, 408 B.
UNCTIO Spiritus Sancti quosnam producat effectus, 24 B', 27 A.

V

VÆ quare ter dicatur, 289 B'.
VALENS imperator, conjugis suæ consilio in Arianam lapsus est hæresim, 295 A'.
VALENTINUS hæresiarcha confutatur, 4 C.
VANITAS quo sensu sit in creatura, 7 B.
VENTER mentem sive memoriam designat, 307 B'.
VENTI terræ, mystice sunt prædicatores, 280 A'.
VERBUM quotuplici sensu accipiatur, 117 D', 195 D'. — Verbum Dei cibus est animæ, 299 A, quam efficax, 299 D'.
Verbum æternum a Patre generatum, 3 B, personaliter ab illo distinctum, 4 C', et ipsi consubstantiale, 3 C, est genita sapientia Patris, 3 A', Verbum vitæ, 4 B, essentialiter vivens et vita, 4 B'. — Quomodo illud audierint homines, 3 A'. — Veraciter incarnatum, 41 A, se manifestavit, 4 D, illudque tractaverunt Apostoli, quo sensu, 4 B. — *Cf.* Christus.

VERITAS quotuplex sit, 58 A, 61 B', 63 B' et seq., 377 B', 430 C'. — Veritas propositionis, est adæquatio intellectus ad rem intellectam, 64 B. — Veritas vitæ, 7 C, 64 C, distinguitur a veritate entis seu naturæ, 13 C', 64 A, et a veritate doctrinæ, 64 A'. — Quid sit veritas justitiæ, 64 B'. — Interdum veritas sumitur pro virtute morali per quam homo in verbis et factis correspondenter se habet, 64 C'. — Veritatis consideratio ex sua natura dulcis est, 299 C. — Veritatem sapienter celare licet, ut mala majora vitentur, 204 D'.

VESTIMENTA animæ, sunt virtutes ac dona Sancti Spiritus, 249 D', 336 D, vel opera, 250 B. Quisnam illa non fœdet, 250 A et seq. — Per vestimenta alba, intelliguntur munda opera, 255 D'.

VIÆ Dei, sunt ejus præcepta, consilia, documenta, 436 A.

VINDICTA an et quatenus licita, 344 B'.

VINEA Dei, est Ecclesia electorum ; vinea terræ, collectio reproborum, 327 A'.

VINUM religiosos quomodo designet, 277 A, vel errorem ac idololatriam, 323 D. — Cur per calicem vini intelligatur pœna malorum, 337 B'. — Vinum iræ Dei mixtum est mero, quo sensu, 323 C'.

VIRGA ferrea rigorosam justitiam denotat, 247 B, 354 A.

VIRGINES sequuntur Agnum quocumque ierit, quo sensu, 321 C. — Quare dicantur primitiæ Deo et Agno, 321 B'. — Utrum majoris sint meriti et præmii quam ceteri electi, 320 D', 322 B. — Canticum virginum quid sit, 320 C' et seq. — Virginitas sola cogitatione amissa, per pœnitentiam recuperatur, 321 B.

VIRIDE mediocres et proficientes designat, 291 B.

VIRTUS quælibet habet proprium gaudium sibi annexum, 119 A'; et signum virtutis perfecte inexsistentis, est delectatio operationi conjuncta, 164 A. — Omnis virtus est quædam justitia, 409 A. — Virtus divina quum sit infinita, agit in instanti, 104 A. — Virtutes, quæ figurantur per alas, 265 B, et per stolas, 377 C, ossibusque assimilantur, 398 B, 433 D, sunt ex sua natura suaves, 49 B'. Illas pœnitentia vocat in domum luctus, 398 C; caritas, in domum gaudii, 433 D. — Per virtutes theologicas, immediate in Deo gaudemus, 413 A', illisque succedunt tres animæ glorificatæ dotes, 368 D. — Quo sensu in Beatis permaneant virtutes cardinales, 367 B'.

VISCERA animæ spiritualia, sunt caritatis et pietatis affectus, 37 B.

VISIO quotuplex sit, 43 C'.

VISUS pro omni sensu accipi solet, 233 B.

VITA æterna quo sensu nobis data sit, 53 A. Quomodo illam de condigno mereri possit homo, 250 D'. — Vitæ humanæ brevitas in Psalmis sæpe inculcatur, 445 D'. — Per menses quinque, designatur omne tempus vitæ præsentis, 291 D. — In præsenti vita non proficere est deficere, 376 D'. — Post hanc vitam non est tempus merendi, 400 C. — Quid sit veritas vitæ, 64 C, et corona vitæ, 242 D. — Vita beata in patria, per denarium diurnum significatur, 276 C'.

VITIA. Illis admiscentur multæ afflictiones, 408 A, 412 B'. — Qui vitiis spiritualibus involvuntur, diabolici dicendi sunt, 412 A'.

VITULUS quem figuret, 264 D et seq.

VOLUCRES immundæ et odibiles sunt dæmones, 343 D.

VOLUNTAS creata, est prima peccati origo, quo sensu, 22 C. — Qualis voluntas sufficiat ad obtinendam peccatorum remissionem, 409 B. — Voluntas justi quomodo voluntati Dei conformetur, 414 A. — Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum, 23 A.

VOTUM quando non sit servandum, 205 C'. — Omnis qui illud frangit, Spiritui Sancto mentitur, 113 C.

VULNERA quatuor ex originali peccato derivant, 397 C', 415 A', 429 D'.

Z

ZABULON, qui habitaculum fortitudinis interpretatur, quosnam designet, 282 B'.

ZACHARIAS propheta qualiter cum Apocalypsi concordet, 275 A'.

ZONA aurea caritatem figurat, 234 B. — Zonæ aureæ sunt sapientiæ fulgor, caritatis vincula, et castimonia mentis, 332 A.

INDEX GENERALIS

ENARRATIO IN EPISTOLAM PRIMAM BEATI JOANNIS.

Articulus I. Enarratio primi capituli : Quod fuit ab initio, etc. 3
Articulus II. Expositio capituli secundi : Filioli mei, hæc scribo vobis 11
Articulus III. Prosecutio elucidationis hujus capituli secundi, ab illo loco : Nolite diligere mundum. 19
Articulus IV. Elucidatio capituli tertii : Videte qualem caritatem, etc. 28
Articulus V. Prosecutio expositionis hujus capituli tertii, ab illo loco : In hoc cognovimus caritatem Dei. 36
Articulus VI. Expositio capituli quarti : Carissimi, nolite omni spiritui credere. 40
Articulus VII. Declaratio quinti capituli : Omnis qui credit 48

ENARRATIO IN EPISTOLAM SECUNDAM BEATI JOANNIS.

Articulus unicus. Expositio unici capituli : Senior Electæ dominæ 57

ENARRATIO IN EPISTOLAM TERTIAM BEATI JOANNIS.

Articulus unicus. Expositio unici capituli : Senior Caio carissimo. 61

ENARRATIO IN EPISTOLAM BEATI JUDÆ.

Articulus I. Enarratio primi capituli : Judas, Jesu Christi servus 67
Articulus II. Elucidatio capituli secundi : Væ illis qui in via Cain abierunt . . . 72

ENARRATIO IN ACTUS APOSTOLORUM.

Procemium 81
Articulus I. Enarratio primi capituli : Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile 83
Articulus II. Expositio capituli secundi : Et dum complerentur dies Pentecostes. 93
Articulus III. Expositio capituli tertii : Petrus autem et Joannes ascendebant in templum 103
Articulus IV. Elucidatio capituli quarti : Loquentibus autem illis ad populum . 108
Articulus V. Elucidatio capituli quinti : Vir autem quidam nomine Ananias. . 113
Articulus VI. Explanatio capituli sexti : In diebus autem illis 120
Articulus VII. Elucidatio capituli septimi : Dixit autem princeps sacerdotum. . . 123
Articulus VIII. Explanatio capituli octavi : Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia 133
Articulus IX. Elucidatio capituli noni : Saulus adhuc spirans minarum et cædis 138
Articulus X. Elucidatio capituli decimi : Vir autem quidam erat in Cæsarea, etc. 143
Articulus XI. Declaratio capituli undecimi : Audierunt autem Apostoli . . . 150
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : Eodem tempore misit Herodes, etc. 153
Articulus XIII. Elucidatio capituli tertiidecimi : Erant autem in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et doctores . 156
Articulus XIV. Expositio capituli quartidecimi : Factum est autem in Iconio . 164
Articulus XV. Expositio capituli quintidecimi : Et quidam descendentes de Judæa. 167
Articulus XVI. Expositio capituli sextidecimi : Pervenit autem in Derben et Lystram 173
Articulus XVII. Expositio capituli septimidecimi : Quum autem perambulassent Amphipolim 178
Articulus XVIII. Expositio capituli octavidecimi : Post hæc egressus ab Athenis. 185
Articulus XIX. Explanatio capituli nonide-

cimi : Factum est autem, quum Apollo esset Corinthi. 188
Articulus XX. Expositio capituli vicesimi : Postquam autem cessavit tumultus, etc. 192
Articulus XXI. Expositio capituli vicesimi primi : Quum autem factum esset ut navigaremus. 196
Articulus XXII. Expositio capituli vicesimi secundi : Viri fratres et patres. . . . 201
Articulus XXIII. Elucidatio capituli vicesimi tertii : Intendens autem in concilium Paulus 203
Articulus XXIV. Expositio capituli vicesimi quarti : Post quinque autem dies . 206
Articulus XXV. Expositio capituli vicesimi quinti : Festus ergo quum venisset in provinciam 208
Articulus XXVI. Explanatio capituli vicesimi sexti : Agrippa vero ad Paulum ait 209
Articulus XXVII. Expositio capituli vicesimi septimi : Ut autem adjudicatum est. 212
Articulus XXVIII. Expositio capituli vicesimi octavi : Et quum evasissemus . . 215

ENARRATIO IN APOCALYPSIM BEATI JOANNIS.

Procemium 223
Articulus I. Elucidatio primi capituli : Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus 225
Articulus II. Prosecutio explanationis hujus capituli primi, ab eo loco quo ait : Ego Joannes frater vester 231
Articulus III. Elucidatio capituli secundi : Et angelo Ephesi Ecclesiæ scribe . . . 237
Articulus IV. Explanatio capituli tertii : Et angelo Ecclesiæ Sardis scribe . . . 248
Articulus V. Elucidatio capituli quarti : Post hæc vidi : et ecce ostium apertum in cœlo. 258
Articulus VI. Expositio capituli quinti : Et vidi in dextera sedentis super thronum. 267
Articulus VII. Explanatio capituli sexti : Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis 272
Articulus VIII. Expositio capituli septimi: Post hæc vidi quatuor angelos stantes. 280
Articulus IX. Explanatio capituli octavi : Et quum aperuisset sigillum septimum. 285
Articulus X. Explanatio capituli noni : Et quintus angelus tuba cecinit 290
Articulus XI. Expositio capituli decimi : Et vidi alium angelum fortem, etc. . . 295
Articulus XII. Explanatio capituli undecimi : Et datus est mihi calamus similis virgæ 300
Articulus XIII. Expositio capituli duodecimi : Et apertum est templum Dei in cœlo. 305
Articulus XIV. Expositio capituli tertiidecimi : Et vidi de mari bestiam ascendentem 313
Articulus XV. Explanatio capituli quartidecimi : Et vidi, et ecce Agnus stabat 319
Articulus XVI. Expositio capituli quintidecimi : Et vidi aliud signum in cœlo magnum 329
Articulus XVII. Expositio capituli sextidecimi : Et audivi vocem magnam de templo. 333
Articulus XVIII. Explanatio capituli septimidecimi : Et venit ad me unus de septem angelis 338
Articulus XIX. Explanatio capituli octavidecimi : Et post hæc vidi alium angelum descendentem. 342
Articulus XX. Expositio capituli nonidecimi : Post hæc audivi, etc. 349
Articulus XXI. Expositio capituli vicesimi : Et vidi angelum descendentem de cœlo. 356
Articulus XXII. Expositio capituli vicesimi primi : Et vidi cœlum novum 361
Articulus XXIII. Expositio capituli vicesimi secundi : Et ostendit mihi flumen aquæ vivæ 373
Parænesis D. Dionysii Cartusiani ad studiosum sacræ Scripturæ. 379

ENARRATIO IN SEPTEM PSALMOS POENITENTIALES.

Epistola nuncupatoria 385
Procemium 387
Enarratio in Psalmum I. 395
Enarratio in Psalmum II 406
Enarratio in Psalmum III. 414
Enarratio in Psalmum IV. 424
Enarratio in Psalmum V 440
Enarratio in Psalmum VI. 453
Enarratio in Psalmum VII. 456

MONOPANTON.

Epistola nuncupatoria 467
Capitulum I. De verbis contentis in forma salutationum Epistolarum B. Pauli . . 469
Capitulum II. Gratiarum actio Pauli apostoli pro donis gratiæ collatis a Deo fidelibus 469
Capitulum III. De orationibus Pauli pro suis discipulis 470
Capitulum IV. De fide 471
Capitulum V. De definitione atque effectibus fidei 472
Capitulum VI. De spe 473
Capitulum VII. De caritate. 474
Capitulum VIII. De timore. 475
Capitulum IX. De humilitate et contra superbiam 476
Capitulum X. De patientia et tribulationibus justorum ac electorum 476
Capitulum XI. De justitia 478
Capitulum XII. De prudentia, et vitio imprudentiæ. 480
Capitulum XIII. De sapientia, et insipientiæ culpa 481
Capitulum XIV. De obedientia 483
Capitulum XV. De pietate et misericordia. 484
Capitulum XVI. De temperantia et sobrietate, et corporis castigatione 487
Capitulum XVII. Contra vitia carnis. . . 487
Capitulum XVIII. De fortitudine, stabilitate, atque constantia cordis 488
Capitulum XIX. Contra avaritiam, et de liberalitate 489
Capitulum XX. De exemplaritate servanda, et scandalis evitandis 490
Capitulum XXI. Exhortatio ad pacem atque concordiam, et contra dissensionem et contentionem. 491
Capitulum XXII. Contra temeraria et inordinata judicia 492
Capitulum XXIII. De spirituali profectu et perfectione 493
Capitulum XXIV. De correptione caritativa et justa. 495
Capitulum XXV. De tentatione 495
Capitulum XXVI. De oratione. 496
Capitulum XXVII. De spirituali gloriatione seu gaudio et consolatione, et contra inanem gloriam 496
Capitulum XXVIII. Contra loquacitatem, otium ac curiositatem 498
Capitulum XXIX. De reformatione interna et gratiarum actione, et quibusdam spiritualibus exercitiis, atque de ordinatione omnium ad ultimum finem . . 498
Capitulum XXX. De originali peccato et ejus transfusione, et de comparatione gratiæ Christi ad culpam Adæ . . . 499
Capitulum XXXI. De triplici tristitia, laudabili, vituperabili, et indifferenti. . . 500
Capitulum XXXII. Exhortatio ad laborem pro felicitate et beatitudine ipsa. . . 500
Capitulum XXXIII. De desiderio dissolutionis, ut sit cum Christo 502
Capitulum XXXIV. Contra idololatriam . 502
Capitulum XXXV. Contra diversa vitia hominum. 503
Capitulum XXXVI. Exhortatio ad diversas virtutes et actus earum 504
Capitulum XXXVII. De Synagoga et variis gratiæ donis olim illi collatis, et circumcisione duplici. 505
Capitulum XXXVIII. De Ecclesia. . . . 506
Capitulum XXXIX. De efficacia et argumentis prædicationis evangelicæ legis, et de miraculis beati Pauli apostoli . . 507
Capitulum XL. De gentium vocatione, et Judæorum excæcatione ; de finali quoque conversione eorum ad Christum. . 509
Capitulum XLI. De diversis gratiæ donis Ecclesiæ collatis tempore gratiæ sub evangelica lege 510
Capitulum XLII. Adhuc de eadem materia, et comparatione gratiarum ad invicem, atque de modo utendi, et de profectu in ipsis 511
Capitulum XLIII. De excellentia supernorum charismatum Christifidelibus concessorum, præsertim in primitiva Ecclesia 512
Capitulum XLIV. De prædestinatione et præscientia Dei. 514
Capitulum XLV. De justitia Dei, et rigore divini judicii contra iniquos 515
Capitulum XLVI. De ineffabili misericordia Dei super genus humanum, et de pia hominum redemptione per Christum. 516
Capitulum XLVII. De variis Christi mysteriis, utpote incarnatione, nativitate, humiliatione, paupertate, passione, resurrectione, apparitione, ascensione, et glorificatione ipsius ; atque de suæ salutiferæ passionis effectibus. 517
Capitulum XLVIII. Quod Christus est caput Ecclesiæ, non solum militantis, sed

etiam triumphantis; et de mystica Ecclesiæ unitate; atque de excellentia et præconiis Christi 518
Capitulum XLIX. De divinitate et eminentia unigeniti Filii Dei. 519
Capitulum L. De insufficientia et impotentia legis Mosaicæ ad salvandum sine fide et gratia Christi 520
Capitulum LI. De perfectione et eminentia evangelicæ legis supra legem scriptam. 521
Capitulum LII. De insufficientia et reprobatione sacrificiorum legalium, et efficacia sacrificii novæ legis 522
Capitulum LIII. Adhuc de insufficientia imperfectioneque legis, et cessatione legalium tempore novæ legis. . . . 522
Capitulum LIV. De cessatione circumcisionis, aliarumque observantiarum legalium, tempore Evangelii promulgati. . 523
Capitulum LV. De sacerdotio et pontificio Christi; et de eminentia Melchisedech, qui fuit ejus figura; et qualiter per Abraham decimatus est Levi 524
Capitulum LVI. Quibus virtutibus debeant esse ornati in sacris Ordinibus constituti, episcopi, sacerdotes, diaconi. . . 525
Capitulum LVII. De institutione et communione sacramenti Eucharistiæ; et quam damnabile sit illud indigne accipere 526
Capitulum LVIII. Qualiter conjugati debeant se habere, et de consilio continentiæ virginalis et vidualis 526
Capitulum LIX. De quibusdam documentis pertinentibus generaliter ad viros, atque mulieres, et viduas 527
Capitulum LX. Qualiter parentes habere se debeant ad sobolem suam, et econverso; qualiter etiam domini ad servos, et vice versa. 528
Capitulum LXI. Qualiter superiores habere se debeant ad subditos, et econtra; et de quibusdam documentis ad prælatos spectantibus; et qualiter diversos diversimode instruere debeant 529
Capitulum LXII. De spirituali regeneratione Baptismi; et cur debeamus de cetero recedere a peccatis 530
Capitulum LXIII. De adventu impiissimi et falsissimi Antichristi, ac die judicii. 530
Capitulum LXIV. De generali resurrectione futura. 530
Capitulum LXV. De fideli probatione ac diversitate resurrectionis futuræ, ac dotibus corporum glorificandorum . . . 531
Capitulum LXVI. De fervida caritate B. Pauli apostoli. 532
Capitulum LXVII. De humilitate, patientia, ac persecutionibus B. Pauli apostoli . . 533
Capitulum LXVIII. De excellentia rectitudinis et sinceritate Pauli apostoli. . . 534
Capitulum LXIX. De raptu et visionibus B. Pauli apostoli, et perfectione ejus in omni virtute. 535
Capitulum LXX. De multitudine misericordiarum Dei super Apostolum, et actibus exordii suæ conversionis. . . . 535
Capitulum LXXI. Quam humiliter pro se orari poposcerit Apostolus, suisque discipulis; et de aliis quibusdam actibus ejus. 536
Capitulum LXXII. De personis salutantibus et salutatis in Epistolis ejus . . . 536
Capitulum LXXIII. Laudatio et glorificatio Domini Dei omnipotentis 537

EPITOME.

Prologus 541
Liber Genesis 543
— Exodi. 547
— Leviticus. 550
— Numeri 551
— Deuteronomii 553
— Josue. 556
— Judicum. 557
— Ruth 559
— Regum primus. 559
— Regum secundus. 561
— Regum tertius. 563
— Regum quartus 564
— Paralipomenon primus. 565
— Paralipomenon secundus 566
— Esdræ primus 567
— Esdræ secundus 568
— Tobiæ. 568
— Judith. 570
— Esther. 571
— Job. 571
— Proverbiorum 578
— Ecclesiastæ 586
Canticum Canticorum 588
Liber Sapientiæ 589
— Ecclesiastici. 593
Prophetia Isaiæ 604
— Jeremiæ 616

Threni 622
Prophetia Baruch 623
— Ezechielis 624
— Danielis 626
— Osee 629
— Joel 631
— Amos 631
— Abdiæ 632
— Jonæ 633
— Michææ 633
— Nahum 635
— Habacuc 635
— Sophoniæ 636
— Aggæi 636
— Zachariæ 637
— Malachiæ 639
Liber Machabæorum primus 640
— Machabæorum secundus 642
Evangelium Matthæi 644
— Marci 651
— Lucæ 653
— Joannis 658
Epistola ad Romanos 665
— prima ad Corinthios 670
Epistola secunda ad Corinthios 674
— ad Galatas 676
— ad Ephesios 677
— ad Philippenses 679
— ad Colossenses 680
— prima ad Thessalonicenses . . 681
— secunda ad Thessalonicenses . 682
— prima ad Timotheum 683
— secunda ad Timotheum . . . 684
— ad Titum 685
— ad Philemonem 686
— ad Hebræos 686
Liber Actuum Apostolorum 690
Canonica Jacobi apostoli 696
— Petri apostoli prima 697
— Petri apostoli secunda . . . 699
— Joannis apostoli prima . . . 700
— Joannis secunda 702
— Joannis tertia 702
— Judæ apostoli 702
Apocalypsis Joannis apostoli 703

Index locorum S. Scripturæ 711
Index analyticus 717

Emendanda. Pag. 157 D, lin. 2 : historia, *lege* Historia; — 227 A', lin. 1 : evolvitur,... evolvatur; — 296 B', lin. 6, *dele* est; — 373 A', lin. 10 : ea, *lege* eo; — 428 C', lin. 5 : Imperatori,... Imperatore ; — 463 B, lin. 3 : posito,... positos.

Dubia. Pag. 11 C, lin. 9 : singularia, *forsan* singula.

Tom. II, pag. 744, et tom. VII, pag. 595 : Guillelmus Antisiodorensis episcopus, *dele* episcopus.
Tom. VI, pag. 767 in fine, *dele* « Dubia ». (Gregor. Turon. Histor. Franc. lib. II, c. 1.)
Tom. X, pag. 733, col. 1 in medio, *lege* Assur, fundator urbis Ninive.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

